Digitized by Google

9. 3-22

Digitized by Google

2 3 29

GEORGII BUCHANANI,

Scoti, Poëtarum ſui ſeculi facile Principis,

OPERA OMNIA,

Ad optimorum Codicum fidem ſummo ſtudio recognita & caſtigata.

TOMUS SECUNDUS:

In quo continentur,

POEMATA ejus omnia:

Item,

RUDIMENTA Grammatices *Thomæ Linacri* ex *Anglico* ſermone in *Latinum* verſa,

De PROSODIA Libellus,

Ad viros ſui ſeculi clariſſimos eorumque ad eundem EPISTOLÆ ex ipſis autographis magna ex parte deſcriptæ.

Acceſſit de METRIS BUCHANANÆIS *Libellus.*

PARS PRIMA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ARNOLDUM LANGERAK.
MDCCXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

II

PSALMORUM DAVIDIS

PARAPHRASIS POETICA.

AVCTORE

GEORGIO BUCHANANO, *Scoto*,

POETARUM SUI SECULI FACILE PRINCIPE.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

MARIAM

ILLUSTRISSIMAM SCOTORUM REGINAM,

GEORGII BUCHANANI Epigramma.

NYMPHA, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ
  Miſſa per innumeros ſceptra tueris avos:
Quæ ſortem antevenis meritis, virtutibus annos,
  Sexum animis, morum nobilitate genus,
Accipe (ſed facilis) cultu donata Latino
  Carmina, fatidici nobile regis opus.
Illa quidem, Cirrha procul & Permeſſide lympha,
  Pene ſub Arctoi ſidere nata poli:
Non tamen auſus eram male natum exponere fœtum,
  Ne mihi diſpliceant quæ placuere tibi.
Nam quod ab ingenio domini ſperare nequibant,
  Debebunt genio forſitan illa tuo.

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI

POEMATUM, NONNULLORUMQUE TRACTATUUM, TOMO II. COMPREHENSORUM,

INDEX ET ORDO.

I. PSALMORUM PARAPHRASIS.
Liber I. Pag. 1
Liber II. 47
Liber. III. 81
Liber IV. 104
Lib. V. 125
Hymnus matutinus ad Chriſtum. 167
Canticum Simeonis. ibid.
Poëmata & Fragmenta nunquam antea edita. 168
Comment. in Orat. Cic. pro A. Cæcina. 170
II. JEPHTHES, TRAGOEDIA. 181
III. BAPTISTES, TRAGOEDIA. 219
IV. FRANCISCANUS. 257
V. FRATRES FRATERRIMI. 283
1. In Ant. Tomarium Abbatem. ibid.
2. In Beleagonem. 284
3. Imago ad peregre venientes religionis ergo. ibid.
4. Ad Paſquillum. 285
5. Ad Eliſabetham Angliæ Reginam Ode. ibid.
6. Piſtoris & Pictoris Dialogus. 286
7. Ad idolorum cultorem. ibid.
8. In eundem. ibid.
9. In hypocritam quendam. 287
10. In Pium Pontificem. ibid.
11. In Julium. 287
12. In Paulum Pontificem. 287
13. In Pontifices. ibid.
14. In Romam. 288
15. In eandem. ibid.
16. In eandem. ibid.
17. Paſquillus loquitur. 289
18. In Dionem & Clementem. 289
19. Fratres fraterrimi. 290
20. In Pantalabum. ibid.
21. In eundem. ibid.
22. De Monachis S. Antonii. 291
23. In quendam Præſulem. ibid.
24. In Pantalabum. ibid.
25. Fratres extra mundum. 292
26. In Petrum Gonellum Dominicanum. ibid.
27. In eundem. ibid.
28. Adventus in Galliam. ibid.
29. Braſilia. 293
30. In colonias Braſilienſes. ibid.
31. In Antiſtitem quendam. 294
32. In Codrum. ibid.
33. In Chryſalum. 295
34. Somnium. ibid.
35. Palinodia. ibid.
36. Palinodia. 296
VI. ELEGIARUM Liber. 301
1. Quam miſera ſit conditio docentium literas humaniores Lutetiæ. 301
2. Majæ Calendæ. 304
3. Ad Br. Vallium pro lena Apologia. 308
4. Ad. Pt. Lux. Taſtæum & Jac. Tevium cum articulari morbo-

Digitized by Google

bo aboraret. 314
5. Ad Fr. Olivarium Franciæ Cancellarium nomine Scholæ Burdegalenſis. 317
6. Ad Aliſam e morbo pallidam. 318
7. De Leonora Pieridis lenæ filia. 320
8. In eandem. 322
9. De Neæra. 323
VII. SILVÆ. 324
1. Ad Carolum V. Imperatorem. ibid.
2. Deſiderium P. Lux. Taſtæi. 326
3. Deſiderium Lutetiæ. 329
4. Franciſci Valeſii & Mariæ Stuartæ Regum Franciæ & Scotiæ Epithalamium. 332
5. Deploratio ſtatus rei Gallicæ ſub mortem Franciſci II. Regis. 339
6. De equo elogium. 340
7. Genethliacon Jacobi VI. Regis Scotorum. ibid.
VIII. HENDECASYLLABON Liber. 344
1. In Neæram. ibid.
2. Ad eandem. 345
3. Ad eandem. ibid.
4. Ad eandem. ibid.
5. Ad Ant. Goveanum. 346
6. Ad Neæram. 347
7. In Belcagonem. ibid.
8. In Gelliam. ibid.
9. Ad Gul. Lurium Longanum Senat. Burdegal. ibid.
10. Ad Theod. Bezam. 348
11. Adamas a Maria Scota ad Eliſab. Anglam miſſa. 348
IX. IAMBON Liber. 349
1. D. Gualtero Haddono. ibid.
2. In Leonoram. 350
3. Ad eandem. 351
4. In eandem. 351
5. In eandem. ibid.
6. Ad Rectorem Scholæ Conimbricæ Murſam. 353
7. In Belcagonem. ibid.
8. In eundem. ibid.
9. In eundem. 354
10. E Græco Simonidis. 355
11. E Græco ejuſdem. 358
X. EPIGRAMMATUM. Lib. I. 359
1. In Aulum. ibid.
2. Ad Jo. Bellaium Cardinalem. ibid.
3. Ad Car. Marillacum Viennæ Epiſcopum. ibid.
4. In Poſthumum. 360
5. De Codro & Cæſare. ibid.
6. Ad amicum difficilem. ibid.
7. In pinum pro foribus Scholarum Cal. Maji erectam. 361
8. In eandem. ibid.
9. In Codrum. ibid.
10. E Græco. ibid.
11. Ad Margaritam Navarræ Reginam. ibid.
12. In Zoilum. 362
13. Ad amicum quendam. ibid.
14. Ad Ludovicum Regium. ibid.
15. Ad Leonoram. 363
16. Ad eandem. ibid.
17. In eandem. ibid.
18. In Belcagonem. ibid.
19. In conventum Epiſcoporum. 364
20. In amicum quendam. ibid.
21. E Græco. ibid.
22. In Leonoram. ibid.
23. In eandem. 365
24. In Midam. ibid.
25. In Nævolum. ibid.
26. Ad Neæram. 366
27. Ad eandem. ibid.
28. In Leonoram. ibid.

29.

Digitized by Google

29. In Leonoram. 366
30. E Græco Ruf. 367
31. De Neæra. ibid.
32. Ad Ponticum. ibid.
33. Præpoſtera pietas. ibid.
34. E Græco. ibid.
35. In Phyllidem. 368
36. E Græco Philodemi. ibid.
37. E Græco Poſidippi. ibid.
38. Contraria ſententia ex Metrodoro. ibid.
39. Ad Rogerum Aſchamum. 369
40. In Gelliam. ibid.
41. Ad Leonoram. ibid.
42. Ad Peiridem. 370
43. Cœna Gavini Archiepiſcopi Glaſcuenſis. ibid.
44. E Græco. 371
45. E Græco. ibid.
46. In hominem vanum. ibid.
47. Ad Leonoram. ibid.
48. Ad Leonem. ibid.
49. Ad Jul. Cæſ. Scaligerum. 372
50. Ad Margaritam Navarræ Reginam. ibid.
51. In Joan. Majorem. 373
52. Ad Leonoram. ibid.
53. Nomine Henr. Kilgræi. ibid.
54. Ad Mortem, eidem Henrico. ib.
55. Eidem. 374
56. Eidem ad Dominam navigaturam. ibid.
57. De Mellino Sangelaſio. 375
58. In divitem avarum. ibid.
59. De Adamante a Regina Scotiæ ad Reginam Angliæ miſſo. ibid.
60. E Græco. ibid.
61. E Græco. ibid.
62. Aliter. ibid.
63. E Græco. ibid.
64. In Doletum. 376
65. E Græco Anacreontis. ibid.
66. E Græco. 376
67. In Steph. Doletum. ibid.
68. E Græco Simonidis. ibid.

EPIGRAMMATUM Lib. II. JUSTA. 377

1. Jacobo IV. Regi Scotorum. 377
2. Magdalenæ Valeſiæ Reginæ Scotorum. ibid.
3. Eidem. ibid.
4. Eidem. ibid.
5. Briando Vallio. 378
6. Crittoni. ibid.
7. Gulielmo Budæo. ibid.
8. Eidem. ibid.
9. Gilberto Kennedo Comiti Caſſiliſſæ. ibid.
10. Jacobo Silvio. 379
11. Jacobo Fabro. ibid.
12. Florentio Voluſeno Scoto. ib.
13. In Rob. Carnicrucium. ibid.
14. In eundem. ibid.
15. Joanni Diguallo. 380
16. Ad Adamum Otterburnum. ib.
17. Franciſco Belcierio. 381
18. Andreæ Goveano. ibid.
19. Innocentio Fontano. ibid.
20. Petro Plancio. ibid.
21. Eidem. 382
22. Henrico Borbonio. ibid.
23. Patricio Buchanano fratri. 383
24. Jo. Ransforto Equiti Anglo. ib.
25. Carolo Coſſæo Brixiaci Comiti. ibid.
26. Alexandro Cocburno. 384
27. Rogero Aſchamo Anglo. ibid.
28. Dianæ. ibid.
29. Jacobo Stuarto Scotorum Proregi. ibid.
30. Jo. Hamiltono Fani Andreæ Archiepiſcopo. 385
31. Eidem. ibid.
32. Joanni Juello. ibid.
33. Eidem. 386

ICONES. 386

1. Saturnus. ibid.

2. Ju-

Digitized by Google

2.3.22

I N D E X.

2. Jupiter. 386
3. Mars. ibid.
4. Sol. ibid.
5. Venus. 387
6. Mercurius. ibid.
7. Luna. ibid.
8. Tempus. ibid.
9. Victoria. ibid.
10. Alcyone. ibid.
11. Helena. 388
12. Eadem. ibid.
13. Penelope. ibid.
14. Dido. ibid.
15. Sophonisba. ibid.
16. Alexander Macedo. ibid.
17. Idem. 389
18. Laurentius Valla. ibid.
19. Idem. ibid.
20. Maria Regina Scotiæ puella. ibid.
21. Eadem adulta. ibid.
22. Car. Lotharingus Cardinalis. ib.
23. Margarita Regina Navarræ. 390
24 Maria Regina Angliæ. ibid.
25. In Eliſabetham Reginam Angliæ. ibid.
26. In eandem. ibid.
27. Ad Thomam Randolphum Anglum. ibid.
28. In Syllam. 391
29. Amor. ibid.
30. Chryſalus. 392
31. Joannes Sturmius. 393
32 Idem. ibid.
33. Idem. ibid.

EPIGRAMMATUM Lib. III.

STRENÆ. 393

1. Ad Regem Scotiæ Henricum. ibid.
2. Ad Mariam Reginam Scotiæ. 394
3. Ad eandem. ibid.
4. Ad Diſcipulos. ibid.
5. Ad Epiſcopum indoctum. ibid.
6. Ad Mariam Scotiæ Reginam. 395
7. Ad Jacobum Stuartum Moraviæ Comitem. ibid.
8. Loquitur Adamas in cordis effigiem ſculptus, quem Maria Eliſabethæ miſit. ibid.
9. Ad Jacobum Moraviæ Comitem. ibid.
10. Ad Eliſabetham Angliæ Reginam. ibid.
11. Ad Joannam Havartam. 396
12. Ad Mildredam Gul. Cecilii uxorem. ibid.
13. Ad eandem. 397
14 Ad eandem. ibid.
15. Ad eandem. 398
16. Ad Agnetem Cecilii filiam. ib.
17. Ad Antonium Cucum. ibid.
18. Ad Jac. Moraviæ Comitem. 399
19. Ad Matthæum Leviniæ Comitem. ibid.

POMPÆ. 399

1. Apollo & Muſæ exules. ibid.
2. Pompa Deorum in nuptiis Mariæ. 400
3. Pompæ Equeſtres. 402
4. Pompæ Deorum Ruſticorum, &c. 404

VALENTINIANA. 405

XI. MISCELLANEORUM Liber. 408

1. Ad Henricum II. Franciæ Regem poſt victos Caletes. ibid.
2. In caſtitatem. 409
3. De amore Coſſæi & Aretes. 410
4. Ad Franc. Olivarium Franciæ Cancellarium. 411
5. In Polyonymum. 412
6. In Leonoram. ibid.
7. Ad Peiridem lenam. ibid.
8. Ad Henricum II. Franciæ Regem

Digitized by Google

2 3,22

GEORGII BUCHANANI PARAPHRASIS

In Primum Librum

PSALMORUM.

PSALMUS I. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio*, &c.

1 FELIX ille animi, quem non de tramite recto
Impia ſacrilegæ flexit contagio turbæ:
Non iter erroris tenuit, ſeſſorve cathedræ
Peſtiferæ facilem dedit irriſoribus aurem:
2 Sed vitæ rimatur iter melioris, & alta
Mente Dei leges noctesque dieſque revolvit.
3 Ille, velut riguæ quæ margine conſita ripæ eſt
Arbor, erit: [1] quam non violento Sirius æſtu
Exurit, non torret hiems: ſed prodiga læto
4 Proventu beat agricolam: nec flore caduco
Arridens, blanda Dominum ſpe lactat inanem.
Non ita divini gens neſcia fœderis, exlex,
5 Contemtrixque poli: ſubito ſed turbine rapti
Pulveris iſtar erunt, volucri quem concita gyro
Aura levis torquet, [2] vacuo ludibria cœlo.
6 Ergo ubi veridicus judex in nube ſerena
Dicere jus veniet, ſceleriſque coarguet orbem;
Non coram impietas mœſtos attollere vultus,
Nec miſera audebit juſtæ ſe adjungere turbæ.
7 Nam pater ætherius juſtorum & fraude carentum
Novit iter, ſenſumque tenet: curvoſque ſecuta
Impietas fraudum anfractus ſcelerata peribit.

1 *Quam non*] Editio And. Harti 1615. *Quem non*. male; hæc enim ad *arborem* referri oſtendit, præter alia, proximo verſu vox [*prodiga*.]

2 *Vacuo ludibria cœlo*] Editiones Antiquiores, Henrici & Roberti Stephani, Argentoratenſis *anno* 1566. Plantiniana *anno* 1567. &c. habent, *Celeri ludibria vento*.

Digitized by Google

PSAL. II. *Quare fremuerunt gentes?* &c.

Quid trepidæ gentes vano fremuere tumultu?
Miniſque populi ſæviunt inanibus?
2 Et cum principibus magni coiere tyranni,
Dominumque Chriſtumque Domini adverſum truces?
3 Vincula quin horum fortes dirumpimus, ajunt,
Et lora noſtris demimus cervicibus?
4 At pater ætherius, rerum cui ſumma poteſtas,
Ridebit impotentium irritas minas.
5 Tum juſta accenſus miſeros affabitur ira,
Et per furorem cæca conſilia ſuum
6 Turbabit: Cingamque meum diademate Regem,
Inquit, Sionis jura ſanctis collibus
Qui dabit, & late fundet mea juſſa per orbem.
7 Deinde allocutus Dominus eſt me: Filius
8 Tu meus es, genuite hodie: me poſce, daboque
Omnes ut hæres gentium fines regas,
Qua circumfuſis tellus ſe porrigit undis,
9 Regaſque ſceptro ſempiternum ferreo:
Cumque voles, tumidoſque premas, frangaſque rebelles,
Ut ficta fragili vaſa franguntur luto.
10 At vos, in populos quibus eſt permiſſa poteſtas,
Et jus ab alta ſede plebi dicitis,
Errorum tenebras depellite, diſcite verum:
11 Servite Domino cum tremore: gaudiis
Et timor & Domini accedat reverentia veſtris,
12 Ut miſſum ab illo filium amplectamini:
In vos ne juſtæ vindictam exerceat iræ,
[1] De calle recti devios. Nam cum brevi
Sæviet injuſtos contra juſta ira, ſcietis
Quam ſint beati, ſpes in illo qui locant.

PSAL. III *Domine, quid multiplicati?* &c.

2 Heu quanta numero viribuſque factio
Me vexat odiis impiis!
Quam perditorum firma conſpiratio
Conjurat in meum caput!
3 Et aſſeverant, ſpem ſalutis in Deo
Supereſſe jam nullam mihi:
4 Cum tu ſub umbra prœliantem me tui
Tam ſæpe ſcuti texeris:
5 Cum laudis auctor ſis meæ, cum gloria
Meum corones verticem.
6 Cum

1 *De calle recti*] Lond. 1686. *de calle recta.*

6 Cum nocte Dominus invocantem me ſuo
De monte ſancto exaudiat,
Curis ſolutus & recumbo & dormio,
Reſurgo liber a metu.
7 Domino excubante, nec meum formidine
Pectus movebunt agmina
Numeroſa, nec ſi ſæva feritas omnium
Conjuret in me gentium.
8 Tu, Domine, in aciem ductor, ut me liberes,
Prodibis: hoſtium omnium
Malaſque franges, impiorum & conteres
Dentes potenti dextera.
9 At tu, ſalutis una ſpes, populum tuum
Bonitate ſolita amplectere.

PSAL. IV. *Cum invocarem, exaudivit, &c.*

2 O Pater, o hominum divûmque æterna poteſtas,
Sinceræ mihi conſcie mentis,
Qui mihi conſiliique inopi, incertoque ſalutis,
Imploranti rebus in arctis,
Tutum pandis iter, latumque educis in æquor:
Nunc obſeſſo fraude maligna
Da mihi te facilem, & juſtis bonus annue votis,
Non dura placabilis aure.
3 O hominum cæcæ mentes, quo me uſque relicto
Intenti mendacibus umbris,
Sollicita in vanas torquetis pectora curas?
Tandem credite vera monenti:
4 Quem Deus electum miro dignatur honore,
Per diſcrimina cuncta tuetur.
Me Dominus clamantem ad ſe, auxiliumque rogantem,
Mitis & exorabilis audit.
5 Ergo Dei, miſeri, nunc ſaltem agnoſcite numen,
Et vitiis abſiſtite pravis:
Vobiſcum in tacito per noctem expendite lecto
Longi dicta ac facta diei.
6 Non pecudum fibris Domino, ſed mente litatur
Innocua: ſi admoveris aris
Hanc, poteris ſperare animi ſecurus ab alto
Dextra munera larga benigna.
7 Poſcit opes modo degeneres pars maxima vulgi,
Hæc animos vota una fatigant.
8 At tu me placido tantum bonus adſpice vultu:
Aura tui jucunda favoris
Me ſuper irradiet: ſat amico te mihi felix.
Alter frugibus horrea ſtipet,

Impleat & multas generoſo nectare cellas,
Et congeſto gaudeat auro:
9 Aſt ego curarum vacuus de nocte recumbam;
Et ſine ſollicitudine ſomnos
Accipiam: tu ſecuram mihi robore mentem,
Tu certa ſpe pectora firmas.

PSAL. V. *Verba mea auribus*, &c.

2 O Potens rerum Deus, aure leni
Mitis exaudi mea verba, mentis
Mente non dura tetricuſque triſtes
Percipe queſtus.
3 Adſpice attentus, mihi quanta tendat
Vox latus: quando mihi Rex Deuſque
Solus es, ſolum veneror precorque
Rebus in arctis.
4 Mane clamantem Deus æquus audi:
Nam tuum caſta prece, non inanem
Spem fovens, nomen jubar ante Eoum
Mane ciebo.
5 Tu Deus, lætus pietate vera,
Impii ritus ſcelus exſecraris:
Nec frui pravi ſtudioſa mens te
Speret amico.
6 Vis tuos vultus metuit nefaſque:
7 Hoſtis es fraudum & cupidæ cruoris
Cædis: audacem ſimulare linguam
Falſa recides.
8 [1] At tua fretus bonitate ſacrum
Limen accedam tua templa inibo:
Rite adorabo tua ſancta caſtis
Numina votis.
9 Tu mihi, ut caſſes fugiam doloſos
Hoſtium, lumen, Deus, æquitatis
Dux tuæ præfer, dubioque cæcos
Dirige greſſus.
10 Hoſtium verum fugit ora, pectus
Incolit fraus ſpurcitiesque: guttur
Tetrius putri eſt quod hiat recludens
Funera buſto.
Lingua adulatrix tacito veneno
Blandiens cæcos meditatur ictus.
11 O Deus, rerum o pater alme, gentem
Perde nefandam.
Redde conatus, pater alme, vanos:
Quique te linquunt, ſcelerum ſuorum
Sentiant pœnas meritas, ab ima
Stirpe reciſi.
12 Sed tua ſemper bonitate tuti
Gaudeant qui ſpem poſuere in uno
Te ſibi certam impavidi, tuumque
Nomen adorant.
13 Namque tu rectos animique puros
Larga opum dextra recreas benignus,
Et tui (tanquam clypeo) favoris
Protegis umbra

PSAL.

1 *At tua fretus*] Prima editio And. Harti, *Ad tua*.

Digitized by Google

PSAL. VI. *Domine, ne in furore*, &c.

2 Dum fervet ira, Domine, dum mens æſtuat,
Ne me merentem corripe:
Dum ſævientis flagrat in curſu furor,
Exigere pœnas abſtine.
3 O parce, parce: languor ægrum conficit:
Manum ſalutarem admove.
Corpus, ſolutis oſſium compagibus,
Enerve vires deſerunt;
4 Mentemque graviter mœror angit turbidam,
Quo me uſque miſerum negliges?
5 Quo me uſque linques? jam reverte, ac libera
Ægrum inferûm de faucibus.
6 Ubi ſæva duram mors manum injecit ſemel,
Quis amplius meminit tui?
Quis mortis alta ſubrutus caligine
Nomen celebrabit tuum?
7 De nocte pectus anxium ſuſpiriis
Pulſans, gemenſque, lacrymis
Lavo cubile: ſtrata fletuum madent
Rorata largis imbribus.
8 Caligat acies luminum, doloribus
Hebetata longis: hoſtium
Interque riſus & dolos emarcuit
Color vigorque corporis.
9 At tu ſceleribus turba gaudens impiis,
Faceſſe, ſpem pone irritam:
Lamenta Dominus & meorum fletuum
Placatus audiit ſonum.
10 Dominus benignus ſupplicem me exaudiit,
Orationique annuit:
11 Subitus ut hoſtes obruat pudor meos,
Vultuſque confundat rubor;
Triſti repente ut palleant infamia,
Fugamque turpem mœreant.

PSAL. VII. *Domine Deus meus, in te*, &c.

2 In te ſalutis ſpem poſui meæ,
Servator orbis: faucibus hoſtium
Me libera, qui mente ſæva
Interitum mihi moliuntur.
3 Si nemo vindex aſſerat, ut leo
Imbelle crudus dilaniat pecus;
Sic me ferus diſcerpet hoſtis,
Innocui ſitiens cruoris.
4 Si verus [1] index me merito arguit,
Nec falſa mendax crimina texuit,
5 Si damna [2] tranquillo creavi,
Promerito male ni peperci:
6 Me perſequatur dum capiat ſequens,
Captumque ſternat, ſtratum & humi pede
Conculcet, & ſceptri ſuperbum
Proterat abjiciatque faſtum.
7 Exſurge, juſtas te furor impius
Meorum in iras excitet hoſtium:
Ex-

1 *Si verus index*] Edit. Argent. ſecunda And. Hart. Elzev. 1628. Janſon. 1640. Wetſten. 1687. *Si verus judex.* repugnante metro.

2 *Si damna tranquillo creavi*] Steph. Plant. Argent. &c.
Si damna pro damnis rependi,
Nec miſeris facilis peperci.

Exſurge, promiſſamque redde
Perfidiæ Deus ultionem.

8 Exſurge, terris luceat omnibus
Auguſta majeſtas tua; te ſuum
Accurrat agnoſcatque Regem
Concilium populi, patremque.

9 O qui potenti ſceptra tenens manu,
Gentes per omnes crimina vindicas,
Me vindica, ſi rite pœnas
Ore pio innocuoque poſco.

10 O juſte judex, cordis in intimo
Quem nil receſſu præterit abditum,
Frange impios auſus malorum;
Fulci animos refoveque juſtos.

11 Securus hoſtes nil metuo, Deo
Cuſtode: quem ſimplex animi juvat

12 Candor: pios ſervat, maliſque
Exitium aſſidue minatur.

13 Si perſtet [1] hoſtis, jam gladium tenet,

14 Jam tendit arcum promtus, & arripit
Ferale telum, & igne ſævo
Lethiferas acuit ſagittas.

15 En, qui nefandum parturit ſcelus,
Concepit ærumnam, pariet velut
Quæ vana per ſomnum inquietas
Ludificant ſimulacra mentes.

16 Fodit doloſam, ut me caperet, ſcrobem:
Incautus in foſſam ipſe ſuam ruit.

17 In verticem ipſius recurret
Pernicies, recidentque fraudes.

18 Ergo expeditus fraudibus & metu,
Rerum parentis juſtitiam canam,
Nomenque ſanctum: gratiaſque
Lætus agam, repetamque laudes.

PSAL. VIII. *Domine Dominus noſter*, &c.

2 Gentis humanæ pater atque cuſtos,
Quam ſancta majeſtas tui
Nominis terras ſtupefecit omnes,
Sol quas recurrens adſpicit!
Et ſuper cœli radiantis orbes
Tua magnitudo ſe extulit.

3 Quam [2] pia mundum tueare cura,
Lactentis ævi infantia
Prodit: ut linguas temere obſtrepentum
Tibi refutes hoſtium:
Hoſtium, quorum vomit os furorem
In te, ſititque ſanguinem.

4 Luce cum cœlos vitrea ſerenos,
Pollentis opera dexteræ,
Cerno: cum lunam, nitidaſque ſtellas
Per te creatas conſpicor;

5 Quantulus (mecum tacitus revolvo)
Homo eſt, ut ejus ſis memor!

Quan-

1 *Si perſtet hoſtis*] Steph. Plant. &c.
Nam ni redimus, jam-----

2 *Quam pia*] Steph. Plant. &c.
In Dei laudes patefecit ora
Lactens puelli infantia:
Et tuas vires inimica caſtra
ſenſere, & ultrices manus.
Luce &c.

Quantula humanæ eſt ſobolis propago,
Dignere ut illam viſere!
6 [1] Hunc Deo æqualem prope reddidiſti:
Ornaſti honore & gloria:
7 Et tuæ dextræ ſuper univerſa
Opera creaſti principem:
Cuncta vitalis quibus hauſtus auræ eſt,
Illi dediſti ſub pedes.
8 Huic boves parent & oves, pecuſque
Quodcumque campis paſcitur:
9 Quique pennarum celeri volatu
Metitur ales aëra:
Quique pinnarum celeri natatu
Piſcis pererrat æquora.
10 Gentis humanæ pater atque cuſtos,
Quam ſancta majeſtas tui
Nominis terras ſtupefecit omnes,
Sol quas recurrens adſpicit!

PSAL. IX. *Confitebor tibi, Domine*, &c.

Rerum certa ſalus, te cano,
2 gratias
Exſolvo meritas ex animo tibi:
Et miranda futuris
Pandam facta nepotibus.
3 Tutus præſidio nil metuam tuo:
Lætus læta canam ſed tibi carmina,
Te laudabo ſupremi
Æternum ætheris arbitrum.
4 Spes hoſtis temere elatus in improbas,
Converſus [2] trepidâ terga dedit fuga,
Et virtute potentis
Dextræ peſſum abiit tuæ.
5 Tu vindex cupidos exitii mei
Perdis; tu trepido præſidium es reo:
Tu litem mihi judex
Ex alto dirimis throno:
6 Tu gentis valido robore barbaræ
Compeſcis furias: deſtruis impios,
Ut nec nomina ſeris
Narret fama nepotibus.
7 En, [3] hoſtis tumidæ quo recidunt minæ!
En, qui ſternit humi funditus oppida,
Et proſtrata perennis
Condit

1 [Clericus in Bilioth. veteri & recent. T. XIX. Part. II. Pag. 142 melius potuiſſe Buchananum vertere

Angelis æqualem prope reddidiſti

Cenſet. non curat, ſcilicet, ille an metri ratio conſtet, dum ſententias, quas fovet, inculcet, & detorqueat divina Oracula in ſuos ſenſus.]

2 *Converſus trepidâ terga dedit fuga*] Quidam forte legendum malint *trepidæ fugæ*; ita enim Ovid. Met. V. 322.

----Cunctoſque dediſſe Terga fugæ---

Et Met. XIII 879.

Terga fugæ dederat converſa Symæthius heros.

A Buchanano tamen ſtat Virgilius Geor. IV. 85.

Aut hos verſa fuga victor dare terga ſubegit

Et Æneid. XII. 462.

----Verſique viciſſim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.

3 *En hoſtis*] Steph. Plant. &c.

Tu ferrum e manibus detrahis hoſtium:
Proſternisque ſolo funditus oppida,
Et proſtrata perennis
Condis nube ſilentii.
Tu rerum ſine fine imperium tenes,
Fixiſti ſolium juſtitiæ tibi,
Orbem ut legibus æquis,
Ut juſte populos regas.

Digitized by Google

Condit nube ſilentii!
8 At rerum Dominus perpetuus thronum
Fixit perpetuum juſtitiæ ſibi,
9 Orbem ut legibus æquis,
Ut juſte populos regat.
10 Cum vis incubuit fœta ſuperbia
Infreni, miſeris præſidium pates,
Tuti pandis aſyli
Arcem rebus in aſperis.
11 In te uno merito ſpem ſolidam locant,
Qui novere tuum nomen,& ultimo
Ut diſcrimine amicos
Numquam deſtituas tuos.
12 Ergo arcis merita laude Sioniæ
Cuſtodem Dominum pangite: conſilî
Decreta ardua gentes
Late ferte per exteras.
13 Vindex innocui ſanguinis expetit
Pœnas:vi tenues nec ſinit opprimi
Impune: applicat aurem
Clamantum querimoniis.
14 Afflictas bonus o res propius meas
Contemplare, odiis quem petit improbis
Vis hoſtilis: & atræ
Mortis faucibus eripe.
15 Ut, qua mole Sion creſcit in æthera
Late conſpicua, laudibus efferam
Te, lætuſque ſalutem
Acceptam referam tibi.
16 Demerſit merito fraus ſua perfidas
Gentes exitio: queis alios plagis
Irretire parabant,
Hæſere impliciti pedes.
17 O miranda Dei judicis æquitas!
Fraudis fraude ſua prenditur artifex.
O res pectoris altis
Condenda in penetralibus!
Sic eſt: interitu devorat impios
18 Improviſa dies: immemores Dei
Gentes mors inopina
Æternis tenebris premit.
19 At confiſa Deo nuda modeſtia
Æternum Domini non animo excidet,
Nec læto miſerorum
Spes fruſtrabitur exitu.
20 Rerum ſurge parens, neu ſine, ut impotens
Adverſus tenues creſcat homunculus:
Et juris preme frenis
Gentes arbiter impias.
21 Circumſiſte tuæ mole potentiæ,
Terroremque feris mentibus ingere:
Agnoſcat male firmam
Sortem gens hominum ſuam.

PSAL. X. *Ut quid Domine receſſiſti?* &c.

1 Quonam uſque cuſtos gentis humanæ tuos
In rebus arctis negliges?
2 Quonam aberis uſque, dum pios tyrannide
Premit arroganter impius?
O ſi ſceleſtum vergat in caput ſcelus,
Suiſque pereat artibus.
3 Dum mentis explet per nefas libidinem,
Sic gloriatur impius,
Sic gaudet in ſe, ſempiternum ceu decus
Rectis pararit artibus.
4 Æqui [1] atque iniqui negligit diſcrimina.
Infrenis arrogantia,
Suæque

Nec

1 *Æqui atque*] Steph. Plant. &c.

Digitized by Google

Suæque plaudit ſuaviter prudentiæ,
Nullum eſſe quod putet Deum.
5 Felicitatis ſomnio indulget ſuæ,
Quod cuncta cedant proſpere:
Nec te futurum cogitat vel judicem,
Vel perpetrati vindicem.
Hoſtes minoris æſtimat nihilo ſuos,
6 Sic ipſe ſecum computans,
Incommodi expers ad ſenectam uſque ultimam
Securus ævum tranſigam:
Non cura lætis ulla ſeſe gaudiis,
Non ægritudo interſeret.
7 Os execranda deſpuit convicia,
Spumatque probris & dolis:
Bonis labores continenter peſtilens
Lingua & dolores parturit.
8 Circa viarum compita inſidias locat,
Ut innocentem clam involet:
Intentus oculis intuetur acribus
In tranſeuntes pauperes.
9 Qualis cruentus ſubter alta delitet
Spelæa conditus leo:
Sic e latebris corde trepido palpitans,
Infirmioribus imminet:
10 Et [1] occupatos multinodis nexibus,
Naſſæ involutos attrahit,
Maliſque ſubigit: & tenebris occulit
Crudelitatem callidus.
Ah, ſtrage quanta tranſeuntes perculit,
Graſſatus iſtis artibus!
11 Sic deinde ſecum colligit male credulus,
Hæc prorſus ignorat Deus:
Avertit ora rebus humanis ſua,
Fandi & nefandi negligens.
12 Exſurge, Domine, tolle in altum dexteram,
Librata fige vulnera.
Ope deſtitutos ne pios ſilentio
Obliviosſo deſere.
13 Tene impiorum pervicax veſania
Sic audeat contemnere?
Secreta ſecum corde tacito ut murmuret,
Humana non curat Deus.
14 Cernis profecto cuncta, cernis; & tuam

Sceleſtus

Nec deeſt nefandam ſcurra mentem percitus
Turpis lucri cupidine,
Linguam procacem probra cælo dicere
Qui proſequatur laudibus.
At ille cæca turgidus veſania,
Et in futurum improvidus,
Dum machinatur ſæva, ſecurus Dei,
Præcogitatum urget nefas.
Seu ſe tenebris induit nox, ſeu dies
Lucem refudit auream,
Animum nefandis ille curis carpitur.
Sceluſque comminiſcitur.
Nec te &c.

1 *Et occupatos multinodis nexibus, Naſſæ involutos attrahit.*] Ita omnibus libris diſpungitur hoc diſtichon: mihi vero ſententiæ hic ordo videtur, *Attrahit occupatos involutos multinodis nexibus naſſæ:* quo pacto cum *naſſæ* hic non dandi ſed gignendi caſu ſit poſitum, inciſum poſt *nexibus* delendum arbitror. Vide Julii Ecphraſin.

Sceleſtus in manum cadet,
Ut te labores & dolores pauperum
Non præterire intelligat.
Tibi relictus eſt inops atque innocens:
Tu tutor orbos protegis.
15 Tu frange vires impii, violentiam
Tu mentis improbæ doma:
A ſtirpe cæſa donec impietas ſimul
Eliminetur & impius.
16 Tum firma Dominus ſeculorum in ſecula
Sceptra obtinebis imperî,
Genteſque terræ finibus procul tuæ.
Exterminabis impias.
17 Hæc vota duris obruti laboribus,
Has ſupplices fundunt preces:
Animoſque ſtimulis incitati talibus,
Te lacrymantes poſtulant;
18 Pupillum & inopem ut vindices potentium
Ab impotenti audacia:
Homo ut feroces ſpiritus ponat, ſuæ
Infirmitatis conſcius.

PSAL. XI. *In Domino confido*, &c.

1 Quum ſpe ſalutis non dubia fruar,
Deoque fidam, vos mihi dicitis,
Faceſſe rupes in remotas,
Antevolans pavidas volucres.
2 Intendit arcum (en aſpicis) impius,
Nervo ſagittas admovet, ut petat
Incogitantes e latebris
Innocuos, animique rectos.
3 At tu potenti, Rex bone, dextera
Domas rebelles, & facis irrita
Decreta veſani furoris
Contra humiles male nil merentes.
4 Æterna cœli templa colens Deus,
Et lucido aſtrorum in ſolio ſedens,
Humana per terras acutis
Facta oculis ſpeculatur omnes.
5 Non juſtus illum, non latet impius
Cuncta intuentem, ſed ſtudio ad nefas
Pronos maligno juſtus orbis
Ex animo moderator odit.
6 Super ſceleſtos retia depluet:
Ignes remiſto ſulphure flammeos
Ad impios eliminandos
Fulmineæ rapient procellæ.
7 Juſtoſque juſtus juſtitiæ parens
Amore ſancto amplectitur unice,
Et fraudis ignaram ante vultus
Aſſidue videt æquitatem.

PSAL. XII. *Salvum me fac Domine*, &c,

2 Affer opem, ſervator opem fer: pulſa receſſit
Intemerata fides:

3 Nuda

Digitized by Google

3 Nuda fides [1] hominum fugit commercia: vana
Cum ſocio loquitur
Quiſque ſuo, blanda exercens mendacia lingua,
Corde ſcelus meditans.
4 Ora Deus fraudum dulci medicata veneno
Conterat, & penitus
Grandiloquam ex ima linguam radice revellat,
5 Quique pudore carent,
Dicere nec metuunt; Falſa ad perjuria linguas
Fortiter intrepidi
Aſſueſcamus, & os, age, confirmemus ad omne
Flagitium: neque enim
Oris frena mei, linguæve repagula quenquam
Me niſi habere puto.
6 At Dominus planctus miſerorum, & dura ferentum
Aure trahens gemitus,
Surgam, ait, atque inopem, tuta ut reſpiret in arce,
Inſidiiſque procul,
7 Securum ſtatuam. Hæc Dominus: quod ab ore fideli
Cumque fluit Domini
Auro purius eſt, auro quod fuſile fecit
Septima flamma coquens:
Dum fæx in fumos exploratore camino
Craſſa abit & cineres.
8 Polliciti memor ergo malæ mala toxica linguæ,
Sancte parens, inhibe:
Peſtifera de gente hominum nos, optime cuſtos,
Aſſere perpetuo.
9 Nam late impietas graſſatur libera, paſſim
Omnia plena malis,
Quum penes injuſtos jus eſt, & juſſa malorum
Sunt metuenda bonis.

PSAL. XIII. *Uſque quo Domine obliviſceris*, &c.

2 Quouſque, rector unice,
Me deſtitutum negliges?
An ſempiterna me obrutum
Oblivione deſeres?
Quouſque vultum amabilem
Iratus abſcondes mihi?

3 Quouſque curæ turbidæ
Mentis quietem diſtrahent?
Quouſque cor cruciabitur
Mœroris æſtu fluctuans?
Quouſque me proſtrato aget
Hoſtis triumphos inſolens?

4 Regnator

1 *Nuda fides hominum fugit commercia.*] Omnibus libris virgula poſt [*fides*] interjicitur: male mea ſententia. Vide Julii Ceph.

4 Regnator orbis adſpice;
Opem fer, & lucem tuam
Infunde, ne mors lumina
Somno perenni ſopiat:
5 Ne jactet hoſtis arrogans
Me viribus fractum ſuis,
Ne me peroſi perfidi
Meo dolore gaudeant.
6 Tu me ſalutis recreas
Spe, largus auxilî: tuum,
Salute parta, laudibus,
Rex magne, nomen efferam.

PSAL. XIV. *Dixit inſipiens in corde*, &c.

1 Secum inſania callide
Indulgens vitiis ſic loquitur,
Deum
Formido ſibi credula
Commenta eſt hominum, cum
temerario
Caſu ſors ferat omnia.
Ergo flagitiis ſe penitus dedit
Secura impietas Dei:
2 Nec quiſquam ex animo recta ſe-
qui ſtudet.
De templo aetherio Deus
Ad curas hominum lumina ver-
terat,
Si quis non ſtolide improbus
Ad cultum revocet pectora nu-
minis:
3 Omnes in ſcelera omnia
Conjuraſſe putes: fœda, nefaria,
Deteſtandaque perpetrant:
Nec cuiquam eſt ſtudium recta
capeſſere.
4 Nam qui recta capeſſerent?
Quem ſanis aditum conſiliis da-
rent,
Quorum nequitia & ſcelus
Infecere animos? qui populum
meum,
Ceu prædam fera, devorant:
Nec rerum Dominum mente co-
lunt Deum.
5 Aſt illos gelido metu
Horror concutiet, juſtitiæ Deus
Cum patronus opem feret
6 Inſonti: increpitans talibus impi-
os,
Vobis ludibrio fuit
Inſontum pietas: vos inopum pi-
um
Riſiſtis ſtudium, preces,
Spes lentas, trepidas ſollicitu-
dines:
At, cui fidit inops, Deus
Spes & vota bonos ducet ad exi-
tus.
7 O ſi mittat opem ſuis
Speratam Deus e rupe Sionia.
Nam cum vincula ruperit,
Exſolvetque ſuos, pectore libero
Gaudebunt Abrahamidæ,
Et juſta Iſacidæ lætitia frement.

PSAL. XV. *Domine, quis habitabit in tabernaculo*, &c.

1 Sanctæ [1] Sionis templa quis
incolet,
Rex magne, tecum? quem
ſtatues tuum
Sanctum ſuper montem, ut ma-
lorum
Liber agat placidam quie-
tem?

2 Quem

1 *Sanctæ Sionis.*] Steph. Plant. &c. *Stellata cœli templa*——

Digitized by Google

2 Quem fraudis expers ſimplicitas juvat,
Urgetque rectum propoſiti tenax:
Nec mente ſævus grata blandam
Edocuit ſimulare linguam.
3 Nec ore mendax exitiabiles
Concinnat artes: nec mala proximis
Excogitat: nec dulcem amicum
Opprobriis maculat pudendis.
4 Qui faſtuoſum deſpicit impium,
Dei timentem ſuſpicit & pium:
Tenaxque promiſſi, fidemque
Indocilis temerare pactam.
5 Qui non egenos fœnore perdidit,
Non innocentes munere prodidit.
In monte ſancto, hæc qui peregit,
Perpetua requie fruetur.

PSAL. XVI. *Conſerva me Domine*, &c.

1 O Rerum ſator, & ſalus
Humani generis certa, periculis,
Qui te reſpicit unum, famulum inſtantibus eripe.
2 Te ſervus Dominum libens
Agnoſco, & populis prædico: ſed tibi
Omni ex parte beato officiis nil opus eſt meis.
3 Ergo illuc animum appuli,
Ut gentem ſtudio proſequerer pio,
Quam tu ex omnibus unam populis ſorte receperas.
4 Aſt illi immemores tui
Defecere: novos quiſque ſibi deos
Effinxere, colentes animi ludicra ſomnia.
Horum ſanguineas dapes
Non libabo, epulas reſpuo, nomina
Teſtis numquam adhibebo, aut fidei fœdera ſanciens.
5 At ſortis populum meæ
Defendet Domini perpetuus favor,
Mercedemque laborum cumulatam dabit affatim.
6 O pulcra agricolatio!
O præclara mei ſors patrimonii!
Ut florum undique ridens animum paſcit amœnitas!
7 Immortalis honor Deo
Æterno, monitu cujus ago dies,
Arcaniſque per umbram ſtimulor pectora motibus.
8 Quicquid molior, aut gero,
Præſentem Dominum conſpicor: is mihi
Semper dexter adhæret, ſtabili ne movear gradu.
9 Pulſat pectora gaudio

Digitized by Google

Cor læto trepidum: lingua tuas avet
Laudes promere: corpus tacite ſpes bona recreat.
10 Nam nec degere tartari
Permittes animam ſub tenebris meam,
Aut ut putre cadaver reſolutum in cineres fluat.
11 Tu vitæ reſeras viam:
De vultu fluvii lætitiæ tuo
Manant: tu tribuis munifica gaudia dextera.

PSAL. XVII. *Exaudi, Domine, juſtitiam*, &c.

1 Æquus exaudi, bone rector orbis,
Æqua poſcentem: tibi quas profundit
Lingua non mendax, cape non iniqua
Aure querelas.

2 Ad tuum læſus fugio tribunal,
Et fidem appello: mihi cognitorem
Te peto: oppreſſos oculis benignis
Adſpice juſtos.

3 Sæpe, per ſolas tacitæ tenebras
Noctis arcanos mihi cogitatus
Cautus inſpexti, trepidoque corda
Turbida motu.

Sæpe ceu flammis, animum probaſti
Caſibus duris, neque comperiſti
Conſcium fraudis ſcelerumque, ſonti
Sæva minantem.

Os fuit concors animo, ſonuſque
4 Senſui: legum monitis tuarum
Pectus innixum ſcelera impioſque
Horruit auſus.

5 Hac via greſſus rege per tuarum
Orbitam legum, dubio vacillent
Ne pedes lapſu, inſtabileſque turbent
Lubrica plantas.

6 Te voco, duris ad opem periclis
Sæpe tentatam fugio, precantis
Admove attentam miſeris benignus
Queſtibus aurem.

7 Tu bonus fulci tibi qui ſalutem
Spemque committunt: tibi contumacis
Spiritus cordis tetricus refrena
Vindice dextra.

8 Me velut pupillam oculi tenellam
Providus muni: procul impiorum
Impetu, alarum trepidum tuarum
Conde ſub umbra.

9 Nam meæ vitæ manus impiorum
10 Imminet: vallant opibus, ſuperbis
Intonant linguis, mala dira ſævâ
Voce minantur.

11 Obſident cunctos aditus viarum:
Commoda obſervant loca, deſtinantque
Ad meam cædem, [1] facinuſque patrant
Mentibus abſens.

21 Qualis

1 *Facinuſque patrant Mentibus abſens.*] i. e. ut recte Julius interpretatur, *facinus futurum animo admittunt, quod mihi abſenti parant*: ſive, ut aliis verbis idem efferam, *Tot inſidias capiti meo ſtruunt, tam fixum immotumque eorum animo ſedet mei perdendi conſilium, ut quam mihi cædem moliuntur, nondum licet re vera peractam, mente tamen & co-*

12 Qualis in prædam leo fertur ira
Fervidus, qualis catulus leonis
Lacte depulſus ſpeculatur alto
Abditus antro.
13 Surge, conatus pater anteverte
Impios, ſtratoque in humum tyranno,
Me tuo, quo nunc furit ille ſævus,
Eripe ferro.
14 Neu ſine, ut me vi premat impotentum
Divitum faſtus; quibus una cura eſt,
Dum licet, blandæ illecebras caducas
Carpere vitæ.
His opes terris penitus reſoſſis
De penu fundis locuplete, ventri
Sufficis fruges, hilaraſque multa
Prole penates.
15 Puritas vitæ mihi te tueri
Corporis vinclis tribuet ſoluto.
Illa lux vere faciet me ab omni
Parte beatum:
Lux voluptatum cumulata cunctis
Gaudiis, quum ſe ſine nube menti
Pura majeſtas dabit intuendam
Lumine puro.

PSAL. XVIII. *Diligam te, Domine, &c.*

2 Te, Deus alme, colam, te toto pectore amabo,
3 Sancte parens: mea vis, mea ſola potentia, turris,

Præ-

cogitatione præcipiant, eamque quaſi jam perpetrare ſibi videantur. Simili figura utitur Statius, de equis e carceribus ad curſum emitti ardentibus, lib. VI. 396.

------Face lumina ſurgunt,
Ora ſonant morſu, ſpumiſque & ſanguine ferrum
Uritur, impulſi nequeunt obſiſtere poſtes,
Clauſtraque, compreſſæ transſumat anhelitus ira:
Stare adeo miſerum eſt, pereunt veſtigia mille
Ante fugam, abſentemque ferit gravis ungula campum.

i. e. jam videbantur currere in ſtadio, in quo nondum erant. Sic Val. Flaccus lib. III. 587.

Ille velut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea, ſanguineus vaſto leo murmure fertur,
Frangit & abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem.

Nec multum abludit illud Virg. Æneid. IV. 85.

Illum abſens abſentem auditque videtque,

Et noſter Miſcel. III. 22.

Unam inquieta ſollicitudine
Te ſpectat abſentem-------

Ex hiſce exemplis abunde liquere arbitror ſatis venuſte ac Poëtice dici *patrare facinus abſens*, atque adeo præter rationem eos facere, qui, ſincerum (quod dicitur) vas incruſtare cupientes, aliam adjectivo *abſens*, præter vocem *facinus*, ſociam quærunt: dum alii ſcilicet e ſuperiore ſtrophe *manus impiorum* huc revocant, alii vero vocem *abſens* e ſua quaſi ſede revulſam cum ſequente proximo verſu voce [*leo*] copulandam volunt: utrique, me judice, interpretationem, & in ſe ineptam, atque ab optimorum auctorum uſu & Buchanani mente juxta alienam ſibi comminiſcentes.

[Quidquid dicat vir Cl. non facile, puto perſuadebit, recte dici *mentibus patrare facinus abſens.* Cum certe facinus ſit præſens, ſed in abſentem mentibus patretur, & hoc loca Poëtarum, quæ jam alii adduxerunt, probant, quorum nulla ſimili locutioni patrocinantur. vid. ad Valer. Fl. d. l. ac Petror. cap. CXXIII. recte ergo Julii paraphraſis, facinus quod mihi abſenti parant.]

Google

Præſidium, ſpes & rebus ſolamen in arctis.
Tu clypeus, [1] tu tela mihi, tu certa ſalutis
Anchora, tu ſtatio tuti placidiſſima portus.
4 Nam ſimulatque tuas in laudes ora reſolvo,
Te venerans, pacemque petens, inimica faceſſunt
Arma: ſalus, placidiſque comes pax advolat alis.
5 Jam me lethiferis mors circumvolverat atra
Caſſibus, obſeſſum jam me torrentibus orcus
6 Impediebat aquis, ſtygia jam compede vinctus
Hærebam, laqueoque pedem retinente trahebar:
7 Hîc ego deprenſus, ſupplexque humiliſque vocavi
Voce Deum, & dubiis clamavi ad ſidera rebus.
Ille ſuper ſolio reſidens flammantis olympi
Audiit orantem: poſtquam pervenit in altum
Clamor, & attentas advertit queſtibus aures;
8 Protinus e vultu Domini conterrita tellus
Intremuit, monteſque cava compage ſoluta
Nutarunt, penituſque imis fremuere cavernis.
9 Fumeus afflatu de naribus æſtus anhelo
Undabat: rapidæ contorto vertice flammæ
Ore fluunt, vivaque animant attacta ſavilla.
10 Utque ſuum Dominum terræ demittat in orbem,
Leniter inclinat juſſum faſtigia cœlum:
Succedunt pedibus fuſcæ caliginis umbræ.
11 Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens levibus ventorum adremigat alis.
12 Se circum [2] furvo nebularum involvit amictu,
Prætenditque cavis piceas in nubibus undas.
13 Acribus ex oculis vibratæ ſpicula flammæ
Diſcutiunt triſtes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidoſæ grandinis imber,
Diſcurſantque vagæ ſinuoſa volumina flammæ.
14 At vero ut ſancto ſermone ſilentia rupit,
Protinus horrifico tonitru cœlum omne remugit,
Grandinis & crebra tellus crepitante procella
15 Pulſa ſonat, ruptiſque micant e nubibus ignes:
Flammiferæque volant magnum per inane ſagittæ,
16 Fulguraque ingeminant: laticum concuſſa lacunas
Pandit hians tellus, & fontibus ora relaxat:

Suc-

1 *Tu tela.*] Ita Steph. edit. anno 1565. Plant. Argent. And. Hart. 1615. Lond. 1620, cui lectioni favet Julii Ecphraſis. alii codices fere omnes *tutela.*

2 *Se circum furvo.*] And. Hart. anno 1615. *Se circum fulvo*, male.

Succutiturque pavens, & fundamenta revelat,
Et reſerat chaos. Æterni ſic vox tonat oris,
Sic formidandæ grave ſpiritus infremit iræ.
17 Ille ſalutiferam porrexit ab æthere dextram,
Et me de rapidis pereuntem ſuſtulit undis:
18 Hoſtibus eripuit validis, & acerba potentum
19 In me odia eluſit: quum me ſtudioſa nocendi
Temporibus duris cæca fraus arte petebat,
20 Auxilium tulit, & rebus patefecit in arctis
Latum iter, electumque a morte reduxit amicum.
21 Scilicet immunem ſceleris mentemque manumque
Adſpexit Deus, & merito dignatus honore eſt.
22 Quippe nec impietas, nec pravi credulus error
Avertere meos recto de tramite greſſus.
23 Ante oculos mihi lex Domini, mihi juſſa verenda
24 Semper erant animo præſentia: ſimplice vero
Gaudebam, fraudiſque illo ſub teſte voluntas
Libera, flagitium, & ſcelerum vitaverat artes.
25 Ergo mihi integræ fructum hunc decerpere vitæ
Munificus dedit, & qui conſpicit omnia juſtus
Arbiter innocuam cumulavit munere vitam.
26 Quiſque ſuis ſibi te conformat moribus: erga
Innocuum innocuus: te ſentit amicus amicum:
27 Inque bonos bonus es: male cautas [1] cautior artes
28 Artibus eludis: duro in diſcrimine ſervas
Res humilis populi afflictas, oculique ſuperbos
29 Dejicis elati faſtus. Tu plebis ab imæ
Cœtibus ereptum celebri me in luce reponis;
Illuſtraſque meas claro ſplendore tenebras.
30 Te duce perrumpo florentes ære phalanges,
Altaque turrigeri ſupero faſtigia muri.
31 Scilicet, ut ſanctus Deus eſt, ſua ſigna ſecutis
Sancta ſalutiferæ pandit compendia vitæ.
Illius æterno quicunque effluxit ab ore
Sermo repurgato flammis ſincerior auro eſt.
Ille ſuo clypeo fida ſpe pectora fulta
Protegit, adverſiſque vetat ſuccumbere rebus.
32 Dicite, qui colitis picti ludibria trunci,
Aut ebur in varias aut ſaxa exciſa figuras:
Ecquis in ætherio rerum moderatur olympo
Frena alius Dominus? quis terræ temperat orbem

Alter,

1 *Male cautas cautior artes.*] Steph. Plant. &c. *Male cautas callidus artes Artibus illudis.*

Alter, & invicta quæ vult facit omnia dextra?
33 Ille Deus vivâ mihi vi corroborat artus
Oſtenditque viam maculoſa labe carentem.
3 Me pedibus fecit celeri contendere cervo,
Et procul a ſævis ſubduxit in alta periclis:
35 Et tractare manu duro in diſcrimine belli
Arma dedit facili: ſolidoque ex ære rigentem
Flectere, & inflexum confringere viribus arcum.
36 Ille ſalutiferi totum munimine ſcuti
Me tegit, & dextra nutantem fulcit & auget
37 Largus opis: perque inſidiis obſeſſa viarum
Pandit iter tutum, prohibetque per invia plantas
38 Offenſo titubare gradu. Te perſequor hoſtes
Auſpice, disjectos comprendo: nec ante revertor,
Quam [1] cecidere animi fracta virtute minaces,
39 Affuſique cadant pedibus, ne ſurgere poſſint
Rurſus, & antiquas armis reparare ruinas.
40 Tu mihi diffundis vivum per membra vigorem,
Et validos crudo diſtendis robore nervos;
41 Tu bellare doces: tu me quicunque laceſſit
Sternis humi, trepidoſque fuga mihi [2] disjieis hoſtes!
42 Clamantes nemo exaudit. Domini [3] prece poſcunt
Auxilium: averſam negat implorantibus aurem.
43 Hos ego, ceu verſat boreæ violentia nubem
Pulveream, impello, & turbatis fervidus inſto:
Et pedibus premo, ceu cœnum deforme lutoſis
44 Conteritur triviis Tu me ſine nomine plebis
Contemtu ereptum populos frenare ſuperbos
45 Imperio facis, & famulas mihi tendere dextras
Per longinqua jubes ignotas oppida gentes,
Attonitas famæ novitate, & nomine tantum
46 Audito: & blandis verba aſſentantia linguis
Fingunt, nec tutis ſatis audent credere muris.
47 Laus, honor, imperium Domino, qui robore cinctum
Me tegit, incolumemque rapit de morte propinqua:
48 Qui mihi perfidiam ſceleratam ultricibus armis
Frangere dat, populoſque facit parere volentes:
49 Securumque vetat belli trepidare tumultus.
Qui mihi præſidio eſt, populi quum ſæva rebellis
Ira furit, mentiſque malæ ſcelerata retundit

50 Con.

1 *Quam cecidere.*] Idem *recidere.*
2 *Mihi disjicis hoſtes.*] Steph. Argent. *dejicis.*
3 *Domini prece.*] Steph. Argent. *Dominum.* [Quod ego præferrem. Sic Pſalm. xxx, *Te lacrymis madens opem popoſci.*]

50 Conſilia. Ergo feram late tua facta per urbes
Finitimas: ſemperque meo celebrabere cantu,
51 Sancte parens, Regem qui dura per omnia tutum
Eſſe jubes, cumulaſque opibus: plenoque favore
Ipſum, & perpetuum ſobolem amplecteris in ævum.

PSAL. XIX. *Cœli enarrant gloriam Dei.* &c.

2 INſanientis [1] gens ſapientiæ,
Addicta mentem erroribus impiis,
Tot luce flammarum coruſcum
Cerne oculis animoque cœlum.
Hinc diſce, prudens quam fuit artifex
Qui templa olympi fornice flammeo
Suſpendit, & terræ capacem
Et pelagi ſinuavit arcum.
3 Dies tenebras, & tenebræ diem
Semper prementes perpetua vice,
Non fortuito res caducas
Ire monent per inane lapſu:
4 Sed tota concors fabrica perſonat
Dei tuentis cuncta potentiam,
Non voce quæ paucorum ad aures
Perveniat ſtrepitu maligno.
5 Nam nec remotis barbara finibus
Gens ulla terras incolit ultimas,
Quæ neſciat certa meantis
Lege poli ſtabilem tenorem.
Quis nocte clara lumine flammeo
Semper micantes non ſtupeat [2] globos?
Aut mane caſtris prodeuntem
Quum rutilo videt axe Solem?
6 Sive ille Eois fluctibus exſerit
Vultus decoros, ſponſus uti novus
Auro refulgens, gemmeaque
Tempora conſpicuus corona:
Seu quum fugacem præcipitans diem
Curru citato tempora dividit,
Artuſque, vireſque, impetumque
Centimano ſimilis giganti.
7 Abuſque Eoo cardine ad ultimam
Metam occidentis ſidera permeans
Obliqua, vitali calore
Cuncta creatque fovetque alitque.
8 Sed ordo rerum & conſpicuus decor

Non

1 *Inſanientis gens ſapientiæ, Addicta mentem*] Ita libris omnibus (præter unum Nath. Chytræi) dinſtiguitur poſt *ſapientiæ*: male, me judice; ordo enim eſt, *Gens addicta mentem erroribus impiis inſanientis ſapientia*, *i. e.* interpretante Julio, *homines dediti falſis præceptis philoſophiæ a pietate alienæ*, qualia *ſcil.* Epicuri ſectam ſecuti poſtea profitebantur, qui, ut Claudiani verbis utar, *mundum fortuna non arte regi* affirmabant. Buchanani oculis obverſabatur illud Horatii lib. I. Od 34.

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro——

2 *Non ſtupeat globos.*] Steph. Plant. Argent. *ſtupuit.*

Non ſic tuentum lumina detinent,
Divina ut arcanis habenis
Lex animos ad honeſta flectit.
9 Promiſſa fraudis neſcia lubricæ
Splendore veri pectora roborant.
Hac plectitur culpa æquitate, ut
Pœna juvet recreetque damnum.
Puero recludunt lumine lumina
10 Præcepta: puro relligio nitet
Verenda cultu, quam nec annis
Cuncta domans minuit vetuſtas.
Decreta fas & conſcia veritas
Aſtans tabellis ſervat aheneis,
11 Jucundiora melle, & auro
Et nitidis potiora gemmis.
12 Signata clauſtris pectoris intimi
Servus tuetur jugiter hæc tuus:
Non inſcius cuſtodientem
Quam maneat numeroſa merces.
13 Errata mentis quis meminit vagæ?
Quæ deprehendet vis ſapientiæ?
Ergo repurga quas refudit
Clam maculas ſinuoſus error:
14 Fac regna cordis ne ſibi vindicet
Vis impotentis dira ſuperbiæ:
Sic me malorum e maximorum
Compedibus facile explicabis.
15 Quæ lingua fundit verba, quod in ſinu
Secum volutat mens tacito, accipe
Placatus, o noſtræ ſalutis
Arx, Dominus, Deus & Redemtor.

PSAL. XX. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, &c.

2 Cuncta licet ferro late populetur & igni
Inſana gentis barbaræ crudelitas,
Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito:
Moderator orbis audiet preces tuas:
Utque bonus dubiis Jacobum ad ſidera rebus
Cum voce palmas proferentem exaudiit;
3 Annuet oranti, & te majeſtate verendi
Nominis ab hoſte ſoſpitem tuebitur.
Ex adyto ſacro arcanis tibi viribus artus
Firmabit, animum de Sione fulciet:
4 Vota ſecundabit, memori tua munera mente
Servabit: omnis perlitabit victima.
Protinus in cineres depaſta holocauſta reſolvet
In aſtra volvens flamma lucem ſplendidam.
5 Ille aderit cœptis, caſuſque in proſpera vertet,
Eventa finget omnia ex ſententia.
6 Jam tibi plaudemus reduci, auctoremque ſalutis
Patrium canemus patrio ritu Deum.

Cuncta

Digitized by Google

Cuncta Deo grates fora, compita, templa ſonabunt.
Nomenque ſanctum proſequentur laudibus.
Annuet ille pio quæcunque roga'itur ore,
Lætumque precibus exitum juſtis dabit.
7 Quin (ſcio, nec fallax animum mihi decipit omen,)
Regem reducet ſoſpitem Dominus ſuum.
Mittet opem, ſancti reſerans ſacraria cœli,
Et præpotenti proteget te dextera.
8 Gloria ſit Syriæ, turmas numerare curules,
Axeſque curvis aſperare falcibus:
Fidat equis, lateque vagis diſcurſet habenis,
Sonante Perſes arva findens ungula:
Hi currus & equos jactent: nos rebus in arctis
Dei potentis nomen invocabimus.
9 Illis nec currus, nec vis præſtabit equorum,
Ne ſcindat uncis vultur artus unguibus:
Nos humiles favor ætherius penituſque jacentes
Tollet, ſuoque ſuſtinebit numine.
10 Tu ſervator opem fer: tu ſi reſpicis, arma
Nec ſocia cupimus, nec timemus hoſtica.
Reſpiciet, populique ſui Rex optimus omni
Vocatus hora facilis audiet preces.

PSAL. XXI. *Domine, in virtute tua lætabitur Rex*, &c.

2 QUod hoſte victo Rex triumphat gaudio,
Curis ſolutus anxiis;
Tibi id fatetur, Rex beate cœlitum,
Debere: tu laboribus
Vires ferendis, tu dediſti e prælio
Redire duro ſoſpitem.
3 Nullam repulſam, voce quum te ſupplice
Rogaret, unquam adhuc tulit.
Nil in latebris pectoris reconditis
Spe concupivit irrita.
4 Et vota ſupra, & ante vota, hunc omnibus
Vitæ beaſti commodis.
Gemmis coronam ferre & auro ſplendidam
Sacro dediſti vertici.
5 Vitam popoſcit: mortis illi eſt addita
Immunis immortalitas.
6 Tu claritatis auctor illi es, inclyta
Per te refulget gloria.
7 Felicitatis ei favor dedit tuus
Exemplar ut ſit poſteris:
Menſura voti ut matribus ſit, quum bene
Blandis precantur liberis.
8 Tu nempe ſpes & anchora es fiduciæ;
Tu portus in rebus malis.
Te fretus uno firmus omnem perferet
Sortis procellam turbidæ.
9 Tu perduelles comprehendes, tu manu
Pœnas repoſce vindice.

10 Ceu flamma clauſis æſtuans fornacibus
Antiqua ſilvæ brachia
Vorat: furoris ſic tui nefarios
Afflatus hoſtes hauriet.
11 A ſtirpe totam demetes propaginem
Semenque gentis impiæ.
12 Te namque contra moliuntur abditam
Fraudem ſceluſque perfidi:
Et mente prava vota verſant irrita,
Et ſpes inanes concoquunt.
13 Te perſequente, pallidi in fugam ruent,
Inhoneſta tergo vulnera
Ferent, in ora, fata dum vitant fuga,
Rurſus ſagittas diriges.
14 O qui potenti frena rerum dextera
Verſas perennis arbiter,
Exſurge, vires fac tuas ut hoſtium
Agnoſcat inſolentia:
Tum te piorum turba feſtis cantibus
Orbis parentem concinet,
Votis tuorum ſupplicum placabilem,
Maliſque formidabilem.

PSAL. XXII. *Deus, Deus meus, reſpice in me*, &c.

2 CUr me relinquis, o Deus? Deus meus,
Cur me relinquis? irrita
3 Heu verba fundo: luce ſeu terras dies
Retegit, vocantem me dies
Fruſtra intuetur; ſive nox ſilentibus
Terram tenebris obruit,
Nox me vocantem nulla non audit, meo
Nox nulla queſtu non ſonat.
4 Tu ſanctus ille civitatis incola es
Sanctæ: Iſaci nepotibus
5 Tu carmen es: tu fida ſpes majoribus
Noſtris: ſalutem qui ſuam
Tibi credidere, a te ſalutis compotes
6 Abiere: ſalvi gratias
Egere, duris qui tuam in malis opem
Petiere: qui tuam in fidem
Se dedidere, non tulere dedecus,
Non hoſtium ludibria.
7 At vermis ego ſum, non homo: ſum fabula
Vulgi, infimorum opprobrium.
8 Nam turba noſtris obvia illudit malis:
Nutatque, nictatque, & caput
9 Motat; labella exporrigit: ludibria
Verbis acerbat aſperis,
En ille Domino carus, en fiducia
Securus ille numinis:
Nunc ſervet illum, nunc periclis eruat,
Quem tanto amore amplectitur.
10 O Domine, tu me protinus ſuſceperas
Alvo parentis editum.
De te pependi ſpe, parentis pendulus
Infans adhuc ad ubera.
11 Abuſque partu tu Deus meus: tuus
Ex

Digitized by Google

Ex matris alvo me favor
12 Eſt proſecutus: ultimo in diſcrimine
Jam ne recede longius.
Diſcrimen inſtat ultimum: mortis metu
Ceſſere amici territi.
13 Tauri efferati, tauri obeſi me undique
14 Circumdedere: faucibus
Hiant, leonum more rugientium,
Quos incitat ſpes & fames.
15 Rivi cruoris corpus omne perluunt
Exſangue: laxat artuum
Compago nexus: pectus intra liquitur,
Ut ſole cera, cor metu.
16 Exaruere teſtæ [1] ad inſtar coctilis
Defecta membra viribus:
Rigens adhæſit lingua ſiccis faucibus:
Jam ſto ſepulchri ad aggerem.
17 Me rabidi ab omni parte latratu canes
Urgent, petuntque dentibus.
Mihi peſſimorum ſæva conſpiratio
Manuſque fodit & pedes:
18 Et oſſa numerant, oſſa tralucentia
Per corporis tenſi cutem
Tormenta poſtquam cuncta conſumſit furor,
Animus adhuc ira tumens
Se paſcit, oculos ſatiat, & fruitur meis
Læto in malis ſpectaculo.
19 Partiti amictus ſunt meos, tunicæ meæ
Fecere ſortes arbitras.
20 Tu, Domine, ſaltem ne recede, ne malis
In ultimis me deſere.
Tu robur unus, tu mea es potentia:
21 Accurre, feſtinus meæ
Succurre vitæ: deſtitutum ab omnibus
Defende: ſævorum hoſtium
Ferrum cruentum pelle: vim rabidam canum
22 Inhibe: leonum ſpumeos
Compeſce rictus: cornua unicornium
Confringe: ſerva ſupplicem.
23 Tum morte victa ſoſpes auxilio tuo,
Narrabo fratribus tuum
Nomen, piorum prædicabo cœtibus
Robur, fidem, conſtantiam.
24 O mente pura qui Deum colitis, Deum
Laudate puris cantibus.
Semen Jacobi, magnitudinem Dei
Celebrate feſtis laudibus:
Erga fideles numinis clementiam
Agnoſce, proles Iſaci
25 Non ſprevit inopis ille ſolitudinem,
Non pauperum faſtidio
Avertit ora: me vocantem exaudiit,
Vitæque dulci reddidit.
26 Ergo per oras ultimas mundi tuas
Sona-

1 *Ad inſtar*] Negat Servius recte dici *ad inſtar*, damnatque Serenum ita loquentem: verùm non ſolus Serenus, ſed Juſtinus etiam, Solinus & Apulejus ſic loquuntur.

Digitized by Google

Sonabo laudes: gentibus
Te prædicabo: vota te timentium
Præſente ſolvam Eccleſia.
27 Edet modeſta turba, fraudis neſcia,
Vocata ſacras ad dapes;
Epuliſque functa, ac ſatura dulci nectare,
Laudabit auctorem Deum:
Deum ſonabit, qui vigore flammeo
In corda ſe quærentium
Se tantus infert, mortis ut procul metu
Perenne viva gaudeant.
28 Ergo excitata tam novo ſpectaculo
Tellus ab oris ultimis,
Quacunque colitur, colla ſub Domini jugum
Submittet: illi ſervient,
Pronæque Domino ſupplicabunt omnium
Omnes familiæ gentium.
29 Nam ſempiterno jure Domino competit
Regnum triformis machinæ.
Ille univerſis imperabit gentibus.
30 Rerum potentes illius
Menſæ accubabunt, & ſacri convivii
Dapibus referti ſub jugum
Cedent volentes: flectet illi poplitem
Pauper ſepulchri in limine,
Qui membra feſſis artubus languentia
Fugiente vita vix trahit.
31 Illumque longa poſteri propagine
Colent, ſuiſque poſteris
Per longa deinceps nunciabunt ſecula
In me favorem numinis.
32 Hoc ſemen illi ſerviet, gens illius
In poſterum hæc cenſebitur.

PSAL. XXIII. *Dominus regit me, & nihil*, &c.

QUid fruſtra rabidi me petitis canes?
Livor propoſitum cur premis improbum?
Sicut paſtor ovem, me Dominus regit:
Nil deerit penitus mihi.
2 Per campi viridis mitia pabula,
Quæ veris teneri pingit amœnitas,
Nunc paſcor placide, nunc ſaturum latus
Feſſus molliter explico.
Puræ rivus aquæ leniter aſtrepens
Membris reſtituit robora languidis,
Et blando recreat fomite ſpiritus
Solis ſub face torrida.
3 Saltus quum peteret mens vaga devios,
Errorum teneras illecebras ſequens,
Retraxit miſerans denuo me bonus
Paſtor juſtitiæ in viam.
4 Nec ſi per trepidas luctifica manu
Intentet tenebras mors mihi vulnera,
Formidem duce te pergere: me pedo
Securum facies tuo.
5 Tu menſas epulis accumulas, merum

Tu

Tu plenis pateris ſufficis, & caput
Unguento exhilaras: conficit æmulos,
Dum ſpectant, dolor anxius.

6 Me nunquam bonitas deſtituet tua,
Profuſuſque bonis perpetuo favor,
Et non ſollicitæ longa domi tuæ
Vitæ tempora tranſigam.

PSAL. XXIV. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, &c.

1 TOta quidem Domini terra eſt, & quicquid ubique
Vel parca celat, vel benigna ſufficit:
Quique colunt monteſque feros, campoſque feraces,
Urbeſque ſanctis temperatas legibus.
2 Ille ſuper pelagus ſolidum connexuit orbem,
Stabilis ut undas inter inſtabiles foret,
Et toties rapidis pulſatus fluctibus, omnes
Compage firma ſuſtineret impetus.
3 Cuncta igitur Domini merito ſunt: ſed tamen unam
Sedem ſibi ille dedicavit propriam.
Ecquis eo ſcandet? cuive hæc permiſſa poteſtas,
Loco ut beatum ſiſtat in ſancto gradum?
4 Cui manus & mens eſt inſons, nec vana volutat
Animo, nec ulli damna perjurus dedit.
5 Huic Dominus donabit opes: hunc numine dextro
A vi procacique eruet calumnia.
6 Hæc vera eſt pietas, hac itur ad æthera, veri
Sic intueri numinis vultum licet.
7 Eia aditus reſerate, fores, age, pandite, portæ,
Portæ perennes ſempiternæ regiæ;
Clauſtra revellite, limina pandite, magnus ut intret
Rex ille, multa clarus ille gloria.
8 Quis novus hic ſanctis ſuccedit ſedibus hoſpes?
Quis iſte multa eſt inclytus Rex gloria?
Ille potens late Dominus dextraque opibuſque,
Belloque multa nobilis victoria.
9 Eia aditus reſerate, fores, age, pandite, portæ,
Portæ perennes ſempiternæ regiæ;
Clauſtra revellite, limina pandite, magnus ut intret
Rex ille, multa clarus ille gloria.
10 Quis novus hic ſanctis ſuccedit ſedibus hoſpes?
Quis iſte multa eſt inclytus Rex gloria?
Ille potens armis numeroſoque agmine ductor,
Hic ille multa eſt inclytus Rex gloria.

PSAL. XXV. *Ad te, Domine, levavi animam meam*, &c.

1 HIc fidat armis, plebe ſe clientium
Defendat alter, militumque copiis:
A te, creator orbis, uno ſpes mea
Pendet, maliſque in rebus unum reſpicit.
2 Tu, ſancte genitor, effice inſolentibus
Ne ſpes inanes riſui ſint hoſtibus.
3 Sic me pudore liberabis: nec rubor
Confundet ora ceteris, in te ſuæ
Qui collocarunt anchoram fiduciæ.
Fruſtretur illos ſpes, & irritæ ſpei
Pudor dolorque torqueat, qui ſordium
Amore ſeſe ſordibus contaminant,
Bonoſque nulla provocati injuria
4 Vexare gaudent. Mihi per anfractus vagos
Vitæ, ſalebras inter & tenebras, iter
5 Oſtende, rectum, & erutum ſequacibus
Erroris undis, prævio lucis tuæ
Splendore deduc veritatis in viam.
Te nempe ab uno pendeo ſpe, te Deum
Unum & ſalutis columen agnoſco meæ.
6 Si torta vitiis forte morum regula
Deflexit, error ſi fefellit lubricus,
Fracta illecebris ſi voluptatis malis
Incauta vitiis ſe juventa polluit;
7 Benignitatis tu tuæ memor tamen,
Et lenitatis, (qui parentes mollibus
Frenans habenis, uſque ab incunabulis
Orbis paterna es uſus indulgentia,)
Miſerere: noſtris quod negares moribus,
Tuæ negare non potes clementiæ.
Nec denegabis: nec precantes bona bonus
8 Vacuos repelles: nec viam poſcentibus
Rectam aberis unquam recti & æqui regula.
9 Tu mitis animi amplecteris modeſtiam,
Doceſque recti & improbi diſcrimina.
10 Tu dux comeſque tuta per compendia
Ducis carentem fraude manſuetudinem:
Peccata bonus & facilis obliviſceris:
Promiſſa ſolvis liberali dextera:
Minuitque pœnas mitis indulgentia:
Fideſque dictis ſtabilis erga omnes adeſt
Qui pacta ſacri fœderis non negligunt.
11 Hanc ut nepotum ſecla manſuetudinem
Noſcant, tuique nominis ſe gloria
Late per omnes fundat orbis angulos;
Ignoſce noſtris mitis erratis parens,

Quæ

Quæ multa inuſſit ægritudo, & impotens
Amor, regique contumax ira & dolor,
Errorque veri non acutus arbiter.
12 O ter beatum, mente qui pura Deum
Veneratur: illi, qualecunque amplectitur
Vitæ inſtitutum, dux adeſt ſemper Deus,
Rectorque, & omnes actiones proſperat.
13 Securus animus anxio procul metu
Cunctis fruetur affluenter copiis:
Stirpiſque ſeries longa firmabit domum,
Genuſque multa floridum propagine
Opes paternas ad nepotes transferet.
14 Quin & piorum mentibus myſteria,
Contemta pravis, impie ſapientibus
Occulta, Dominus luce proferet ſua;
Et ſacroſancti fœderis ſcientiam
(Quæ ſola vitæ dux beatæ & regula eſt)
15 Docebit. Ergo, Rex beate cœlitum,
Te mente ſolum quæro, nuſquam lumina
Abs te reflecto: tu pedes ſolus meos
Hoſtis doloſis erues e retibus.
15 O ſancte cuſtos hominum, amico lumine
In me intuere, & deſtitutum ab omnibus
Inopemque ſancta me tuere dextera:
17 Curiſque, mentem quæ perurunt plurimæ,
Noviſque ſemper differunt doloribus,
18 Exſolve: pœnis uſque & uſque immanibus
Exercitato, & obruto laboribus,
Ignoſce: culpas mitis obliviſcere.
19 Heu quanta vis me factionis impiæ
Perſequitur armis! quanta me crudelitas
Inexpiato quærit odio perdere!
20 Tu me periclis libera: tu protege
Ejus ſalutem ab hoſtium ludibrio,
Omnem ſalutis qui locavit ſpem ſuæ
21 In te, nec aliis fidit opibus, quam ſuæ
Integritatique, & tuæ clementiæ.
22 Gens, quæ tuarum juſſa legum amplectitur,
Fac undequaque tuta ſit te vindice.

PSAL. XXVI. *Judica me, Domine*, &c.

1 ME vi tyrannus perſequitur palam,
Me clam maligna fraude calumnia:
Te, qui latebras pectoris inſpicis,
Appello, rerum conditor optime.
Mens fraudis expers, & manus innocens,
A vique pura & flagitio: in Deo
Spes fixa, fortis qui violentia

Me ſævientis non ſinet opprimi.
2 Reneſque flammis & penetralia
Scrutare cordis, cæcaque ſenſuum
Arcana, fuſum ceu calidis focis
Explorat aurum callidus artifex:
3 Mentem videbis munificentiæ
Quæ dona nunquam non meminit tuæ:
Actæque leges puriter ad tuas
Vitæ carentem flexibus orbitam.
4 Procul faceſſat, nec ſocium ſibi
Me vana ſperet lingua: procul domo
Noſtra recedat, qui didicit ſuos
Fucare ſenſus pectore ſubdolo.
5 Odi ſceleſtûm concilia; impios
Cœtus veneno pejus abominor:
Quorum reſultant pectora gaudio,
Quum perpetrarunt facta nefaria.
6 Sed mente pravi non ſibi conſcia,
Lotuſque puris fontibus, ad tuas
Aras adibo, lætus & offeram
Lætæ choreæ dux tibi victimas.
7 Te noſtra pangent tympana, te lyra,
Te vox canoro conſona tympano,
Lyræque; cœtuque in celebri tua
Miranda pandet facta nepotibus.
8 Tectumque, nomen quo canitur tuum,
Ædemque, numen qua colitur tuum,
Mens ardet: abſentem retrahunt tuæ
Quæ templa celant pignora gloriæ.
9 Hæc oſſa tellus ne ſine ut obruat
Inter cruentos barbara barbaros,
10 Qui fraudulenta mente coquunt ſcelus,
Captant avara munera dextera.
11 Ego [1] inſtitutum carpere tramitem
Pergam innocenter: tu propius meis
Aurem benignus queſtibus admove,
Ac me periclis triſtibus aſſere.
12 Per plana firmo quod gradior pede,
Quod recta ſector, muneris eſt tui:
Ergo ſalutis te columen meæ
Cœtu in celebri laudibus efferam.

PSAL. XXVII. *Dominus illuminatio mea*, &c.

1 DEus in tenebris quum mihi præluceat,
Vitamque muniat meam,
Quæ vis aperta terreat me? quæ mihi
Fraus cæca ſit formidini?
2 Adverſus unum quum ſceleſta factio
Cunctas paraſſet copias,
Doloſa letho quæ tetenderant meo
Ipſi incidere in retia.

3 Si

1 *Ego inſtitutum.*] Steph. Plant. Argent. *Ergo inſtitutum*,

3 Si comminentur caſtra, ſi minacibus
Infeſta telis agmina,
Securus animi ſpecto caſtra, prœlia
Timore liber intuor.
4 Unum expetivi, & uſque & uſque id expetam,
Curis ut exemtus malis,
Sim ſacroſanctæ ſemper ædis incola,
Auguſta mirer atria,
Deoque laudes perſonem, artus dum regit
Vitalis auræ ſpiritus.
5 Tum me ſub umbra conditum tentorii
Celabit, & periculis
Procul remotum, rupis abruptæ velut
In arce poſitum, muniet:
6 Ac ne relictum nunc quidem impiæ ſinet
Vi factionis opprimi.
Victorque ſolvam vota, nec victoriæ
Auctor mihi tacebere.
7 Audi invocantem ſupplicem, & fractum malis
Bonus favenſque ſubleva.
8 Te mens anhelat, vultus ad vultum tuum
Intentus uſque reſpicit:
9 Ne conde vultus lumen a me amabilis,
Neu me in tenebris deſere.
Servum per iram ne ſine opprimi tuum:
Vitamque, quam debet tibi,
Tuere ab hoſte, & e periclis eripe,
O ſpes ſalutis unica.
10 Me cari amici, me propinqui, me pater,
Me blanda mater liquerat:
At non reliquit, qui pios in aſperis
Non deſerit rebus, Deus.
11 Parens benigne, me vias doce tuas,
Rectaque deduc ſemita:
Ne vis metuſque ab hoſte me deterritum
De calle recti detrahat.
12 Ne me impiorum obnoxium libidini
Relinque. Teſtes impii
Fingunt maligne falſa de me crimina,
Armantque ſe mendaciis.
13 Mens victa tantis jam fatiſceret malis,
Ni ſpes foveret me tuæ
Benignitatis, poſt labores anxios
Mox affuturum gaudium.
Vivuſque vivos inter ipſe commoda
Vitæ beatæ præſtolor.
14 In rebus ergo turbidis ne concide,
Sed fortis uſque ſuſtine:
Te roborabit Dominus, & cor fulciet;
Tu fortis uſque ſuſtine.

PSAL. XXVIII. *Ad te, Domine, clamabo*, &c.

1 PRinceps ſtelliferis altior orbibus,
Vitæ præſidium & certa ſalus meæ,
Aurem ſuppliciis da facilem meis,
Ne fiam ſimilis buſta petentibus.
2 Audi vota, parens, quæ tibi profero

Digitized by Google

Supplex cum gemitu, brachia porrigens
Ad cœlum tremulis pervigil ignibus,
Cœlum, templa tuæ conſcia gloriæ.
3 Ne me connumera cœtibus impiis,
Neu tanquam ſocium plecte nocentibus:
Quorum blanditiis illita mollibus
Lingua eſt, mens, gelido livida toxico.
4 Illis nequitiæ præmia ſint ſuæ,
Et merces ſtudiis æqua nefariis:
Pro ſemente legant ſemina, peſſimis
Dignum conſiliis ſupplicium luant.
5 Non his conſilii provida vis tui
(Qui me conſpicuis tollis honoribus)
Infectaſve manus a ſcelere avocat,
Aut [1] infeſta odiis pectora mitigat.
Ergo nec ſeries longa propaginis
Florebit, patrias nec ſoboles opes
Longæva accipiet: ſed celeri genus
Clades exitio proruet ac domum.
6 Laus rerum Domino, qui precibus meis
7 Se non difficilem præbuit: hinc meæ
Vires, [2] hic clypeus rebus in aſperis:
Hinc ſpes, auxilium hinc non dubium in malis.
Hinc cor geſtit ovans: carminibus tuas
8 Laudes ora ſonant: qui populum tuum
In rebus trepidis protegis, & tuum
Regem ex inſidiis omnibus eripis.
9 Cuſtodi populum, Rex hominum, tuum:
Hebri fac ſoboles largiter omnibus
[3] Vitæ continuo fructibus affluat,
Donec perpetuum ſol referet diem.

PSAL. XXIX. *Afferte Domino filii Dei*, &c.

1 SEu dives auro es, ſive opibus potens,
Seu marte parta clarus adorea;
Agnoſce numen gratus, & huc refer
Quæcunque lætum ducis ad exitum.
2 Huic pange laudes, & prece ſupplice
Rerum parentem concilia: & Dei
Nutu regentis ſtelliferam domum
Dignare juſtis nomen honoribus.
3 Cujus liquentes vox gravida pluit

De

1 *Aut infeſta.*] Editio Edinb. And. Hart. 1615. Lond. 1686. *infecta.*

2 *Hic clypeus.*] Edit. Wetſten. Amſt. 1687. *hinc.*

3 *Vitæ continuo fructibus affluat.*] *Continuo* hic pro *continenter*, *aſſidue*, *uſque*, uſurpare noſter videtur: quod barbarum tamen contendit accuratiſſimus Jo. Ker. Select. de LL. obſerv. lib. II.

De nube rores, terrificos ciet
Cœlo tumultus cum tonitru, maris
Turbata ventis concitat æquora:
4 Vox dignitatis plena, nec irritæ
Unquam ad patrandum juſſa potentiæ;
5 Nudare cedris ſeu Libanum juvat,
Celſaſque ventis ſternere fraxinos:
6 Seu vincta ſaxis ſaxa revellere,
Notiſque montes ſedibus erutos
Verſare, taurum ut verna per avia
Vexat juventæ læta protervitas.
7 Ad vocis ictum nubibus exſilit
8 Eliſus ignis: teſqua Arabum tremunt:
9 Feræ paveſcunt: ante diem fluunt
Partus acerbi: robora concidunt.
Quæcunque templo cœlum habet aureo,
Quæcunque tellus dædala ſuſtinet,
Quæ celat undis æquor in abditis,
Dei fatentur cuncta potentiam.
10 A voce vindex pontus inhorruit,
Undiſque montes obruit, arbiter
Æterne rerum, quum libuit tibi
Delere gentes fluctibus impias.
11 Te dante vires, non opibus feros
Horremus hoſtes, non numero graves:
Te dante pacem, progeniem Iſaci
Cornu beabit divite copia

PSAL. XXX. *Exaltabo te, Domine*, &c.

2 TE noſtra ſemper carmina, te lyra
Sonabit, orbis [1] conditor optime:
De faucibus lethi imminentis
Incolumis tibi vota reddam.
Per te ſuperbus nec lacrymis meis
Inſultat hoſtis, nec fruitur malis:
3 Te rebus, incertus ſalutis,
Auxilium in dubiis popoſci.
Per te receptis viribus haurio
Vitalis auræ lumen amabile:
4 Nec inferûm ſub nocte longa
Et tenebris jaceo ſepulchri.
5 O turba puris dedita ritibus
Sacriſque caſtis, tollite laudibus
Placabilem votis parentem,
Et memori celebrate plectro.
6 Vaneſcit iræ vindicis impetus
Bullæ fugacis more: Dei favor
Bonis manu vitam benigna
Triſtitiæ vacuam rependit.
Si forte ſero veſpere fletibus
Vultus rigamur, mox redit aurea
Cum luce riſuſque, & jacentes
Exhilarans animos voluptas.
7 Pacis beatæ cum fruerer bonis,
Mecum loquebar: De ſtabili gradu

Feli-

1 *Orbis conditor.*] Steph. Plant. Argen. *Orbis arbiter.*

Digitized by Google

Felicitatis nulla ſortis
Me dubiæ quatiet procella.
8 Te dante vires, divitias, decus,
Te montis inſtar mœnibus æneis
Firmante regnum, vanum alebat
Credulitas mihi blanda faſtum:
Tu, me relicto ſtultitiæ meæ,
Dextram retraxti: retro abiit, domum
Repente turbatam relinquens,
Sors levibus malefida pennis.
9 O præſes orbis, pectore ſupplice
Mox te vocavi, te lacrymis madens
10 Opem popoſci: Quid profuſus
Profuerit tibi ſanguis? inquam.
Quis mortis uſus noſtræ erit? An tuas
Laudes ſonabunt, factaque poſteris
Miranda muti prædicabunt
Sub gelido cineres ſepulchro?
11 Placatus aurem da facilem meis
Votis, ſeveros neu querimoniis
Averte vultus: pelle membris
Peſtiferi mala dura morbi.
12 Tu ſupplicanti protinus admoves
Aurem benignus: pro lacrymis mihi
Riſum reducis, pro dolore
Lætitiamque alacremque plauſum.
13 Te ſemper ergo carmina, te lyræ
Noſtræ ſonabunt: vox tibi ſerviet
Dicata, præbebitque noſtris
Materiam tua laus camœnis.

PSAL. XXXI. *In te, Domine, ſperavi*, &c.

2 IN te locavi ſpem meam,
Rerum creator optime:
At tu benignus proſpice,
Ne ſpei pudeſcat irritæ.
3 O juſte vindex, fraudibus
Ab hoſtium me vindica:
Audi benignus ſupplicem:
Da promtus abjecto manum.
4 Me rupe ſerva ut invia
Clauſum, vel arce ahenea:
Tu rupis es mihi inviæ
Munimen, arx ahenea.
5 Ergo ut timori mentibus
Nomen tuum ſit impiis,
Præi viam mihi, abditis
Me libera de caſſibus.
6 Tu robur es meum: tuæ
Commendo vitam dexteræ:
Me libera pacti Deus
Tenax, memorque fœderum.
7 Qui vana ſtulti ſomnia
Sectantur, odi peſſime.
Tu certa ſpes mihi es, meæ
Tu portus es fiduciæ.
8 Inter labores aſperos
Lumen tuæ clementiæ
Fulgens, repente turbidum
Perfudit animum gaudio.
9 Quum me tyrannis impotens
Urgeret hoſtis impii,
Jamjam imminentis pallidis
Lethi explicaſti faucibus.
10 Miſerere fracti tot malis,
Tot obruti doloribus.
Caligat oculus, mens ſtupet:
Mœrore corpus tabuit:

11. Ca-

Digitized by Google

11 Caduca vita elabitur
Mœrore [1] fracta & luctibus:
Interque clades aridis
Fluxere vires oſſibus.

12 Me ridet hoſtis, & meis
Inſultat inſolens malis:
Horrent propinqui, ceteri
Vitant metu periculi.

13 E proximorum mentibus
Obliteror, ceu mortuus.
Contemtior ſum civibus
Quam lamna teſtæ fictilis.

14 Me multitudo opprobriis
Coram laceſſit aſperis:
Vim machinatur in meam
Jurata mortem factio.

15 Ego interim fiducia
Opis tuæ, dolos, minas,
Injurias, & hoſtium
Contemno contumelias.

16 Tu fila vitæ temperas
Meæ, regiſque tempora:
Tu me impiorum libera
Ab hoſtium tyrannide.

17 Oſtende vultum amabilem
Servo bonus tuo & favens:
Et me tuere, qua ſoles
Semper tuos, clementia.

18 Ne ſit pudori, quod tuam
Imploro opem: pudor malos
Confundat, & ſilentium
Longum ſepulchris ſopiat.

19 Aſſueta vox mendacio
Sit muta, vox procaciter
Solita bonos laceſſere,
Et arroganter ſpernere.

20 O quanta te colentibus
Et quot redundant commoda!
Quot teſte mundo proſperis
Auges tuos ſucceſſibus!

21 Hos protegis reconditos
Procul a minis potentium,
Tuaque munis in domo
Linguæ veneno ab impiæ

22 Tibi perennis gratia
Sit, rector orbis, qui velut
Munita in arce me procul
Periculis ſubmoveras.

23 Exſpes [2], inops, vitam fuga
Quum vix tuerer anxiam,
Mecum ipſe dixi; Jam truci
Reliquit hoſti me Deus.
At tu nec in periculis
Oblitus extremis mei,
Aurem benignam ſupplici
Ac invocanti admoveras.

24 Ergo patrem rerum optimum
Amate candidi & pii,
Qui faſtuoſos deprimit,
Et obſequentes erigit.

25 Qui ſpem locatis in Deo,
Conſtanter illi fidite,
Nec robur animi concidat,
Sortis procella turbidæ.

PSAL. XXXII. *Beati quorum remiſſæ ſunt*, &c.

1 O Ter beatum, cui patris optimi
Noxas remiſit lethiferas favor,
Cui fœda morum flagitia obruit
Obliviosō tecta ſilentio!

2 O ter beatum, cui bonus arbiter
Non imputavit lubrica deviæ
Errata vitæ, nec reperit dolum
Cæco

1 *Mœrore fracta*] Steph. Plant. Argent. *Per luctus & ſuſpiria.*

2 *Exſpes.*] And. Hart. 1615. *Experts.*

Cæco in [1]receſſu pectoris abditum!
3 Donec fovebam ſub tacito ſinu
Morbum, ſolutis languidus oſſibus
Artus trahebam, luctificus dolor
Queſtum [1] ciebat non patiens tegi.
4 Tu me premebas prævalida manu
Infeſtus; atris ſeu tenebris diem
Nox condidiſſet, ſeu roſea dies
Orbem recurrens luce retexerat.
Sic decolorem tabificus cutem
Mœror coquebat: ſic macie dolor
Siccabat artus, meſſis ut Africæ
Cancri per æſtum mitius [2] areat.
5 Tum mente verſa vulnera protuli,
Tibi renudavi vitium meum,
Fraudem retexi: ac tu mihi protinus
Noxa ſoluto conciliatus es.
6 Qui mentis ergo pura ſacraria
Servare quærit, te prece ſupplice
Placet: nec, orbem pontus ut obruat,
Formidet æſtus lethiferi minas
7 Tu me periclis eripis aſperis,
Tutela præſens: tu mihi gaudia
Toto refundis corpore, ut hoſtium
Qui vincla fracto carcere depulit.
8 Nec ſat: Tenebras pectoris auferam,
Inquis: beatæ qua ferat orbita
Monſtrabo vitæ, nec procul a tuis
Unquam reflectam lumina greſſibus.
9 Mulis equiſque ne ſimilis modo
Sis, bruta quorum pectora gratiam
Non mutuam novere, ſed aſperis
Fracti lupatis ſervitium ferunt.
10 Multa obſtinatam nequitiam manent
Tormenta: pura qui Dominum fide
Orabit, huic pacem & veniam dabit,
Non durus unquam parcere ſupplici.
11 Recti tenaces ſimplicis, & quibus
Eſt grata fraudum neſcia veritas,
Favente læti numine geſtibus
Et voce veſtrum pandite gaudium.

PSAL. XXXIII. *Exſultate juſti in Domino:* &c.

1 VOs quibus puræ eſt amor æquitatis,
Læti pangite carmine
Orbis auctorem Dominum: æquitatis
Hoc carmen decet æmulos.
2 Tinniat blando chelys hunc ſuſurro,
Hunc vocalia nablia:
Docta bis quinis reſonare nervis
Hîc

1 *Queſtum*]. And. Hart. 1615, Lond. 1686. — *queſtus.*

2 *Areat.*] Steph. Plant. Argent. Lond. 1620. *ardeat.*

Hic artem manus approbet.
3 Huic novos cantus meditemur: uni
Læti clangite buccina:
4 Nam fides dictis rata veritaſque eſt,
Et factis comes æquitas:
5 Quippe qui juſti eſt & amator æqui, &
Veri fallere neſcii:
Perque terrarum ſola vaſta notæ
Cunctis munificentiæ.
6 Is ſuo [1] verbo ſinuavit orbem
Lucentem nitidi ætheris:
Quicquid & puris radiis renidet
Campis ætheris igneis.
7 Littus arctavit maris inquieti,
Compreſſitque licentiam:
Et penu clauſas ſinuavit undas,
Unde in tempore promeret.
8 Hunc & occaſus metuant & ortus:
Hunc unum Dominum colat
Quiſquis extremos ubicunque fines
Terræ aut æquoris accolit:
9 Cujus a nutu viget interitque
Quodcunque interit aut viget:
Cujus immotis tremefacta parent
Cuncta obnoxia legibus.
10 Qui malas artes populi profani
Ludit callidior ſuis:
Et ſuo injuſtæ ſcelerata turbæ
Fraudat conſilia exitu.
11 At quod arcana ſibi mente rerum
Auctor propoſuit ſemel,
Dum dies & nox referent ſe in orbem,
Uſque immobile permanet.
12 O quater, pluſquam quater o beatos,
Patronus quibus eſt Deus!
Quos ſibi excepit, propriamque ſortem
Quos dici voluit ſuam!
13 [2] Deſpicit mundi pater e beata
Cœli ſtelliferi domo,
14 Eque tranquillis adytis labores
Et curas hominum videt:
15 Quippe qui cæcos animi receſſus
Humani fabricaverit:
Nec quod arcano latet in receſſu
Clauſum pectoris hunc latet.
16 Sperat incaſſum numero tyrannus
Se tutum fore militum:
Sperat incaſſum validis lacertis
Se miles fore ſoſpitem:
17 Sæpe ſpem fallit præeuntis Euros
Bellatoris equi fuga:
18 At [3] Deus juſtos oculo irretorto
Semper reſpicit & pios:
19 Mor-

1 *Suo verbo.*] Steph. Plant. Argent. *ſuo nutu.*

2 *Deſpicit mundi pater.*] Longe major codicum pars *Deſpicit*, male; Virgilius enim Æn. I. 228.

--- Jupiter æthere ſummo
Deſpiciens velivolum, terraſque jacentes.

Claud. de Conſ. Mall. Theod. ver. 6. de virtute

-----Immotaque cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.

Et alii paſſim. *Deſpicere* autem eſt *e ſuperiore loco ſpectare.*

3 *At Deus juſtos oculo irretorto Semper reſpicit.*] *i. e.* Deus juſtos oculis immotis & nuſquam deflexis intuetur, ſive eorum ſaluti & incolumitati oculis perpetuo intentis invigilat. Cæterum Buchanano a quibuſdm vitio datur, quod hanc loquendi formulam, a ſolo, quod ſciverim, Horatio ante uſurpatam, haud paullo diverſa ab ea, qua ille uſus eſt, ſignificatione adhibuerit. Horatii locus eſt lib. II. Od. 2

Digitized by Google

19 Mortis ut vertat jacula imminentis,
Diram & ſævitiam famis.
20 Una ſpes nobis opis hinc, ab uno
Certum præſidium in malis.
21 Ille perfundet ſibi dedicata
Dulci pectora gaudio:
22 Ille fidentum ſibi ſpes preceſſque
Lætum ducet ad exitum.

PSAL. XXXIV. *Benedicam Dominum*, &c.

2 SEu læta ſors me foverit, ſeu triſtior
Vexarit, omni tempore
Laudabo Dominum, ſemper illius meum
O- perſonabit laudibus.
3 Mihi hæc voluptas, hoc erit ſolatium,
Mihi hoc levamen in malis:
Meoque turba triſtis exemplo ſuas
Solabitur moleſtias.
4 Una, agite, cuncti proſequamur laudibus
Nomenque numenque illius.
5 Ille in periclis me vocantem exaudiit,
Statimque reppulit metum.
6 Qui cuncta ad illum conſilia referunt ſua,
Læto his nitentes gaudio
Vultus renident, nec repulſæ infamia
Rubore confundet genas.
7 En, pauper iſte quum vocaret, omnibus
Hunc eruit periculis.
8 Dominum timentum caſtra munit Angelus
Demiſſus ad cuſtodiam:
Et imminentes arcet hoſtes, & pios
A vi tuetur impia.
9 Facite periclum, jam ſcietis, quam Dei
Immenſa ſit benignitas:
Quam ſint beati, ſpes in illo qui ſuas
Omnes opeſque collocant.
10 Gens

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Ubi, per voces [*oculo irretorto*] intelligi volunt commentatores, *oculo non invido, aut avaro, non auri fulgore aciem quaſi perſtringente retorto* aut *deflexo*. Immerito autem mea ſententia hic Buchananus arguitur: utrobique enim eadem ſervatur vocis vis & ſignificatio, quippe qua nihil aliud innuatur quam *oculus rectus, immotus & conſtans*, non *obliquus*, aut *ab ea re in quam acies dirigitur retortus* ſive *reflexus*. Quod autem Buchanani ab Horatio diſcrepet ſententia, id non ex nativa vocis indole, ſed ex reliqua oratione diverſaque tum ſpectantium tum rerum ſpectatarum natura provenit: & quidem, ut rem paullo clarius exponam, varii ſunt animorum affectus, invidia puta, avaritia, libido, ira, odium *&c.* quibus incitati res homineſve obliquis, torvis, limis, reflexis aut retortis oculis ſpectare dicimur: contra vero his affectibus vacui, aut contrariis animi motibus adducti, oculis rectis, fixis, immotis, æquis, adeoque irretortis, non reflexis aut detortis, intueri perhibemur. Proinde Deus, humanos quaſi affectus induens, juſtos *oculo irretorto* adſpicere, *i. e.* perpetuo amore proſequi, ac vigili ſemper cura tueri ac protegere, non minus Latine ac eleganter, quam vere & pie dici videtur. Videſis Miſcel. III. 21. [quo ſenſu Horatium *irretortum oculum* dixiſſe credimos, explicuimus ad Quinctil. declam. VIII. 8.]

Digitized by Google

10 Gens ſancta Dominum colite: nil deerit Deum
Fideliter colentibus.
11 Violenta feritas ſentiet famem: bonis
Cuncta affluenter ſuppetent.
12 Adeſte filii, audite, vobis numinis
Verum timorem ut indicem.
13 Quicunque curis liberam & longam cupis
Vitam beatus ducere;
14 Linguæ refrena virus, os nefaria
A fraude purum contine:
15 Capeſſe recta, curva vita, dilige
Tranquilla pacis otia.
16 Deus innocentes adſpicitque, & commodat
Attentus aures ad preces:
17 Torvo ſceleſtos intuetur lumine,
Et nomen etiam obliterat.
18 Juſtum invocantem Dominus audit, omnibus
Eum expedit periculis.
19 Quum ſpes labores deſerit mortalium,
Afflicta quum moleſtiis
Succumbit oneri mens, Deus præſens adeſt,
Malaſque curas diluit.
20 Juſtis labores ſuggerit ſemper piis
Iniqua ſors conatibus:
Sed, qui bonorum ſemper eſt cuſtos, Deus
Sortis retundit ſpicula;
21 Et oſſa ſervat ne terantur. Impios
22 Ulciſcitur ſcelus ſuum:
Et quiſquis hoſtis eſt piorum, cum domo
A ſtirpe cæſus interit.
23 Animas tuetur ſe colentium Deus,
Nec rem domumque deſerit.

PSAL. XXXV. *Judica, Domine, nocentes me,* &c.

1 RErum ſancte opifex, ades,
Et patrocinio protege me tuo:
Et retro refer in meos
Hoſtes perniciem, quam mihi comparant.
2 Scutum cum jaculis cape:
3 Enſem ſtringe: meis hoſtibus obviam
Prodi: dic animæ meæ,
Secura auxilio nil metuas meo.
4 In vultus pudor hoſtium
Et turpis ſubeat dedecoris rubor:
Fœdam corripiant fugam;
Cæcas inſidias qui mihi præparant.
5 Ut ſævus Boreas levem
Raptat præcipiti turbine pulverem:
Sic illos trepida fuga
Vindex [1] præcipites urgeat Angelus.
6 Sit cœno via lubrica,
Et cœlum tenebris lurida nox tegat:
Et formidine pallida
Vindex

1 *Vindex præcipites,*] Steph. Plant. Argent.
Vindex præcipites urgeat Angelus:
Et formidine pallida
Vindex præcipites comprimat Angelus.
Sit cœno via lubrica,
Et cœlum tenebris lurida nox tegat.
Nam me, &c.

19 Mortis ut vertat jacula imminentis,
Diram & ſævitiam famis.
20 Una ſpes nobis opis hinc, ab uno
Certum præſidium in malis.
21 Ille perfundet ſibi dedicata
Dulci pectora gaudio:
22 Ille fidentum ſibi ſpes preceſque
Lætum ducet ad exitum.

PSAL. XXXIV. *Benedicam Dominum*, &c.

2 SEu læta fors me foverit, ſeu triſtior
Vexarit, omni tempore
Laudabo Dominum, ſemper illius meum
Os perſonabit laudibus.
3 Mihi hæc voluptas, hoc erit ſolatium,
Mihi hoc levamen in malis:
Meoque turba triſtis exemplo ſuas
Solabitur moleſtias.
4 Una, agite, cuncti proſequamur laudibus
Nomenque numenque illius.
5 Ille in periclis me vocantem exaudiit,
Statimque reppulit metum.
6 Qui cuncta ad illum conſilia referunt ſua,
Læto his nitentes gaudio
Vultus renident, nec repulſæ infamia
Rubore confundet genas.
7 En, pauper iſte quum vocaret, omnibus
Hunc eruit periculis.
8 Dominum timentum caſtra munit Angelus
Demiſſus ad cuſtodiam:
Et imminentes arcet hoſtes, & pios
A vi tuetur impia.
9 Facite periclum, jam ſcietis, quam Dei
Immenſa ſit benignitas:
Quam ſint beati, ſpes in illo qui ſuas
Omnes opeſque collocant.

10 Gens

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectas acervos.

Ubi, per voces [*oculo irretorto*] intelligi voluut commentatores, *oculo non invido*, *aut avaro*, *non auri fulgore aciem quaſi perſtringente retorto* aut *deflexo*. Immerito autem mea ſententia hic Buchananus arguitur: utrobique enim eadem ſervatur vocis vis & ſignificatio, quippe qua nihil aliud innuatur quam *oculus rectus*, *immotus* & *conſtans*, non *obliquus*, aut *ab ea re in quam acies dirigitur retortus* ſive *reflexus*. Quod autem Buchanani ab Horatio diſcrepet ſententia, id non ex nativa vocis indole, ſed ex reliqua oratione diverſaque tum ſpectantium tum rerum ſpectatarum natura provenit: & quidem, ut rem paullo clarius exponam, varii ſunt animorum affectus, invidia puta, avaritia, libido, ira, odium &c. quibus incitati res homineſve obliquis, torvis, limis, reflexis aut retortis oculis ſpectare dicimur: contra vero his affectibus vacui, aut contrariis animi motibus adducti, oculis rectis, fixis, immotis, æquis, adeoque irretortis, non reflexis aut detortis, intueri perhibemur. Proinde Deus, humanos quaſi affectus induens, juſtos *oculo irretorto* adſpicere, *i. e.* perpetuo amore proſequi, ac vigili ſemper cura tueri ac protegere, non minus Latine ac eleganter, quam vere & pie dici videtur. Videſis Miſcel. III. 21. [quo ſenſu Horatium *irretortum oculum* dixiſſe credimus, explicuimus ad Quinctil. declam. VIII. S.]

Digitized by Google

10 Gens ſancta Dominum colite: nil deerit Deum
Fideliter colentibus.
11 Violenta feritas ſentiet famem: bonis
Cuncta affluenter ſuppetent.
12 Adeſte filii, audite, vobis numinis
Verum timorem ut indicem.
13 Quicunque curis liberam & longam cupis
Vitam beatus ducere;
14 Linguæ refrena virus, os nefaria
A fraude purum contine:
15 Capeſſe recta, curva vita, dilige
Tranquilla pacis otia.
16 Deus innocentes adſpicitque, & commodat
Attentus aures ad preces:
17 Torvo ſceleſtos intuetur lumine,
Et nomen etiam obliterat.
18 Juſtum invocantem Dominus audit, omnibus
Eum expedit periculis.
19 Quum ſpes labores deſerit mortalium,
Afflicta quum moleſtiis
Succumbit oneri mens, Deus præſens adeſt,
Malaſque curas diluit.
20 Juſtis labores ſuggerit ſemper piis
Iniqua ſors conatibus:
Sed, qui bonorum ſemper eſt cuſtos, Deus
Sortis retundit ſpicula;
21 Et oſſa ſervat ne terantur. Impios
22 Ulciſcitur ſcelus ſuum:
Et quiſquis hoſtis eſt piorum, cum domo
A ſtirpe cæſus interit.
23 Animas tuetur ſe colentium Deus,
Nec rem domumque deſerit.

PSAL. XXXV. *Judica, Domine, nocentes me*, &c.

1 Rerum ſancte opifex, ades,
Et patrocinio protege me tuo:
Et retro refer in meos
Hoſtes perniciem, quam mihi comparant.
2 Scutum cum jaculis cape:
3 Enſem ſtringe: meis hoſtibus obviam
Prodi: dic animæ meæ,
Secura auxilio nil metuas meo.
4 In vultus pudor hoſtium
Et turpis ſubeat dedecoris rubor:
Fœdam corripiant fugam;
Cæcas inſidias qui mihi præparant.
5 Ut ſævus Boreas levem
Raptat præcipiti turbine pulverem:
Sic illos trepida fuga
Vindex [1] præcipites urgeat Angelus.
6 Sit cœno via lubrica,
Et cœlum tenebris lurida nox tegat:
Et formidine pallida

Vindex

1 *Vindex præcipites,*] Steph. Plant. Argent.
Vindex præcipites urgeat Angelus:
Et formidine pallida
Vindex præcipites comprimat Angelus.
Sit cœno via lubrica,
Et cœlum tenebris lurida nox tegat.
Nam me, &c.

Vindex præcipites comprimat
Angelus.
7 Nam me fraude mala ſuis
Conati immeritum prendere caſ-
ſibus,
Et cæcam innocuo ſcrobem
Effodere: ſuis caſſibus hæreant,
8 Et factam exitium in meum
Cæci & præcipites in foveam
ruant.
9 Perfuſa interea mihi
Dulci lætitia pectora geſtient:
10 Mens ſecura periculi
Auctorem Dominum lætitiæ co-
let:
Et ſenſus animi indices
Clamabunt, Domino quis ſimilis
Deo?
Qui faſtus gravis improba
Defendit tenues a violentia,
Vexantemque opis indigos
Frangit ſævitiam vindice dexte-
ra.
11 Conjurata calumnia
In me criminibus ſævit atroci-
bus:
Ignotum ſcelus in meam
12 Fingunt perniciem: quæ bene
feceram,
Compenſant odiis malis,
Et vitæ invigilant exitio meæ.
13 Illos tabificæ luis
Ægris viſceribus quum dolor
ureret,
Squalens veſte ego lugubri,
Jejunaque fame pallidus & ſiti,
Et proſtratus humi, Deum
Lenibam lacrymis & prece ſup-
plice.
14 Sic ſincerus amici amor
Sub cari interitum luget ami-
culi:
Sic fratrem gemit unicum
Frater: ſic pietas anxia filii
Maternum ad tumulum dolet.
15 Me fortuna gravi ſi tetigit manu,
Concurſant, mala gaudia
Inter ſe celebrant: fæx populi
coit;
Incauto invidiam creant:
16 Proſcinduntque avida me petu-
lantia
Scurræ cum balatronibus:
Dentem dente acuunt, & rabiem
vomunt.
17 Quem finem patientiæ
Tam lentæ ſtatues, o pater opti-
me?
Arce hoc ludibrium, neque
Deſertum rabidis trade leonibus:
18 Acceptum ut referam tibi
Quod vivo, & video lumen ama-
bile;
Et cœtu in celebri canam
Te, pronum auxilium ferre vo-
cantibus.
19 Fac ne ſpes alat improbas
Semper turba meis læta mole-
ſtiis:
Neu nutu ac oculis notet,
Exſultetque meis hoſtis atrox
malis:
20 Qui ſermonibus aſperis
Inſultat, trucibuſque inſidiis pe-
tit
Pacatum male callidus,
Incautum ut tacitis illaqueet do-
lis.
21 Non diducere deſinunt
Rictum riſu: Oculis (euge) ocu-
lis diem
Lætum vidimus, inquiunt.
22 O qui luminibus cuncta tuentibus
Terras reſpicis, hæc vides?
Ergo ſepoſita protege me mora:
23 Jam tandem evigila, & manu
Ultrice

Digitized by Google

Ultrice indomitam frange ſuperbiam;
24 Juſto & ſupplicio preme,
Vindex juſte, malos: neu ſine, de meo
Luctu lætitiam ferant:
25 Neu ſecum tacito pectore murmurent;
Evax, recte habet: omnia
Supra vota cadunt: vicimus, en jacet.
26 Fœda ignominia luant
Stultam lætitiam: dedecoris comes
Infamis pudor eluat
Importuna meis gaudia de malis.
27 At cordi quibus æquitas
Eſt noſtra, ac animus nil ſibi conſcius,
Vitam triſtitia procul
Lætam ſemper agant: ac Dominum ferant
Cœli ad ſidera laudibus,
Qui curis famulos liberat anxiis.
28 Semper juſtitiam mea,
Cuſtos ſancte hominum, lingua canet tuam,
Et præconia, dum mihi
Impellet calidus pectora ſpiritus.

PSAL. XXXVI. *Dixit injuſtus, ut delinquat*, &c.

1 UT exta flammis mille ſacrificis cremes,
Oſcula des ſaxis, ingemineſque preces,
Araſque donis largus accumules tuis,
Non facies tamen, ut te rear eſſe pium:
Scelera reclamant, & negant te credere,
Conſilio mundum qui regat, eſſe Deum.
2 Utcunque coram blandiare, non tamen
Impietas tacito pectore clauſa latet:
Erumpit ignis inſtar, ac tui trahit
Secum odium, atque odii perniciem comitem.
3 Quodcunque loqueris fraude tinctum eſt: reſpuis
Auribus ingratis qui potiora monent.
4 Scelus nefandum nocte tota cogitas:
Recta fugis: ſemper deteriora foves.
5 O magne rector orbis, indulgentiæ
Munera terra, fretum ſentit, & aſtra, tuæ.
Quæcunque cœlum amplectitur, parentia
Legibus orta vigent, lapſa caduntque tuis.
6 Modus æquitatis & tuæ ſapientiæ,
Cunctaque quæ fecit, cunctaque facta regit,
Longe nivoſis montium faſtigiis
Altior eſt, vaſti gurgitibuſque freti.
Humana gens hinc haurit auram & ſpiritum:
Nec pecudes coram præterie re tuam.
7 Hinc cuncta vitæ ſuppetunt nobis bona,
Dum mens corporeo carcere vincta latet.

Fœtus

Fœtus ſub alis volucris ut tegit ſuis,
Præſidii fugimus ſpe mala cuncta tui.
8 At exul animus morte liber patrium
Quum repetet limen ſidereamque domum;
Illinc egeſtas & dolores exulant:
Nemo feret votis non potiora ſuis.
Paſſim voluptas, pura paſſim gaudia:
Delicias largo flumine rivus agit.
9 Illic perenni vita fonte profluit,
Vita gravis fati non reſecanda manu.
Illinc fatiſcent mentium caligines,
Quæ modo ſub tenebris pectora noſtra premunt:
Vultuque radius purus effuſus tuo,
Lumine nos puræ cognitionis alet.
10 Benignitatis interim tuæ bonis,
Qui te cognoſcunt & tua facta, fove:
Qui mente pura veritatem diligunt,
Juſtitiæ facias commoda ferre tuæ.
11 Me nec feroci calcet arrogans pede,
Exigat aut tectis impia turba meis.
12 Qui ſcelere gaudent, ſcelere ſic ruant ſuo,
Perpetuo ut lapſos juſta ruina premat.

PSAL. XXXVII. *Noli æmulari*, &c.

1 NE livor urat æmulus
Te, ſi beatos videris
Pravos, nec Euris iis opes
Fugaciores invide.

2 Nam ſic faceſſit illico
Umbratilis felicitas,
Marcent comis arentibus
Ut falce ſecta gramina.

3 At tu Dei fiducia
Incumbe rectis artibus:
Diuque terram ut incolas
Donabit, ac te nutriet.

4 In hoc ſit oblectatio,
In hoc voluptas unica:
Is te fovebit jugiter,
Votique reddet compotem.

5 Committe vitam, rem, decus,
Illius uni arbitrio;
Animi tibi ex ſententia
Confecta reddet omnia.

6 Illuſtris auroræ ut jubar
Tua faciet ut ſit æquitas:
Ut luce virtus ſit tua
Meridiana clarior.

7 Perfer modeſte quod tulit
Fortuna læva: neu tumens
Ira impiorum proſperas
Res cerne torvo lumine.

8 Compeſce bilem, noxia
Faceſſat indignatio:
Ne fors nefarium ad ſcelus
Impellat æmulatio.

9 Eliminantur impii
Fumo levi velocius:
Terras modeſtus incolet,
Seriſque linquet poſteris.

10 Morare paullum, & impium
Nuſquam videbis: adſpice
Ædes, ſuperbi vix heri
Agnoveris veſtigium.

11 Mo-

11 Modeſta bonitas otio
Lætam ſenectam tranſiget;
Et incolenda hæredibus
Paterna linquet prædia.
12 Clam rete nectit impius,
Boniſque concinnat dolos:
Et dente frendens livido,
Dolore & ira ringitur.
13 Hæc cernit ex alto Deus,
Minaſque ridet irritas:
Quippe imminentem vertici
Cladem ſceleſto proſpicit.
14 Enſemque ſtringet improbus,
Arcumque tendet, pauperes
Ut perdat, ac innoxios
Figat ſagittis impiis:
15 Diſtrictus enſis in ſui
Domini redibit viſcera;
Frangetur arcus lethifer,
Et fruſtra acuta ſpicula.
16 Præſtat ſupellex ſobria,
Recteque parta recula,
Quam rapta per vim divitum
Faſtidioſa copia.
17 Male parta juſtus arbiter
Diſperget, & potentiam
Franget ſceleſti: dextera
Juſtum ſua tuebitur.
18 Innoxios fovet Deus,
Ac rem tuetur: providet
Longæva ut uſque in ſecula
Sit ſempiterna hæreditas.
19 Seu peſtis atra, ſeu furor
Turbabit orbem bellicus;
Nil deerit uſque innoxio,
Famem nec ægram ſentiet.
20 Sic hoſtis impius Dei
Perit repente funditus,
Adeps opimæ ut victimæ
Vaneſcit in fumos leves.
21 Nil donat, uſque & fœnerat
Injuſtus: at juſto ſua
De ſorte ſuperat paupere
Quod donet indigentibus.
22 Juſtorum amici prædia
Linquent ſuæ propagini:
At hoſtium radicitus
Semen peribit erutum.
23 Amatque juſtum, & dirigit
Ejus Deus veſtigia:
24 Dextra ruentem ſuſtinet,
Lapſumque dextra ſublevat.
25 Puer fui, nunc ſum ſenex,
Ope deſtitutum nec pium
Videre memini, nec ſtipem
Ejus petentes liberos.
26 Juſtus miſertus pauperum
Dat uſque & uſque mutuum:
Seræ tamen propagini
Non larga deeſt opulentia.
27 Vita ſcelus nefarium,
Sectare recta: dum diem
Sol fundet aureum, tui
Terras nepotes incolent.
28 Deus æquitatem diligit,
Bonos nec unquam deſerit:
At interibit funditus
A ſtirpe ſemen impii.
29 Juſtus beata jugera
Agri tenebit, & colet
Cum prole, donec ultimus
Inſtabit orbi terminus.
30 Sermo ſapiens & æquitas
In ore ſemper eſt bonis:
31 In corde ſcripta lex Dei,
Ne pes labet, greſſum regit.
32 Obſervat impius pium,
33 Ut perdat: aſt illum Deus
Cuſtodit, ante judicem
Tuetur a calumnia.
34 Spem colloca in Deo, Dei
Sectare leges: & dabit
Dives potenſque ut hoſtium
Cernas ſuperſtes exitum.
35 Vidi potentes impios,
Gravique faſtu turgidos,
Vireſcere inſtar laureæ
Amœna propter flumina.

Digitized by Google

36 Specto repente, en lubricæ
Imago nuſquam gloriæ:
Nuſquam manent veſtigia,
Cunctis gravis potentiæ.
37 Juſti intuere & integri
Vitæ ſtatumque & ordinem,
Videbis alto in otio
Lætam ſenectam degere.
38 At promta ſemper lædere
Prorſum interibit factio:
Vitamque claudet terminus
Dignus patratis nequiter.
39 Juſtus ſalutis collocat
Omnem in Deo fiduciam;
Qui fulcit æquos robore,
Adverſa cum ſors intonat.
40 Dominus petenti fert opem,
Et in periclis liberat
Ab impiis, qui ſe & ſuam
Illi ſalutem credidit.

PSAL. XXXVIII. *Domine, ne in furore*, , &c.

2 NE me furoris æſtuante incendio,
Servator orbis, argue:
Neu promerentem quamlibet pœnas graves
Pergas per iram plectere.
3 Hærent medullis penitus infixæ meis
Tuæ ſagittæ dexteræ.
4 Iræ tuæ hinc me, & inde mentis conſciæ
Sic vis paventem perculit,
Ut nulla plagis ſaucii pars corporis
Non langueat lethalibus:
Oſſa ut ſolutis artuum compagibus
Sceleris venenum attraxerint:
5 Sceleris, profundo quod meum, ceu gurgite
Caput reſorbens obruit:
Quod in alta rurſus me renitentem, velut
Immane ſaxum degravat.
6 Veteris cicatrix vulneris recruduit,
Vomitque tabem luridam.
7 Afflictus, humilis, ultimis premor malis,
Luctu ſituſque ſqualidus;
8 Clauſumque cæcis fervet in præcordiis
Ulcus, nec ulla corporis
9 Expers doloris pars vacat. Sic debilis
Et fractus uſque & uſque ſum,
Malis ut impar voce lamentabili
Cor ejuletque & rugiat.
10 Dominator orbis, vota nec animi mei,
Nec te latent ſuſpiria.
11 Pavens tremenſque turbidum cor palpitat:
Defecta membra viribus
Torpore marcent languido: noctem trahens
Caligat acies luminum.
12 Vicini, amici, & ſanguinis communio
Quos propior admorat mihi,
Procul abſtitere, fœditatem vulnerum
Vix ſuſtinentes cernere.
13 At promta ſemper in meum exitium manus,
Molita vim nefariam,
Doloſa tendit continenter retia,
Frandeſque verſat impias.

Digitized by Google

14 Ceu mutus ore, ſurdus aure, ego interim
Obtorpui ſilentio,
15 Elinguis inſtar & ſtupentis, crimina
Qui neſciat refellere.
16 In te repoſta eſt ſpes mea: o rerum potens
Rector benignus annue:
17 Ne riſus hoſti ſim ſuperbo, qui meis
Inſultat inſolens malis:
Qui, ſi vacillent lubrico lapſu pedes,
Læto triumphat gaudio.
18 Ad perferenda ſum paratus verbera:
Vibice ſemper area
Cruenta turget exarati corporis
Sulcis flagrorum grandibus.
19 Merui ſceleſtus, fateor, heu merui; nocens
Do jure pœnas debitas:
20 Sed invaleſcit hoſtis atrox interim,
Vireſque ſumit factio:
Vivunt vigentque, & immerentem injuria
21 Me proſequuntur: pro bono
Malum rependunt: jugiter calumnias,
Quia recta ſector, ingerunt.
22 Tu ne recede longius, neu deſeras
Periculis in ultimis.
23 Accurre: dextram da ſalutarem, meæ
Salutis auctor unice.

PSAL. XXXIX. *Dixi, cuſtodiam vias meas,* &c.

2 Quum ſævus hoſtis me meo lætus malo
Laceſſeret conviciis,
Mecum ipſe verbis abſtinere ab aſperis
Et jurgiis decreveram.
3 Linguæ obſeravi clauſtra freno, pertinax
Obmutui ſilentio:
Ac, temere ne quid os mali profunderet,
Verbis bonis clauſi exitum.
4 At, ignis inſtar, vetitus egredi dolor,
Exarſit intus acrius.
Tandem obſtinatæ frena pertinaciæ
Perfregit ira, ac talibus
5 Dominum rogavi: Mihi meæ vitæ modum
Qui ſit futurus indica:
Quando evolabo liber hoc moleſtiæ
Faſtidioſo e carcere.
6 Tu clauſa nullo ſecla degis termino,
In te beatus ac potens:
At nos quod ævi vivimus pene eſt nihil,
Ac pene brevius quam nihil;
7 Umbræ fugacis inſtar, atque imaginis
Quam reddit æquor vitreum:
Idque ipſum inani in vanitate atque anxiis
Ægreſcit in laboribus.
Animum libido torquet, inflat gaudium,
Spes tollit, ac timor premit.
Tumultuamur temere: congerimus bona
Incognitis hæredibus.
8 Quo me ergo vertam? quis laboranti feret
Opem? quis eximet malis?

Digitized by Google

9 Spes omnis in te: miſeriæ fontem meæ
Peccata tolle noxia.
Neve eſſe ſtultis me ſinas & improbis
Deſpectui & ludibrio.
10 Hoſtis protervi lingua me quum turpibus
Proſcinderet conviciis;
Obmutui, iræ vindices pœnas tuæ
Has eſſe gnarus ſcilicet.
11 Rector parenſque gentis humanæ, tua
Paulliſper aufer verbera.
Vireſque linquunt, vita nec ſemper novis
Plagis ferendis ſufficit.
12 Te perſequente ſcelera pœnis, illico
Vigor decorque defluit,
Tineis pereſæ more veſtis. O homo
Caduca res & futilis!
13 Parens benigne precibus aurem da meis:
Neu verba ſperne ſupplicis:
Neu lacrymanti averte vultus hoſpiti:
Namque hoſpes hanc terram colo:
Nec ego, parentes nec mei certum locum
Habemus hic: ſed in diem
Solliciti & horas,[1] turbidas tranſegimus
Vitæ brevis moleſtias.
14 Igitur ſeveram paullulum abſtine manum,
Feſſum ut reſumam ſpiritum:
Mortis priuſquam, reditus unde non patet,
Tranſmiſerit me janua.

PSAL. XL. *Exſpectans exſpectavi Dominum*, &c.

2 QUum circumfremerent me timor & minæ,
Intentanſque avidam mors fera dexteram,
Spes cœleſtis opis, ſera licet, tamen
Lenibat trepidam ſollicitudinem.
3 Advertit Dominus, meque voragine
Cœnoſi implicitum gurgitis extulit:
Ac ſaxi ſolidis impoſito jugis
Monſtravit facilem qua graderer viam.
4 Afflavitque novo pectora ſpiritu,
Suffecitque ſuæ materiam novam
Laudis, quam canerem dulce loquacibus
Nervis, ac numeris lene ſonantibus.
Hæc cernant rapidæ qui violentiæ
Fati vel dubiis caſibus imputant
Eventa; ac trepidi ſe Domini in fidem
Dent, qui ſtellifero regnat in æthere.

5 Fe-

[1] *Turbidas tranſegimus Vitæ brevis moleſtias.*] Major codicum pars, & iī fere antiquiores, *Turbidas moleſtias Vitæ brevis tranſegimus*. Sed quam nos ſecuti ſumus lectio venuſtior videbatur: magis tamen arrideret *tranſigimus*, ſi ſyllabæ modulus pateretur.

Digitized by Google

5 Felix, qui ſtabili ſpe Dominum ac fide
Spectat, quem tumidæ pompa ſuperbiæ
Non ad ſe illecebris ducit inanibus,
Fallacique boni ludit imagine.
6 In nos, ſancte parens, quot vigilantiæ
Et quam mira tuæ pignora ſuppetunt,
Quæ nec mens acie cernere languida
Poſſit, nec numero lingua retexere!
7 Aurem mi tacite vellis, & admones
Quod labem ſceleris nec pretium levet,
Nec ſanguis pecudis nil meritæ eluat,
Nec conſumta focis expiet hoſtia.
8 Tum dixi, Venio: quod libet impera:
Adſum, ſancte parens, juſſa capeſſere
Promtus: ceu tabulis ſcripta fidelibus
Edunt perpetui fata voluminis.
9 Huc mens, huc ſtudium tendit, uti tuis
Conformem monitis quæ gero, quæ loquor,
Quæ mecum tacitus cogito: nam tua
Inciſa eſt animo lex penitus meo.
10 Famam juſtitiæ per populos tuæ
Late præco fero: nec labiis meis
Nec linguæ requies, omnibus ut tua
Terris (ipſe vides) nota ſit æquitas.
11 Nec juſtum tacui te mala plectere,
Promiſſique tenacem, & miſeris opis
Largum: me bonitas indice gentibus
Cunctis facta palam eſt, & tua veritas.
12 [1] Defendant igitur me bonitas tua,
Promiſſique fides fallere neſcia:
Obſeſſumque malis innumeris tua
Me, rerum genitor, protege dextera.
13 Me pœnæ, capitis quæ ſuperent pilos,
Omni ex parte premunt, quas neque luminis
In promtu eſt acie noſſe: animus ſtupet,
Curarum innumeris obrutus æſtibus.
14 At tu, mundi opifex ſancte, ſalutifer
Adſis: auxilium fer cito, & ultimis
Oppreſſum penitus ſubtrahe me malis,
Ut pravi pudeat conſilii improbos.
15 Turpem ignominiæ triſtitiam ferant,
Tendunt exitio qui laqueos meo:
Infamem referant conſilii exitum,
Noſtris qui capiunt lætitiam e malis.
16 Hunc fructum ſceleris percipiant ſui,
In fraudem ut recidant, quam mihi ſtruxerant.

Eru-

[1] *Defendant igitur.*] Hart. anno 1615, *Defendat*: at obſtat carminis lex.

Fruſtratus doleatque & rubeat, meas
Qui ridet lacrymas, & fruitur malis.
17 Qui credunt fidei ſe penitus tuæ,
Illos auxilii ſpes recreet tui:
Ac ſemper Domini nomen amabile
Certent tergeminis tollere honoribus.
18 Exſpes, pauper, inops ſim licet, at mihi
Cuſtos rerum opifex pervigil excubat.
Vitæ o præſidium & certa ſalus meæ,
Adſis, neu trepida me crucia mora.

PSAL. LXI. *Beatus vir qui intelligit*, &c.

2 Beatus ille, qui miſertus pauperis,
Fert rebus in duris opem:
Nec arroganti deſpicit faſtidio
Proſtratum & oppreſſum malis.
3 Quem rere fractum, & penitus abjectum, Deus
Attollet, & ſolabitur.
Cura fideli Dominus illum muniet,
Et e periclis eruet:
Interque vivos ſoſpiti dabit frui
Vitæ beatæ commodis.
4 Artus cubili quum dolor proſtraverit.
Opem feretque, & lectulum
Verſabit: omnem prorſus ægritudinem
In dulce vertet gaudium.
5 Quum me doloris vis acerbi affligeret,
Opem popoſci te, Deus.
Animæ medere ſauciæ (dixi) ſui
Sceleris pudendo vulnere.
6 Dira imprecatur hoſtis, ac me devovet,
Lætus meis incommodis.
Quando interibit, (inquit) & cum corpore
Nox una nomen obruet?
7 Si forte quis me viſit horum, corporis
Animique morbis anxium,
Vultu dolorem fingit, ac ſuſpiria
Læto trahit de pectore:
Foras profectus conditum in præcordiis
Repente virus evomit.
8 In me ſuſurrat clanculum atque obmurmurat
Scelesta conſpiratio.
Clam machinantur ſæva, in exitium meum
Conſilia cuncta conferunt:
9 Secumque jactant; Miſſa certe cœlitus
Nunc dira vis mali hunc ligat:
Proſtratus hæret: lectulo affixus jacet,
Noctem trahens noviſſimam.
10 Quin & ſodalis, & mihi menſa & domo
Conjunctus, & cui maxime
Fidebam, ad hoſtes conferens ſeſe meos,
In me ferox recalcitrat.
11 At tu ſalutis auctor & cuſtos meæ,
Benignus in me reſpice:

Ma-

Digitized by Google

Manum jacenti da ſalutarem, hoſtibus
Parem ut rependam gratiam.
12 Tui favoris pignus id certiſſimum
Erit mihi, & conſtantiæ
In me tuendo, quod malis lætus meis
Hoſtis ferox non geſtiat.
13 Vires recepit corpus, innocentiam
Servavit animus, dexteram
Te porrigente, qui receperas tuam
Semper tuendum me in fidem.
14 Agnoſcat orbis unicum & colat Deum,
Quem gens honorat Iſaci:
Unumque laudet, temporum donec vices
Luces & umbræ divident.

PSALMORUM

Liber Secundus.

SPALMUS XLII. *Quemadmodum deſiderat cervus, &c.*

2 NON cervus fluvios ſic avet algidos,
(Cervus turba canum quem premit) ut tui
Cor deſiderio carpitur anxio,
Rerum conditor optime.
3 Huc me raptat amor dulcis, & impotens
Ardor ferre moras. O niveum diem,
Qui templo reducem me ſtatuet tuo!
O lucis jubar aureum!
4 Jejunus lacrymis pro dape ſe dolor
Paſcit, turba meis obvia dum malis
Illudens rogat, Heus iſte tuus Deus
Cur nunc deſerit exulem?
5 At rurſus bonitas quum ſubiit tua,
Et menti auxilii certa fides tui
Illuxit trepidæ, temporis illius
Me conſolor imagine:
Feſtis quum populus me reducem choris,
Fauſtiſque excipiet vocibus, & Dei,
Pompa cum celebri, me comitabitur
Auguſta ad penetralia.
6 Cur me ſollicitis teque doloribus
Mens ægra exanimas? pone metum, ac Deo
Te da: quo patriæ vindice reditus,
Grates ſoſpes adhuc agam.
7 Hæc mentem recreat ſpes, licet aviis
Jordanis lateam ſaltibus, Hermonis

Digitized by Google

Exul dura licet ſaxa perambulem,
Solis hoſpita belluis.
8 Quamvis agminibus me mala denſius
Omni ex parte premant, quam ſuper horridos
Montes grando ſonat, quam mare verberat
Raucis littora fluctibus:
9 [1] Tu me ſi placido lumine videris,
Cedent triſtitiæ nubila: tetricas
Mœroris tenebras diſcutiet mihi
Lucis dulce jubar tuæ.
10 Laudes interea non mihi nox tuas,
Non curæ impedient: O columen meum,
(Dicam) & certa ſalus, ludibrium feris
Cur me deſeris hoſtibus?
11 Dirumpor, tacitis æſtuat ignibus
Pectus, turba meis impia dum malis
Inſultans rogat: Heus iſte tuus Deus
Cur nunc deſerit exulem?
12 Cur me ſollicitis teque doloribus
Mens ægra exanimas? pone metum, ac Deo
Te da: quo patriæ vindice redditus,
Grates lætus adhuc agam.

PSAL. XLIII. *Judica me Deus, & diſcerne cauſſam meam*, &c.

1 VIndex eſto mihi Deus,
Et patrocinio protege me tuo,
Oppreſſum ſcelere impio:
Et fraudum laqueos frange nefarios.
2 Vitæ o præſidium meæ,
Cur me præſidio deſtituis tuo?
Cur luctu vagor obſitus,
Dum ſævæ furias vito tyrannidis?
3 Profer lumen opis tuæ:
Montem pande viam quæ ferat ad tuum:
Montem, quam proprie domum
Majeſtate tui numinis incolis.
4 Atque aram adveniam ad tuam,
Ac te, lætitiæ materiam meæ:
Et grata cithara tibi
Grates lætus agam, conditor optime.
5 Cur mœres anime anxie,
Ac me ſollicito pectore maceras?
Omnem pone metum, ac Deo
Curam crede tui, quem ſuper æthera
Cantu ſoſpes adhuc feram,
Quum ſalvus patriæ reddar amabili.

PSAL.

1 *Tu me ſi placido lumine videris.*] Ita Hart. anno 1621, quod & numeroſius nobis viſum: ita enim Pſal. LXXX, *Tu nos ſi placido lumine videris:* aliis autem omnibus, *Tu ſi me placido l. v.* legitur. Horat. lib. IV. Od. 3. unde hæc depromta ſunt, litem non dirimit.

Digitized by Google

PSAL. XLIV. *Deus, auribus noſtris audivimus*, &c.

2 VEtuſta ad aures fama noſtras attulit,
Scriſque patres poſteris
Stupenda facta tradidere a te, Deus,
Patrata priſcis ſeculis:
3 Eliminatis quum profanis gentibus,
Et incolis prioribus,
Eorum labore fructibuſque perfrui
Noſtris dediſti patribus.
4 Certe nec armis lucidis, nec viribus
Debemus has victorias:
Sed nos favoris aura mollis & tua
Protexit indulgentia.
5 Ergo, ſalutis auctor unice, o Deus,
Ades piis ſalutifer.
6 Te dante vires, hoſtium ferociam
Tam facile profligabimus,
Taurus minaci quam jacit cornu pilas,
Stipulæve faſces aridæ.
Superba Regum colla craſſo in pulvere
Proſtrata conculcabimus.
7 Non arcus iſtam lethifer fiduciam,
Non mucro ſævus ingerit:
8 Tu nos ab hoſte ſubtrahes, ſternes ſolo
Infenſa nobis agmina.
9 Non ergo ſemper jure te [1] cantabimus
Noſtræ ſalutis vindicem?
Ac donec orbis aſtra volvet ignea,
Te proſequemur laudibus?
10 At nunc relictos objicis ferocium
Injuriæ nos hoſtium,
Nec prodis ante noſtra ductor agmina,
Qualis ſolebas antea.
11 Hoſti imminenti terga cogis vertere,
Prædæque das prementibus.
12 Pecus ut macello deſtinata, exponimur
Cædentium libidini.
Omneſque terras barbararum gentium
Errore complemus vago.
13 Venum dediſti nos palam, nec auctio
Te ditiorem reddidit.
14 Vicina noſtris oppida inſultant malis,
15 Cladeſque rident: fabula
Sumus profanis nationibus: caput
Motant, labella exporrigunt.
16 Oculis oberrat uſque contumelia,
Pudorque vultus inficit:
17 Dum voce acerba injurias exaſperat,
Minaſque torvas adjicit
18 Hoſtis protervus. [2] Obruti tot cladibus,
Tot undequaque inſtantibus,
Tamen nec unquam eſt animus oblitus tui,
Tecumque pacti fœderis:

19 Seſe

1 *Cantabimus.*] Steph. Plant. Argent. *Laudabimus.*

2 *Obruti tot cladibus.*] Supplendum *licet ſimus*; quod duriuſculum videtur.

19 Seſe nec ullis territus periculis
Avertit aut flexit via
20 Recta pes: etſi penitus abjecti interim
Abs te: licet draconibus
Immitioris gentis addicti jugo,
Feramus umbram ergaſtuli;
Et ſervitutem lugeamus, & necem
Vitæ precemur tædio.
21 Iniqua meritis ſi tuis oblivia
Offuderint ſe mentibus
Noſtris, manuſve ſupplices protendimus
Diis impiarum gentium;
22 Id te lateret, abditas qui pectoris
Prorſus latebras inſpicis?
23 Te propter, odio cæteris populis ſumus,
Et inſtar ovium cædimur.
In te favoris pendimus pœnas: tui
Amoris odia nos premunt.
24 Exſurge, ſimilem ſomnolentiæ moram
Salutis auctor corripe.
25 Cur ora condis, immemorque negligis
Tuos malis in ultimis?
Afflictus animus, & malis præſentibus
Laſſus, futuris anxius,
26 Succumbit oneri: ſtrata tabeſcunt humi
Defecta membra viribus.
27 Exſurge genitor, & vigore corporis
Animique caſſos ſubleva:
Clemens bonuſque nos ab hoſtis impii
Immanitate libera.

PSAL. XLV. *Eructavit cor meum verbum bonum*, &c.

2 COr micat, exſultant trepidis præcordia fibris,
Eructantque novum gravido de pectore carmen:
Certat lingua animum fando, manus æmula linguam
Scribendo exæquare, meo nova carmina Regi
3 Dum cano: Regi, hominum cui nemo e ſemine cretus
Audeat eximiæ contendere munere formæ:
Quem decorat lepor, & roſeis affuſa labellis
Gratia: cui rerum cœli indulgentia ſpondet
Hunc fore perpetuum longæva in ſecla tenorem.
4 Ergo, armis invicte heros, age, fortibus apta
5 Enſem humeris: enſem, per quem te gloria cœlo
Æquat; & adverſum fidens fer pectus in hoſtem.
Frena tibi currus Verum moderetur & Æquum,
Et quæ præcipitem Clementia temperat iram.
His ducibus tibi ſurget honos, tua dextera factis
Clara per ignotas fundet miracula terras,
6 Cordaque vulnificis figens inimica ſagittis,
Sponte tibi coges validas procumbere gentes.
7 Nec maris aut terræ ſpatium, nec terminus ævi
Finiet imperium, ſceptri moderamine juſti

Quod

Digitized by Google

Quod regis, & leges mollis clementer acerbas,
8 Te ſuper æquævos omnes regnator olympi
Diligit, & læto vultum exhilaravit olivo:
Unde tui mulcent populi nova gaudia mentes,
9 Pallia quum loculis tibi depromuntur eburnis,
Et myrrhæ paſſim lacrymæ, ſtactæque ſuävis
Halitus, & molles caſiæ funduntur odores.
10 Ancillæ apparent genus alto e ſanguine Regum
Inter honoratas promtæ ad tua juſſa miniſtras.
At Regina, thori conſors, tibi dextera adhæret,
Auro picta ſinus, auro radiata capillos,
Miſit ab Eois Ophyre quod flava caminis.
11 Tuque adeo Regina audi, & rem pectore conde:
Nec mea dicta nega placidas demittere in aures:
Jam nunc & patriam & patrem obliviſcere, jam nunc
Ex animo caros penitus depone propinquos:
Unum oculis ſpecta, unum animo complectere Regem:
Regem oculis animoque, tuo qui pendet ab ore,
Unius & pulchris defixus vultibus hæret.
12 Hunc dominum agnoſce, & ſupplex venerare: nec ille
13 Officio ſtudioque tibi concedet: & illa
Undarum regina Tyrus te murice & auro
Accumulans colet: & vicina per oppida late
Procumbent tibi ſuppliciter gaziſque potentes,
Aut opibus clari: meritumque ſeretis honorem
14 Hunc populi. Pharii proles generoſa tyranni
Tota decens, tota eſt gemmiſque inſignis & auro:
Et facies cultum illuſtrat, facieque decora
15 Pulchrior eſt animus. Tibi, Rex, en ducitur uxor,
Dives opum, dives pictai veſtis & auri,
Virginibus comitata ſuis, de ſtirpe propinqua;
Virginibus, quas pompa frequens clamore ſecundo
16 Inſequitur, plauſuque fremens lætæque choreæ
Cantibus auguſtam lætas deducet ad aulam.
17 Neu deſiderio nimium tangare tuorum
Virgo, tibi dulcem patriſque & matris amorem
Leniet adnaſcens ſobolis generoſa propago:
Quos regere imperio terras, totumque per orbem
Adſpicies populos ſceptris frenare ſuperbos.
18 [1] Nec tu carminibus Regina tacebere noſtris:

Qua-

1 *Nec tu carminibus Regina tacebere noſtris.*] Ita omnes libri, præter duas Londinenſes, Tho. Vautrollerii *ſcil*, anno 1580, & Alex. Julii 1640, quibus *Nec tu carminibus, Rex magne, tacebere noſtris*,

ſcri-

Quaque patet tellus liquido circumſona ponto,
Poſteritas te ſera canet: dumque aurea volvet
Aſtra polus, memori ſemper celebrabere fama.

PSAL. XLVI. *Deus noſter, refugium & virtus*, &c.

2 QUum muniat nos præſidio ſuo,
Virtute firmet, cum gravis intonat
Procella, fortunæ periclis
Eripiat dominator orbis,
3 Nullam expavemus vim: quatiat licet
Orbem tumultus, terraque ſedibus
Convulſa, montium ruinis
Arctet aquas pelagi frementis:
4 Inſana quamvis æquora ſæviant,
Et verticoſo gurgite torqueant
Spumamque limumque, & procellis
Terrificis ſcopulos flagellent.
5 Nam civitatem, cui Deus unice
Indulget, aris & propriam ſuis
Dicavit, algenti pererrans
Lympha fugax hilaret liquore.
6 Occulta ne vis aut timor hoſticus
Urbis quietem ſollicitet, Deus,
Gentis ſuæ intentus ſaluti,
Prævenit auxiliis pericla.
7 Gentes tumultus concitet impias.
Et regna belli concutiat furor.
Flammis fremat cœlum coruſcis,
Terrificet labefacta tellus:
8 Hac & duelli, pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus,
Munimen, & noſtræ ſalutis
Præſidium, Deus Abrahami.
9 Venite, adeſte, & cernite non prius
Audita, mira, incognita, quæ Deus
Patravit in terris ab ortu
Solis ad Heſperium cubile.
10 Funeſta belli incendia ſuſtulit:
Fregit cruentæ ſpicula lanceæ:
Contrivit arcus, & volucres
In cinerem minuit quadrigas.
11 Sedate motus mentis, ait Deus,
Meaſque vires noſcite, quem colet
Quocunque ſub cœlo repoſtas
Gens hominum colit orbis oras.
12 Hac [1] & duelli, pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus,
Munimen, & noſtræ ſalutis
Præſidium, Deus Abrahami.

PSAL.

ſcriptum eſt, & forte rectius: hæc enim ab omnibus fere interpretibus ad JESUM CHRISTUM referuntur.

1 *Hac & duelli.*] Steph. Plant. Argent. *Hac is duelli.*

PSAL. XLVII. *Omnes gentes plaudite*, &c.

2 TElluris omnes incolæ
Deo canoros edite
Plauſus, canoris [1] pangite
Læti Deum præconiis:
3 Deum verendum & arduum,
Maliſque formidabilem,
Qui regna faſtu turgida
Frenat potenti dextera:
4 Qui bellicoſa compulit
Parere nobis oppida:
Noſtrumque gentes inclytas
Armis coëgit ſub jugum:
5 Hæreditatem qui ſuam
Nobis colendam credidit;
Unde Iſaci nepotibus
Æterna fulget gloria.
6 En templa ſcandit prævio
Lætum canente claſſico:
En ſcandit auctor omnium
Vulgi ſecundis plauſibus.
7 Cantate læta carmina
Deo, canora carmina
Cantate: Regi pſallite
Jucunda veſtro carmina.
8 Qui ſceptra rerum temperat,
Ac regna terræ dividit:
Docti modorum dulcibus
Hunc ferte in aſtra cantibus:
9 Qui dirigit mortalium
Res, & ſalubri vinculo
Legum coërcet, lucido
E ſiderum prætorio.
10 Ad hunc potentes gentium
Se contulere principes:
Ultroque colla ſub jugum
Rerum dedere præſides.
Noſtrum Deum diis cæteris
Sublimiorem agnoſcite,
Cœlum, ſolumque, & ſidera
Suo regentem numine.

PSAL. XLVIII. *Magnus Dominus & laudabilis*, &c.

2 REctor beate cœlitum, cui nil viget
Simile aut ſecundum, cœlitum
Beate rector, ſancta jure te Sion
In aſtra tollit laudibus:
3 Sion opacam verſa ad Arcton, regia
Formoſa Regis optimi:
Sion voluptas gentium, uberis ſoli
Arvis beatis accubans.
4 Senſere Domini vindicis potentiam
Solymæ ſuperba mœnia:
5 Senſere numen, quum feroces viribus
Coiere Reges, copiis
Caſtriſque junctis, ſervitutem civibus
Tuis minati & vincula.
6 Perſtrinxit oculos intuentium ſtupor,
Et horror artus perculit:
7 Quales tremores querulus excitat dolor
Vexante partu fœminas:

8 Pa-

[1 Neſcio an auctore bono hanc locutionem adſerere poſſet Buchananus. Mihi numquam lectam fateor, nec verbi proprietati ſatis convenire videtur, *Deum pangere præconiis*. Videant doctiores. utitur eadem locutione infra Pſalm. LXXI. & XCVI. & alibi.]

8 Pavorque trepida ſparſit attonitos fuga,
Euri procella ut æquora
Excita [1] ab imis penitus evertens vadis,
Trepidas carinas diſſipat.
9 Hæc facta priſcis rettulere ſeculis
Parvis parentes liberis:
Hæc nos in urbe vidimus Dei, ratis
Qui frenat orbem legibus;
Hæc urbe in illa vidimus, cui pervigil
Deus ipſe cuſtos excubat.
10 O ſancte rerum genitor, in rebus malis
Tuam advocamus dexteram:
Tu as ad aras ſupplices advolvimur.
11 O rector orbis optime,
Tua laus per oras ultimas mundi, & tuæ
Imago fulget gloriæ
12 Et æquitatis. Te ſceleſtos verbere
Plectente juſto, geſtient
Colles Sionis: nec feret tacitum ſuum
Judæ propago gaudium.
13 Ite, & Sionem obambulate, mœnia
Spectate, turres arduas
14 Numerate, foſſam & aggerem intuemini,
Moleſque celſas ædium.
Narrate natis, poſterorum ut audiant
Et obſtupeſcant ſecula:
15 Solumque noſcant & colant noſtrum Deum,
Ortuſque finiſque inſcium;
Qui ſempiternus ſempiterna nos ope
A fraude vique proteget.

PSAL. XLIX. *Audite hæc omnes gentes*, &c.

2 Audite gentes, ortus & occidens
Advertite aures, & medio dies
Quos torret axe, & qui vitreum ſolum
Ponti nivali finditis orbita.

3 Au-

1 *Excita ab imis.*] Mire hic variant codices: duæ enim Stephanorum fratrum editiones, anno 1565, & 1566; duæ Ch. Plantini, anno 1566, & 1567. Argentorat. anno 1566, & Londinenſis anno 1620, habent

Verrens ab imis penitus excitum vadis.

Idem quoque præfert editio Rob. Stephani an. 1575, niſi quod *exitum* pro *excitum* legatur. Editio autem Rob Stephani 1580, Ja. Stoer 1591, tres Fr. Raphelengii, 1595, 1603, & 1609, And. Hart. 1615, Iſ. Elz. 1621, Gideonis Lithgo 1660, & aliæ,

Excita ab imis penitus everrens vadis.

At Elzev. 1628, Janſonii 1640, Amſt. 1665, Joan. Cairns 1677, Lond. 1686, Wetſtenii 1687,

Excita ab imis penitus evertens vadis:

quam nos lectionem ſequendam duximus, nixi præcipue illo Virgilii Æn. 1. v. 43.

Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;

& illo v. 129.

Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis.

quæ Buchanani animo, cum hæc ſcriberet, obverſata videntur. Editio denique Londinenſis Tho. Vautrollerii anno 1580. ab omnibus longe recedit: in qua tamen haud ineleganter legitur,

Euri procella ut æquoris
Undas ab imis penitus attollens vadis.

[Sine dubio *everrere* huic loco non convenit, quia de procella agitur, quæ *evertit* æquor. *Verrunt* & *everrunt* mare remiges. Vid. Heinſ. ad Ovid. I. Amor. IX. 14 qui tamen ad Metam. XI. v. 499. etiam *verrere* tribuit tempeſtati, cui in edendo obſecutum me fuiſſe pœnitet.]

Digitized by Google

3 Audite, ſive ignotus, & Infima
De plebe pauper, ſive opibus potens,
Multaque fulges plebe clientium,
Aurique gazis ditibus incubas.
4 Fontes recludam jam ſapientiæ:
Plenoque promam pectoris e penu
5 Prudentiam: jam lingua recondita
Oracla geſtit carmine pandere.
6 Cur congerendis me cruciem bonis,
Famemque & acrem pauperiem timens,
Ut vita curis anxia triſtibus
Me triſtiorem trudat ad exitum?
7 Gemmis & auro & murice divites
Superbientes adſpice, qui ſibi
Gaudent beato plaudere ſomnio,
Tutoſque fluxis credere ſe bonis.
8 Germanus auro non redimet ſuum
9 De morte fratrem: ¹ nec pretio Deum
Doniſve flectet fata retexere,
Ut membra liquit frigida ſpiritus.
10 Sed nec perennes interitus moras
Dives paciſci, nec potis eſt putres
Ne ſolvat artus tempus edax: vetat
Id lege dura fixa neceſſitas.
11 Mors æqua ſtultis & ſapientibus
Intentat arcum: par manet exitus
Vitæ hos & illos: occupat improbis
Ignotus hæres parta laboribus.
12 Villæ ſuperbæ delicias breves,
Luxuque ſtructas regifico domos
Linquunt: ſepulchrique irremeabilis
Tenebricoſis ſub latebris jacent.
Quid fama duris parta laboribus
Prodeſt? inanis quid tituli decus?
Quid aura blandæ laudis, & ambitus
Nomen futuris prodere ſeculis?
13 Quum vani honoris ver breve floruit,
Lethale ſpirans mortis hiems, viros
Et bruta raptans interitu pari,
Oblivionis nube pari premit.
14 Hac ſtulti ierunt: hanc male providos
Ducet nepotes error in orbitam:
15 Quos mors ſepulchri ſub ſcrobe conditos
Depaſcet, imbelles ut oves lupus.
Æterna cœli temperies pios
Manes fovebit lucis in aureæ
Splendore: qualis mane fluit nitor
Per prata vernis picta coloribus.
Stultis ſenectus robora deteret,
Pro ſumtuoſis buſtum erit ædibus:
16 At me benignus de barathri cavo
Specu remiſſum ſuſcipiet Deus.
17 Nec te cupido ſauciet æmula,
Stuporve, ſi quem videris impia

De

1 *Nec pretio Deum.*] Editt. Julii & And. Harti anno 1621, *Non pretio Deum.*

De plebe fluxis conſpicuum bonis,
Clarumque multa fulgere gloria.
18 Quum dexteram mors illacrymabilis
Injecit, ex tam divite copia
Secum ſub umbras nil feret: & comes
Inſida buſtum gloria deſeret.
19 Dum commeantis pectora ſpiritus
Hauſtu caleſcunt, perfruitur bonis,
Seſeſque curat molliter, & monet
Omnes eundem pergere tramitem.
20 At quum parentes ceſſerit ad ſuos,
Longum dolebit ſtultitiam brevem,
Ad regna tractus lucis egentia,
Quæ ſemper horror nubilus obſidet.
21 Rectrix honoris ni ſapientia
Acceſſerit, brutis homo beſtiis
Nil intereſt: quos vita facit pares,
Exſpectat æque inglorius exitus.

PSAL. L. *Deus Deorum Dominus locutus eſt*, &c.

1 QUi frenat æquis legibus arbiter
Superba [1] Regum colla minacium,
Vocabit in jus orbem ab ortu
Solis ad Heſperium cubile.
2 Vultu verendo [2] tum ſacer ardua
Pulchræ Sionis de ſpecula loquens,
Ad gentis humanæ coactum
Concilium Deus ora ſolvet.
3 Non facta ſemper, non ſinet impia
Impune graſſari, veniet Deus:
Flammæ vorax illum antecedet
Vis rapidis agitata ventis.
4 Teſtes vocabit, cum populo ſuo
Acturus, ignes, lumine conſcio
Qui cuncta deſpectant ab alto, &
Omniparæ ſola vaſta terræ.
5 Adeſte primum gens mihi propria,
Gens ſancta, (dicet,) cui ſuper hoſtiis
Legem dedi rite offerendis,
Perpetuum pepigique fœdus.
6 Hîc æquitatem judicis igneus
Miratus æther, juſtitiam Dei
Annunciabit: nam ſedebit
(Ne dubita) Deus ipſe judex.

7 Audi

1 *Regum colla minacium.*] Non *minantium*, quod adverſus meliorum membranarum fidem Horat. lib. 2. Od. 12. (unde hæc noſter mutua deſumſit) nuperis editionibus receptum ægre fert Criticorum Princeps Rich. Bentleius.

2 *Tum ſacer ardua.*] Quidam *Deum* haud recte *ſacrum* dici exiſtimabunt, quod, juxta Popmam de Differ. verb. inanima tantum *ſacra*; *ſancta* autem tam animata quam inanima proprie appellentur. Verum optimi etiam ſcriptores hanc diſtinctionem haud raro neglexerunt, Liv. lib. III. *Quibus ipſi Dii neque ſancti ſunt.* Et Horat. lib. IV. Od. 9. *Carent quia vate ſacro.*

7 Audi Abrahami progenies boni,
Peculiaris gens mihi: te voco,
Teſtem benignitatis in te
Perpetuæ, & ſoliti favoris.
8 Non arguam te, quod mihi victimæ
Cruore raro altaria ſparſeris,
Aut parcus armenti cremaris
Rara ſacris holocauſta flammis.
9 Non taurum egens te de ſtabulis peto,
10 Hircumve caulis: omne pecus meum eſt,
Quod montium anfractus pererrat,
Quod nemorum tegitur latebris.
11 Nec me volucris rupis in edito
Uſquam receſſu nidificans latet:
Non ulla picturato amictu
Ruris avis genialis hoſpes.
12 Quod ſi eſurirem, ſcilicet ut petam
A te neceſſe eſt, arbiter ætheris
Terræ, fretique, & quicquid ingens
Orbis habet gremio [1] capaci.
13 Taurine veſcor carnibus, aut bibo
14 Hirci cruorem? pectore candido
Grates age, & quovis litabis
Rite Deo ſine cæde voto.
15 Tum deprehenſus rebus in aſperis
Securus implora: auxilium feram,
Grates ut accepta ſalute
Lætus agas, Dominumque laudes.
16 At impium ſic alloquitur Deus;
Qua fronte leges tu recitas meas?
Et ore ſanctum impurus audes
Sacrilego memorare fœdus?
17 Tu legum habenis impatiens regi,
Et inſtitutis, moribus & bonis
Juratus hoſtis, voce laudas,
Tecum animo mea verba rides.
18 Cum fure furti conſilium cois,
Mœchis adulter te ſocium applicas:
19 Ad probra projectus, doloſa
Perniciem meditare lingua.
20 Cum fratre juncti vincula ſanguinis
Oris procacis non rabiem premunt:
Infamia germanum eodem
Dedecoras utero creatum.
21 Et arbitraris me ſimilem tui,
Quod perpetrata hæc diſſimulaverim?
Ne crede: tecum expoſtulabo,
Ante oculos tua facta ponam.
22 Conſiderate hæc vos, quibus excidit
De mente cæca mentio numinis:
Ne, quum prehendam, nemo fit, qui
De manibus mihi prenſa tollat.
23 Si victimam vis magnificam mihi
Mactare, laudes canta, age gratias:
Hac itur ad certam ſalutem,
Hæc ſuperos via pandit axes.

PSAL.

1 *Gremio capaci.*] Steph. Plant. Argent. *Gremio triformi.*

15 Tum meo exemplo moniti ſceleſti,
Quos via flexit maleſuadus error,
Denuo legum duce me tuarum
Juſſa capeſſent.
16 Expia noxa mihi ſoſpitator
Cædis infandæ caput obligatum, ut
Te canam juſtum, pariterque lapſis
Parcere largum.
17 Tu viam vocis mihi pande: mutum
Tu Deus linguæ moderare plectrum:
Tum feram late tua magna gentes
Facta per omnes.
18 Victimæ ſi te caperent, dediſſem
Victimam: ſed te neque ſanguis hirci
Fuſus, aut ſacris holocauſta placant
Addita flammis.
19 Pœnitens fraudum ſcelerumque pectus,
Spiritus fracti, mala cor peroſum,
Hæc Deum placant: adhibe hæc, & abſque
Thure litabis.
20 Gentis humanæ bone dux, Sionem
Quo ſoles vultu facilis tuere:
Pace florentes Solymæ beatæ
Protege turres.
21 Tum tibi votis bona mens pudicis
Sacra perſolvet: ſacer hircus ignes
Paſcet, & ſanguis vituli calentem
Imbuet aram.

PSAL. LII. *Quid gloriaris in malitia?* &c.

3 QUid gloriaris, impie
Tyranne, pravis artibus?
Innoxiis clementia
Divina ſemper excubat.
4 Tua lingua ſemper fraudibus
Intenta comminiſcitur
Nefas, nitente cotibus
Acutior novacula.
5 Te prava rectis plus juvant,
Plus falſa veris recreant:
6 Doliſque peſtilentibus
Libenter aurem commodas:
7 Ergo Deus te conteret,
Hominumque contubernio
Eliminabit, ac domum
Evertet omnem funditus.
8 Juſtus videbit, & gravem
Dei pavebit dexteram:
Vanaque dignos exitus
Ridebit impotentia.
9 En ille gazis (inquiet)
Maliſque fidens artibus,
Securus ille numinis,
Divinæ opis nil indigens.
10 Ego, ceu virens olivula,
Domini in agello conſita,
Florebo, ſpe fretus bona
Cœleſtis indulgentiæ.
11 Te ſemper in cœtu pio
Fraudis ſceleſtæ vindicem
Canam, & tuæ clementiæ
Spe dura cuncta perferam.

Digitized by Google

PSAL. LIII. *Dixit inſipiens in corde ſuo*, &c.

2 OPinionum fœda mentem toxico,
Corpuſque ſcelerum ſordibus
Contaminata turba, vela dum cupit
Suo furori obtendere,
Ferri ac referri ſortis arbitrio omnia
Humana comminiſcitur.
Ergo exſoluta numinis formidine
Dat frena turpitudini:
Sceleſta, fœda, abominanda excogitat,
Excogitata perpetrat.
3 Ex arce celſa ſiderum deflexerat
Dominus in orbem lumina,
Si quem videret forte non penitus malis
Corruptum opinionibus,
Qui mentis oculis omnium fideliter
Rerum parentem quæreret.
4 Erroris omnes nubili fallacibus
Fraus illigarat caſſibus:
Se cuncti eiſdem polluere ſordibus,
Nec recta cuiquam curæ erant.
5 Ergo ille mitis, ille munificus parens,
Ira incitatus aſpera,
Gens (inquit) iſta plena ſcelerum ac ſordium,
Crudelis animo, & impia,
Quæ panis inſtar devorat plebem meam,
Ecquando cognoſcet Deum?
Ecquando mentis [1] lumine in periculis
Agnoſcet orbis arbitrum?
6 Certe timebit non timenda, & conſcius
Vexabit horror pectora.
Nam Dominus oſſa conteretque, & hoſtium
Auſus retundet impios.
Vultum pudoris turpibus ſparget notis:
Turbabit animum infamia.
7 En unquam Eoo lucifer ſalutifer
Ab axe promet hunc diem?
Ab arce Dominus quum Sionis ardua
Speratam opem feret ſuis,
Patriæque vinclis liberos hoſtilibus
Reddet nepotes Iſaci:
Electa laudes illius [2] gens ut canat
Perfuſa vero gaudio.

PSAL. LIV. *Deus, in nomine tuo ſalvum me fac*, &c.

3 RErum parens me protege,
Et ſævo ab hoſte libera,
Nomen boni ut colant tuum,
Et vim paveſcant impii.
4 Audi benignus ſupplicem,
Nec durus aurem queſtibus
5 Occlude: vitæ nam meæ
Crudelis hoſtis imminet.

In-

[1] *Mentis lumine.*] Editio Hen. & Rob. Stephani 1565. & 1566. Argent. Plant. *mentis oculis.*

[2] *Illius gens.*] Steph. Plant. Argent. *gens illius.*

Infeſtus hoſtis imminet
Vitæ meæ: nec vindicem
Dei potentis dexteram
Sibi imminentem reſpicit.
6 Rerum ſed æquus arbiter
Opem feret: periculis
Me liberatum fulciet,
Et ſoſpitem tuebitur.
7 Suis peribit artibus
Sceleſta fraus, & incident
In ipſa cæci retia,
Quæ clam mihi tetenderant.
8 Liber periclo, victimis
Te munerabor: te canam
Patrem, bonis placabilem,
Maliſque formidabilem:
9 Qui libero moleſtiis
Mihi dediſti gaudia
Haurire læto lumine
De clade gentis perfidæ.

PSAL. LV. *Exaudi Deus orationem meam*, &c.

2 COElitum rector bone, mitis aurem
Admove in rebus trepidis vocanti,
Neu meos vultu tetrico ſeverus
Deſpice queſtus.
3 Adſpice attentus mihi quo tumultu
Æſtuet pectus: gemitu dolores
Quo fremant, dum vis mihi frauſque ſævi
Imminet hoſtis.
4 Imminet ſævus capiti tyrannus,
Et meæ famæ meditatur atrox
Crimen, & ſecum furit impotenti
Turbidus ira.
5 Cor micat, nervis trepidant ſolutis
6 Oſſium nexus, animus labaſcit,
Semper & pallens oculis oberrat
Mortis imago.
7 Ergo ſic mecum loquor: O quis altos
Nubium in tractus celeri columbæ
Me levet penna, nemorum & remotis
Siſtat in antris!
8 Ut procul cura trepida metuque
Montium ſolos habitem receſſus,
9 Ocyor ventis ferar & coruſci
Fulminis alis.
10 O Deus linguas male perde pravas,
Illitas linguas gelido veneno:
Quæ dolis, probris, rabidiſque vexant
Litibus urbem.
11 Sive lux fundat radios micantes,
Sive nox fundat tenebras opacas,
Excubant muris maledicta, vicis
Omnibus errant.
12 Vis, furor, fraudes, ſcelerum libido
Obſidet cunctos aditus viarum,
Et fames auri miſeram trucidans
Fœnore plebem.
13 Si palam ſævos inimicus enſes
Stringeret, ſi clam laqueos pararet,
Dente ſi famam peteret maligno,
Æquior eſſem:
14 Tu mihi inſultas comes & ſodalis,
15 Teſtis arcani taciturni, & auctor
Conſilî, ſacræ totieſque junctus
Fœdere menſæ.

Digitized by Google

16 Gentis humanæ moderator, orbem
Qui ſalutari regis æquitate,
Fraudis auctores ſcelerumque vivos
Obrue terra.

17 At mihi attentam dabis æquus aurem,

18 Sive lux promat radios ab undis,
Sive lux condat radios ſub undis
Veſpere ſero.

19 Inter hoſtiles dabis ut tumultus
Tutus evadam: mihi nam ſuperbis
Viribus fretus numeroque ſævus
Imminet hoſtis.

20 O potens rerum, ſine fine pœnis
Tu premes juſtis ſcelus impiorum,
Arrogans pectus quibus obſtinata
Intumet ira.

21 Pace qui ficta ſimulant amicæ
Mentis affectus, animoque virus
Occulunt, priſco neque facta curant
Fœdera ritu:

22 Lacteus blando fluit ore rivus:
Bella cor ſpirat fera, ſuaviorque
Balſamo ſermo ſecat inſtar enſis
Vulnere cæco.

23 Tu tui curam Domino relinque,
Is tuos greſſus reget, is dolores
Leniet, juſtumque ope ſublevabit
Rebus in arctis.

24 Impio, fallaci, avidoque cædis
Fila mors rumpet viridi in juventa:
Me tui, rector bone, ſpes favoris
Certa fovebit.

PSAL. LVI. *Miſerere mei Deus, quoniam*, &c.

2 ORbis creator me bonus adſpice,
Injurioſo quem pede prorutum
Hoſtiſque conculcat, premitque
Aſſiduis agitans periclis.

3 Conculcat hoſtis me numero ferox,
Et inſolenti ſævitia premit:
Nec liberas luces laborum,
Nec vacuas ſinit ire noctes.

4 Seu luce terror ſollicitus mihi,
Seu nocte circumſtat, pater optime,
Spes rebus in duris mihi una,
Et columen ſuperas ſalutis.

5 Te fretus uno, pollicitis tuis
Innixus unis, nec metuam dolos
Mortalium cæcos, minaſque
Terrificas, & aperta bella.

6 Calumniantur quæ loquor omnia,
Pravaque carpunt facta libidine:
Huc conferunt omnem laborem, ut
Exitium mihi moliantur.

7 Cœtuſque cogunt, capiti meo,
Qua fraude, qua vi, jugiter imminent:
Veſtigia obſervant, nec horam
Inſidiis vacuam relinquunt.

8 Impune tantam nequitiam ferent?
Pravique fructum conſilii legent?
O arbiter mundi, nec illos
Præcipites agis in ruinam?

9 Meæ

Digitized by Google

9 Meæ labores tu numeras fugæ:
Urna repoſtas tu lacrymas meas
Servas: apud te certa conſtat
Uſque mei ratio doloris.
10 Aurem vocanti tu facilem mihi
Das, atque inanes ſpes facis hoſtium:
Et ſigna non obſcura amici
Das animi, & ſtabilis favoris.
11 Te fretus uno, pollicitis tuis
Innixus unis, nil metuam dolos
Mortalium cæcos, minaſque
Terrificas, & aperta bella.
12 Te ſemper ergo carmine patrio
Laudabo, vitæ præſidium meæ:
13 Ex hoſtium ferro doliſque
Incolumis tibi vota reddam:
14 Te liberatus vindice, te meum
Firmante greſſum, ne titubent pedes,
Dum ſpiritus fovebit artus,
Juſſa ſequar tua, rector orbis.

PSAL. LVII. *Miſerere mei Deus, miſerere mei, &c.*

2 SAncte parens, miſerere animæ pereuntis, & omnem
In te ſalutis quæ locavit ſpem ſuæ:
Meque tuis alis tectum defende, procellæ
Dum ſævientis impetus deferveat.
3 Te voco, te (ſolum in rebus quod reſtat egenis)
Appello, ſupplex & tuam imploro fidem.
Te voco, qui cumulata mihi promiſſa refundes,
Et cœpta duces proſperos ad exitus:
4 Qui mihi ſubſidium e cœlo præbebis, & hoſtis
Jamjam imminentis liberabis faucibus:
Qui dabis auxilium ex adyto ſublimis olympi,
Memorque fidei & priſtinæ clementiæ.
5 Inter enim ſævos habito feritate leones:
Flammam vomentes verſor inter belluas,
Lingua quibus ſævo proſcindit acutius enſe,
Dentes ſagittis lanceæque cuſpide.
6 O Deus, auguſtum celſo caput exſere cœlo:
Oſtende terris gloriæ jubar tuæ.
7 Explicuere meis pedibus ſua retia: terræ
Me ſævus hoſtis penitus afflictum premit.
Et ſcrobibus foſſis iter obſedere: ſed ipſi
Mihi paratas in ſcrobes cæci ruent.
8 Mens [1] invicta malis, animi vigor integer, orbis
Te voce rector, te celebrabit lyra.
Eia age depoſitis mens expergiſcere curis,
Et tu canora barbitos cum nabliis.
9 Ocyus auroræ quam lucifer excitet ignes,

Aurora

[1] *Mens invicta.*] Steph. 1565 & 1566. Argent. Plant. *Mens infracta.*

Digitized by Google

Aurora cantus quam volucrum exſuſcitet;
10 Te, pater alme, canam: populos tua facta per omnes,
Quacunque tellus panditur, vates feram.
11 Nam tua ſiderei bonitas faſtigia cœli,
Fideſque tractus nubium ſupervolat.
12 O Deus auguſtum nitido caput exſere cœlo,
Oſtende terris gloriæ jubar tuæ.

PSAL. LVIII. *Si vere utique juſtitiam loquimini*, &c.

2 QUi jura celſo de ſolio datis,
Qui frena legum flectitis, en erit
De plebis ut cauſſis egenæ
Judicio ſtatuatis æquo?
3 Quin mente prava nequitiam & dolos
Verſant, ſub umbra juſtitiæ tegunt
Injuriam: factis honeſti
Objiciunt ſpeciem pudendis.
4 Materna ab alvo flagitii viam
Senſim ſequuntur: perque ſuos gradus
Obliqua ſectandi libido
Cum teneris adoleſcit annis.
5 Lingua venenum peſtifera gerunt:
6 Aureſque claudunt conſiliis, velut
Obturat aures callida aſpis,
Quæ magicos metuit ſuſurros.
7 Confringe malas, o Deus: impudens
Os comminutis contere dentibus:
Et rictibus ſævis hiantes
Hos inhibe catulos leonum.
8 Emiſſa fracta cuſpide ſpicula
Intercidant, nec vulnera perferant:
Ipſique vaneſcant repente,
Per bibulas velut unda arenas.
9 Senſim liqueſcant, tardigradus velut
Limax: acerbo funere deſerant
Vitale lumen, more fœtus
Ante ſuum pereuntis ortum.
10 Florentis ævi in lumine, turbinis
Vis atra tollat progeniem, prius
Quam ſurculus ſpinas tenellus
Exſerat, & ſtimulis acutis
Fœcunda late brachia porrigat.
11 Juſtique pœnæ vindicis exitum
Læti videbunt, impiique
Sub pedibus fluvium cruoris.
12 Vitæ bene actæ gens hominum ſciet
Manere juſtos præmia: at impios
Manere pœnas, arbitrumque
Eſſe Deum ſciet orbis æquum.

Digitized by Google

PSAL. LIX. *Eripe me de inimicis meis*, &c.

2 AB hoſtis inclementia
Me rector orbis aſſere:
Defende vim crudeliter
Me ſemper oppugnantium.
3 Ab improbis me protege
Lætis cruore innoxio,
4 Meæ ſaluti per dolum
Qui cæca tendunt retia.
5 Ultro immerentis in caput
Conſilia cuncta conferunt:
6 Exſurge, teque peſſimis
Fer obviam conatibus,
O arbiter mortalium,
Et agminum cœleſtium,
Favore ſemper qui pios
Peculiari amplecteris,
Exſurge, pœnis impias
Compeſce gentes: perfidis
Neu parce, qui ſibi favent,
Neſanda quum patraverint.
7 A ſole Eoo ad Heſperum
Perambulabunt compita,
[1] Et inſtar oblatrantium
Canum feroces obſtrepent.
8 Nihil niſi merum crepant
Ferrum, cruorem, vulnera:
Et quæ loquuntur propalam,
Clam poſſe rentur obrui.
9 Meæ ſalutis tu Deus
Tutela præſens, irritas
Ridebis iras, & tua
Me dextera tueberis.
10 Tu [2] robur es meum, meæ
Vires, & arx fiduciæ.
Ergo quieto pectore
Exſpecto ſpe tui auxili.
11 Diſcrimina imminentia
Ope antevertes: & malis
Fracta hoſtium ſuperbia,
Læto fruar ſpectaculo.
12 Ne prorſus impios tamen
Una ruina elimina,
Oblivioſo ne pii
Torpore recta negligant:
Sed error illos diſſipet
Vagos per orbis ultimas
Oras: tuaque dextera
Semen piorum protege.
13 Ob oris arrogantiam,
Viruſque linguæ noxium,
Mendacia & perjuria,
Conſume ſemen impium:
14 Evelle ſtirpe ab ultima
Juſti furoris impetu,
Ut norit orbis ultimus
Deum bonorum vindicem.
15 A ſole Eoo ad Heſperum
Perambulabunt compita,
Et inſtar oblatrantium
Canum procaces obſtrepent.
16 Paſſim vagati, pauperem
Victum ut parent, ſub veſperum
Serum petant cubilia,
Victus egentes pauperis.
17 Ego interim Deum canam,
Fortem, bonumque in aſperis
Rebus ſuorum vindicem,
Fidumque propugnaculum.
18 Deum canam, qui robore
Me fulcit, auget viribus,
Benignitate ſublevat,
Tuetur [3] arx ut ænea.

PSAL.

1 *Et inſtar oblatrantium.*] And. Hartus anno 1621, *Et inſtar oberrantium*: at metrum repugnat.

2 *Tu robur es meum.*] Hi quatuor verſus deſunt in utraque editione Stephanorum, anno 1565, & 1566. Plant. Argent. & Rob. Steph. 1575.

3 *Tuetur arx ut ænea.*] In quatuor Stephanorum editionibus, Plantiniana, Argentoratenſi, & Tho. Vautrollerii Lond. 1580. legitur *Tuetur ut arx ænea*: at metro repugnante.

Digitized by Google

PSAL. LX. *Deus repuliſti nos*, &c.

3 SAncte parens, noſtris vitiis offenſus, abactos
Preſſoſque duris diſſipaſti nos malis:
Placatus mitiſque veni, jamque immemor iræ
Salutis auctor ad tuos revertere.
4 Omnis ager rimis te concutiente dehiſcit:
Committe rimas, refice quaſſatum ſolum.
5 Dura tuæ genti ſpectacula ferre dediſti
Inebriatæ poculo formidinis:
6 At trepidos tandemque animi miſeratus egenos,
Signum ſalutis efferes: qui te colunt,
Veridicis freti oraclis, formidine merſum
Erigere rurſus audeant ut verticem:
7 [1] Eripiaſque tuos gelidi formidine lethi
Præſens, & opifer invocantes audias.
8 Audiit, ex adytoque Deus flammantis olympi
Vocem rependit gaudii prænuntiam.
En tibi frugiferos Sichimæ diſpertiar agros:
Vallem Sucothi metiar decempeda.
9 Nonne mihi parent Jacobi pignora, quiſquis
Vel pecore tondet arva, vel vomere ſecat?
10 Oppida ſub pedibus Syriæ calcabo ſuperbæ,
Moabum, Idumen, & Palæſtinas domos.
11 Quis mihi pandet iter munitas ductor ad arces?
Muros Idumes divitis quis diruet?
12 Quis? niſi tu noſtræ gentis, Deus unice, tutor,
Qui nos premendos hoſtibus reliqueras,
Offenſus vitiis pravis: nec in arma ruentes
Noſtros præibas dux, ut ante, exercitus.
13 Nunc pater auxilium rebus bonus adfer in arctis:
Humana fallax credulos ſpes decipit.
14 Te duce, victrici decorati tempora lauro,
Pedibus prememus hoſtis arrogantiam.

PSAL.

1 *Eripiaſque tuos gelidi formidine lethi*] Forte legendum *e formidine*: ſecus enim *eripio* Dativum fere poſtulat. [Habuit forte auctores ſuos Buchananus; nam dativum & ablativum infinitis aliis verbis promiſcue adjungi, quia ipſi caſus fere iidem habebantur, noverat. ſic *vindicare metu, periculis*. de quibus ad Vellej. Pater. II. 28. *ſervari periculis* idem cap. 82. *eripere domo* apud Terent. Adelph. II. 1, pro ex domo, ablativo in caſu poteſt eſſe poſitum. nec ignoravit Buchananus cum dativo conſtrui hoc verbum. ut patet ex Pſalm. LXXI. ſed uſus eſt Poëtica licentia, & variavit aliquoties. ut Pſalm. CXIX. in Coph. *Fauce mortis eripe*. ſic Pſalm. CXVI. *erutus morti* dixit pro *morte*, & idem Pſalm. XLI. & CXXI. *e periclis eruet*.

PSAL. LXI. *Exaudi Deus deprecationem meam*, &c.

2 Audi vocantem me bonus, & meis
Intentus aurem da precibus; Deus.
3 Projectus oris orbis in ultimis,
Ad te recurram rebus in aſperis.
Me ſiſte rupis culmine in arduo
4 Procul periclis: ſemper enim tui
Spe fretus, hoſtis tutus ab impetu,
Munitæ ut arcis præſidio fui.
5 Tentorio fac ſemper ut in tuo
Degam, ſub alis protegar & tuis:
6 Qui lenis aurem das precibus meis,
Qui vota lætum ducis ad exitum.
Frenare ſceptris te metuentium
7 Hæreditatem das mihi: regiæ
Tu longa vitæ tempora porrigens
Nectes peractis ſecula ſeculis.
8 Securus ut te perpetuo colat
Rex, liberalem porrige dexteram
Fortuna in omni: quaque ſoles fide
Fac ut fruatur pollicitis tuis.
9 Ac tum periclis liber ab aſperis,
Te voce, dulci te cithara canam,
Pacti tenacem, & munificum tuis;
Et vota ad aras perpetuo feram.

PSAL. LXII. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea*, &c.

2 Mens acquieſcit unice mea in Deo:
Hinc ſpes ſalutis, arduis
3 In rebus arx hæc: tutus hoc munimine
Nullum tremiſcam ad impetum.
4 Quouſque tectis fraudibus ſubvertere
Innoxium tentabitis?
Pœnas daturi mox & ipſi, improvidi
Jamjam imminentis exitus,
Proni in ruinam incumbitis, ceu mœnia
Saxis ſolutis putria:
5 Et interim omnes corporiſque & ingenî
Vires eo contenditis.
Vobis placetis fabulis vanis, gradu
Turbetis impii ut pium.
Clam devovetis corde tacito, propalam
Laudatis ore ſubdolo.
6 At tu acquieſce mens mea in Deo tamen:
Hinc ſpes ſalutis, arduis
7 In rebus arx hæc: tutus hoc munimine
Nullum tremiſcam ad impetum:
8 Spes inde vitæ & gloriæ pendet meæ,
Et roboris fiducia.
9 Quocunque cœlî gens colis ſub ſidere,
Huic crede rem, ſobolem, domum:

Omnes ad illum mentis ægritudines,
Et læta defer & refer:
Semperque præſens numen ejus omnibus
Adeſſe cœptis ſenties.
10 Ventoſa regum & principum potentia
Eſt vanitate vanior,
Adeoque fumo levior: ut ſi principum
Hac lance vires omnium,
Inanitatem hac colloces, cunctis ſimul
Inanitas præponderet.

11 Ne firma ſpera parta per vim: ne nimis
Confide ſtultis viribus.
Opes abundant affluenter? ne bonis
Da rebus animum credulum.
12 Semel eſt profeſſus, nec ſemel tantum Deum
Id profitentem audivimus,
Se poſſe ſolum cuncta, ſe ſolum bonum,
Et arbitrum rerum unicum:
13 Bonis benignum ſemper & placabilem
Maliſque formidabilem.

PSAL. LXIII. *Deus, Deus meus, ad te,* &c.

2 DEus, ſalutis auctor & cuſtos meæ,
Te veneror roſeus quum fugat aſtra dies.
Te mens anhelat, membra ſitiunt languida,
Terra velut pluvias arida quærit aquas.
Quamvis arenas aridas æſtu colam,
3 Præſentem Dominum mens videt uſque meum;
Non aliter adyta arcana quam ſi conſpicer,
Numinis adſervant quæ monumenta tui.
4 Nec dulcis æque eſt [1] vita quam benignitas,
Qua vitam munis proſequeriſque meam.
5 Ergo remotis diſſitus quamvis locis,
Præſidio tutus te celebrabo tuo:
Tui ſonabunt nominis præconia,
Quæ dederis vitæ tempora cunque meæ.
6 Nec victus æque recreat corpus, tua
Excitat ut mentem laus celebrata meam.
7 Tu nocte carmen, mane tu carmen mihi es:
8 Tu trepido præſens fers mihi ſemper opem.
Securus alis conquieſco ſub tuis:
Teque procul curis & tua facta canam.
9 Te quærit animus, te colit, te deperit:
Tu valida fulcis me, pater alme, manu.
10 At qui laborant per nefas me perdere,
Conſiliis pravis digna ruina premet.

11 Ferto

1 *Eſt vita.*] Contra metri legem, in quatuor Stephanorum editt. Plant. & Argent. legitur, *vita eſt.*

11 Ferro profundent ſpiritum nefa-
rium:
Membra dabunt avidis dila-
nianda lupis.
12 Rex lætus autem vindicem agno-
ſcet Deum,

Et quicunque Dei numina ri-
te colunt.
Metu ſtupentes conticeſcent im-
pii,
Spe ſtolida fluxis qui tumuere
bonis.

PSAL. LXIV. *Exaudi Deus orationem meam*, &c.

2 Audi, ſancte parens, non te-
tricus preces
Te poſcentis opem rebus in aſpe-
ris:
3 Et fallacis ab hoſtis
Vitam fraudibus eripe.
Pravorum tacitis factio me do-
lis
Oppugnat; trucibus conſiliis fre-
munt,
Conſpirantque ſcelesti:
Tu me dux bonus eripe.
4 [1] Linguas ceu gladios exacuunt
ſuas:
Oris peſtiferi verba nefaria
Intentant, medicata
Tanquam ſpicula toxico;
5 Ut rectos animi ex inſidiis pe-
tant:
Et ſecuri avida mente coquunt
nefas:
Nec quenquam malefacti
Formidant fore vindicem.
6 Deſignant animis horrificum ſce-
lus,
Et ſævo laqueos conſilio parant:
Inter ſeque loquuntur,

Nemo conſcius hæc ſciet.
7 Cor, mens, ingenium, conſi-
lium, labor,
Huc tendunt, faciés ut ſcelerum
novas
Et fraudum meditentur:
Hoc unum ſtudium fuit.
8 Aſt illos ſubiti cuſpide ſpiculi
Incautos feriet magna Dei ma-
nus,
Et lethalia certa
Figet vulnera dextera.
9 Spectantes gelidus corripit timor,
Auctori exitium quum videant
ſuæ
Dirum immittere linguæ
Viroſæ mala toxica.
10 Gens humana tuæ robora dexte-
ræ
Agnoſcet, meritis laudibus effe-
ret:
Et mirabitur altæ
Lumen perſpicientiæ.
11 Juſti ſpes animos eriget, & Dei
Tutus præſidio lætitia fremet:
Et gaudentia corda
Vero ſimplice geſtient.

PSAL. LXV. *Te decet hymnus, Deus, in Sion*, &c.

2 TE manent laudes, Deus, in
Sione:
Hic tibi caſtis operata ſacris

Vota gens ſolvet tua, victimiſ-
que
Imbuet aras.

3 Qui-

1 *Linguas ceu gladios exacuunt ſuas*] Iſta quinque e libris meis exhibent; reliquis omnibus *ſuos* editum eſt.

3 Quique tam præſens tibi ſupplicantum
Exitus votis tribuas ſecundos,
Te petent gentes ſub utroque mundi
Axe jacentes.
4 Noſtra nunc juſtis ſcelerata facta
Nos premunt pœnis: facilis querelis
Tu tamen flecti, mala ſervitutis
Vincula franges.
5 O quater, pluſquam quater, o beatos,
Quos leges, lectos facies amicos:
Ut colant puri tibi dedicati
Atria templi.
Illa lux felix, cumulata cunctis
Lux bonis, pectus ſatiabit ægrum
Gaudio, quæ nos reduces ſacrata
Siſtet in æde.
6 Annues noſtris facilis querelis,
Finium terræ Deus ultimorum
Spes, & extremas maris ambientis
Gurgite terras.
Tum ſtupor mentes quatiet tuentum,
O Deus, noſtræ columen ſalutis,
Te malis durum, miſeris benignum,
Omnibus æquum.
7 Tu potens rerum, validiſque pollens
Viribus, firmas ſtabili catena
Montium tractus, jugaque inquietis
Tunſa procellis.
8 Tu maris nigris agitata ventis
Terga componis: cohibes rebelles
Gentium motus, placidaque mutas
Pace tumultus.
9 Ultimi rerum tua ſigna norunt
Et [1] pavent fines, quoties coruſcis
Turgidum flammis fremuit ſonoro
Murmure cœlum.
Quique Phœbæos habitant ad ortus,
Et quibus ſera face Phœbus undas
Tingit, auctorem te hilares fatentur
Lucis & umbræ.
10 Tu ſolum terræ ſitientis imbrem
Lætus inviſis, gravidæque nubis
De ſinu fundis genitale pigros
Semen in agros.
Alveus pleno tibi ſemper amne
Turgidus læta novat arva fruge,
Floribus campos, nemorum virentes
Fronde receſſus.
11 Rore tu leni ſola contumacis
Maceras terræ, ſubigiſque glebas:
Ebrios ſulcos viridante amictu
Meſſis inumbras.
12 Qua feres greſſus, renovabis annum
Fertilem frugum: vegetanſque fœtus
Per cavas valles riguoſque ſaltus
Impluet humor.

13 Ge-

1 *Et pavent.*] Steph. 1565, 1566, & 1575. item Plant. & Argent. *Et colunt*

13 Geſtiet pauper tugurî colonus,
Lacte diſtentas comitans capellas:
14 Mugient colles, & amica feſſis
Silva juvencis.
Spes aratoris cupidas fovebit
Fluctuans latis ſeges alma campis:
Ut canat feſta tibi feriatus
Carmen in umbra.

PSAL. LXVI. *Jubilate Deo omnis terra*, &c.

1 INcolæ terrarum, ab ortu
Solis ultimum ad cubile,
Eia Domino pſallite.
2 Eia Domino jubilate:
Nomen ejus, numen ejus
Ferte in aſtra laudibus.
3 Dicite illi: Rector orbis
Sancte, quam ſtupenda rerum
Eſt tuarum gloria!
Quanta virtus, qua protervos,
Mente fracta, cogis hoſtes
Supplices procumbere!
4 Te parentem læta honoret,
Te potentem prona adoret
Tota rerum machina.
Voce blanda te canamus,
Barbito dulci ſonemus,
Carminumque cantibus.
5 Eia adeſte, facta cunctis
Cernite admiranda ſeclis:
Acriterque expendite.
Facta providi parentis,
Facta Domini conſulentis
Arte mira ſervulis.
6 Vertit æquor æſtuoſum
Aridæ in campos arenæ:
Fluminis per alveum
Agmen ire gratulantum,
Ceu per arva ſicca, fecit,
Stante fluctu languido.
7 Frenat unus orbem habenis
Sempiternis: intuetur
Et pios & impios.
Nec ſinit ſibi rebelles,
Viribus fretos ſuperbis,
Improbis votis frui.
8 Laus Deo noſtro per omnes
Orbis oras: omnis unum
Laudet illum natio.
9 Morte liberavit unus
Nos propinqua: fulcit unus
Liberos firmo gradu.
10 Igne ut aurum, examinaſti
11 Nos periclis: illigaſti
Hoſtium nos caſſibus.
12 Vincla lumbis, frena malis
Sub tyrannis induiſti
Impotentis imperî:
Sed per ignes, ſed per undas,
Divitis tamen dediſti
Uber agri exercitis.
13 Ergo ſupplex introibo
Templa, victimaſque cædam:
14 Vota ſupplex offeram,
Vota duris in periclis
15 Nuncupata: pinguis agnus,
Cornigerque agni parens,
Bos & hircus ſanguine aras
Imbuent: nec thura deerunt
De Sabæo ſtipite.
16 Dum Dei benignitatem
Explico in me, cuncti adeſte,
Qui Deum veremihi:
17 Audiit ſtatim vocantem:
Nos vocantes audientem
Proſequamur laudibus.
18 Conſcios ſceleris nefandi
Supplicantes rector orbis
Aure ſurda reſpuit:
19 At mihi lenis bonuſque
Supplicanti ſemper aurem
Non ſeveram commodat.

20 Gra-

10 Gratias ago parenti
Optimo, qui ſe roganti
Aſperum non præbuit:
Qui ſua benignitate
Deſtitutum non reliquit
Rebus unquam in aſperis.

PSAL. LXVII. *Deus miſereatur noſtri*, &c.

2 ARbiter mundi, placidus bonuſque
Parce delictis, ſolito & favore
Terra fac lætis ſegetem pecuſque
Nutriat arvis:
3 Nota per terras bonitas ut omnes
Sit tua, & noſtræ ſtudium ſalutis,
Mente quos curas patria, tegiſque
Rebus in arctis.
4 Ut tuas laudes populi per omnes
Prædicent terras, bonitatis uſque ad
Terminos rerum celebretur omnes
Fama per urbes.
5 Omnis exſultet locus, omnis ætas
Geſtiat plauſu & fremitu ſecundo,
Res quod humanas modereris æqui
Juris habenis.
6 Ut tuas laudes populi per omnes
Prædicent terras, bonitatis uſque ad
Terminos rerum celebretur omnes
Fama per urbes.
7 Si tuæ genti faveas benignus,
Conditor mundi bone, meſſis agros
Veſtiet, vites oleæque colles,
Gramina campos.
8 Si tuæ genti faveas benignus,
Conditor mundi bone, te pavebunt
Et colent gentes ſub utroque mundi
Axe jacentes.

PSAL. LXVIII. *Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici*, &c.

2 O Qui perpetuis orbem moderaris habenis,
Placidos bonus exſere vultus;
Impietaſque exoſa tuas, pater optime, leges,
Tremefacta repente faceſſet,
3 Ut levis in tenues fumi vapor effugit auras,
Ut cera liqueſcit ab igni.
4 At lætis pia turba animis ſua gaudia plauſu
Teſtabitur, & tibi, rerum
5 Sancte parens, pæana canet, qui lucida cœli
Veheris ſuper aſtra, nec ævi
Incluſus ſpatiis, æternis legibus orbem
Æternus & ipſe gubernas.
6 Te canimus læti, & lætos renovamus honores,
Qui celſi e vertice mundi

Reſpi-

Digitized by Google

Reſpicis humanas curas: & patribus orbos
Pueros, viduaſque maritis
7 Proſequeris patrio affectu: qui prole beata
Steriles ſolare hymenæos:
Compedibus vinctos ſolvis: populi arva rebellis
Bibulis obducis arenis.
8 Iſacidæ Nilo quum, te ductore, relicto,
Arabum per inhoſpita ſaxa
9 Errarent, tremuere ſoli penetralia: cœlum
Maduit ſudoris anheli
Imbribus: a vultu Domini conterrita duræ
Tremuere cacumina Sinæ.
10 Arva ſibi ſelecta bonus rigat imbre benigno:
Et quum labefacta fatiſcunt,
11 Confirmat, recreatque afflicta: ſuoque fruenda
Dat habere gregi: nec egenam
12 Temporibus duris virtutem deſerit. Arma
Trepida formidine belli
Quum quatient animos, lætum celebrare triumphum
Teneris dabit ille puellis:
13 Sufficietque ſuas in laudes carmina: reges
Numeroſo milite freti
Terga dabunt, latebraſque petent: ſpoliiſque fruetur
Imbellis turba relictis.
14 Veſtra licet ſomno ſternantur corpora nigræ
Inter fuliginis ollas,
Illa tamen vincent nitidam candore columbam
Rutilæ cervicis honore:
Quæ nunc argentum nitidum, nunc lumina blandum
Radiantis provocat auri.
15 Quum Deus omnipotens traduceret agmina regum
Longo ſpectanda triumpho,
Squalida quæ luctu & tenebris Solyma ante jacebat,
Nivea tum luce refulſit.
Ceu nive vicinos inter candentia colles
Salmonis culmina fulgent.
16 Uſque ſibi Baſan placeat, jactetque ſuperbus
Faſtigia proxima cœlo:
17 Ne tamen herbiferos ſaltus, ne paſcua ſacro
Auſit conferre Sioni:
Quam propriam pater omnipotens in ſecula ſedem
Legit, lectamque tuetur:
18 Ille pater quem cœlituum tot millia currûm,
Equitum tot millia ſtipant.

Digitized by Google

Sive ille excelſæ vehitur per culmina Sinæ,
    Sua ſeu ſacraria viſit:
19 Seu ſcelerum vindex celebri petit aſtra triumpho,
    Captivaque colla catenis
Vincta trahit: victæ paſſim donaria gentes
    Cumulant: paullo ante rebelles,
Poplite nunc flexo venerantur templa Sionis.
20 Igitur celebramus honores
Jure tuos, nullam nobis qui munere lucem
21 Vacuam ſinis ire: ſalutis
Unica ſpes noſtræ: nempe unus frena gubernas
    Vitæ, irremeabilis Orci
Unus clauſtra tenes, & nutum fata ſequuntur.
22 Inimicos vulnere certo
Tu figis, longa ſcelerum tu ſorde ſepultis
    Lethali tempora plaga
23 Dividis. At caros ſic conſolaris amicos,
    Extremo a littore ponti
Vos ego crudeli incolumes ex hoſte reducam,
    Rubri ceu trans freta ductos
Æquoris a ſævo incolumes ſervavimus Ogo.
24 Cæſorum in ſanguine regum
Tingent [1] crura: canes hoſtilia vulnera lambent:
25 Lætæ ſpectacula pompæ
Adſpicient, pater alme: tuo, pater alme, triumpho
    Plaudent tua templa petentes.
26 Anteibunt qui voce canant, qui cymbala pulſent,
    Citharæ tuba juncta, tubæque
Tibia, quæque tuas celebrent, fortiſſime, laudes,
    Doctæ pulſare puellæ
27 Tympana: te populi cœtu fremituque ſecundo
    Et plauſu ad ſidera tollent:
Iſacidæque tuas in laudes ora reſolvent:
28 Juvenis [2] de ſtirpe creatus
Benjamini, Judæque aderit generoſa propago.
    Neque clarus Zabulo deerit,
29 Nephthalidæque duces. Nam tu tua juſſa ſequutis
    Vireſque animoſque miniſtras:
Claraque victrici das tempora cingere lauro.
30 Solymæ victoria præpes
Ex adytis volat. Ego ferent tibi munera reges,
    Atque ad tua templa ferentes
31 Mu-

1 *Tingent.*] Quatuor Stephanorum editiones, Plant. Argent. *Tinges.*

2 *Juvenis de ſtirpe creatus.*] Editiones Stephanorum, anno 1565 & 1566. Plant. Argent. *Juvenis de ſtirpe propago.*

31 Munera, te ſuper aſtra ferent. Tu freta ſagittis
Lethalibus agmina fundis:
Tu forteſque domas dextras, animoſque rebelles.
Humiles tibi pendere cogis
Vectigal fractoſque duces, avidique cruoris
Vindex populi agmina perdis.
32 Quique bibunt Nilum, qua mergitur æquoris undis,
Quique ipſo fontis in ortu,
Accurrent, pacemque petent, opulenta ferentes
Tibi munera ſupplice dextra.
33 Regna hominum celebrate Deum: date carmina Regi,
Qui templa gubernat olympi
34 Æterna æternus: cujus mortalia cuncta
Vocem tremefacta paveſcunt.
35 Hunc fortem celebrate, unique accepta referte
Bene geſti proſpera belli.
Cujus in Iſacidis reſplendet gloria, cujus
Teſtantur robora nubes:
36 Cujus ab arcano templo venerabilis horror
Stupefacta in pectora manat.
Iſacidum Deus ille, Deus qui robore nervos,
Animoſque vigore ſuorum
Implet: ei laudes Jacobi dicite proles:
Etenim Deus ille deorum eſt.

PSAL. LXIX. *Salvum me fac, Deus, &c.*

2 SAncte parens fer opem laſſo: torrentibus undis
Pene obruerunt me malorum flumina.
3 Pes nequit in molli veſtigia figere limo:
Pronumque inundans vertici fluctus rapit.
4 Dum clamo, arentes urit ſitis arida fauces:
Spectando laſſa torpuere lumina.
5 Me vexant odiiſque premunt immanibus hoſtes,
Plures inumbrant quam capilli tempora.
Inque dies creſcunt numero: &, ceu rapta rependam,
Bene parta per vim cogor illis reddere.
6 Simplicitas tibi nota mea eſt, bone conditor orbis,
Meæque teſtis ſemper innocentiæ es.
7 Fac, pater alme, bonis ne ſint mea damna pudori,
Dum te colentes clade cernunt opprimi.
8 Te propter maledicta tuli & ludibria vulgi:
Te propter ora turpis infecit pudor.
9 Me vitant fratres, & eadem e matre creati

Me ceu ſceleſtum abominantur filii.
10 Uror, & ira coquit penitus præcordia, leges
Tuoſque ritus impii quum negligunt.
In tua quæ jactant probra & convicia ſacra,
In me recurrunt, corque vulnerant meum.
11 Si fleo jejunus, ſi macero pectora curis,
Rident, probriſque proſequuntur lacrymas.
12 Si tegor incultos ſaccis ſqualentibus artus,
Fio repente fabula & ludibrium.
13 Me ſalibus petit e portæ ſtatione ſenectus:
Et ebrioſæ ſum tabernæ cantio.
14 Interea curis, genitor, confectus acerbis,
Ad te recurro: tu benignus reſpice.
O genitor, ſine fine bonus, ſine fraude fidelis,
In rebus arctis da ſalutarem manum.
15 Erige pene luto abſorptum: da figere greſſum:
Crudelis hoſtis [1] me eripe impotentiæ.
16 Neu rapiat torrentis aquæ violentia, neu me
Mergatve gurges, aut vorago abſorbeat.
17 Sancte parens, nullos cujus clementia fines
Novit, vocantem & deſtitutum reſpice.
18 Ne faciem ſervo avertas, qui rebus egenis
Supplex opem orat: ſubito miſerum ſubleva.
18 Mitis ades: ſerva hanc animam, ut pudor obruat hoſtes,
Qui ceu relictum me enecant conviciis.
20 Tu [2] teſtis mihi probri ignominiæque ſuperbæ:
Tu teſtis hoſtes quam proterve illuſerint.
21 Cor dolor urebat: ſocius mihi nemo doloris,
Nemo dolorem qui levaret anxium.
22 Dulcia felle mihi tingebant fercula amaro:
Pro vino aceti porrigebant pocula.
23 Ergo victum illis vitient aconita viciſſim:
Mœrorque læta obnubilet convivia.
Unde ſibi placidæ promittunt otia pacis,
Hinc ſemen illis pullulet diſcordiæ.
24 Caligent oculi, & nutent veſtigia: vires
25 Elumbe corpus deſerant. Iram tuam
Sic meritos effunde ſuper: tuus hauriat illos
26 Furor: colonis tecta vidua mœreant:
Qui deſerta habitet tentoria nemo ſuperſit,

27 Quia

1 *Me eripe.*] Utraque Stephanorum fratrum editio, duæ Plant. & Argent. *eripe me.*

2 *Tu teſtis mihi probri.*] Steph. 1565, 1566, utraque Plant. & Argent. *Tu teſtis probri mihi.*

27 Quia perſequuntur dextera afflictos tua.
Afflictos miſeroſque procaciter inſultantes,
Verbis acerbant vulnera atque injuriis.
28 Tu fine, peccatis cumulent peccata, nec unquam
Dulcem æquitatis ſentiant fructum tuæ.
29 Impia de tabulis viventum nomina dele:
Tuos nec inter hos recenſe filios.
30 Me tenuem afflictumque tua, pater optime, dextra
Erige, locoque ſiſte tutum in arduo.
31 Hic ego carminibus rerum ſuper aſtra parentem
Tollam, & celebri gratias in cœtu agam.
32 Gratius hoc illi eſt, quam ſi cadat hoſtia ad aram
Vitulus tenellus jam coniſcans cornibus.
33 Adſpicient mites, & pectore gaudia volvent,
Deum colentum læta corda geſtient.
34 Audit enim Dominus tenues, nec deſpicit ægros
Ob nomen ejus vinculis coërcitos.
35 Unum igitur tellus colat hunc, & pontus, & æther,
Et quicquid æther, terra, pontus continet:
36 Qui facit incolumem pulchram florere Sionem,
Urbeſque Judæ mœnibus cingit novis:
37 Metiturque ſuis rura ante inculta colonis,
Tenenda blandis quæ relinquant liberis:
Quæ placida teneat ſeries in pace nepotum,
Quicunque Domini nomen & numen colunt.

PSAL. LXX. *Deus in adjutorium meum intende*, &c.

2 O Deus, præſens ades, & periclis
Me præſentibus eripe:
O Deus, duros propera labores
Confeſtim auxilio ut leves.
3 Qui meam quærunt animam, erubeſcant,
Fœdam ignominiam ferant:
Et fuga turpi doleant, malignis
Qui me conſiliis petunt:
4 Terga dent, fuſos pudor ut perurat,
Qui rident gemitus meos.
5 Teque clementi & placido fruantur,
Qui gaudent placitis tuis.
Qui ſalutis ſpem poſuere in uno
Te certam penitus Deo,
Gaudeant, ſemperque canant, Perennis
Majeſtas & honor Deo.
6 Sunt meæ vires & opes puſillæ:
Sed tu me, Deus, adjuva.
Tu meæ vires, mea ſpes, opeſque:
Feſtinus fer opem mihi.

Digitized by Google

PSAL. LXXI. *In te Domine ſperavi, non confundar,* &c.

1 IN te ſalutis ſpem poſui meæ,
Fac me perennis ne pudor obruat.
2 Audi vocantem lenis, & eripe
Hoſtis cruenti me violentiæ.
3 Vitæque cuſtos & columen meæ,
Turriſque rebus ſemper in aſperis,
4 Nunc turris eſto & perfugium mihi,
Et ſævientum ſubtrahe dexteræ
5 A vi ſceleſtæ ſubtrahe dexteræ
[1] Pendentem ab uno ſubſidio tuo:
Et qui juventæ tutor eras meæ,
Orbam ſenectam viribus aſſere.
6 Tu me tuendum matris ab ubere
Duxti: pependit matris ab ubere
Spes noſtra de te: materies meis
Una eſt perennis laus tua cantibus.
7 Ceu continenter prodigium malis
Natum ferendis, rideor impiis.
Sed me malorum fluctibus obrutum
Spes una fulcit præſidii tui.
8 Me lux videbit, me tenebræ tuas
9 Laudes canentem: [2] jam ſenio gravem,
Fractiſque laſſo corpore viribus,
Ne me impiorum trade libidini.
10 Et clam ſuſurrant, & caput in meum
Occulta tendunt retia per ſcelus:
11 Et dum ſceleſtum propoſitum premunt,
Ajunt, Ope illum deſtituit Deus:
Inſtate fracto, prendite, perdite
12 Nudum ſalutis vindice. Tu Deus
Ne linque fretum præſidio tuo:
Præſenſque ſævis hoſtibus eripe.
13 Pudore vultus inficiat rubor
Hoſti doloſo, fraude nefaria
Qui me aucupetur: mœreat irrita
Conata, vanum lugeat exitum.
14 Liber periclis, carmine te novo
15 Pangam [3] tenacem polliciti, & tuis
Promtum juvandis: & numeris meis
Aptabo laudes innumeras tuas.
16 Canam potentem te dare proſpera
Eventa, belli quum fremuit timor:
Canam fidelem reddere fœderum
Promiſſa, largo non ſine fœnore.
17 Abuſque primo flore pueritiæ
Laudum tuarum tu mihi carmina
18 Sem-

1. *Pendentem ab uno ſubſidio tuo*] And. Hartus anno 1621, *præſidio tuo.*

2 *Jam ſenio gravem*] Tres Stephanorum, duæ Plantini, & Argentoratenſis editio, *tam ſenio gravem.*

3 *Tenacem polliciti*] [Vid. ad Pſalm. XLVII. An vero *tenax polliciti* æque bene dicatur ac *propoſiti*, ut Horatius dixit, valde dubito: unicum ſcio Ciceronis locum, quo tueri ſe poſſet Buchananus, ex lib. III. de Off. 29 *quod affirmate, quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.* forte alia auctoritate mihi ignota, motus fuit auctor.]

Digitized by Google

18 Semper præſti: ne ſenio gravem
Canumque nunc me, ſpes mea, deſere:
Donec nepotum ſecula noverint,
Me vate, quanto robore, qua fide
19 Me liberaris. Juſtitiæ tuæ
Convexa mundi gloria tranſvolat.
Rerum creator, quis ſimilis tui?
20 Qui me malorum gurgite merſeras,
Mitiſque vita rurſus amabili
Tracto e profundo gurgite das frui:
21 Opeſque honoreſque accumulas bonus,
Ira remiſſa: & pectora turbida
22 Solaris. Ergo te cithara canam
Nabloque certa conſpicuum fide.
O ſancte noſtræ gentis ab ultimo
[1] Protector ortu, vox mea te canet:
23 Te ſpiritus, te vita laboribus
Exemta duris, laudibus efferet.
24 Lux nulla ſolem proferet aureum,
Quæ prædicantem juſtitiam tuam
Non audiet me, Rex bone, qui meis
Rubore vultum offuderis hoſtibus.

PSAL. LXXII. *Deus judicium tuum Regi da*, &c.

1 DA tuæ Regi, Deus, æquitatis
Jus ad exemplum dare, filioque
Regis ut legum patriæ ad ſalutem
Flectat habenas.
2 Ut regat juſtis populum inſtitutis,
Pauperum queſtus facili tuorum
Aure cognoſcat, dirimatque lites
Legibus æquis.
3 Pace lætentur juga montiumque
Horridi ſaltus; genitrix quietis
Æquitas colles amet, aſperoſque
Ruris alumnos.
4 Jus ſuum det pauperibus, potentum
Curet ut ne vi tenues premantur,
Deſtruat quiſquis miſeros doloſis
Litibus urget.
5 Ut reformidet venientis ævi
Gens tuum nomen, ſua ſol diei
Donec effundet, ſua luna donec
Lumina nocti.
6 Æquitas & jus veniens olympo
Recreet terras, veluti ſub æſtu
Imber, & rores pluvii beatos
Ruris honores.
7 Floreat, rerum hoc moderante habenas,
Jus

1 *Protector*] [Inferioris ævi vocem hanc non admittunt elegantiæ priſcæ ſtudioſi Vide Cellarii curas poſteriores pag. 227. & Borrich. pag. 206.]

Digitized by Google

Jus [1] bonæ paces vigeant, perenni
Luna dum curſu rediens novabit
Menſtrua vultus.
8 Imperî fines maris unda fluctu
Hinc & hinc claudat: ſpatiumque latis
Quod modum regnis faciat, [2] ſit idem
Terminus orbis.
9 Ad pedes illi cadat advolutus
Æthiops: hoſtes veniam precati
Supplices, vultus humiles comamque in
Pulvere verrant.
10 Qui tenent pontum, refluique ponti
Inſulas, regeſque Arabum beati,
Thuris & dites venient Sabæi,
Dona ferentes.
11 Illum adorabunt, mare qua remotis
Obſtrepit terris, metuentque reges:
Servient gentes ſub utroque mundi
Axe jacentes.
12 Ille deſertos ope ſublevabit:
13 Eximet curis querulos: egeno &
14 Pauperi dextram dabit: obrutoſque
Fœnore ſolvet.
Nec velut vilem tenuis cruorem
15 Plebis effundi ſinet: ergo vivat,
Deque theſauris Arabum beatis
Munera ſumat.
Ac ſuo Regi bene comprecatus,
Illius laudes canat, illum honoret,
Largam opum dextram celebret, patremque
Vulgus adoret.
16 Per feros montes ſegetem refundat
Terra, tam denſis crepitans ariſtis,
Quam gravi cedros Libani flagellant
Murmure venti.
Augeat prolem numero carentem
Per vias urbis bona pax beatæ:
Læta ceu campis riguis per imbrem
Gramina ſurgunt.
17 Nomen æterno juveneſcat ævo:
Filii nomen, jubar uſque ſolis
Dum vagæ fundet radiata terris
Lumina flammæ.
Ille Rex gentes faciet beatas,
Quas ſinu claudit refugo Amphitrite,
Omnis hunc tellus canet Amphitrite
Cincta beatum.
18 Iſaci gentis Domino Deóque
Laus, honor, virtus: opis haud egenus
Illa, quæ cuncti attoniti intuentur,
Perficit unus.
19 Nomen auguſtum canat omnis ætas:
Ulla quod nunquam taceat vetuſtas:
Nominis ſancti penetret per omnes
Gloria terras.

PSAL-

1 *Bonæ paces vigeant*] *Paces* hic pluraliter adhibuit, adverſus Grammaticorum quidem placita, non tamen abſque exemplo. Ita enim locutus eſt Plautus Perſ. V. 1. 1. Lucret. V. 1229. &, quem præcipue reſpexiſſe noſter videtur, Horat. 2. Epiſt. I. 102.
Hoc paces habuere bonæ ventique ſecundi.

2 *Sit idem terminus orbis*] Forte *orbi* legendum.

PSALMORUM

Liber Tertius.

PSALMUS LXXIII. *Quam bonus Iſraël Deus*, &c.

1 Tellus ut undis hoſpitium neget,
Undæque terras fluctibus obruant,
Aër coruſcis fulminet ignibus,
Ruina mundi ſidera miſceat:
Dei potentis non bonitas tamen
In rebus arctis deſtituet pios,
Puraſve mentes nequitia ſinet
Mœroris æſtu funditus opprimi.
2 Quam pene lapſu pes mihi lubrico
Greſſum fefellit, dum pede metior
Immenſa parvo, dum trutina mea
Expendo ſtultus judicium Dei!
3 Fervebat ira pectus, & æmulo
Livoris æſtu, quum ſcelerum omnium
Contaminatos ſordibus impios,
Florere cunctis conſpicerem bonis.
4 Sors illa cunctis invida, mobilis,
Infida, ſervat perpetua fide
Iſtis tenorem, & robore vivido
Firmos ſenectam ducit ad ultimam.
5 Exemta duris vitæ moleſtiis
Curiſque (pectus quæ reliquis coquunt
Mortalibus) per lætitiam fluit
Luxumque, & ægris pura laboribus.
6 Ergo inſolenti fœta ſuperbia
Corda intumeſcunt: pectora ſpiritus
Ventoſa tendunt: cæcus amor ſui
Frena impotenti dat violentiæ.
7 Tecta invidendas non capiunt opes,
Felicitatem non animus ſuam:
Et vota vincens ſpemque ſuperfluus
Luxus fatigat, nec ſatiat tamen.
8 Verbis minores terrificant feris,
Et faſtuoſæ mole potentiæ:
Vultu procaci & vocibus improbis
Adblandiuntur nequitiæ ſuæ.
9 Nec impudentis garrula vanitas
Contenta linguæ fundere toxica
Terras per omnes, aſtra laceſſere
Audet, Deumque inſana ſuperbia.
10 Hæc mente ſpectant attonita pii,
Et æſtuanti pectore fluctuant:
11 Secumque muſſant, Scilicet hæc Deus

Digitized by Google

Quum cernat, atris abſtinet ignibus?
12 Opes abunde ſuppeditant malis,
Creſcitque nullo fine pecunia:
Secura pacis molliter otia
Quaſſante nullo turbine tranſigunt.
13 Fruſtra ergo puro pectore vivitur:
Fruſtra innocentem contineo manum:
14 Fruſtra labores perfero, torqueor
Dolore, nullis non crucior malis.
15 Rurſus verebar ne temerario
Auſu improbarem conſilium Dei,
Ac arbitrarer forte miſerrimos,
Selecta quos is pignora nuncupat.
16 Cauſſas latentes dum ſequor anxius,
Et pertinacis viribus ingenî
Pugno, profundum ſe chaos ingerit,
Et nocte mentis lumen adobruit.
17 Labore tandem feſſus inutili
Ad te recurro, Rex bone cœlitum:
Quietus exſpecto ex adytis tuis,
Quis hos & illos ſeparet exitus.
18 Vidi repente quam pede lubrico
Starent ſuperbi: quam ſtabiles parum
Opes tenerent: quam fragili loco
Fultos ruina præcipiti trahas.
19 Procella vindex ut ſonuit tuæ
Iræ, fugaces cum domino ſuo
Evanuerunt divitiæ: manet
Umbra invidendæ nulla potentiæ.
20 Sic nocte mentes ludificans fugit
Imago ſomni: & quæ modo pectora
Sopita vano terruerat metu,
Riſus per urbem mox ciet omnibus.
21 Donec viderem hæc, mœror & anxiæ
Mentem obruebant ſollicitudines:
22 Aut hæſitantem, ceu ſtupidum pecus,
Torpor ligabat pectore marcido.
23 Arcana ſed vis interea tui
Me fulciebat numinis, ac manum
24 Dextram regebas: auſpicio tuo
Ductuque clarus fulgeo gloria.
25 Quid terra, præter te, mihi, quid polus
26 Offert colendum? cor mihi tabuit,
Infracta mens deſiderio tui
Languebat, ægrum corpus inaruit:
Tu rurſus artus robore vivido
Firmaſti: opimas ſuppeditaſti opes.
27 Qui, te relicto, ſpe ſtolida deos
Vanos adorant, cladibus obruis.
28 Te ſector unum, tu ſuperas meis
Spes una rebus: præſidio tuo
Liber periclis, auctus honoribus,
Te ſempiternis laudibus efferam.

PSAL. LXXIV. *Ut quid, Deus, repuliſti,* &c.

1 CUr nos relinquis penitus, o rerum parens,
Hoſtique dedis impio?
Lupis vorandum cur gregem paſtor tuum
Ira obſtinata deſeris?

2 Me-

2 Memento cœtus ſervitute ab aſpera
Quem vindicaſti: quem tibi
Peculiari ſorte, patrimonium
Ceu proprium, receperas.
Colles Sionis, numinis ſedem tui,
Bonus favenſque reſpice.
3 Tandem reſurge, & hoſtium ſuperbiam
Compeſce: perde funditus
Hoſtes protervos, qui tuum ſacrarium
Manu nefanda polluunt.
4 Clangunt ſonora buccina, non quæ tuas
Laudes canat, ludibrio
Sed feſta acerbo quæ profanet: in tuis
Vexilla figunt turribus.
5 Bacchatur audax ira frenis libera:
Ædis ruentis it fragor:
6 Quales ſub altis murmurant quercus jugis,
Cæſæ bipenni quum ruunt.
7 Demoliuntur malleis & vectibus
Cælata templi limina.
Populatur ignis adyta: nominis tui
Contaminant ſacrarium.
8 Secumque tacito comminantur pectore
Se dirituros omnia.
Nec temere: flammis ſtrata fumant omnia
Tuo dicata cultui
9 Loca: ſigna nuſquam, nulla jam miracula:
Propheta nullus perditos
Solatur, &, ſpe quamlibet lenta, tamen
Spondet malorum terminum.
10 Quouſque tandem nomini ſines tuo
Hoſtem protervum illudere?
Quouſque acerbis facta dira & impia
Exaſperabit jurgiis?
11 Cur otioſus retrahis, manum? exſere
Tandem potentem dexteram.
12 Tu noſter olim rector & cuſtos, Deus,
Priſcis abuſque ſeculis.
Te vidit orbis vindicantem ab omnibus
Semper tuos periculis.
13 Seceſſit unda te jubente, & vitreo
Muro liquor coërcuit
Curſum, feroces viribus ſuis duces
Ponti recurſus obruit:
14 Ipſum marinis vaſtiorem belluis
Hauſit tyrannum, & aſperis
Afflicta ſaxis, fluctibus cadavera
Ejecta vultur Æthiops
15 Voravit: inter æſtu arenas torridas,
De cote dura limpidi
Fluxere rivi: te imperante ſubſtitit
Arente flumen alveo.
16 Tuus dies eſt, nox tua eſt: ſolis jubar
Radiis adornas aureis.
17 Æquorque claudis littorum repagulis,
Terraſque cingis fluctibus:
Æſtate lenis frigus acre, frigoris
Æſtum rigore temperas.
18 Domine, intuere probra, contumelias,
Et hoſtium ludibria,
Qui te laceſſunt impiis conviciis,
Moleſtiis nos opprimunt.

Digitized by Google

19 [1] Ne trade vitam turturis tuæ feris:
Turbam tuorum pauperum
Ne ſempiterna oblivione deſere:
20 Memor tui ſis fœderis.
Nam nec tenebræ nos tegunt, nec pellimus
Obſcuritate injurias.
21 Ope deſtituti & omnibus fracti malis
Populi pudori conſule:
Ut te merentem proſequantur laudibus
Miſeri levati luctibus.
22 Exſurge, rector orbis optime, & tuam
Cauſſam tuere: ſis memor
Quæ probra paſſim nomini ſemper tuo
Stulta ingerat procacitas.
23 Voces ſuperbas & tumultus improbos
Silentio ne ſupprime:
Curamque rerum gerere te mortalium,
Qui negligunt te, ſentiant.

PSAL. LXXV. *Confitebimur tibi, Deus, &c.*

2 TE nos carminibus, Rex bone, patriis
Dicemus merito: te celebrabimus
Præſentem miſeris: & memorabimus
Facta illuſtria poſteris.
3 Quum plenis venient tempora ſeculis,
Cogam, inquit Dominus, concilium meum:
Juſtis ſuppliciis proſequar impios,
Juſtis muneribus pios.
4 Fundamenta ſoli diſſiliant licet,
Turbetur trepidis gens hominum minis,
Fundamenta ſoli fluxa adamantinis
Nectam rurſum ego vinculis.
5 O ſtultos quoties admonui modum
Veſanæ ut facerent nequitiæ ſuæ!
In cœlum quoties admonui impios
Ne ſtulte arma capeſſerent!
6 Quid cœlum ſtolida voce laceſſitis?
Qua ſpe ſic furitis? ſpiritus arrogans
Cujus præſidio fretus in æthera
Criſtas erigit impias?
7 Eois coëat viribus occidens,
Con-

1 *Ne trade vitam turturis tuæ feris*] Contra linguæ Latinæ conſuetudinem, *turtur* hic fœmininum poſuit: nec tamen temere id ab eo factum; principes enim Bibliorum interpretes Leo Judæ, Tremellius, Arias Montanus, Caſtellio, Vatablus, Hebræum textum ſecuti, *vitam* ſive *animam turturis tuæ*, hoc in loco verterunt. Variant quidem LXX. Interpp. eoſque plerumque ſecuta verſio vulgata: illi enim reddunt, Μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι; hæc, *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Cæterum notat magnus Voſſius turpiter cæcutiiſſe Servium, qui ex illo Virgilii Ecl. I.

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo,

turtur fœminino poſitum exiſtimavit: cum nihil ſit apertius, quam *aëria* cum *ulmo*, non vero *turtur*, illic convenire. [Apud Ovidium lib. II. Amor. VI. 12. in MSS. erat *turtur amica*, ubi vide Heinſ. Paulin. Natal. VII. princip. *turtur conjuncta columbæ*.]

Digitized by Google

Conjurent calidæ cum Borea plagæ,
Fruſtra divitias, ſceptra, potentiam
Cuiquam conciliaverint.
8 Unus Rex hominum, res hominum ſuo
Verſans arbitrio, præcipitem trahit
Illum de ſolio, plebis ab infimæ
Hunc fæce ad ſolium erigit.
9 Nam cratera meri purpurei Deus
Jam dextra tenet, & vindice pharmaco
Undantem pateram temperat, & malis
Juſtum ſupplicium parat.
Illinc impietas undique ab ultimis
Terrarum ſpatiis hauriet, & mero
Conſumto, cupido gutture turbida
De fæce exitium bibet.
10 At me vate, Dei, quem genus Iſaci
Et thure & precibus placat & hoſtiis,
Omnis poſteritas munificentiam
Et vim numinis audiet.
11 Confringam tumidæ tela ſuperbiæ
Formidata bonis: cladibus obruta
Emerget pietas, & ſuper æthera
Tollet conſpicuum caput.

PSAL. LXXVI. *Notus in Judæa Deus:* &c.

2 GEntes profanæ numinis loco colunt
Sibi quiſque quem finxit Deum:
Judæa verum novit & colit Deum,
Laudatque feſtis cantibus:
3 Deum Sionis incolam, Solymæ ſacris
Cui templa fumant ignibus.
4 Illic minaces fregit arcus, lucida
Fregit ſagittæ ſpicula.
Clypea ſiniſtris rapuit, enſes dexteris:
Funeſta bella ſuſtulit.
5 Tu [1] præpotentes fortior tyrannidas
Virtute frangis: tu feram
Compeſcuiſti fortium ſuperbiam
Regum potenti dextera.
6 Fracta minacis ſpiritus ferocia,
Prædæ fuere: aut ferreo
Somno gravati condidere lumina.
7 Obtorpuere dexteræ
Fortes virorum, vis equorum, & curruum
Elanguerunt impetus.
8 Tuum verendum nomen & numen, tuæ
Quando æſtus iræ incanduit,
Quis obviam auſit ire? quis miſerum caput
Tuo furori objecerit?

Quum

1 *Tu præpotentes.*] Tres Stephanorum, duæ Plantini, & Argent. *Tu belluoſis montium clarus jugis Apparuiſti: tu feram.*

Digitized by Google

Quum [1] templa mundi fulminum quateret fragor,
9 Ut impia tyrannide
10 Pœnis repreſſa [2] ſupplicem modeſtiam
E ſervitute abduceres,
Attonita tellus ſiluit: imbellis pavor
Mentes ſuperbas perculit
11 Ultricis iræ ſcelera pœnis obruta
Humana gens quum cerneret,
Boni efferebant laudibus te, conſcius
Premebat horror impios.
12 Vota ergo Domino nuncupate, & reddite:
Domino verendo munera
Ferte univerſi civitatis incolæ
Sanctæ, Deumque agnoſcite,
13 Reges ſuperbi quem pavent, qui ſpiritus
Feros retundit impiis.

PSAL. LXXVII. *Voce mea ad Dominum clamavi*, &c.

2 TE voce ſemper, te prece ſupplice,
Rerum invocabo conditor optime:
Nam lenis ac placatus aurem
Das facilem miſeris querelis.
3 Ad te refugi, quum premerer malis,
Ad te tetendi ſollicitus manus
Sub nocte ſola, donec atras
Lux tenebras rediens fugaret.
4 Mens inquietis fracta doloribus,
Surda abnuebat aure fidelium
Voces amicorum, medelæ
Impatiens: animuſque ſolum
Intentus in te, cum lacrymis preces
Miſcens fremebat: pectora flebili
Concuſſa ſingultu ſonabant;
Cura animi cruciabat artus:
5 Æſtus vexabat ſollicitudinum
Dulcem ſoporem carpere lumina:
Segnis ligabat membra torpor,
Vocis iter dolor obſtruebat.
6 Tum mente verſa volvere ſecula
Cœpi anteacti temporis, ac Dei
Numen bonis præſens, nec unquam
Auxilii miſeris avarum.
7 Laudum ſubibat quas tibi carmine
Lyræ canebam ſuaviloquæ ad modos:
Secumque veſtigabat ægra
Mens vario labefacta motu;

8 Num

1 *Templa mundi*] Ter. Eunuch. III. 5. 42.
At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.
Ennius,
Unus erit quem tu tolles ad cærula cœli
Templa ------
Lucret. I. 1098.
Neve ruant cœli tonitralia templa ſuperne.
Sic Buchan. Pſ. LXXVII.
Qui templa pictis ſideribus poli
Condideris ------
2 *Supplicem modeſtiam.*] Omnes Stephanorum, duæ Plantini, Argent. Vautrollerii Lond. 1580. Genev. 1594. *ſimplicem modeſtiam.*

8 Num me relicto in perpetuum Deus
Opis benignam jam retrahit manum?
9 Nec amplius ſuum tenebit
Larga Dei bonitas tenorem?
Nec ore vatum leniet anxias
10 Curas ſuorum? nec miſeris erit
Placabilis? nec ſiſtet iræ
Præcipitem bonitate curſum?
11 Tandem remiſſo pectore, Quo dolor
Impellis? inquam: ſtant adamantinis
Decreta cœli fixa vinclis,
Nec dubio labefacta caſu,
Nec fracta vi, nec temporis invidis
Obliviosi obnoxia dentibus.
12 Rurſus tuæ mentem ſubibant,
Sancte parens, monimenta dextræ:
Qui templa picti ſideribus poli,
Frugumque campos germine fertiles,
Et ſcela tot noſtros ad uſus
Condideris pecudum & ferarum.
13 Quam ſæpe, pœnis dum premis improbos,
Tutoque fulcis præſidio probos,
Mortalibus clementiæque &
Juſtitiæ ſpecimen dediſti.
14 Æterne rerum conditor! omnia
Conſulta cujus factaque ſanctitas
Illuſtrat: haud quidquam tibi ingens
Orbis habet ſimile aut ſecundum.
15 Mirante mundo tu, Deus unice,
Miræ dediſti ſigna potentiæ,
16 Ergaſtulis quum liberaſti
Abramidas Pharii tyranni.
17 Videre fluctus te tumidi, Deus,
Videre fluctus; & trepido gradu
Fugere: turbavit profundas
Horror aquæ vitreæ lacunas
18 Fudere aquoſas imperio tuo
Nubes procellas de gravido ſinu,
Sonore rauco: grandiniſque
Infremuit lapidoſus imber.
19 Cœli tonantis vaſtificus fragor
Implebat aures: lumina fulgurum
Terrebat ardor, & pavore
Attonitæ tremuere terræ.
20 Sali rubentis pervia vaſtitas
Ductore te tot millibus obruit
Veſtigia, & fluctu refuſo
Clauſit iter Phariis quadrigis.
21 Moſes & Aron (ceu pecudum greges
Paſtor reducit) præſidio tuo
Duxere tranquillas per undas
Incolumes populi catervas.

PSAL. LXXVIII. *Attendite popule meus*, &c.

1 AUdite Iſacidæ, & rerum pietate parentem
Qui colitis pura, huc animos advertite veſtros.
2 Mira canam, ſed vera canam: quæ longa vetuſtas
Occulit arcanis oracula merſa tenebris
3 Evolvam: priſcis accepta parentibus olim
4 Veriloquis dictis, in ſecula ſera nepotum

Tranſ-

Tranſmittam: laudeſque Dei, mirandaque facta
Cognita de proavis diſcent me vate minores.
5 Namque parens mundi ſancto quum fœdere gentem
Jungeret Iſacidum ſibi, patres prodere natis
6 Per ſeriem, & ſeris venientia ſecula ſeclis,
Et legum monitus & facta ingentia juſſit.
7 Scilicet ut memori benefacta priora tenentes
Pectore, conſilium vitæ auxiliumque regendæ
A Domino exſpectent, trepido turbante tumultu.
Ne tam cæca animos condant oblivia, legum
Irrita ventoſis ut dent præſcripta procellis.
8 Neu ſimiles patrum, male grata merite rebelles,
Deficiant animi inſtabiles, dubioque labantes
9 Pectore. Cur ſoboles Ephræmi docta ſagittis
Figere vel jaculo quamvis diſtantia certo,
Terga dedit pene ante tubas? latebriſque ſalutem
(O pudor!) abjectis quæſivit turpiter armis?
10 Nempe quod averſos flexere per avia greſſus,
11 Obliti legum & monitorum, & fœderis icti,
12 Obliti tantorum operum, quæ, teſtibus olim
Patribus, in Phariis Dominus patraverat oris.
13 Quum mare diviſit ſeſe cumulante profundo,
Inter & aggeſtos undæ ſtagnantis acervos
14 Incolumem eduxit populum, duce nube ſerena
Luce, per obſcuras flamma præeunte tenebras.
15 Flumina de ſolidi patefecit vulnere ſaxi,
16 Damnatiſque ſiti rivos donavit arenis.
17 Nec ſatiati undis linguas tenuere procaces:
18 Auſi immane ſcelus, deſerta per avia rurſus
Tentavere Deum: &, ventris ſtimulante voracis
19 Ingluvie, petiere cibos: ac talibus ora
Solverunt: Silicis duræ qui flumina venis
Elicuit, ſubitoque ſitim torrente levavit,
20 Non potis eſt panem, non lautæ fercula menſæ
Addere? non epulis convivia larga profuſis?
21 Audiit omnipotens, calidaque accenſus ab ira eſt,
In [1] Judamque hauſit flammato corde furorem.
22 Et populo tamen ingrato, totieſque ſalutis

Im-

1 *In Judamque hauſit.*] Tres Steph. duæ Argent.
Flammarumque globos fudit ſuper agmina largis
Imbribus, & ſtolidos compeſcuit ignibus auſus.
Et populo, &c.

Immemori acceptæ, [1] victum dedit eſſe petitum.
23 Caſtra ſuper late ætherii patefecit olympi
24 Horrea: [2] dein gravidas cœleſti ſemine nubes
Ambroſiæ largos ſuper agmina ſolvit in imbres:
25 Cœleſtiſque cibi indulſit mortalibus uſum.
26 Cedere tum juſſo campis ex aëris Euro,
Mox tepidis volucrum pluvias Notus attulit alis,
27 Non ſecus ac ſiccæ cumulos quum verrit arenæ,
Pulvereamque trahit deſerta per arida pallam.
28 Caſtra ſuper, tenſiſque ſuper tentoria velis,
Alituum tremulis reſonabant agmina pennis,
Et circum affuſis cumulabant ſtragibus agros.
29 Jamque epulis exemta fames: ſed prava libido
30 Non exemta tamen; ſed adhuc ſine fine petitæ
31 Faucibus hærebant epulæ: Deus ecce repente
Ultor adeſt: late ſubito graſſante ruina,
Robora ſelectæ paſſim cecidere juventæ.
32 Sed neque tot pœnæ, neque tot benefacta rebelles
Continuere animos, nec tot miracula, rerum
33 Natura monſtrante Deum. Pater ergo procaces
Caſibus aſſiduis fregitque, &, robore fracto,
Ante diem tremulæ ſuccidit fila ſenectæ.
34 Vix tandem morbis vexati, erroribus acti,
Omnibus exhauſti prope cladibus, omnium egeni,
35 Agnovere Deum: per tot diſcrimina tecti,
Ereptique malis, ſævoque ex hoſte recepti,
36 Verba tamen blandis fundebant ſubdola linguis,
37 Ore pii, mendace animo: neque fœderis icti
38 Servavere fidem. Verum clementior ille
Sontibus ignovit: patria pietate remiſit
Offenſas, meritamque ultro compeſcuit iram:
39 Quippe homines memor eſſe animi modo flabra fugacis,
Quæ fragiles agitent morituri corporis artus.
40 O quoties inter viduas cultoris arenas,
41 Inter ſaxa ſiti ſqualentia, numinis iram
Languentem inſanis irritavere querelis!
Et ſua divinas dimenſi ad robora vires,
Virtutem brevibus voluere includere metis,
Quæ mare, quæ terras, quæ cœli continet orbes!

42 Sci-

1 *Victum dedit eſſe petitum.*] Tres Steph. duæ Plant. Argent. *Dapibus dedit eſſe petitis.*

2 *Horrea: dein gravidas.*] Tres Steph. duæ Plant. Argent. *Horreaque, & nubes cœleſti ſemine fœtas Ambroſiæ, &c.*

42 Scilicet obliti benefacta priora, ſalutem
Acceptam, & duri nuper juga demta tyranni,
43 Et quæ per Pharias miracula plurima gentes
Edidit, in vitreos ſuffuſo ſanguine rivos,
Damnatiſque ſiti laticum ſine munere menſis.
44 Et modo peſtiferæ per celſa palatia muſcæ
Spicula figebant liventi tincta veneno:
45 Et modo flumineis ſqualebant atria ranis.
46 Et nunc bruchus edax hominumque boumque labores,
Agmine nunc denſo diræ exedere locuſtæ.
47 Grandinis imbre hortos, lapidoſa grandine vites,
Grandine ſilvarum Dominus decuſſit honorem:
48 Grandine proſtrati fortes jacuere juvenci:
Et ſegetum gravidos ruit igneus imber in agros.
49 Ira Dei, laxiſque furor bacchatus habenis,
Eumenidumque faces, & conſcius horror oberrans
Pectora, turbabat ſtimulis præcordia cæcis.
50 Tum letho patefacta via eſt: mors ſæva per omne
Paſſim hominum pecudumque caput nulli æqua cucurrit:
51 Primitias ſobolis, cariſſima pignora, florem
Roboris, & feræ ſpem præſidiumque ſenectæ
Proſtravit, qua Nilus aqua ſe divite volvit,
Et ſeptemgeminis refluum mare ſubmovet undis.
52 Interea, ceu paſtor oves in paſcua ducit,
53 Ipſe ſuum Dominus populum deduxit, ab omni
Vi procul & trepida formidine: fluctibus æquor
Obruit infeſtos in ſe redeuntibus hoſtes.
54 At ſancti tenuere patres loca ſancta, Deique
55 Parta manu, excluſit gentes prius unde profanas,
Aut proſtravit humi victas; & jugera menſus
56 Abramidis habitare dedit. Nec ſegnius illi
Irritare Deum, & rerum tentare parentem,
57 Fœdera negligere: & patrum de more rebelles,
Avertere ſuos recto de tramite greſſus.
Non ſecus ac arcus curvat ſe in cornua nervo
Adducto, dextraque iterum nervoque remiſſo
In faciem ſubito flectit ſe ſponte priorem:
58 Libera ſic iterum gens impia vindice pœna
Ad ſeſe rediit: cunctiſque in collibus aras
Erexit, finxitque ſibi ſimulacra deorum,
59 Ac Dominum rerum meritas accendit in iras.
60 Audiit omnipotens pater impia vota preceſque,
Et ſibi dilectam gentem contemſit: & aras

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe ſuas, ac Silonis tentoria liquit,
Sola ſibi e cunctis electa habitacula terris.
61 Deſeruitque ſui monimentum fœderis Arcam
Hoſtibus in prædam: monimentum roboris, unde
Clara Dei in cunctas ſplendebat gloria terras.
62 Hos ferro, terræ iratus ſibi nuper amatæ,
63 Objecit, flammis alios: cecidere cruento
64 Enſe ſacerdotes: non connubialia feſtis
Carmina ſunt cantata toris, carique mariti
Indeploratis viduæ jacuere ſepulchris.
65 Aſt ubi jam pœnis meritam ſatiaverat iram,
Ceu crapula excuſſa miles, lentoque ſopore
Excitus, arma iterum fugientes vertit in hoſtes:
66 Tergaque vulneribus figens imbellia cæcis,
Perpetuam adſperſit ventura in ſecula labem.
67 Non tamen Ephræmum præſtantem fortibus armis
Elegit, cui ſceptra daret; non ille Manaſſæ
68 Pignora: ſed Judam, ſed celſæ tecta Sionis,
69 Templa ſibi & ſolido fundata ſacraria ſaxo,
Cumque polo & ſtellis manſuram in ſecula ſedem.
70 Quique ſequebatur pecudes in paſcua David,
71 Suſtulit e caulis, caram & ſibi paſcere gentem,
Impoſitum ſolio, & ſanctæ jus dicere terræ
72 Juſſit: & ille gregem ſtudio curaque fideli
Rexit, & infeſtis defendit ab hoſtibus armis.

PSAL. LXXIX. *Deus, venerunt gentes*, &c.

1 HÆreditatem, rector orbis, cur tuam
Invadit hoſtis impius?
Ritu profano polluit ſacraria
Tuo dicata nomini,
Soloque ſtratam funditus Solymam ſuæ
Tegit ruinæ molibus.
2 Truncata ferro membra te colentium
Paſſim per agros objacent,
Lanianda roſtris vulturum, crudelibus
Aut belluarum dentibus.
3 Rivi cruoris perluunt vias, velut
Torrens adauctus imbribus.
Nec uſquam amicus oſſa ſparſa qui legat,
Aut lecta tumulis obruat.
4 Functique fato pariter & ſuperſtites
Ludibrio accolis ſumus.
5 Parens benigne, quem modum tandem tuæ
Speremus iracundiæ?
An continenter inſtar ignis omnia
Vorantis in nos ſæviet?
6 Tui furoris verte potius impetum
In impiarum gentium

Digitized by Google

Tot regna, nomen quæ tuum vel neſciunt,
Vel, ſi ſciant, non invocant:
7 Semen piorum quæ laborant perdere
Armis, & urbes ignibus.
8 Revocando vetera, parce, genitor, crimina,
Faces furori ſubdere.
Sed pene cunctis obrutos malis, tua
Nos præveni clementia.
9 Offenſionum mitis obliviſcere,
Noſtræ ſalutis anchora.
Placatus adſis, ſplendor ut cunctis tuæ
Clareſcat oris gloriæ:
10 Os obſtruatur impiis, quærentibus
Num noſter hic ceſſet Deus.
O juſte vindex, impios exercitos
Pœnis viciſſim cernere
Fac nos, cruore qui piorum ſordidi
Nunc [1] inſolenter geſtiunt.
11 Audi gementes carcerum qui vinculis
Marcent: potente dextera
De fauce mortis libera, quos cædibus
Jamjam tyranni deſtinant.
12 Et quam intulerunt contumeliam tibi,
Et quam tuis injuriam,
Multiplicatam redde noſtris accolis,
Rerum perennis arbiter.
13 Et nos, ovilis grex tui, quem pabulo
Alis, tueris numine,
Et poſterorum poſteri, laudes tuas
Cunctis canemus ſeculis.

PSAL. LXXX. *Qui regis Iſraël, intende*, &c.

2 Hebræi generis paſtor, uti gregem
Blande progeniem qui regis Iſaci,
Inter qui geminos aligeros tuo
Præſcribis populo jura ſalubria:
3 Selectæ ſoboli da bonus ac favens
Lumen poſſe tuæ cernere gloriæ,
Da vim poſſe tuæ noſſe potentiæ:
Ac feſſis propere porrige dexteram.
4 Tu nos ſi placido lumine videris,
Cedent continuo cætera proſpere.
5 O Rex armipotens, quem ſtatues modum
Iræ? quando humiles ſuſcipies preces?
6 Irroras lacrymis fercula, lacrymis
7 Miſces continuis pocula: jurgia
Noſtris finitimi de ſpoliis ferunt,
Et noſtra exagitant ludibrio mala.
8 O Rex armipotens, agmina cœlitum
Cui parent, faciem cernere da tuam.
Tu nos ſi placido lumine videris,
Cedent continuo cætera proſpere.

9 Tra-

1 *Inſolenter.*] And. Hart. anno 1615. *inſolentes*: alii codices omnes *inſolenter*.

9 Traduxti Pharia de ſcrobe vineam:
Pravarum expuleras ſemina gentium,
10 Ut puro ſereres purius hanc ſolo.
Jam radix teneras ſuderat undique
11 Fibras: [1] jam tremulo frigore texerat
Montes: æqua cedris brachia ſparſerat:
12 Tangebant teretes æquora palmites,
Euphratem teneri germina ſurculi.
13 Nudatam ſolitis cur modo ſepibus
In prædam hoſpitibus deſeris hanc vagis?
14 Cur hanc ſævus aper proterit? alites
Carpunt? omnigenæ depopulant feræ?
15 [2] O Rex armipotens, obſecro jam redi
Tandem, & ſidereo proſpice de throno:
Placatuſque tuam reſpice vineam,
16 Plantaras propria quam tibi dextera.
Hunc ſaltem placidus reſpice ramulum,
Cui cultu aſſiduo conciliaveras
Robur, clara tui gloria nominis
Terrarum ut populis nota ſit omnium.
17 Illic flamma vorat brachia vitium:
Hîc convulſa gemunt: cæſa bipennibus
Hîc duris reſonant: omnia peſſum eunt.
Iræ juſta tuæ nos premit ultio.
18 Indulgens genitor, nunc ope ſubleva:
Firma præſidio nunc propius tuo
[3] Hunc, vires & opes & decus antea
Affectu patrio cui cumulaveras.
19 Vitam redde tuis, ſancte parens, quibus
Semper mors avidis faucibus iminet.
[4] At nos uſque ducem te comitabimur:
Præſentem miſeris te celebrabimus.
20 O Rex armipotens, agmina cœlitum
Cui parent, faciem cernere da tuam.
Tu nos ſi placido lumine videris,
Cedent continuo cætera proſpere.

1 *Jam tremulo frigore texerat montes*] *Tremulo frigore* pro *umbra*: audax metonymia.

2 *O Rex armipotens*] Ita Editio Alex. Julii 1620, alii omnes, *O Rex omnipotens*: at prius illud rectius videtur, ut alibi hoc Pſalmo, & hoc loco textus Hebraicus, & omnes quas viderim verſiones.

3 *Hunc*] Heb. *Virum dexteræ tuæ*: proinde haud ſcio an recte a Julio ad *ramum* pronomen [*hunc*] referatur.

4 At nos] Melius forte *Ac nos*.

PSAL. LXXXI. *Exſultate Deo adjutori noſtro*, &c.

2 EXſultate Deo noſtro, bona dicite verba
Noſtræ ſalutis vindici:
3 Placidum laudate Deum, pæana canentes
Ad tympani dulces modos.
4 Nec lyra, nec ceſſent genialia nablia: feſtis
Tuba calendis clangite.
5 Hunc læti celebrate diem, ſtata ſacra ferentes.
Nam ſic ſtatutum eſt patribus:
6 Sic lex ſancta jubet, ſic ſacri fœdera pacti
Percuſſa cum majoribus.
Hæc eſt illa dies ventura in ſecula teſtis
Memphiticæ tyrannidis:
Quum Peluſiacis Hebri gens hoſpes in oris
Erraret, & linguæ ſonum
Attonita ignotum audiret, nec nota viciſſim
In verba fruſtra os ſolveret:
7 Quumque humeros curvaret onus ſervile, manuſque
Laſſaret olla fictilis:
8 Excuſſi manibuſque ollas, humeroſque levavi
Luto, inquit optimus parens:
Auxiliumque tuli poſcenti in rebus egenis:
Et nube denſa conditus
Intonui: Meribam propter tua jurgia paſſus,
Feci tui periculum.
9 Nunc etiam ſelecta mihi gens auribus hauri,
Et quæ paciſcor accipe:
10 Si mea dicta vagis non tradas irrita ventis;
Nec alterum colas Deum;
Nec proſtratus humi ſupplex nova numina adores:
11 Sed unicum tibi me Deum
Eſſe velis, domini qui rupta compede Nili,
Juris tui te reddidi:
Poſce modo: ſpe plura feres, potiora petitis,
Majora votis auferes.
12 Hæc neque dicta ſuas populus demiſit in aures,
Bene nec monenti paruit.
13 Ergo ipſos ſibi permiſi: frenoque remiſſo
Solvi vagam libidinem.
14 O potius monita audiſſent mea! me duce rectum
Utinam inſtitiſſent tramitem!
15 Namque humiles illis ſubito fractoſque dediſſem

Hoſtes

Digitized by Google

Hoſtes, meamque dexteram
16 Vertiſſem in gentes, quæ recta odere, profanas:
Et ſupplices mendacibus
Vultibus Iſacidum ambiſſent verbiſque favorem:
17 Felicium omne in ſeculum
Iſacidum, quibus almus ager fudiſſet abunde
Frugum benignam copiam,
Mellaque de duri fluxiſſent viſcere ſaxi
Per arva cultus inſcia.

PSAL. LXXXII. *Deus ſtetit in ſynagoga*, &c.

1 Regum timendorum, in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovæ,
Qui judicantum examinabit
Nequitiam trutina ſevera.
2 Num fraudulentos ſemper & impios
(Inquit) doloſa lance fovebitis?
3 Pauperque pupilluſque veſtrum,
Ceu ſcopulum, metuet tribunal?
4 Quin orbitatem cernitis anxiam?
Aurem querelis quin inopum datis?
Cur pauperes non a ſuperbo
Ludibrio aſſeritis potentum?
5 Fruſtra monemus: lumina cæcitas,
Errorque mentes obſidet: ut neque
Compaginem rerum ſolutam
Juſtitia pereunte cernant.
6 Deos vocavi vos, dominos necis
Vitæque feci: ſceptrifera manu
Pacem dedi tueri, & armis
Lethiferum cohibere bellum.
7 At mors iniquæ juſta ſuperbiæ
Ultrix honores detrahet, & pari
Ignobili cum plebe fato
Purpureos rapiet tyrannos.
8 Exſurge, legum frena manu Deus
Capeſſe, cunctis arbitrio tuo
Qui regna diſpenſas, ut orbi
Imperio domineris æquo.

PSAL. LXXXIII. *Deus, quis ſimilis erit tibi?* &c.

2 Ne taceas, ne cuncteris, pater optime, neve
Preces tuorum ſperne duris auribus.
3 Ecce fremunt hoſtes circum, & miſcere tumultu
Sævo parati cuncta, criſtas erigunt.
4 Conſilia occulte coëunt, populoque minantur,
Tu quem tuendum proprie ſuſceperas.
5 Eja (ajunt) properate, omnem ſuccidite ſilvam:
A ſtirpe ſobolem deleamus Iſaci.

6 En

6 En ſceleri jurata manus coit omnis in unum,
Tua inſtituta ut deleant & fœdera.
7 En cum palmifera junctus Nabathæus Idume,
8 Soboles Moabi, & Agareni, & Gabala,
Cumque Palæſtinis Tyriiſque Amalecus & Ammon,
9 Syruſque jungit caſtra Lothi poſteris.
10 At tu ſterne ſolo victos, Madiana juventus
Ut cæſa texit ſemitas te vindice:
Siſara ceu tumidus cecidit, [1] mileſque Jabini:
Ciſſontis undas turbidas quum ſanguine
11 Tinxere: inflectæ paſſim jacuere catervæ,
Lætamen agris: nec ſuga eripuit duces
12 Orebum & Zebum: nec ſubtraxere latebræ
A falce mortis Zebeamque & Zalmanam:
13 Dicere non veritos animo votoque ſuperbo,
Dominos futuros ſe tui ſacrarii.
14 At tu, ſancte parens, ſic hos vertigine torque,
Ut rotula clivo, ſtipula vento volvitur:
15 Flamma velut ſiccæ populatur brachia ſilvæ,
Per alta ſtridens montium cacumina:
16 Sic urge attonitos conſternatoſque procella,
Tui furoris diſſipa ſic turbine:
17 Sic animos dolor exurat, pudor ora coloret,
Suis miſeriis numen ut probent tuum:
18 Sic ignominia faſtum preme, damna timorque
Sic continenter territos exerceant,
19 Te ſolum ut noſcant Dominum, rerumque potentem,
Quacunque terras ambit axis ignifer.

PSAL. LXXXIV. *Quam dilecta tabernacula tua*, &c.

2 O Rex armipotens, qui creperos tuo
Bellorum arbitrio dividis exitus,
Ergo limina templi
Lætus conſpiciam tui.

3 Hic cor lætitia palpitat: hîc bonis
Languet mens nimiis ebria, geſtiunt
[2] Artus, atria vivi
Viſuri propius Dei.

4 Hîc

1 *Mileſque Jabini:*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent. *ſævuſque Jabinus.*

2 *Artus, atria vivi viſuri propius Dei*] Julius (qui *artus viſuri* παραφράζει *membra inviſura*,) *viſuri* recto plurali poſitum exiſtimaſſe videtur; ego vero genitivo ſingulari, ſubaudito [*mei*] collocatum arbitror: neque enim *artus*, ſive *membra*, quidquam *viſere* ſeu *conſpicere* poſſunt; nec id vel minimum innuunt Regii vatis verba.

4 Hîc paſſer latebras invenit, hîc locat
Nidum veris avis nuntia. O atria Regis bellipotentis
Ut vos adſpiciam libens!
5 Felix, qui domui perpetuo tuæ
Hærens te celebrat: qui penitus ſuam
In te ſpem poſuerunt,
Felices ter & amplius.
6 Felices, ſtudio qui properant pio
7 Templo ſacra tuo ferre: per aridas
Valles fontis amœni
Derivis liquidis bibent.
Nec deerit pluviæ, quæ repleat cavas
8 Foſſas, agmen aquæ, dum properat premens
Turmam turma, parentum
Ritu cædere victimas.
9 O Rex armipotens, da placidum tuo
Te Regi, capitis cui decus inclytum
Indulſti: bonus aurem
Ne duram abnue ſupplici.
10 Tu noſter clypeus, rebus in aſperis
11 Spes & præſidium: juxta adytum tuum
Unius mora lucis
Pro mille eſt mihi ſeculis.
Sim cuſtos potius liminis in tuo
Templo, ſancte parens, quam Solyma procul
Degam inter ſceleratos
Multis clarus honoribus.
12 Tu ſol, tu clypeus, tu Dominus: tuis
Tu das conſpicua fulgere gloria:
Nec puro ſcelerum unquam
Claudis munificam manum.
13 O Rex armipotens, quem penes exitus
Bellorum, & poſitis enſibus otia:
O bis terque beatos,
Qui te ſpe ſolida colunt.

PSAL. LXXXV. *Benedixiſti Domine terram tuam*, &c.

2 NOn ſemper tumidis fervent vexata procellis
Æquora, nec gelida riget horrida terra pruina:
Inque vicem ponunt venti, mare ſternitur, aura
Mitior in florem torpentes evocat herbas.
Nec ſemper, Deus, avertis mœrentibus aurem
Durus, & indulgens iræ: quondamque favore
Sponte tuum amplexus populum es: vincliſque ſolutis
Servitii, patrias duce te remeavit ad aras.
3 Oblitus ſcelerum & violati fœderis, iram
4 Leniſti, & patria texiſti crimina cura.
5 Et nos ergo, parens, noſtræ & ſpes una ſalutis,
Reſpice placatus faciliſque: animumque benignum
6 Accipe: perpetuæ neve implacabilis iræ
Sæviat in ſeros etiam vindicta nepotes.
7 Reſpice nos melior tantum: quodcunque miſellæ

Spirat adhuc animæ, te reſpiciente vigorem
Accipiet: populoque tuo, jam nube repulſa
Triſtitiæ, lætos hilarabunt gaudia vultus.
8 Alme parens, bonitate tua complectere feſſos,
Speratæque diu jam fructum oſtende ſalutis.
9 Jamdudum exſpecto, Dominus dum læta futuri
Signa det, arcano pulſans præcordia motu.
10 Et dabit haud dubie poſita placabilis ira
Signa ſecunda: piis dabit omnia proſpera, leges
Qui patrias & ſacra colent, errore relicto.
11 Ecce ſalus, ecce incultas bona copia terras
Incolet, & læti renovatrix gloria ſecli.
En bonitas, en alma fides feret obvia greſſus:
12 Terra fidem, cœlo terras Aſtræa relicto
13 Sancta colet comes Aſtrææ bona copia cœlo
Appluet, & lætos decorabit frugibus agros.
14 Et quacunque feret Dominus veſtigia, greſſus
Ante ferent jus faſque ſuos: lis, viſque doluſque
Deſeret afflictas per tot jam ſecula terras.

PSAL. LXXXVI. *Inclina, Domine, aurem tuam*, &c.

1 DA mitis aurem ſupplici
Deus: ſaluti conſule
Ope deſtituti & pauperis,
[1] Nec [2] ſemper iræ vindicis.
2 Servum tuum ſerva Deus,
Cui ſpes ſalutis unica es:
3 Serva invocantem jugiter
A ſolis ortu ad veſperum.
4 Depelle mentis nubila
Pendentis a te ſervuli.
5 Blandæ parens clementiæ,
Promtus vocanti parcere:
6 Intentus audi ſupplicem:
7 Nam te vocamus arduis
In rebus, invocantibus
Opem benignus quod feras.
8 Nullus deorum par tibi:
Nullus ſecundus: exſerit
Nullus ſuam potentiam
Tam ſplendidis miraculis.
9 Rerum creator, ultimis
Ab orbis oris affluent,
Flexoque gentes poplite
Te proſequentur laudibus.
10 Solus nec ævi termino
Incluſus aut potentiæ,
Deus deorum, gentibus
Miranda cunctis perpetras.
11 Legum tuarum ſemitam
Fac ingredi me: pectoris
Compone fluctus turbidos,
Tranquilla mens ut te colat.
12 Ut ſpiritus contagio
Emancipatus corporis,

Tuam

1 *Nec ſemper ira.*] Stephanorum dux, dux Plant. & Argent. vix patiente Jambici carminis lege, *Nec ira ſemper.*

2 *Nec ſemper iræ vindicis*] Hæc verba non *Deum*, ſed *Davidem* ipſum reſpiciunt: Vatablus, quem præcipue noſter ſequitur, *quia miſericors ſum*: alii *quia ſanctus ſum*, vel *bonus*, vel *pius*.

Tuam celebret gloriam,
Dum vita voxque ſuppetet.
13 Vivo tua clementia,
De fauce mortis erutus,
14 Quum virium fiducia
Sæviret hoſtis inſolens.
Secura quum vis numinis
15 Mihi immineret, tu Deus
Et [1] lenis & placabilis,
Et pacta fidus reddere.
16 Mitis bonuſque reſpice,
Qui pendet ex te, ſervulum:
Opem fer, & vernaculum
Tuum periclis exime.
17 In me favorem ſentiant
Hoſtes tuum: ora decolor
Mutet pudor, quum viderint
Mihi te ſalutis vindicem.

PSAL. LXXXVII. *Fundamenta ejus in montibus*, &c.

2 ABramidarum cæteras urbis ſupra
Dominus Sionis diligit
Portas; Sionis, [2] immineat quæ montium
Fundata ſanctis collibus.
3 O prædicanda poſteris ſeclis Sion,
Beata mater urbium:
4 Tecumne Babylon ſe audeat componere?
Tecumne Memphis inſolens?
Ventura Babylon ſub jugum Dei, Deo
Flexura Memphis poplitem.
Præclara quamvis & Palæſtina & Tyros
Jactet virorum robora;
5 Nihil ad Sionem fortibus fœtam viris,
Favore tutam numinis.
Cenſore Domino humana gens quum nomina
Ad profitenda confluet,
6 Quis [3] non Sionis ſe feret civem? inferi
Quis non colonus ambiet?
7 Tum vox Sionem carminum, tum vox lyræ
Canent Sionem & tibiæ:
Et noſtra ſi quid [4] audiendum vox ſonet,
Laudem Sionis vox canet:
Et ſi quid animus voce dignum excogitet,
Animus Sioni ſerviet.

PSAL. LXXXVIII. *Domine Deus ſalutis meæ*, &c.

2 LUce voco te, nocte voco te, ſola ſalutis
Spes, columen, vitæ præſidiumque meæ.
3 Alme parens, facilem ne vultum averte precanti,
Neve humiles dura reſpue mente preces.

4 Mens

1 *Et lenis.*] Multi codices, & ii fere antiquiores, legunt, *Es lenis.* Gen. 1594. verſ. ſeq. *Es pacta.*

2 *Imminet quæ montium*] Rectius forte *eminet.*

3 *Quis non Sionis ſe feret civem?*] Duæ Stephanorum fratrum, una Plant. Argent. *Quis non Sionis ſe ferre civem?*

4 *Audiendum vox.*] Duæ Steph. una Plant. Argent. metro repugnante, *vox audiendum.*

4 Mens hebetata malis torpet: confecta dolore
Funereas ſpectat languida vita faces.
5 Membra vigor liquit: mors unguibus imminet atris:
De tumulo tantum jam mihi cura meo eſt.
6 Corpora non aliter pallent ſub mole ſepulchri,
Vulnere quæ ſubito mors inopina tulit:
Perpetuis quæ ſub tenebris oblivia condunt
Alta, ſalutiferam te retrahente manum.
7 Carcere ceu clauſum, & cæca ſub nocte ſepultum,
Me prope lethææ gurgite mergis aquæ
8 Uſque premis, ſtratumque urges, ſupraque jacentem
Accumulas iræ flumina cuncta tuæ.
9 Me veluti ſcopulum fugiunt horrentque ſodales,
Quos portum afflictæ ſpes erat eſſe rati.
Affixuſque toro jaceo, ceu compede vinctus:
10 Languida ceſſerunt lumina victa malis.
Interea laſſas tendens ad ſidera palmas,
Te, veniente die, te, fugiente voco.
11 Scilicet exſpectas, ut [1] acerba morte peremto
Oſtentes vires me revocando tuas?
An rediviva tuas in laudes ora reſolvent
Quos gelido tellus claudit avara ſinu?
12 An tua ſub tumuli bonitas cantabitur antro?
Vulgabuntve tuam muta ſepulchra fidem?
13 Juſtitiamne tuam taciturna ſilentia pandent?
An referent vires nox tenebræque tuas?
14 Aſt ego, ſancte parens, ſupplex tua numina clamo:
Nec precibus vacua eſt hora locuſve meis.
15 Sancte parens, animæ auxilium cur ſubtrahis ægræ?
Cur ſurda miſeras reſpuis aure preces?
16 Me dolor & primis labor anxius urit ab annis:
Me trepidi exanimant corde micante metus.
17 Me furor exagitat tuus, opprimit undique terror;
18 Agmen ut hibernæ, quod ſata mergit, aquæ.
19 Æger, inops, caris jaceo deſertus amicis:
Nec noti ærumnis ingemuere meis.

PSAL.

1 *Acerba morte peremto*] *Peremtum* forte Buchananus ſcripſerit. [Ablativos abſolutos etiam ſequente alio caſu poni docuimus ad Quinct. lib. XI. cap. I. vid. & Gronov. ad Tacit. I. Hiſt. 8. Dauſq. ad Quinct. Calab. p. 80. & alios. mallem vero in *revocando* ultimam non corripuiſſet Buchananus: nam nec in *Flaminio* nec *Baudio* id ferre potuit Broukhuſ. ad Tibull. III. VI. 3.]

PSAL. LXXXIX. *Miſericordias Domini in æternum cantabo:* &c.

2 TU mihi carmen eris, rerum pater optime, ſemper;
Notaque erit populis bonitas, me vate, futuris,
Pollicitique immota fides, dum ſidera mundo
3 Volventur tacito: citius quoque ſidera credam
In chaos antiquum lapſo ſe condere mundo,
Irrita quam ſacri credam fore fœdera pacti,
4 His concepta tuo quondam cum Davide verbis:
5 Dum mare, dum tellus ſtaret, dum ſidera cœli,
Davidici generis manſuram in ſecula prolem,
Et ſtabilem regni ventura in tempora ſedem.
6 Te, pater, ætherii cœtus, te jure piorum
Secla hominum celebrant, patrantem ingentia mundo
7 Mirante, & ſtabilis jus inviolabile pacti
Servantem. Quem terra tibi, quem conferet æther,
8 Magne parens? quem ſiderei tremit omnis olympi
Cœtus, & attoniti ſubmiſſa mente tyranni.
9 Armorum bellique potens, quocunque moveris,
Alma fides clara circum te luce refulget.
10 Tu maris irati furias compeſcis, ' & undæ
Dejicis inſanæ tumidos ad ſidera fluctus.
11 Tu Pharon elatam lethali vulnere ſternis,
Et quicunque tuis miſerum caput objicit armis.
12 Tu terræ cœlique opifex: quæcunque capaci
Complexu facies mundi revolubilis ambit,
13 Auctorem agnoſcunt: Aquilo tibi ſervit & Auſter:
Thabor & occiduum qui condit vertice ſolem,
Quique rubet radiis Hermon tepefactus Eois,
14 Lætitia exſultant: validæ tu robore dextræ
Clara per immenſum ſpargis miracula mundum.
15 Ante tuum ſolium tibi juſtum apparet & æquum:
Ante oculos adſtat bonitas, & neſcia flecti
16 Promiſſi ſincera fides. O terque quaterque
Felices, quos feſtarum clangore tubarum
Ad tua ſacra vocas: quos ſacri lumine vultus

17 Illu-

3 *Et undæ Dejicis inſanæ tumidos ad ſidera fluctus*] Male in ora libri ſui pro *ſidera* reponendum conjectat *littora* quidam vir doctus, qui nimirum abſurde dici exiſtimabat, *dejicere tumidos fluctus ad ſidera*: at illum, quiſquis fuit, fefellit verborum ordo, qui hoc pacto collocandus eſt, *Dejicis fluctus inſanæ undæ, tumidos*, (i. e. *qui modo intumuerant uſque*) *ad ſidera.* Virg. Æneid. III. v. 423. de Charybdi loquens,
------ *Imo barathri ter gurgite vaſtos*
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat un[illegible]

17 Illuſtras, hilareſque tui ſub nominis umbra
18 Cuſtodis: bonitate tua ſuper æthera vectis
19 Das vires, decus, imperium; das impia contra
Agmina, ceu clypeum, per dura pericula Regem.
20 Tu tibi dilectum ſecreto numine vatem
Impleſti, ut ſeclis daret hæc reſponſa futuris:
21 Ipſe mihi legi media de plebe, meoque
Impoſui Regem ſolio, qui protegat armis
Iſacidas, populoque meo qui jura miniſtret;
Davidis & ſacro perfudi tempora olivo.
22 Huic animum vireſque dabo, præſenſque tuebor
23 Perpetuo, ne fraude ſcelus, ne robur aperte
24 Exitium ferat: ipſe hoſtes, ipſe impia ſternet
25 Agmina: nulla meam vertit ſententia mentem.
Auxiliumque feram bonus, & ſuper ætheris axem
Nominis auſpicio noſtri ſe gloria tollet.
26 Jura dabit terris rapido quas gurgite claudit
Hinc mare Sidonio fœcundum murice, & illinc
27 Palmifer Euphrates, Supplex me in vota vocabit
Ille patrem: Deus ille meus tu, (dicet) & unum
Præſidium, una meæ coſtodia certa ſalutis.
28 Hunc ego præcipuo contra dignabor honore,
Supra alioſque dabo rerum moderamina reges,
Quicunque immenſum populis dant jura per orbem.
29 Nec meus abſiſtet favor illi in ſecla, nec illi
Jurata æterni ſolventur fœdera pacti.
30 Quin ſobolem, & ſobolis ſeros in cuncta nepotes
Secla dabo, & ſtabilis ſceptrum immutabile regni,
Donec ab obſcuris lucem ſol dividet umbris.
31 Quod ſi poſteritas mea fœdera ſancta profanet
32 Immemor, & legem ſpernat, juſſamque recuſet
33 Ire viam, domitos pœnis duroque labore
Compeſcam, & plagis uſque exercebo rebelles.
34 At neque deſtituam Regem bonitate perenni,
35 Fœdera nec ſolvam, nec quod ſemel ore profudi,
Ulla immutabit venturi temporis ætas.
36 Quippe ſemel ſancto firmavi fœdere, jurans
Per me, Nulla dies initi cum Davide pacti
37 Immemorem arguerit: ſoboles, dum ſecula mundus
Volvet, ei patrii ſceptri moderamen habebit.
38 [1] Eſto mi ſol teſtis ad hæc, & conſcia luna,
Cum quibus æquævum ſceptrum Judæa tenebit.

39 At

1 *Eſto mi Sol teſtis ad hæc*] And. Hartus 1621 *ad hoc*.

Digitized by Google

39 At nunc, ſancte parens, tumida inflammatus ab ira
40 Projicis electum Regem: rata fœdera pacti
Negligis, & capiti ſacrum diadema revulſum
Sternis humi, & populis præbes calcare profanis.
41 Nuda patent hoſti disjectis oppida muris:
Si qua manet, gelida formidine concutis arcem.
42 Cunctis præda ſumus populis: rapiuntque feruntque
Vicini, inſultantque malis, miſeroſque protervis
43 Vocibus illudunt. Hoſtis tu robore dextram
Interea firmas, perfundis pectora dulci
44 Lætitia: ac gladios hebetas in vulnera noſtros:
Nec recreas fractos duro in diſcrimine belli.
45 Jam decus & regni ſplendor, jam proxima cœlo
Majeſtas verſa in tenebras, ſoliique ſuperbi
46 Gloria ſtrata jacet: brevis immatura juventæ
Stamina præcidis: miſeræ pars ultima vitæ
In luctu, in ſqualore ignominiaque ſeneſcit.
47 Quem finem dabis ærumnis? nunquamne tuorum
Reſpicies clades vultu placatus amico?
An, ceu flamma furens, ſemper tua ſæviet ira?
48 Ipſe memor tecum reputa, quam concita noſtræ
Tempora prætereant vitæ: fruſtra ergo crearis
49 Humani generis ſobolem? ut brevis exigat ævi
Tempora, perpetuo curarum exercita fluctu?
Dum fractam luctu & morbis, ſeniove, ſepulchri
Clauſerit obſcuro mors illacrymabilis antro.
50 Heu bonitas ubi priſca? fides ubi priſtina? ubi illa
Fœdera conceptis quondam cum Davide verbis
51 Facta tibi? Cerne opprobriis quibus impia ſervos
Turba tuos premat inſultans: quam multa ſilenti
Clauſa ſinu maledicta feram, dum turba profana,
Dum circum innumeræ gentes convicia fundunt,
52 Noſque tui Chriſti verbis petulanter amaris
53 Adventum ſperare jubent. At tu bone rerum
Conditor, æterno verax celebraberis ævo.

PSALMORUM

Liber Quartus.

PSALMUS XC. *Domine, refugium factus es nobis*, &c.

1 Cœlitum rector bone, abuſque primis
Seculis, mundi rudis & juventa,
Qui laborantes ope ſublevaſti
Semper amicos:

2 Antequam tellus nova parturiret
Montium ſaltus, tegeretque montes
Lucidus cœli decor, ante metas
Lucis & umbræ;
Tu manes idem pater orbis, unus
Nec vices rerum patiens, nec ævi
Termino clauſus brevis: unus expers
Finis & ortus.

3 At brevis nobis miſeræque vitæ
Fila paullatim tenuas, ſenecta
Donec in putrem cinerem caducos
Solverit artus.

4 Tempus annorum tibi mille, lucis
Inſtar heſternæ, fluidique puncti,
Nulla decurſus quod ubi receſſit
Signa relinquit.

5 Noſtra vaneſcit tenues in auras
Vita, per ſiccas velut unda arenas,
Aut velut ſenſus per opaca ludens
Noctis imago.

6 Herba ceu verno ſaturata rore
Mane, mox languet medio ſub æſtu,
Mox humi comis jacet areſactis
Veſpere ſero.

7 Præter & vitæ mala tot fugacis,
Quæ voluptates vitiant amaro,
Ira turbatis tua ſemper inſtans
Pectora vexat.

8 Quicquid erramus temere aut maligne,
Quæ timor celat tenebris pudorve,
Tu vides, nec te latet inquieti
Pectoris æſtus.

9 Dum tui pœnas meritas furoris
Mens reformidat, prope cogitatu
Ocyus vitæ ſpatium citatis
Aufugit alis.

10 Septies denos ſpatioſa in annos
Vita procurrit: quibus eſt ſenecta
Firmior, ferme in decimum ſuperſunt
Amplius annum.
Quid ſenectutis memorem labores?
Tranſvolat blandæ breve ver juventæ,
Inquies curis miſeriſque morbis,
Ocyus Euro.

11 Deinde quis juſtæ tolerabit iræ
Im-

Impetum, ſi jam jubeas nocentes
Pro modo offenſæ numeroque juſtas
Pendere pœnas?
12 Sic pater, ſic o, numerare fluxæ
Nos doce vitæ ſpatium, caducis
Mens ut a curis revocata, veri
Lumen honeſti
13 Cernat. O tandem placidus favenſque
Deſine irarum, propiuſque ſervis
Semper aſſueta tibi lenitate
Conſule feſſis.
14 Fac tuæ fructu bonitatis aucti,
Gaudio tandem ſatiemur: ægris
Liberi ut curis reliquos agamus
Suaviter annos.
15 Cedat & lætis fugiens viciſſim
Luctus, exacto modus & labori
Par voluptatis ſubiens amarum
Mitiget ævum.
16 Facta, majeſtas, opera, amplitudo
Nota ſint ſervis tua, poſteriſque
Nota ſervorum, tua qui libenter
Juſſa capeſſunt.
17 Fac tuæ ſemper bonitatis ut nos
Splendor illuſtret, bone rector orbis:
Gratiæ adſpirans favor actiones
Proſperet omnes.

PSAL. XCI. *Qui habitat in adjutorio altiſſimi, &c.*

1 SI protegendam præſidio Dei
Credas ſalutem, rem, ſobolem, domum,
2 Inſana quum ſors intonabit,
Si Domini fugias ſub umbram,
Securus omnem fer violentiam
[1] Sortiſque mortiſque, & tetricas minas
Contemne: ſecurus tumultum
Deſpicias creperi duelli:
3 E fraude cæca te Deus eximet,
Frangetque caſſes inſidiantium.
Nec ſæviens late venenum
Lethiferæ patiere peſtis.
4 Expandet alas te ſuper, & ſuis
Pennis fovebit rebus in aſperis:
Certuſque promiſſæ ſalutis
Sub clypei latitabis umbra.
5 Noctis per atræ cæca ſilentia
6 Non expaveſces cæca pericula:
Non luce graſſantem timebis
Perniciem, nec aperta bella:
7 Interque ſtrages mille cadaverum,
Dextra, ſiniſtra, mille cadaverum,
Periculorum exſors propinquam
Incolumis fugies ruinam.
8 Pœnam luentes interea malos
9 Lætus videbis: præſidio Dei
Securus armorum & tumultus,
Ceu validis tegerere muris.
10 Nec te, nec ædes vis propius tuas,
11 Aut damna tangent: nam Deus Angelos
Cuſto-

1 *Sortiſque mortiſque, & tetricas minas*] Duæ Stephanorum, utraque Plantiniana, & Argentor. *terrificas minas*: quod metrum non patitur.

Cuſtodiæ tuæ ſalutis
Præficiet, vigileſque ad omnes
Motus, viarum qui referent moras:
12 Qui per ſalebras te manibus ferant,
Ne ſaucietur pes recuſſus
Objicibus ſcopulorum acutis.
13 Securus atras inter & aſpides
Deges, ferarum & pignora tigridum:
Tutuſque calcabis dracones,
Et Libycæ catulos leænæ.
14 Obſervat (inquit) me Deus, unice &
Honore nomen proſequitur meum:
Laborioſis hunc viciſſim
Incolumem eripiam periclis.
15 Præſens vocanti ſubſidium feram,
Et imminenti rebus in aſperis
Fato eximam: exemtoque honorum
Eximium decus arrogabo.
16 Faxo virenti robore tranſigat.
Seræ ſenectæ tempora ſuaviter:
Meoſque monſtrabo beare
Qua ſoleam ratione amicos.

PSAL. XCII. *Bonum eſt confiteri Domino*, &c.

2 TE prædicare, laudibus te proſequi,
Rex alme cœlitum, decet.
3 Seu ſol Eoa luce terras purpuret,
Seu nox tenebris obruat,
Lux prædicantem me tuam clementiam,
Nox audiet conſtantiam:
4 Nec voce tantum, ſed canora barbito,
Sed cymbalo, ſed nablio.
5 Operum tuorum tacita cogitatio
Animum jacentem exſuſcitat.
Quum facta reputo, geſtiunt præcordia
Perfuſa dulci gaudio.
6 O opera! [1] facta o magna vere! o ſub cava
Conſilia nube condita!
Conſilia cæcis mentibus mortalium
7 Ignota! qui non cogitant
Florere pravos inſtar herbæ, quam fovet
Sol lenis, humor educat:
8 Mox inſtar herbæ frigorum afflatu levi
Marcentis evaneſcere.
9 Tu ſemper idem permanes, nec ſentiens
Rerum vices, nec temporum.
10 Sceleris amicos ac tuos hoſtes premet
Ruina inevitabilis:
11 At me fovebis patria indulgentia,
Crudo vigentem robore:

Et

1 *Facta o magna vere!*] Duæ Steph. una Plant. & Argent. adverſus metri rationem, *o vere magna!*

Et rore mitis balſami vultum imbues,
Roſeo juventæ lumine.
12 Oculis malignis qui tuentur me hoſtium
Paſcam ruinis lumina:
Et impiorum, qui creant moleſtiam
Mihi, lætus excidium audiam.
13 Ceu palma, juſtus germinabit interim,
Aut cedrus in Libani jugo,
Quam non procellæ, non calor, non frigora
Honore nudant frondium.
14 Quæ planta firmis hæſerit radicibus
In æde Domini aut atriis,
Se flore amœno frondibuſque veſtiet:
15 Fluxique lapſu temporis
Ægræ ſenectæ damna nulla ſentiet,
Onerata largis fructibus:
16 Ut nota cunctis gentibus ſit æquitas
Domini potentis: qui mea
Arx eſt ſalutis una, qui nunquam malæ
Affinis eſt injuriæ.

PSAL. XCIII. *Dominus regnavit, decorem indutus eſt*, &c.

1 JAm Dóminus rerum imperium ſuſcepit, amictus
Decore multo & dignitate: robore
Jam ſeſe accinxit: Dominus, qui mœnia mundi
Firmavit ullo non movenda ſeculo.
2 Cujus ab æterno ſolium eſt immobile regni,
Ut ipſe, nullas temporum metuens vices.
3 Flumina præcipites volvant cum murmure fluctus,
Et æquor undis æſtuet minacibus;
4 Compeſcit Dominus gravidis turgentia nimbis
Flumina, minacis ſternit undas æquoris.
5 Stat fixum, & cunctis manet invariabile ſeclis,
Quodcunque Dominus ore ſancto protulit.
Quæque ædem exornant Domini ſacra myſtica, nulla
Oblivionis damna feræ ſentient.

PSAL. XCIV. *Deus ultionum Dominus*, &c.

1 O Fraudis ultor, ſceleris o vindex Deus,
Oſtende numen impios contra tuum.
2 O juſte judex orbis, expergiſcere,
Meritiſque pœnis reprime arrogantiam.
3 Quouſque tandem, rector orbis optime,
Seſe ſuperbe jactitabunt impii?
4 Devota ſceleri factio in ſcelere ſuo
Plaudit, ſibique fabulis ſtultis placet:

5 Tuumque populum pedibus interim premunt,
Tuam proterve hæreditatem proterunt:
6 Viduam trucidant advenamque, & omnibus
Parente caſſos obruunt moleſtiis:
7 Secumque muſſant, Hæc Deus non adſpicit,
Nec fanda prorſus & nefanda intelligit.
8 Gens ergo bruta, penitus ignorantia
Obſeſſa pectus ſomnolentum, diſcute
9 Animi veternum, & cogita tecum, Deus
Qui fecit aurem, ſurdus eſt? qui luminum
10 Formavit orbes, [1] Ipſe nil videt? vagas
Sine lege gentes recta qui ſequi docet,
Non is ſuorum puniet ſcelera, quibus
Oracla legum ſacroſancta credidit?
11 Arcana noſtri pectoris novit Deus,
Conſilia vana, ſpes inanes, turbidos
12 Æſtus. Beatus ille demum, quem parens
Erudit amore patrio, legis ſuæ
13 Cui ſcita monſtrat: rebus in duris aget
Securus ævum, dum paratur impio
Naſſa, in lacunam incogitantem quæ trahat.
14 Hæreditatem nec Dominus unquam ſuam
Ope deſtitutam negliget, nec impiis
15 Prædæ relinquet: ſed tribunal judicum
Ad æquitatis diriget normam ſuæ:
Vitamque ad illam dirigent boni ſuam.
16 Contra ſceleſtos quis mihi auxilium feret?
Mecum impiorum quis premet ſuperbiam?
17 Nam jam ſepulchri frigidus ſub frigido
18 Cumulo jacerem, niſi Dominus opem mihi
Præſens tuliſſet, & ſua clementia
Firmaſſet animum, & jam vacillantem gradum
19 Fulſiſſet, & me pene ſubmerſum malis
Solatus eſſet, anxiæque nubibus
Curæ remotis reddidiſſet gaudium.
20 Mecum loquebar, Quid ſceleſtis cum Deo
Commune? ſcelera legis umbra qui ſua
Tegunt, bonorum fraudulenta qui in caput
21 Conſilia coeunt, factione innoxium
Premunt, iniquiſque obruunt ſententiis.
22 At rector orbis me tuebitur, meæ
Cuſtos ſalutis, arx meæ fiduciæ,
23 Pro ſcelere pravis digna reddet præmia:
Suis & ipſos artibus peſſundabit
Rerum creator Dominus, ac noſter Deus.

PSAL.

1 *Ipſe nil.*] Quatuor Steph. duæ Plant. & Argent. *ipſe nihil.*

PSAL. XCV. *Venite, exſultemus Domino,* &c.

1 EIa alacres cuncti Domini celebremus honores:
Salute parta Domino agamus gratias.
2 Eia alacres rapiamus iter, mora ſegnis abeſto:
Dominum canora perſonemus barbito.
3 Magnus enim Dominus Deus eſt: Rex magnus, & orbis
Longe univerſis eſt deis potentior.
4 Ille manu fulcit vaſtæ penetralia terræ,
Et nube cincta montium faſtigia.
5 Ille vagum fecitque, & factum temperat æquor,
Terramque ſalſis innatantem fluctibus.
6 Eia igitur genibus flexis manibuſque ſupinis,
Dominoque noſtro ſupplicemus & patri.
7 Noſter enim Deus eſt, nos grex illius: ab uno
Pendemus illo, ſpiritumque ducimus:
Si modo non lentam verbis damus illius aurem,
Nec reſpuamus monita pertinaciter:
8 Nec, velut ad Meribam, me rixis, inquit, acerbis
Et arroganti provocetis murmure;
Aut, Arabum veluti quondam per inhoſpita ſaxa,
Vires rebelli voce tentetis meas.
9 Quum proavi veſtri me exploravere, meamque
Didicere factis plurimis potentiam.
10 Illa quater denis mihi natio reſtitit annis:
Dixique ſemper interim, Hæc gens deſipit,
Et mea ſecuras tranſmittit dicta per aures.
11 Ira ergo juſta in pertinaces concitus
Juravi, Terræ gens hæc ingrata beatæ
Promiſſa amicis commoda haud carpet meis.

PSAL. XCVI. *Cantate Domino canticum,* &c.

1 NOn uſitato pangite
Orbis parentem carmine,
Orbis coloni, incognitis
Abuſque terræ finibus.
2 Cantate Dominum, laudibus
Nomen beatum tollite,
Et mente grata agnoſcite
Veſtræ ſalutis vindicem.
3 Sol qua recurrit, audiant
Gentes Dei potentiam,
Stuporque dulci gaudio
Perfuſa oberret pectora.
4 Namque unus eſt vere Deus,
Cunctiſque major laudibus,
Et diis timendus ceteris,
Quos horret error credulus.
5 Veſana gentes ceteræ
Pro diis colunt ludibria:
Dominus potenti dextera
Cœlum ſolumque condidit.

6 Apparet illi dignitas,
Auctoritas, potentia:
Ejuſque templa ſiderum
Fulgore lucent gloriæ.
7 Tribuite Domino gentium
Terras colentum ſecula,
Tribuite Regi cœlitum,
Et robur & potentiam.
8 Tribuite magnitudinem
Tanto decoram numini:
Auguſta templi ad atria
Adferte prompti munera.
9 Adeſte, pompam adducite,
Et ſupplices procumbite:
Omneſque rerum termini
Deum tremant & diligant.
10 Narrate cunctis gentibus
Regnare Dominum, qui ligat
Orbem catena immobili, &
Æquis gubernat legibus.
11 Lætetur æther, geſtiat
Tellus, fretum præ gaudio
Exſultet, & quicquid freti
Salſas lacunas incolit.
12 Campi vireſcant avii,
Se culta fruge veſtiant,
Arrideantque floribus
Silvæ, & graventur fructibus.
13 Natura rerum geſtiens,
Cunctos per artus ſentiat
Dei ſui præſentiam,
Et promta juſſis pareat.
Jus namque veniet dicere,
A vi ſuos ut aſſerat,
Mundumque juſtis legibus
Et veritate temperet.

PSAL. XCVII. *Dominus regnavit, exſultet terra*, &c.

1 IPſe ſui Dominus regni moderatur habenas:
Lætare tellus continens, & inſulæ
Quas vagus Oceanus refluis complectitur undis,
Cuicunque cœli ſubjacetis cardini.
2 Hunc circum umbriferæ nubis prætexit amictus,
Pallenſque multa fuſca nox caligine.
Apparent famulæ juxta, firmantque tribunal,
Severitaſque dura, mitiſque Æquitas.
3 Ante volant ſævum rutilantes fulminis ignes,
Hoſteſque flammis obruunt ſequacibus.
4 Fulguribuſque micat late flagrantibus æther:
5 Attonita tellus intremiſcit: montium
Saxa fluunt, rapido ceu cera liqueſcit ab igne,
A ſempiterni pavida vultu numinis.
Terra ſui a vultu Domini tremefacta liqueſcit:
6 Et æquitatem templa cœli prædicant.
Et quicunque habitant terras ubicunque remotas,
Novere numen & Dei præſentiam.
7 Illis ora pudor turpis confundat, inanes
Quicunque mentis ſtipites pro diis colunt:
Dumque ſacris placant picti ludibria trunci,
Se gloriantur impio in ſcelere pios.

Quic-

Digitized by Google

Quicquid ubique Dei ſub nomine credulus error
Honorat, unum adoret, unum diligat.
8 Læta Sion tenebras errorum cernet abactas:
Judæa dulci delibuta gaudio,
Sacrilega adſpiciet vani ſacraria ritus
Everſa, pœnas luere meritas impios.
9 Nam procul aſtriferi trans ignea mœnia mundi
Tu frena rerum juſtus arbiter tenes.
Teque deos infra longe premis altior omnes,
Tuique obumbras numinis faſtigio.
10 Ergo Deum quicunque pio complectere amore,
A ſcelere mentem contine puram & manum.
Nam Domino cordi eſt pietas, vitamque bonorum
A vi tuetur impiæ tyrannidis.
11 Et lætum offundit lumen cultoribus æqui,
Et pura ſceleris corda recreat gaudio.
12 Vos, quibus eſt cordi reverentia juris & æqui,
Gaudete, Domini ſpe favoris ac opis
Securi: gratoque Deum ſuper æthera cantu
Sanctumque nomen ejus uſque tollite.

PSAL. XCVIII. *Cantate Domino canticum novum*, &c.

1 NOn uſitato carmine
Rerum parentem pangite,
Virtute qui victoriam
Non uſitata rettulit.
Sua ipſe ſolus dextera,
Externæ opis nil indigus,
Nos liberando, poſteris
Miranda geſſit ſeculis.
2 Senſere gentes impiæ
Bello Dei potentiam:
Pœnas luendo, judicem
Senſere juſtum & vindicem.
3 Promiſſa ſolvit optima
Fide Iſaci nepotibus,
Partæ ſalutis teſtibus
Totius orbis incolis.
4 Huic ergo læti pſallite
Totius orbis incolæ:
Hunc ferte in aſtra laudibus,
Lætis [1] tubæ & clangoribus.
5 Laudate Dominum barbito,
Nervíſque carmen jungite:
6 Lenîſque tibiæ modis
Adſit ſonora buccina.
7 Teſtetur æquor gaudium,
Et quicquid æquor occulit:
Orbîſque terræ geſtiat,
Et quicquid orbis educat.
8 Exſultet unda fluminum,
Leni ſuſurrans murmure:

Mon-

1 *Lætis tubæ & clangoribus.*] Stephanorum fratrum editiones anno 1565 & 1566, & Argent.
Lætis tubis & clangoribus:
contra metri legem. Robert. Steph. 1575.
Lætis tubæ clangoribus.
duæ Plant. & aliæ omnes,
Lætis tubæ & clangoribus.

Digitized by Google

Monteſque læti plauſibus
Deum venire gaudeant.
9 En ipſe Dominus advenit,
Cunctis ut orbis incolis
Det æqua juſtus præmia,
Et facta plectat impia.

PSAL. XCIX. *Dominus regnavit, iraſcantur populi*, &c.

1 JAm regnum Dominus, ſpirituum piis
Qui dat jura choris, ſuſcipit: impiis
Horror terrificet pectora gentibus:
Tellurem quatiat tremor.
2 Nec tantum Solymæ vim Dominus ſui
Fecit conſpicuam numinis, & ſuæ,
Majeſtatis opes cernere finibus
Terrarum dedit ultimis.
3 Ergo te meritis tollat honoribus,
Auguſtum celebret gens hominum tuum
4 Nomen, qui [1] ſalubri temperie modum
Sceptris conſtituas tuis.
Selectæ ſoboli qui populi tui
Jus nullis dederis mobile ſeculis:
Frenas juſtitiæ qui moderamine
Æquali genus Iſaci.
5 Sublimem Dominum laudibus & Deum,
Solus qui liquido regnat in æthere,
Ferte, & ſcamna pedum (ſanctus enim Deus
Eſt noſter) veneramini.
6 Huic Moſes & Aron, & Samuel bonus,
Docti legitimis tingere victimis
Aras, conſilium quum peterent, data
Sæpe oracla petentibus.
7 De pila tereti nubis eis dabat
Reſponſa ambiguis ſollicito metu,
Legum quod monitus pactaque fœdera
Servaſſent ſtabili fide.
8 Aurem ſupplicibus tu facilem dabas,
O rerum genitor maxime & optime,
Indulgenſque bonis, & ſcelerum ſimul
Vindex, durus in impios.
Sublimem Dominum tollite laudibus,
Solus qui liquido regnat in æthere: &
Montem quo colitur (ſanctus enim Deus
Eſt noſter) veneramini.

PSAL. C. *Jubilate Deo omnis terra*, &c.

1 ORbis omnes incolæ
A ſole Eoo ad Heſperum
2 Jubilate, & optimo
Rerum parenti plaudite
Mente læta, & ritibus
Servite puris numini.

Ge-

1 *Salubri*] [Corripit jure Buchananum Pincier. Parerg. lib. III. cap. 19. quod mediam in *ſalubri* ſyllabam corripere ſit auſus. idem Nicolao Heinſio exciderat, ſed ſecundis curis correxit.]

Digitized by Google

Geſtientes gaudio
Adite ſancta limina.
3 Ille noſter eſt Deus,
Noſter parens & conditor:
Non enim nos finximus
Ipſi, ſed illius ſumus,
Qui levi de pulvere
Alit creatos & regit.
4 Ad fores ergo illius
Adite læti, gratias
Agite: feſtis laudibus
Benignitatem pangite:
Prædicate cæteris
Numen beatum gentibus.
5 Nam benignitas Dei,
Et in ſuos clementia,
Clauſa nullo eſt termino:
Et firma ſtat pactis fides
Poſterorum poſteris
In ſempiterna ſecula.

PSAL. CI. *Miſericordiam & judicium cantabo*, &c.

1 TE ſalus rerum cano, qui precanti
Lenis irarum es, facilisque flecti,
Impiorum idem tetricus rebelles
Frangere faſtus.
2 Huc meæ vires vigilant, labores
Huc ferent omnes, opis in tuæ ſpem
Semper ut caſtis domus inſtitutis
Culta niteſcat.
3 Si ſalutarem mihi tu ſerenus
Porrigis dextram, tibi corde puro
Serviam: fraudum ſceleriſque pura
Serviet aula.
Nec mihi exemplum ſtatuam ſequendum,
Litibus ſi quis miſeros iniquis
Vexet, aut cauſſam tenuis clientis
Prodidit hoſti.
4 Sponte qui pravis ſtudiis inhæret,
Sit procul: ſævi ſceleris miniſter
Candidos nunquam mihi cenſeatur
Inter amicos.
5 Quiſquis incautum lacerat ſodalem,
Clam venenato jaculatus ictu,
Perſequar, plectam, penituſque ab ima
Stirpe revellam.
Nec meæ menſæ dapibus fruetur
Mentis elatæ tumor, arroganſque
Vultus, & cunctos veluti minores
Lumine ſpernens.
6 Veritas ſimplex quibus eſt amori,
Hos amo, amplector, video libenter:
His mihi ſeros ſociis ſenectus
Impleat annos.
Integer vitæ mihi ſit miniſter:
7 Tecta non intret mea fraudulentus:
Nemo mecum intra mea commoretur
Limina mendax.
8 Impios longe (mora nulla) terræ
Finibus pellam: procul omne monſtrum
Civitas ſancta ut Domini relegat
Flagitiorum.

PSAL. CII. *Domine exaudi orationem*, &c.

2 EXaudi genitor ſancte meas preces,
Clamoriſque ſonum percipe lugubris:
3 Neu vultum miſero ſubtrahe, cladibus
Omni ex parte prementibus.
Aures ſuppliciis nunc adhibe meis:
Da votis facilem te, pater optime,
Et preſſo celerem porrige dexteram,
Et præſenti ope ſubleva.
4 Ceu fumi nebulæ tempora tranſvolant,
Ut lentis coquitur torris ab ignibus,
Paullatim tacitus ſic dolor aridis
Humorem ebibit artubus.
5 Dum luctu crucio me dapis immemor,
Ut ſecta e viridi gramina ceſpite
Areſcunt nimio torrida ſole, cor
Exſuccum mihi tabuit.
6 Crebro ſic remeans ſpiritus ilia
Tendit, ſic gemitus pectora concutit
Mœſtus continuo, tabida uti cutis
Jam vix hæreat oſſibus.
7 Ut ſaltus habitans cuculus avios,
Aut tectis latitans noctua dirutis,
8 Aut turtur viduus, ſolus, inops, dies
Et noctes vigiles gemo.
9 Dum ceu ludibrium rideor improbis,
Irriſumque petunt fraude nefaria.
10 Nec panis cinere eſt gratior arido, &
Potum tempero fletibus.
11 Iſtis ira malis me cumulat tua,
Qui me ſuſtuleras ex humili loco,
Sublimi gravius rurſus ut e gradu
Tractum præcipitem dares.
12 Ut ſero in tenebras umbra crepuſculo
Vaneſcit, celeres deproperant dies
In mortem: veluti ſub medio die
Fœnum, corpus inaruit.
13 At te perpetuis ſecula ſeculis
Nectentem, volucris non fuga temporis
Carpit, nec memorem nominis obruet
Famam poſteritas tui.
14 Tandem ſurge, pater, tecta Sionia
Jam lenis placido reſpice lumine:
Jam pleno redeunt tempora circulo,
Promiſſumque ferunt diem.
15 Jam ſervi lapides reſpiciunt tui
Disjectos faciles, ſparſaque rudera,
Incultique ſoli jam miſerabilem
Verſa mente dolent vicem.
16 Ut vertat populos terror in exteros,
Ut nomen Domini ſit celebre omnibus
Et numen, trifidum qua colitur ſolum,
Formidabile regibus.
17 Verſam reſtituet quum Solymam, ſuæ

Digitized by Google

Majeſtatis opes quum dabit adſpici;
18 Lugentum miſeris quum querimoniis
Flectet ſe, & prece ſupplice.
19 Scribentur tabulis iſta fidelibus,
Seris ut Domini nota nepotibus
Sit laus, nec ſenium prodita poſteris
Norit gloria ſeculis.
20 De ſanctis adytis ætheriæ domus,
Templi ſepoſitis de penetralibus,
Cœleſtis Dominum non piguit ſoli
Curas reſpicere ad leves.
21 Nexorum ut gemitus audiat, & neci
Addictos tetrica compede liberet:
22 Laudes ut Solymæ templa Deo ſonent,
Et nomen recinat Sion
23 In cœtu celebri. Tum procul ultimis
Terrarum populi finibus exciti
Illuc ſacra ferent, & Domino dabunt
Reges munera ſupplices.
24 Quamvis in medio curriculo meum,
Robur comminuit, deſtituit manum,
Atque ævi ſpatiis tempora lubrici
Contraxit brevioribus:
25 Clamabo tamen, O mi Deus unice,
In vitæ medio ne ſtadio brevem
Curſum ſiſte rotæ: quantulum ad ultimam
Jam metam ſupereſt mihi?
Te nunquam brevibus clauſa recurſibus
Aſtrorum, ſenio conficiet dies:
26 Tu terræ ſtabilis mole, volucribus
Tu cœli prior ignibus.
27 Illis interitus ſtant ſua tempora:
Tu nullo interitum tempore ſenties.
Annorum ſeries cætera deterit:
Ut veſtis teritur vetus;
Ut detrita novis pallia veſtibus
Permutat locuples; ſic abit & redit,
Et mutat facies imperio tuo
Mundi dædala machina.
28 At tu, qui fueras, ſemper es atque eris:
In teipſoque habitas: nec varias vices
Decurſo patiens tempore, permanes
Metæ ſecula neſcia.
29 Sed ſervi ſoboles, & ſobolis tui
Servi poſteritas per ſeriem tuis
Tecum perpetuis æmula ſeculis,
Ævi tempora tranſigent.

PSAL. CIII. *Benedic anima mea Domino*, &c.

1 Sit parens rerum mihi carmen: illum
Vox canat, ſenſus petat, & remotis
Quiſquis eſt fibris vigor, & ſacratum
Nomen honoret.
2 Mens Deo laudes cane, redde grates
Mens Deo: nullis benefacta ſeclis
Excidant, & quæ tribuit benigna
Munera dextra.

3 Qui ſcelus tollit maculoſum, & ægros
4 Sanat angores, animoque vires
Reddit, & vitæ properante fato
Prorogat annos.
5 Qui manu larga tibi plura donat,
Ore quam poſcas, animo vel optes:
Servat ac in morem aquilæ virentem
Flore juventam.
6 Integer judex, ſcelerumque vindex,
7 Tradidit ſancto ſua jura Moſi:
Iſaci prolem docuit piarum
Dogmata legum.
8 Lenis & blandus, dare dona largus,
9 Tardus iraſci: neque ſempiternæ
Sævit offenſæ memor, aut perennes
Ardet in iras.
10 Nec modus pœnæ numeruſve noſtris
11 Æquus eſt culpis: bonitas redundat
Latius terræ plaga quam remoto
Diſtat olympo.
12 Tam procul noſtri maculas removit
Criminis, quam ſe procul a cubili
Gaditano ſol oriens Eois
Exſerit undis.
13 Qualis in natos placidi parentis
Lenitas, talis Domini benigni eſt,
Quiſquis illius pietate vera
Nomen adorat.
14 Tu ſinus mentis penitus repoſtos,
Tu pater noſti penetrale cordis:
Quippe nos terræ memor e rubenti
Pulvere factos.
15 Herba ceu, lactens pueri venuſtas.
Prodit, occultoque adoleſcit ævo,
Donec ut fœnum cadat areſactum
Falce ſenectæ.
16 Inſtar aut floris Tyrio comantis
Murice, ut vultu modice ſereno
Riſit, afflatu tepidi repente
Concidit auſtri.
17 Sed Dei æterna bonitate in ævum
Tutus æternum remanet piorum
Cœtus, & longa ſerie propago
Sera nepotum:
18 Si nec æternas violabit icti
Fœderis leges, memorique juſſa
Mente ſervarit, referatque vita
Puriter acta.
19 Ille flammantis ſuper alta cœli
Culmina immotum ſolium locavit,
Et ſuo nutu facile univerſum
Temperat orbem.
20 Angeli juſſis Domini miniſtri,
Sub jugum jus eſt quibus & poteſtas
Cuncta cogendi, Domino Deoque
Pangite laudes.
21 Quique caſtrorum comites meretis
Sub ducis tanti imperio, audientes
Sedulo dictis, Domino Deoque
Pangite laudes.
22 Quæque per vaſtos ubicunque fines
Imperi pollens opifex creavit,
Plaudite, auctori Domino Deoque
Pangite laudes.
Mens Deo grates cane, redde grates
Mens Deo: hunc ſenſus petat, & remotis
Quiſquis eſt fibris vigor, & beatum
Nomen honoret.

PSAL.

PSAL. CIV. *Benedic anima mea Domino*, &c.

1 TE rerum, Deus alme, canam Dominumque patremque:
Magne parens, ſancta quam majeſtate verendus,
Ætheris æternas rector moliris habenas!
Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
2 Et circumfuſum veſtit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria cœli,
3 Et liquidas curvo ſuſpendis fornice lymphas:
Et levibus ventorum alis per inania vectus,
Frenas ceu celeres volitantia nubila currus.
4 Apparent accinctæ auræ flammæque miniſtræ,
5 Ut juſſa accipiant. Stat nullo mobilis ævo
Terra, ſuper ſolidæ nitens fundamina molis,
6 Pollenti ſtabilita manu: terra obruta quondam
Fluctibus, ut fuſo ſuper ardua culmina velo:
7 Sed ſimul increpuit tua vox, tonitruque tremendo
8 Inſonuere auræ, paullatim aſcendere montes
Cernere erat, ſenſimque cavas ſubſidere valles,
Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.
9 Neve iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.
10 Tum liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides undas volventia campos:
11 Unde ſitim ſedent pecudes, quæ pinguia tondent
Paſcua, quique feris onager ſaxa invia ſilvis
12 Incolit: hîc levibus quæ tranant aëra pennis,
Per virides paſſim ramos ſua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca ſola querelis.
13 Tu pater aërios montes, campoſque jacentes
Nectare cœleſti ſaturas, fœcundaque rerum
Semina vitales [1] in luminis elicis oras.
14 Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni:
Unde olus humanos geniale aſſurgat in uſus:
Quæque novent feſſas cerealia munera vires,
15 Quæque hilarent mentes jucundi pocula vini,

1 Qui-

1 *In luminis elicis oras.*] Duæ Steph. editiones antiquiores, Plantiniana 1566, & Argentor. *in luminis elicis auras*. Ennius quidem & Lucretius *luminis oras* dixere; in nonnullis tamen Virgilii editionibus. Georg. II. verſ. 47. Æneid. VII. verſ. 660. *luminis auras*, legitur.

[1] Quique hilaret vultus ſuccus viridantis olivi.
16 Nec minus arboribus ſucci genitabilis humor
17 Sufficitur: cedro Libanum frondente coronas,
Alitibus nidos: abies tibi conſita ſurgit,
Nutrit ubi implumes peregrina ciconia fœtus.
18 Tu timidis montes damis; cava ſaxa dediſti,
Tutus ut abſtruſis habitaret echinus in antris,
19 Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis: puroque accenſum lumine ſolem
Ducis ad occiduas conſtanti tramite metas:
20 Inde ſuperfuſis cuncta involventibus umbris,
Per tacitas ſpargis nocturna ſilentia terras.
21 Tum fera prorepit latebris, ſilviſque relictis
Prædator vacuis errare leunculus arvis
Audet, & e cœlo mugitu pabula rauco
22 Te patrem expoſcit: dein rurſus ſole renato
Abditur occultis prædatrix turba cavernis:
23 Inque vicem ſubeunt hominumque boumque labores,
Donec ſera rubens accendat lumina veſper.
24 Sic pater in cunctos didis [2] te commodus uſus.
Nec tantum tellus, genitor, tua munera ſentit,
25 Tam variis fœcunda bonis: ſed & æquora ponti
Fluctibus immenſas circumplectentia terras,
Tam laxo ſpatioſa ſinu: tot millia gentis
Squamigeræ tremula per ſtagna liquentia cauda
26 Exſultant; tot monſtra ingentia & horrida viſu
Veliferas circumnant puppes: grandia cete
Effingunt molles vitreo ſub marmore luſus.
27 Atque adeo quæ terra arvis, quæ fluctibus æquor
Educat, a te uno pendent, pater optime, teque
Quæque ſuo proprium poſcunt in tempore victum.
28 Te magnam pandente manum, ſaturantur abunde
29 Omnia: te rurſus vultum condente, fatiſcunt.
Te tollente animam, ſubito exanimata recurrunt
30 In cinerem: inſpirante animam te denuo, ſurgit
Illico fœcundæ ſobolis generoſa propago,
Et deſolatas gens incolit aurea terras.
31 [3] Sic eat, o nullo regnet cum fine per ævum
Majeſtas divina: ſuumque in ſecula lætus
32 Servet opus Deus: ille Deus, quo territa tellus

Con-

1 *Quique hilaret vultus*] Editio hujus Pſalmi Lond. 1620, *Quique hilaret vultum.*
2 *Te commodus.*] Duæ Steph. una Plant. & Argent. *te providus.*
3 *Sic eat, o nullo*] Edit. Lond. 1620. *Sic eat, & nullo.*

Concutiente tremit, montes tangente vaporant,
Fumifera trepidum nebula teſtante pavorem.
33 Hunc ego, dum vivam, dum ſpiritus hos reget artus,
34 Uſque colam: tantum ille meas facilisque bonuſque
Accipiat voces: nempe illo oblector in uno.
35 At vero impietas plane exſtirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet: [1] ac nos
Te rerum, Deus alme, patrem Dominumque canemus.

PSAL. CV. *Confitemini Domino, & invocate*, &c.

1 CAnite [2] Dominum, & invocate nomen ejus: exteris
Facta gentibus per orbem prædicate illuſtria.
2 Ille ſermo, carmen ille, [3] & illius miracula:
3 Nomen ejus, numen ejus una nobis gloria.
Hunc amantum & hunc petentum palpitet cor gaudio.
4 Robur ejus, pignus ejus ſacroſanctum roboris
Petite: vultum ejus beatum continenter quærite.
5 Subeat animum quanta noſtris edidit majoribus
Signa, quæ portenta; legum ſcita quæ reliquerit.
6 Vos Abrami, vos Jacobi poſteri, ſervi Dei
Separati, ſorte lecta natio, vos alloquor.
7 Ille rerum rector unus, orbis unus arbiter,
8 Pacta noſtris firma ſervat facta [4] cum majoribus;
Verba meminit: mille ſancta in ſecla nectit fœdera,
9 Icta primitus cum Abramo, deinde jurata Iſaco:
10 Iſaci ſancita nato, lege non mutabili:

Poſte-

1 *Ac nos*] Modo dicta & Al. Julii Edit. *At nos.*

2 In antiquioribus editionibus, tribus ſcil. Steph. utraque Plant. & Argent. unuſquiſque hujus Pſalmi verſus in duos diviſus legitur, hoc modo,

Canite Dominum, & invocate
Nomen ejus: exteris
Facta gentibus per orbem
Prædicate illuſtria.

Atque eo quidem ordine Buchananum ipſum primo hunc Pſalmum ſcripſiſſe vel hinc conjicere licet, quod nonnullis in locis, ſi veteres illas ſequaris editiones, & tamen binos illos verſiculos conjunctim legas, in verſiculorum commiſſuris carmini ex vocalium ante alias eliſione vim feceris, quæ eliſio, ſi diviſim verſiculos legas, locum non habet. Atque hæc cauſſa eſt, cur poſtea Buchananus multa neceſſe habuerit immutare, ut verſus ex binis ſinguli facti recto pede, & ad modum Pſalmi CXIX, progrederentur. Huc accedit, quod qui metrorum, quibus uſus eſt Buchananus, rationem quibuſdam ex veteribus illis editionibus ſubnexuerunt, carminis, quo hoc Pſalmo uſus eſt, genus, ab eo quo uſus eſt Pſalmo CXIX & ſimilibus diverſum conſtituant.

3 *Et illius miracula.*] A prædictis ſex editionibus abeſt *&*, poſtea, ut duo verſiculi in unum coaleſcerent, inſertum, quales interpolationes metri gratia factas aliis infra locis obſervare eſt.

4 *Cum majoribus.*] Iidem libri, *cum parentibus.*

Digitized by Google

Poſteriſque ſempiterno roborata vinculo;
11 Quum, Tibi Chananæa, dixit, arva ſorte dividam.
12 Turba numero parva quamvis advena illic degeret,
Aucta nondum ſtirpe longis temporum decurſibus:
13 Regna quanquam & nationes exul errans verteret:
14 [1] Hos tamen Dei benigna fovit indulgentia:
Vimque duram præpotenti dextra ab illis arcuit:
Et minis [2] reges potentes tetricis compeſcuit;
15 Ne mihi (inquit) conſecratos, ne mihi unctos tangite:
A meis, moneo, prophetis abſtinete injuriam.
16 Quum famem voracem in orbem contumacem induceret,
Gentibuſque alimenta late noxiis ſubduceret,
17 Prævium miſit miniſtrum Nili ad arva fertilis:
Filium pulchræ Rachelis mango turpis vendidit:
18 Carceris latuit tenebris, crura vinctus compede,
19 Somnii donec ſoluti nota regi veritas,
20 Crura ferro liberavit, ſolvit animum crimine:
21 Et nova ſortis benignæ jam viciſſitudine,
Regiorum ſervulorum ſervus ante ignobilis,
22 Frena rerum tractat unus: nuper e cuſtodia
Miſſus, aulæ purpuratos nunc coërcet vinculis:
Et ſenum juvenis ſeveræ præſidet prudentiæ.
23 Iſaci tandem propago [3] culta linquens patria,
Pinguis ad fluenta Nili caſtra fixit advena.
24 Ac, [4] Deo fovente, læta ſtirpe ſic refloruit,
Viribus brevi ut præiret inquilinus incolas.
25 Tum Phari rector ſuperbæ mente verſa Abramidas
Fraude molitus nefanda ſtirpitus revellere:
26 Circulo donec voluto deſtinati temporis,
Legifer cum fratre Moſes miſſus eſt divinitus;
27 Ac Pharon Pharique regem terruit miraculis.
28 Ergo natura, imperantis non rebellis juſſibus,
Veſtiit polum tenebris, & ſolum caligine
Condidit, ceu nocte cæca ſole juſſo cedere.
29 Unda decolor cruoris tabe rivos polluit,
Squameæque [5] ſtrage gentis inquinavit littora.
30 Terra felix ante frugum, more nunc præpoſtero,

Tur-

1 *Hos tamen*] Edit. Al. Julii *Eam tamen.* Rob. Stephani anno 1580, *Hanc tamen.*

2 *Reges potentes.*] Libri pag. præced. Not. 2. citati *Reges moleſtos.*

3 *Culta linquens.*] Iidem libri, *arva lin quen*

4 *Deo fovente*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent. *Deo favente.*

5 *Strage gentis.*] Iidem & Gen. 1594; & Lond. 1620. *ſtrage turbæ.*

Turpibus fœcunda ranis ſqualet: ipſa regia
Fœta ranis, ipſa regum [1] fœta ſunt cubilia.
31 Fuſa [2] deinde nube denſa muſca Memphin occulit:
Et [3] pediculorum ubique fœda erant examina.
32 Inſtar imbrium ruebat miſta flamma grandini,
33 Arbores nudans comantes [4] fronde, flore, fructibus.
34 Quod reliquit atra grando, mox locuſta perdidit:
35 Bruchus abſtulit, locuſtas quod voraces fugerat.
Tot malis ſubinde ſævis icta Nili regia,
Quum ferox non mitigaret contumaces ſpiritus,
Dira populum mox in ipſum verſa pœna ſæviit.
36 Prima pignorum repente per penates omnium
Occidere: cuncta planctu; [5] cuncta fletu perſonant.
Rege tandem pertinace cladibus perterrito,
37 Sancta Memphin gens reliquit, jam tyranno libera;
Dives auro argenteiſque barbarorum poculis.
Nec tot inter millia ullum languor attentaverat.
38 Ergo Nili jam pavore [6] liberata regia,
Voce, vultu, plauſibuſque præferebat gaudium.
39 At parens memor benignus gentis electæ ſibi,
Per ſiticuloſæ [7] arenæ vaſtitatem imperviam
Caſtra nubis texit umbra, luce; noctem luridam
Ignium late coruſco temperavit lumine.
40 Arva, victum cum rogarent, texit imber alitum:
Panis impluit per auras more denſæ grandinis:
41 Petra juſſa fudit undas: deque rupis viſcere
42 Ante ſicca ſolitudo flumen hauſit. Scilicet
Fœderis parens benignus immemor nunquam ſui,
Quod ſibi caro cum [8] Abramo ſempiternum fecerat.
43 Sic parentum ſtirps piorum, tuta ductu numinis,
Arva liquit fraudulenta perfidi Peluſii:
44 Occupatis [9] efferarum nationum ſedibus,
Tradidit [10] Deus labores impiorum eis carpere:

45 San-

1 *Fœta ſunt*] Ibid. *fœta erant.*
2 *Fuſa deinde*] Ibid. *Muſca deinde nube denſa fuſa Memphin occulit.*
3 *Et pediculorum*] Ibid. *Cyniphûn cruenta paſſim obvolabant agmina.*
4 *Fronde, flore*] Prædicti, *flore, fronde.*
5 *Cuncta fletu*] Ibid. *cuncta luctu perſonant.*
6 *Liberata regia*] Ibid. *exſoluta regia.*
7 *Arenæ vaſtitatem imperviam*] Ibid. *æquor æſtu impervium.*
8 *Abramo ſempiternum fecerat*] Ibid. *omne in ævum fecerat.*
9 *Occupatis*] Iidem libri. *Et ferarum nationum occupatis oppidis.*
10 *Deus labores*] Ibid. *Deus impiorum iis labores carpere.*

45 Sanctiones ut tenerent ſacroſancti fœderis,
Et piarum ad juſſa legum facta cuncta fingerent.
Laus, honor, decuſque Regi ſempiterno cœlitum.

PSAL. CVI. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, &c.

1 LAudate Regem cœlitum, Regem bonum,
Suiſque nullo non benignum tempore.
2 Quis facta verbis æquet? eloquentia
Quis aſſequetur illius potentiam?
3 O ter beatos æqui amantes, & tuæ
Præſcripta legis qui tuentur jugiter!
4 Memento noſtri facilis & favens, tuum
Proſpicere populum qua ſoles clementia:
Et me reviſe lenis ac ſalutifer;
5 Ut ſeparati tibi bonis populi fruar,
Carpamque lætus quo fruuntur gaudio,
Hæreditatique comes applaudam tuæ.
6 Sceleſta proles cum ſceleſtis patribus
In te rebelles multa iniqua fecimus:
Abominanda, dira perpetravimus.
7 Nam nec tyranni Ægyptii ex ergaſtulo
Noſtri parentes liberi per te, tua
Oſtenta graviter ponderarunt, nec tuæ
Meminere gratis mentibus clementiæ:
Sed propter undas æquoris rubri, duces
Adverſus animis turba contumacibus
8 Obmurmuravit. At parens malis bonus
Pœnas remittis, ut tuam clementiam
Agnoſcat orbis, & tremat potentiam.
9 Nam comminanti ceſſit unda fluctuum:
Suſpenſa moles hinc & inde per ſali
Tranquilli arenas aridam dedit viam,
Ceu ſolida campis figerent veſtigia:
10 [1] Donec tyranno liberati & hoſtium
Crudelitate, tuta tuti littora
11 Tenuere: at hoſtes verticoſo gurgite
Abſorpſit unda, cladis ut nec nuncius
12 Supereſſet. Illic tum ſalutis compotes
Fidemque verbis præbuere, & cantibus
Cecinere feſtis numinis potentiam.
13 Metu repulſo, protinus laſcivia
Animos rebelles perculit: nec amplius
Meminere ſigna nec pericla priſtina.

14 Re-

1 *Donec tyranno liberati*] Altera And. Harii editio, *Donec tyranni*.

14 Repente prava perciti libidine
Arſere, verbis & Deum procacibus
Iræ impulerunt frena juſtæ ſolvere.
15 Ac flagitatos impie dedit cibos,
Juſtiſque pœnis impios coërcuit.
16 Nec pœna mentes nec benignitas feras
Mollire potuit, quin procaciter ducem
Duciſque fratrem peteret æmulatio,
Et freta ſtudiis ſemper ambitio malis.
17 Sed factioſos terra vaſto condidit
18 Sinu dehiſcens, flammeique gurgitis
Torrens vorago devoravit impios.
19 Nec noxiorum monita tot pœnis modum
Gens prava ſceleri fecit. Horebi in jugo
(Proh facinus!) ante imaginem bovis Dei
20 Imago ſeſe ſtravit, & fronde ſaturi
Simulacra tauri coluit inſtar numinis;
21 Partæ ſalutis nuper ingrata, immemor
Miraculorum in urbibus Niloticis;
22 Et fluctu eodem ſoſpites ſe, ſubrutos
Hoſtes ſuperbos vorticoſis æſtibus.
23 Ergo ſceleſtos ira juſta perdere
Ibat, furenti ni Deo carum caput
Pro gente Moſes obtuliſſet, & prece
24 Frenaſſet iras. Nec tamen turbæ furor
Illic quievit, expetitum tamdiu
Uber feracis ſprevit agri: nec fidem
Moſi docenti, pollicenti nec Deo
25 Habuit: tumultu caſtra complens reſpuit
26 Imperia: donec ille munificus parens,
Delere promtus inter invia montium
27 Toties rebelles, extulit dextram, & genus
Per nationes impias diſperdere
28 Jam deſtinarat: ante ſculpta numina
Iterum protervi procidere, & mortuis
Diis thura, lectaſque immolarunt hoſtias:
29 Deum ſceleribus provocaverunt novis,
Iramque rurſum exaſperarunt vindicem:
30 Juſta incitatus donec ira Phineas
Ferro ſceleſtam puniit licentiam,
Et ſævientem dexteram compeſcuit
31 Domini, ſibique peperit æternum decus,
Quod nulla ſileant poſterorum ſecula.
32 Nec contumaces ſupplicia tot ſpiritus
Coërcuerunt, Meribæ ad undas quin Dei
33 Rurſus furorem accenderent: nec publico
Moſes furore liber etiam incredula
Oratione vertit iram numinis

34 In ſe. Potiti deinde pactis fini-
bus,
Nec impiarum ſemen omne gen-
tium
Diſperdiderunt funditus, nec juſ-
ſibus
Recte monentis paruerunt nu-
minis:
35 Sed ſe profanis miſcuere genti-
bus,
Didicere ritus, ſervire ludicris
35 Diis: ac eorum mancipati culti-
bus,
Tenuere puras a ſcelere nullo
manus.
37 Quippe immolarunt filios ac fi-
lias
38 Ad dæmonum aras: & ſuæ pro-
paginis
Tinxere ſculptos ſanguine inno-
cuo deos,
Terramque ſanctam polluerunt
cædibus.
39 In ſcelera proni abominanda,
dum ſuæ
40 Manus adorant opera, patrium
Deum
41 Juſtas ad iras provocarunt, ut
ſuam
Hæreditatem abominatus impiis
In ſervitutem manciparet hoſti-
bus:
42 Quorum ſevero pene contriti ju-
go,
Poſuere ſævam ſpiritus ferociam.

43 Ac liberati ſæpe Domino vindi-
ce,
Rurſus rebelles ſpiritus in vindi-
cem.
Sumſere: rurſus ob ſcelera pœ-
nas ſua
44 Dedere: mitis nec Dei bonitas
tamen
In rebus arctis innocentium a
prece
45 Avertit aurem: fœderis memor
ſui
Pœnas remiſit lenis & placabi-
lis.
46 Quin & ſuperba corda gentis bar-
baræ,
Cui ſerviebant diruta jam pa-
tria,
Lenivit: animos omnium ut per-
ſtringeret
Imago fortis flebilis vel hoſtibus.
47 Tu nos tuere, Domine noſter
& Deus,
Et e profanis gentibus recolli-
ge:
Ut te canamus, nomen ut ſan-
ctum tuum
48 Celebremus unum: populus o-
mnis ut ſimul
Dicat, Deo, quem poſteri A-
brahami colunt,
Sit laus, honorque in ſeculorum
ſecula.

Amen, amen.

Digitized by Google

PSALMORUM
Liber Quintus.

PSALMUS CVII. *Confitemini Domino, quoniam*, &c.

1 CAntemus Dominumque bonum, facilemque parentem,
Cujus habet nullas larga indulgentia metas.
2 Hunc grato ſimul ore canant, quos dira tyrannis
Quum premeret, ſævo incolumes ex hoſte recepit,
Et juga captivo excuſſit ſervilia collo.
3 Perque feras gentes ſparſos, qua ſurgit ab undis,
Et qua diverſas abiens ſe condit in undas
Phœbus, ab arctoæ campis glacialibus urſæ
Collegit, tepidoque domum revocavit ab auſtro.
4 Per ſteriles ſaltus & inhoſpita ſaxa vagantes,
Qua nulla ad cultas ducunt veſtigia terras,
5 Fracti animos mœrore, inopes undæque cibique,
Auxilium miſeris imploravere querelis:
6 Audiit orantes, & opis miſeratus egenos,
Omnibus exſolvit mœrentia pectora curis,
7 Monſtravitque viam cultas quæ ferret ad urbes.
8 Ergo canant Dominumque bonum, facilemque parentem,
Et late ignotis pandant facta inclyta terris.
9 Quippe ſitim victuque famem compeſcuit ægram,
Reddidit & membris vires, animoque vigorem.
10 Quique Dei monitis ingrata mente relictis,
11 Carceris in tenebris & cæca nocte jacebant,
12 Quum tremerent gelidæ exanimes formidine mortis,
13 Afflictique malis humiles fractique jacerent,
Auxilium miſeris imploravere querelis:
Audiit orantes, & opis miſeratus egenos,
Omnibus exſolvit mœrentia pectora curis:
14 Vincla manu valida rupit, mortiſque timorem
Reppulit, & tetris pavidos eduxit ab umbris.
15 Ergo canant Dominumque bonum, facilemque parentem,
Et late ignotis pandant facta inclyta terris:

16 Liminaque & portæ qui clauſtra refregit ahenæ.
17 Deliciis animi vires quum ſtulta libido
Affligit, corpuſque gravi languore ſolutum
18 Stultitiæ pendit pœnas, & morte propinqua
Rejiciunt omnem faſtidia marcida victum;
19 Auxilium miſeris qui imploravere querelis,
Adſpicit orantes, & opis miſeratus egenos,
Omnibus exſolvit mœrentia pectora curis:
20 Ereptiſque ſuo lethi de limine verbo,
Reſtituit lætumque novat per membra vigorem.
21 Ergo canant Dominumque bonum, facilemque parentem,
Et late ignotis pandant facta inclyta terris:
22 Et meritis cumulent memores altaria donis,
Et grata acceptam teſtentur voce ſalutem.
23 Qui mare fluctiſonum ſulcat, curviſque carinis
Admovet externas vaga per commercia gentes,
24 Non ignota illi divina potentia, nec quæ
Monſtrat in immenſo miracula ſæpe profundo.
25 Quum jubet, irrumpunt venti ſtridente procella,
26 Et mare nunc [1] ſpumis canentibus aſtra laceſſit,
Et nunc tartarei ſubſidit ad ima barathri:
27 Pallent ora, metus trepidantia pectora pulſat,
Et velut oppreſſis vino veſtigia nutant:
Callida nec cani juvat ars aut cura magiſtri.
28 At Dominum ut mœſtis imploravere querelis,
Exaudit trepidos, & opis miſeratur egenos.
29 Jam venti ponunt, ſtrataque æqualiter unda,
Arrident taciti tranquilla ſilentia ponti.
30 Jam poſita læti gaudent formidine nautæ,
Cum [2] laceræ optatum portum tetigere carinæ.
31 Ergo canant Dominumque bonum, facilemque parentem,
Et late ignotis pandant facta inclyta terris.
32 Hunc populi cœtus laudent, ſanctique ſenatus
33 Concilium ſuper aſtra ferat, qui flumina ſiccat,
Et riguos paſſim rivis bullantibus agros,
Fontibus occluſis ſitienti damnat arena:
34 Et fœcunda, ſui facta ob ſcelerata coloni,

Arva

1 *Spumis canentibus*] And. Hartus anno 1615, *Spumis candentibus*: at prius illud magis arridet. Sic Ovid. Epiſt. 3. *Quam ſine me Phthiis caneſcant æquora remis.*

2 *Cum laceræ*] Deſideratur hic verſus in tribus Steph. utraque Plantiniana & Argent. editionibus.

Digitized by Google

Arva jubet ſalſis ſubito ſterileſcere glebis.
35 At contra in ſterili campo male pinguis arenæ
Stare lacus, pingueſque facit ſtagnare paludes:
Et fluviis ſiccos riviſque fugacibus agros
36 Irrigat, atque inopi tranſmittit habere colono:
Quique novas ſanctis moderetur legibus urbes,
37 Et ſcrobibus credat vites, & ſemina ſulcis,
Unde legat dulces maturo in tempore fructus,
38 Quos pater omnipotens alit, & proventibus auget
39 Aſſiduis pecorum fœtus. Ubi neſcia rurſus
Commoda fortunæ modice mens ferre ſecundæ,
Frena dedit vitiis, retrahit ſua munera juſtus
40 Arbiter: indomitos animos & corda ſuperba
Cladibus affligit: ſævis punire tyrannis
Tradit, & ignavo petulans ſub principe vulgus
Contemtum, populis prædam jubet eſſe propinquis.
Perque inopes victus terras traducit, ubi ante
[1] Nulla hominum tritam monſtrant veſtigia callem.
41 Avertit mala pauperibuſque, animique modeſtis,
Atque hilares multa fœcundat prole penates.
42 Hæc ſpectant gaudentque boni: male conſcia muſſat
43 Turba metu. Aſt, animi quibus eſt ſolertia, cura
Aſſidua volvunt, memorique hæc mente recondunt,
Luceat ut cunctis Domini clementia terris.

PSAL. CVIII. *Paratum cor meum, Deus,* &c.

2 [2] MEns [3] invicta malis, animi vigor integer, orbis
Te voce, rector, te celebrabit lyra.

3 Eia

1 *Nulla hominum tritam monſtrant veſtigia callem*] Ita quatuor Stephanorum libri, duo Plantini, tres Raphelengii, duo N. Chytræi, uterque And. Harti, Argentor. Tho. Vautrollerii, Elzev. 1628 Jac. Stoeri 1591, Gid. Lithgoi 1660 Rob. Sanderi 1684: reliquis vero omnibus [*tritum*] legitur. Nos ideo priorem lectionem prætulimus, quod ita ferant omnes libri Buchanano adhuc vivente editi. Non me latet hoc vocabulum a Grammaticis vulgo maſculinum ſtatui: at fœminino interdum legi oſtendit Nonius e Livii lib XXII. cap. 14. *Nos hic pecorum modo per æſtivos ſaltus deviaſque calles exercitum ducimus;* quomodo etiam exhibent Jani Gruteri & utriuſque Gronovii editiones: quanquam nonnullis libris *devios calles* edatur, quod Lipſius & Gothofredus, ſuffragante etiam Rich. Jonſono Gramm. Comment. p. 43. in *colles* mutatum voluere. Sed potior fides veterum librorum (quibus, teſtante Sigonio, *calles* non *colles* eſt ſcriptum) in primis vero omnibus ætate prioris Nonii, qui porro addit *Livium ſic frequenter loqui.* [*Nudas Calles* MS. apud Curtium III. 10.]

2 *Mens invicta malis*] Priores 12 hujus Pſalmi verſus habentur Pſ. LVII. poſteriores 20 Pſ. LX.

3 *Mens invicta.*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent. *Mens infracta.*

3 Eia age, depoſitis mens expergiſcere curis,
Et tu canora barbitos cum nabliis.
Ocyus auroræ quam lucifer excitet ignes,
Aurora cantus quam volucium exſuſcitet,
4 Te, pater alme, canam: populos tua facta per omnes,
Quacunque tellus panditur, vates feram.
5 Nam tua ſiderei bonitas faſtigia cœli,
Fideſque tractus nubium ſupervolat.
6 O Deus auguſtum nitido caput exſere cœlo,
Oſtende terris gloriæ jubar tuæ.
7 Eripiaſque tuos gelidi formidine lethi
Præſens, & opifer invocantes audias.
8 Audiit, ex adytoque Deus flammantis olympi
Vocem rependit gaudii prænuntiam.
En tibi frugiferos Sichimæ diſpertiar agros:
Vallem Sucothi metiar decempeda.
9 Nonne mihi parent Jacobi pignora, quiſquis
Vel pecore tondet arva, vel vomere ſecat?
10 Oppida ſub pedibus Syriæ calcabo ſuperbæ,
Moabum, Idumen, & Palæſtinas domos.
11 Quis mihi pandet iter munitas ductor ad arces?
Muros Idumes divitis quis diruet?
12 Quis? niſi tu noſtræ gentis, Deus unice, tutor?
Qui nos premendos hoſtibus reliqueras,
Offenſus vitiis pravis: nec in arma ruentes
Noſtros præibas dux, ut ante, exercitus.
13 Nunc pater auxilium rebus bonus adfer in arctis:
Humana fallax credulos ſpes decipit.
14 Te duce, victrici decorati tempora lauro,
Pedibus prememus hoſtis arrogantiam.

PSAL. CIX. *Deus laudem meam ne tacueris*, &c.

2 NE ſileas, ne diſſimula, mea gloria, neve
Sine veritatem ſupprimi mendacio,
Me ſcelerati oris fraus, & crudele venenum,
Proterva fictis lingua me premit dolis.
3 In me odia occultis acuunt ſermonibus iras,
Et immerenti fabricant moleſtiam.
4 Qui mihi debebant fidum ſolamen amici,
Probra ingerebant clanculum & convicia.
Aſt ego, ſecretæ tibi qui penetralia mentis
Cernis, dolente corde fundebam preces.

5 Omni-

5 Omnibus officiis culti mihi damna rependunt,
Remunerantur odio amorem ſimplicem.
6 Tu pater hunc ſævo [1] vexandum trade tyranno:
Vaſtator illi ad dexteram adſtet Angelus.
7 Judicis adſtiterit cum ſordidus ante tribunal,
Damnatus aſpris exeat ſententiis.
Quum volet iratos animos inflectere fando,
Oratione judices exaſperet.
8 Ante diem fato pereat præreptus acerbo:
Locumque vacuum dominus occupet novus.
9 Orba fleat ſoboles, vidua gemat uxor in aula:
10 Ejecta proles patrio exulet ſolo:
Inſtabilis, mendica, vagis erroribus orbem
Luſtret: quietum reperiat nuſquam locum.
11 Conturbetque domum miſeram, [2] inſcribatque penates,
Scrutatus omnes fœnerator arculas.
Ignotuſque hæres longo congeſta labore
12 Rapiat, opemque nemo poſcenti ferat:
Nullaque progeniem miſeratio ſublevet orbam.
13 [3] Mors falce totam demetat ſemel domum:
Proxima gentem omnem cum nomine deleat ætas.
14 Apudque Dominum, patris erratum, ut recens,
15 Ante oculos interque manus verſetur & erret:
Nec vitia matris tollat ulla oblivio.
16 Utque erat oblitus miſerandi, oblivio gentem
Ejus perenni ſupprimat ſilentio:
Qui dejectum, inopem, & curis mordacibus ægrum,
Pertrahere mortis nixus eſt in retia.
17 Semper ei veluti fuerat maledictio cordi,
[4] Maledicta in illum & exſecratio cadent.
18 Ac veluti ſtudio fugit benedicere pravo,
Sic nullus illi cupiat aut dicat bene.

1 *Vexandum.*] Antiquiores omnes memorati codices: *Vaſtandum.*

2 *Inſcribatque penates*] *i. e.* tabula ex ædibus pendente, vel foribus parietibuſque affixa (ut nunc fit) ejus domum vendendam locandamve eſſe indicet. Plaut Trinum. I. 2. 131. *Ædes venales haſce inſcribit literis.* Terent. Heaut. I. 1. 92. *Inſcripſi illico ædes.* Hoc ideo, quod neque Julius neque Chytræus rem explicent, hic notare libuit.

3 *Mors falce totam demetat ſemel domum*] Ita omnes libri: mihi vero vix dubium eſt quin *ſimul* non *ſemel* legi debeat: quas voces alteram in alteram nonnunquam mutatas interpretes animadvertunt Vide Cl. Bentleium ad Horat. I. Epiſt 7 96.

4 *Maledicta in illum & exſecratio cadent*] Ita conſtanter omnes libri: at mihi fere perſuaſum eſt, *cadant* legi oportere, ut mox

Sic nullus illi cupiat aut dicat bene.

Textu autem Hebraico, omnibuſque quos viderim interpretibus, eodem ſemper tempore hæc enunciantur.

Et velut obtegitur talari corpus amictu,
Totus miſeriis ille ſordeat obſitus.
Sic in cuncta illi paſſim ſe viſcera fundant,
Ut oleum in oſſa penetrat, unda in viſcera.
19 Hoc ergo incedat ſemper veſtitus amictu:
Hæc zona lumbos cingat illi & ilia.
20 Ante Deum tales pendat detractio pœnas,
Et clam ſalutem quiſquis oppugnat meam.
21 Alme pater, pater alme, tua me protege dextra,
Et invidorum libera calumniis.
Ut nomen latus omne tuum telluris honoret,
Et ſuavitatem ſentiat clementiæ.
22 Eripe me invidiæ: ſum pauper, egenus & exſpes,
Animumque curæ turbidum urunt anxiæ.
23 Non aliter pereo, ſpecies quam futilis umbræ,
Pallent tenebris ſera quum crepuſcula:
Aut ubi decuſſis ſolerti indagine ramis,
Locuſta tectis pulſa frondeis cadit.
24 Genua labant infirma: artus jejunia ſolvunt:
Exſangue ſiccis corpus aret oſſibus.
25 Me tumidi probris hoſtes petiere ſuperbis:
Me conſpicati capita quaſſarunt ſua.
26 Adfer opem, ſervumque tuum, pater optime, ſerva
Pro lenitate ſemper aſſueta tibi.
27 Agnoſcantque tuam, rerum pater optime, dextram:
Tuaque ſalvum me ſciant clementia.
28 Dum maledicta voment hoſtes, dum probra loquentur,
Bonuſque placiduſque benedices tu mihi.
Dum confuſa illis turpis pudor ora notabit,
Lætitia ſervi pectus hilarabit tui.
29 Hos pudor, ut talos a vertice veſtis ad imos
Effuſa late corpus omne contegit;
Hos pudor, & mœrens turbato infamia vultu,
Qui me maligno dente rodunt, obruat.
30 Aſt ego tum Domino grates memor ore ſonabo,
Cœtuque laudes in celebri concinam;
31 Qui ſtetit auxilio dexter cum paupere, vitamque
Eripuit ejus hoſtium ludibrio.

PSAL. CX. *Dixit Dominus Domino meo,* &c.

1 SIc alloquutus Dominus eſt
Dominum meum,
Aſſide dexteram ad meam,
Dum proterendos, ceu ſcabellum, ſub pedes
Hoſtes tibi provolvero.

2 Ad

2 Ad orbis oras ultimas faſces tuos
Alta ab Sione proferam:
Ut juris æqui vinculis coërceas
Faſtus rebelles hoſtium.
3 Te pompa lætis quum reducet plauſibus
Ad templa voti compotem,
Sancto decorus apparatu exercitus
Lætum celebrabit diem.
Non roris imber ante lucem argenteis
Tot [1] veſtit arva gemmulis,
Quam multa cunctis gentium de finibus
Ad te propago confluet.
4 Juravit & ſe adſtrinxit immutabili
Dominus ſacramento tibi,
Tete futurum Melchiſedecis ſibi
Ritu ſacrorum antiſtitem,
Sol inquieto lucis orbe dum diem,
Dum luna noctem illuminet.
5 Ad dexteram ille ſemper aſſiſtet tuam:
Ferro tyrannos vindice
6 Compeſcet: iram commodans ſuam tibi,
Gentes rebelles comprimet.
[2] Duceſque regnis imperantes ditibus
7 Sternet ſolo: torrentibus
E [3] fortuitis, dum fugam premet, ſitim
Victor levabit igneam.
Ergo ſubactis hoſtibus, cœlo caput
Tollet decorum gloria.

PSAL. CXI. *Confitebor tibi, Domine*, &c.

1 SIve inter fidos tractem ſecreta ſodales,
Seu ſancti ſtipante caterva
Me populi loquar, alme parens, te pectore toto
Uſque canam: tua munera grato
2 Ore feram, magna æternæ miracula dextræ:
Magna quidem, ſed & inclyta certe,
Et manifeſta bonis, ſtudio ſcrutante fideli.
3 Quicquid enim gerit, omnia ſplendor,
Omnia divina majeſtas luce refulgens
Illuſtrat: dum ſidera terras
Ignea luſtrabunt, hunc juſtum ſemper & æquum
Sera agnoſcent ſecla nepotum.
4 Nec quæ primævi quondam ſtupuere parentes
Attoniti, mirandaque natis
Invida delebunt oblivia: parcere largus

1 *Tot veſtit arva gemmulis.*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent.
Non roris imber ante lucem argenteus
Sic veſtit arva gemmeo
Decore, ut omnes gentium fines tuè
Beabit ortus nuntius.
Juravit, &c.

2 *Duceſque regnis imperantes.*] Iidem codices, *Ducemque regnis imperantem.*

3 *E fortuitis.*] Iidem codices,
Lato per arva ſanguinis rivo ſitim.

Nempe parens, facilisque querelis
5 Flectere cor miſeris: ſpoliis ex hoſte ſuperbo
Direptis decoravit amicos.
Nec cum gente ſua percuſſi fœderis illum
Immemorem ulla redarguet ætas.
6 Oſtenditque ſuas per facta illuſtria vires,
Quum populatus regna ſuperba,
Dimenſuſque novis hoſtilia rura colonis,
Dilectæ dedit oppida genti.
7 Quicquid agit loquiturque, fides immobilis actus
Æqui & regula dirigit omnes.
Quæ jubet, æqua jubet, nulloque interlita fuco,
Aut tacitam celantia fraudem;
8 Quæque nec æterno volventia ſecula lapſu
Interimant, aut tempore carpant.
Quippe [1] adſtans fidei firmæ conſtantia & æquum
Perpetuo rata juſſa tuentur.
9 Quum premeret Pharii imperium crudele tyranni
Selecta de gente nepotes:
Excuſſitque jugum, & regis fera juſſa ſuperbi
Exuit: æternaque beatis
Libertate frui donarat, pignora ſera
Si jurata parentibus olim
Intemerata piæ ſervaſſent fœdera legis:
Fœdera nullis irrita ſeclis.
Quippe Dei ſanctum eſt & formidabile nomen,
Ac ſancte ſua pacta tuetur:
Exigit & duras violato fœdere pœnas.
10 Hunc colere ex animoque vereri,
Vivendi recte fons & ſapientia prima eſt.
Hanc cunctos qui dirigit actus
Ad metam, vere ſapit: hunc ventura nepotum
Semper dicent ſecla beatum.

PSAL. CXII. *Beatus vir, qui timet Dominum*, &c.

1 BEatus ille, qui Deum rerum patrem
Pietate non ficta colit:
Deique gaudet legibus: mores ſuos
Formare ad illas nititur.
2 Late per urbes divites potentiam
Ejus propago proferet:

Pro-

1 *Adſtans fidei firmæ.*] Antiquiores ſex toties memorati codices, *Aſtans fidei infractæ.*

Digitized by Google

Prolem piorum numinis benignitas
Larga beabit dextera.
3 Res affluenter ſuppetet ſemper domi
Illi: nec ætas longior
Obliterabit æquitatis gloriam
4 Fructumque. Quum premet malos
Fortuna, ſævo geſtiens ludibrio
Mutare ſummis infima,
Benignitatis tum ſuæ juſtis Deus
Lucem in tenebris offeret.
Clemens bonuſque in omnibus periculis
Stirpem piorum muniet.
5 Miſertus inopis vir bonus, larga manu
Succurret indigentiæ:
Sic cuncta juſto temperans examine,
Nec verba temere ut excidant.
6 Non turbo ſortis cuncta quatientis, loco
Movebit illum, nec dies
Suprema famam condet ejus invido
Oblivii ſilentio.
7 Non livor illum falſa gaudens ſpargere
Terrebit, aut calumnia:
Bellive rumor, aut egeſtas lurida,
Fragorque lethi proximi:
Sed mente firma provocat diſcrimina,
Deoque ſolo nititur.
8 Ceu cana rupes murmurantis æquoris
Spernit minaces impetus:
Sic ille certa interritus fiducia
Sortis procellas ſuſtinet:
Ac ſuſtinebit, dum ruinas hoſtium
Salvus ſuorum adſpexerit.
9 Opes volucris inſtar auræ mobiles
Largitus eſt egentibus;
Sibi æquitatis gloriam ſuperſtitem
Servavit: orbe gloriam
Vivaciorem, nec ſenectæ dentibus
Æruginoſæ obnoxiam.
Dum laude clarum, reque lautum ſplendida
Spectabit impius pium,
Curæque mentem vellicabunt anxiæ,
Succumque carpent corporis;
Dentem fatigans dente ringetur, lue
Se macerabit tabida.
Dominus malorum vota ridet irrita,
Spes ut modeſtas promovet.

PSAL. CXIII. *Laudate pueri Dominum*, &c.

1 PSallite Dominum pueri, Domini
Nomen feſto tollite cantu.
2 Nomen [1] Domini ſic celebretur,
Ut ſeculorum in ſecula longi
Nulla oblivia ſentiat ævi.

3 Pri-

2 *Nomen Domini ſic celebretur.*] Tres Stephani, duæ Plant. & Argent. editiones prædictæ, *Nomen Domini ſit benedictum, Et ſeclorum* — ——

3 Primo a carcere ſolis Eoi
Ad purpureos uſque occaſus,
4 Omnes Domini nomen adorent,
Qui gentes ſuper arduus omnes
Celſas ætheris incolit arces:
Cujus longe gloria mundi
Trans flammantia mœnia vecta
eſt.
5 O pietatis neſcia veræ
Pectora! ritu ſacra nefando
O qui fingitis, anne deorum
Quenquam Domino ſimilem noſtro
6 Noſtis? quem ſuper ardua cœli
Culmina poſitum nil latet imæ
Sub cava clauſum viſcera terræ;
Nil humano procul aſpectu
Trans multiplices ætheris orbes.
Inopem terræ qui proſtratum
Suſcitat, & de pulvere egenum
7 Tollit, ut alto poſitus ſolio
Populi primos carpat honores.
8 Qui maternos ſterili fructus
Exoratus donat, & orbos
Læta renovat prole penates.

PSAL. CXIV. *In exitu Iſraël de Ægypto*, &c.

1 QUum domus Iſacidum patrias remearet ad oras,
Barbaraque inviſæ linqueret arva Phari:
2 Ipſe Deus Judam cœleſti numine tutum
Fecit: erat populi ſignifer ipſe ſui.
3 Vidit, & attonitas trepidum mare diffidit undas:
Jordanis refugas in caput egit aquas,
4 Dura [1] per intonſos ſalierunt culmina montes,
Ut ſaturas geſtit dux gregis inter oves:
Celſaque [2] frondentes movere cacumina colles,
Agnus ut in pratis luxuriare ſolet.
5 Quid mare vidiſti ſolito cur ceſſeris alveo?
Cur fugis in fontes fluminis unda tuos?
6 Cur ita concuſſo ſaliiſtis vertice montes,
Ut ſatur exſultat dux gregis inter oves?
Cur ita frondenti ſaliiſtis vertice colles,
Agnus ut in pratis luxuriare ſolet?
7 Nempe Dei trepidum præſentia terruit orbem,
Cui cadit in Solymos victima multa focos.
8 Qui lapidum venas laticum laxavit in uſum,
Cui fluxit largo flumine dura ſilex.

PSAL. CXV. *Non nobis, Domine, non nobis*, &c.

1 TE, magne rector orbis, haud
victoriam
Ex hoſte ſævo poſcimus,
Nos ut per omnes fama gentes
differat,
Nec apparatu ut ſplendido
Per

1 *Dura per.*] Iidem libri. *Læta per.*
2 *Celſaque frondentes.*] Iidem. *Lætaque frondentes.*

Per ora vulgi nos triumphus aureo
Curru ſuperbos transferat:
Sed impiarum ut ſecla gentium ſciant
Te largum opis cultoribus
Tuis, fideque ſemper immutabili
Promiſſa promtum ſolvere.
2 Ne forte rebus inſolentes proſperis,
Ubi nunc Deus veſter? rogent.
3 Deus alta noſter incolens, mortalium
Nutu ſuo res temperat.
4 At impiarum finxit error gentium
Manu deos inutiles:
Aurum caminis excoquens, aut malleis
Maſſa e ſequaci bracteas
Ducens, figura multiformi ludicra
Affixit aris numina.
5 Inane vocis os habent: oculos habent,
Orbes inanes luminis.
6 Naribus odores nec trahunt, nec auribus
Surdis ſonores hauriunt:
7 Palpare manibus non queunt, torpentibus
Nec ingredi veſtigiis.
Nec vox anhelis edita e pulmonibus,
Cavo recurrit gutture.
8 Quicunque tales fingit aut colit deos,
Diis ipſe ſimilis ſit ſuis.
9 At tu Jacobi gens, loca fiduciam
Omnem ſalutis in Deo,
Qui te potenti ſublevabit dextera,
Et in periclis proteget.
10 Et vos Aronis poſteri, ſpem ponite
Omnem ſalutis in Deo,
Qui vos potenti ſublevabit dextera,
Et in periclis proteget.
11 Quicunque cultor es Dei, fiduciam
Loca ſalutis in Deo,
Qui te potenti ſublevabit dextera,
Et in periclis proteget.
12 Qui nos favore ſemper amplexus memor
Fovit fovetque ſedulo:
Cunctos Jacobi qui fovebit poſteros,
Aronis & ſacrum genus.
13 Qui ſe colentes, ſive juvenes, ſeu ſenes,
Fovebit & cuſtodiet.
14 Qui noſque donis ſemper augebit novis,
Et liberorum liberos.
15 Nam nos profanis ſegregavit gentibus,
Cœli ſolique conditor:
16 Cœlum ſibi ipſe regiam fecit, ſolum
Sedem dedit mortalibus:
17 Remunerantes muneribus illum ut ſuis
Rerum parentem agnoſcerent.
Neque ora laudes in tuas ſolvent, pater,
[1] Quos mors tegit ſilentio.
18 Nos te parentem agnoſcimus, qui ſpiritu
Vitalis auræ veſcimur.
Te proſequemur laudibus, dum lucido
Sol axe terras ambiet.

PSAL.

1 *Quos mors tegit ſilentio*] Ita recte Julius legit, alii omnes teget.

PSAL. CXVI. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus,* &c.

1 TOto pectore diligam
Unice & Dominum colam,
Qui lenis mihi ſupplici
Non duram appulit aurem.
2 Aurem qui mihi ſupplici
Non duram dedit: hunc ego,
Donec pectora ſpiritus
Pulſet, ſemper amabo.
3 Jam mors ante oculos erat,
Jam ſtabam ſuper aggerem
Buſti, jam dolor anxius
Omni ex parte premebat:
4 Exſpes tum prece ſupplice
Oravi Dominum: Pater,
Quæſo, inquam, miſerabili
Saltem conſule vitæ.
5 O juſtum Dominum & bonum,
6 Et pronum veniæ! auxili
Is me & conſilii indigum
Sævo texit ab hoſte.
7 Ergo mens tibi reddita
Mœrorem cohibe; & Deus
Quæ larga tribuit manu
Donis læta fruare.
8 Vitam e faucibus eruit
Mortis, & lacrymas genis
Abſterſit, ſtabili & pede
Firmavit tibi greſſum.
9 Tutus præſidio Dei
Degam: & polliciti fide
Fretus non dubia, canam
Grato pectore laudes.
10 Laſſus, rebus & aſperis
Afflictus, trepida fuga
Vitæ proſpiciens meæ,
11 Sic mecum ipſe loquebar;
Nulli certa homini fides:
At rerum arbiter optimus,
Unus polliciti tenax,
Unus fallere neſcit.
12 Tot liber toties malis,
Tot auctus toties bonis,
Quo tandem officio tibi
Coner ſolvere grates?
13 Te feſta dape, te prece,
Te libamine proſequar,
Te vitæ columen meæ
Grata voce fatebor:
14 Te vitæ columen meæ
In cœtu populi tui
Grata proſequar hoſtia,
Damnatus tibi voti.
15 Electos, genitor, tuo
Cuſtos præſidio tegis,
Nec per vim pereuntium
Manes linquis inultos.
16 Tu ſervum Dominus tuum,
Ancillæ ſobolem tuæ
Me, minacibus hoſtium
Vinclis eripuiſti.
17 Te, rerum pater optime,
Semper laudibus efferam:
Nomen in dubiis tuum
Uſurpabo periclis.
18 Te voti reus, [1] erutus
Morti, proſequar hoſtia,
19 Sacri limen ad atrii,
Sacræ redditus urbi.

PSAL.

1 *Erutus morti*] Melius forte *morte*. Vide quæ nos de metris Buchan. ad cap. I.XXVI. [Vid. ad Pſalm. LX.]

PSAL. CXVII. *Laudate Dominum omnes gentes*, &c.

1 OMnes ubique gentium
Quos ſolis ambit orbita,
Rerum parentis optimi
Laudes libenter pangite.

2 Agnoſcite indulgentiam
Benignius nos in dies
Foventis, & conſtantiam
Promiſſa certam reddere.

PSAL. CXVIII. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, &c.

1 EIa Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
Larga benignum ſemper indulgentia.
2 Eia Dei, ſoboles Jacobi, dicite laudes,
Larga benigni ſemper indulgentia.
3 Eia Deum canat Aronis numeroſa propago,
Larga benignum ſemper indulgentia.
4 Eia Dei pura cultor pietate, fatere
Larga benignum ſemper indulgentia.
5 Audiit orantem Dominus me rebus in arctis;
Ac liberavit illico ex anguſtiis.
6 Ille mihi aſſiſtat ſolus: non arma, nec ulla
Humana mi vis adferet formidinem.
7 Ille mihi auxilio ſit ſolus: lumina damnis
Explebo (nec me decipit ſpes) hoſtium.
8 Tutius a rerum Domino eſt ſperare ſalutem,
Confidere armis quam virorum fortium:
9 Tutius a rerum Domino eſt ſperare ſalutem,
Confidere opibus quam potentum principum.
10 In me conjurent populi omni ex parte propinqui;
Dei faventis conteram cunctos ope:
11 Circundent omnique premant ex parte licebit,
Dei faventis conteram cunctos ope:
12 Circundent omnique premant ex parte licebit,
Quam nube denſa vere ſe fundunt apes,
Non ſecus ac ſiccas ignis violentia ſpinas,
Dei faventis conteram cunctos ope.
13 Improbe quid fruſtra labefactum evertere tentas?
Dei potentis ſuſtinet me dextera.
14 Ille meæ vires: illum mea carmina pangent
Unum: ſalutis unus auctor eſt meæ.
15 Cunctaque juſtorum pariter tentoria plaudent:
Meæ ſalutis pariter auctorem Deum
Laudabunt: cantuque ferent ad ſidera dextram
Belli potentem, divitem victoriæ.

16 Dextram armis, dextram præſtantem robore, dextram
Belli potentem, divitem victoriæ:
17 Sæva quid inſultas mihi mors? tua tela reconde:
Fruſtra minaci territas me ſpiculo.
Vivo equidem, vivuſque feram ſuper æthera cantu
Raram benigni numinis clementiam.
18 Jure parens bonus ærumna me afflixit acerba:
At imminentem reppulit mortem tamen.
19 Pandite pontifices ſacri mihi limina templi,
Salute parta ut laude proſequar Deum.
20 Hæc eſt illa Deo gratiſſima janua, juſtis
Votis aperta dehinc futura janua.
21 Te merito, pater alme, canam: tu rebus in arctis
Aurem applicaſti ſupplici placabilem:
Soſpes, [1] & infeſto duce te ſum tutus ab hoſte:
22 Et molientum tecta quem rejecerat
Artificum improbitas lapidem, faſtigia ſummi
Late refulgens jam coronat anguli.
23 Scilicet arcano factum eſt hoc numine, noſtra
Attonita factum quod ſtupeſcunt lumina.
24 O lux feſta, o lux jucunda ad gaudia nata,
Cœleſtis in nos lux favoris conſcia!
25 Uſque fave, cuſtoſque tui, pater optime, Regis
Sis, & ſecundos cœpta duc ad exitus.
26 O felix, iterum o felix, quem rector olympi
Populo ſalutis miſit auctorem ſuo!
Nos, quibus eſt ſacri cuſtodia credita templi,
Vos precamur cuncta vertant proſpere.
27 Unus enim Dominus rerum moderatur habena
Qui gratiæ in nos lumen effundit ſuæ.
Lætitia celebrate diem, fœtuſque bidentis
Tenellus aræ vinctus aſtet cornibus.
28 Te Dominum, te mente colam, te voce fatebor:
Tuumque ſemper laude nomen proſequar.
29 Eia Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
Larga benignum ſemper indulgentia.

PSAL.

[1] *Soſpes, & infeſto.*] And. Hart. 1615. *Soſpes & infeſto.*

PSAL. CXIX. *Beati immaculati in via*, &c.

Aleph.

1 O Beatos, qui ſequuntur orbitam legis Dei:
2 O beatos, qui monenti ſponte parent numini,
3 Labe puri nec relinquunt lege juſſum tramitem,
4 Quem ſeveritate dura nos tenere præcipis.
5 O gradum regas labantem ſic, monenti ut paream,
6 A tuis attenta juſſis nuſquam ut errent lumina.
7 Tum ducem canam æquitatis candido te pectore.
8 Obſequar tibi: obſequentem tu tibi ne deſere.

Beth.

9 Quid juventam, ne labaſcat, ſervat æque ac lex tua?
10 Hinc ne aberrem, modo laboro: tu laborantem rege.
11 Ne vacillet pes, meo tua verba condo pectore.
12 Rector orbis, æquitatis regulam tuæ doce
13 Me, [1] tui oris verba ſemper ore mediter ut meo;
14 Illa longe cariora ſemper auro ut æſtimem:
15 Illa cogitem, illa ſecter, illa mirer unice:
16 Illa nulla e corde noſtro deleant oblivia.

Gimel.

17 Da tuæ legi obſequenti vivere: ut propius tui
18 Conſpicer pacti æquitatem, pande mentis lumina.
19 Inquilinum juſſa legis ne tuæ celaveris.
20 Fœderum leges tuorum ægra mens deſiderat.
O, tuæ legis ſuperbum qui premis faſtidium,
22 Me tuæ legis ſequacem vindica: cui divites
Arroganter obloquuntur, juſſa quod ſervem tua;
E tuo ſermone vitæ quod capeſſam formulam.

Daleth.

1 *Tui oris verba ſemper ore mediter ut meo*] Quondam mihi ſuſpicio ſuborta eſt legendum eſſe *corde mediter*; at mutare ſententiam coëgit textus Hebraicus, quem ſic reddit Arias Montanus, *In labris meis narravi omnia judicia oris tui*: proinde *meditari* eodem fere ſenſu accipiendum quo apud Virg. Ecl. I.

Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

i. e. modularis, ſeu cantando exerces. Et Ecl. 6,

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas ——

i. e. *canente*, ut Servius interpretatur. *Meditari* ergo *verba Dei ore*, idem eſt ac *ea aſſidue recolere, ac iis in omni ſermone memorandis ſemper exercere.*

Daleth.

25 Æger animus languet: ægrum recrea verbo tuo.
Cordis arcanas latebras prodidi tibi: rudem
27 Tu doce, præferque lucem, ſcita mediter ut tua:
Et cor anxium tui verbi erigas ſolatio.
Abſque fuco fac tuarum ſcita legum ut diligam.
30 Recta ſector, inſtituta ſpecto ſemper ad tua.
Lex tua animo ſculpta inhæret: ſpem meam ne deſere.
Pande iter tuæ æquitatis: te comes lætus ſequar.

He.

Legum iter monſtra tuarum: fœdus erudi tuum,
Fœdus ut legemque totis imbibam præcordiis,
35 Cuncta ut inſtituta recta ſecter uſque ſemita.
Sordidis averte curis juſſa pectus ad tua:
Flecte lumina, impias ne vanitates hauriant.
Languidum excita: face ut te timeat animus ac amet.
Libera probro a pudendo me benignus arbiter:
40 Tua [1] ſtatuta diligentem ſervet æquitas tua.

Vau.

Me bonus reſpice opiferque, fœderis memor tui,
Ora claudam ut exprobranti ſpem tuæ fiduciæ.
Spes ſalutis, veritatem ab ore ne tuam eripe.
Semper ut tuis ſtatutis audiens, tuto gradu
45 Ambulem, tua juſſa quæro ſola. Coram regibus
46 Diſſeram (nec me pudebit) de tuis ſermonibus.
47 Hos amavi, & hos amabo, & obſequens his, brachia
48 Tollam: ut uſque & uſque volvam hos ore, mente cogitem.

Zain.

Sis memor pacti, columna quæ meæ fiduciæ eſt;
Quod levat mœrentem, & ægrum e fauce mortis eripit.
51 Rideant licet ſuperbi, te ſequar: legem tuam
Uſque repetam, in rebus arctis hoc erit ſolatium.

Ini-

1 *Tua ſtatuta diligentem*] Tres Steph. utraque Plant. & Argent. *Et ſtatuta me amantem tua æquitas ſervet tua.*

Digitized by Google

Impios quum legis hoſtes cerno, totus horreo.
Carmen hæc erit mihi, orbem donec hoſpes hunc colam.
Hanc ut obſervem tenebræ me ſilentes admonent:
56 Illa mentem cura ſemper unice exercet meam.

Heth.

Obſequi tibi, mihi una eſt ſpes, opes, hæreditas.
Ut bonus promiſſa præſtes, unice unum id ambio.
Actiones vitæ ut omnes ad tuam componerem
60 Legem: ad hanc cuſtodiendam qua licet [1] me confero.
Impeditus impiorum vinculis hanc cogito.
Hujus ergo nocte ſurgens proſequar te laudibus.
Qui verentur hanc, amicis utor: hanc, parens bone,
64 Qui tua benignitate cuncta reples, edoce.

Teth.

65 Domine ades, pollicita ſervo fac benigne appareant.
In tua lege acquieſcam: me doce legem tuam.
Vix malo coacta leges mens ſequi didicit tuas.
Scita, fons benignitatis, tua benigne me doce.
Me ſuperbi criminantur: corde toto ego te ſequar.
70 Juſſa me juvant tua; illis mens hebeſcit proſperis.
Erudiſti me malis, ut legi adhæream tuæ,
Hæream ut legi, auri acervis gratiori ingentibus.

Jod.

Da manu tua creato noſſe vim legis tuæ.
Me pii læti obſequentem legibus ſpectant tuis.
75 Juſta lex tua eſt: premis me jure juſtus arbiter.
At libenter audientem juſſa me tua recrea.
Tibi libenter obſequentem præveni clementia.
Servulum tuum prementem comprime arrogantiam.
Me tuæ legi obſequentes obſequentem diligant.
80 Nec ferat tibi obſecundans pura mens infamiam.

Caph.

Deficit mens ſpe ſalutis, ſpes nec illam deficit.
Laſſa languent lumina: utris corpus inſtar aridi

83 Ta-

[1] *Me confero.*] Omnes Steph. duæ Plant. Argent. Vautrol. Lond. 1580, & Genev. 1594. *me comparo.*

Digitized by Google

Samech.

Diligo legem tuam, ſicut malos abominor.
Unica es ſpes, una verbis in tuis fiducia.
115 Ut Dei mandata ſervem, hinc impii faceſſite.
Me tuo ſermone fulci, ne ſequar ſpes irritas.
Te regente ſalvus uſque juſſa diligam tua.
Perfugas calcas tuos, qui vana fruſtra cogitant.
Legem amo tuam, quod omnes impios extermines;
120 Corpus horret quum ſeverum cogito te judicem.

Ain.

Æqua ne me diligentem deſere opprimentibus.
Juſta fac amem ſuperbo tutus a ludibrio.
Dum ſalutem ſpero, ſcita ſpecto dum tua, lumina
124 Laſſa languent: tu benignus edoce ſervum tua
Placita: legum fac tuarum intelligat myſteria.
Tempus inſtat puniendi legis adverſarios.
At tuum fœdus mihi auro eſt carius cariſſimo:
Hoc amo, huc errore miſſo dirigo vitæ ordinem.

Pe.

Mira rituum tuorum mens colit myſteria.
130 Verba pectori imperito luminis ſunt janua.
Faucibus tua verba apertis duco, vitæ ut ſpiritum.
Ceu ſoles te diligentes, intuere me bonus.
133 Dirige ad tua verba greſſus: tum ſcelus non opprimet;
134 Me. Tuæ legi, impiorum liber a calumnia,
135 Obſequar: bonus intuere me, tuam ut legem ſequar.
136 Si quis hanc ſpernit, fluunt mihi more rivi lacrymæ.

Zade.

Juſtus es creator orbis: juſta juſſa ſunt tua.
Plena lex eſt æquitatis: certa verbis veritas.
Rumpor ira, quum ſceleſtis impie contemnitur.
Sermo purus inſtar ignis: ſervus hunc amat tuus.
Impii ſpernant licebit me, tuam legem ſequar.
Juſſa ſtant tua ſempiterna mota nullo turbine.
Turbidis mihi illa rebus anxium cor recreant.
Scire legem da tuam: vitam mihi donaveris.

Coph.

Coph.

Corde toto audi vocantem, legi ut obſequar tuæ.
Invoco, adjuva invocantem, fœdus ut colam tuum:
Invoco te mane, verbis in tuis fiducia eſt.
Nocte vigiles anteverto, verba mediter ut tua.
Me benigne audi, ut ſoles, & fauce mortis eripe.
Impii me perſequuntur, legis expertes tuæ.
Tu propinqua, Domine, juſſa cujus omnia juſta ſunt.
Juſſa firma fine nullo, firma nullo exordio.

Res.

Adſpice afflictum: leva me, fœderis memorem tui:
Fœderis memor meam vitam patronus aſſere.
Impii male interibunt, juſſa qui tua negligunt.
O bonus ſine fine, robora, ut ſoles, vitam meam.
Me prementum multitudo a lege non flectit tua.
Mœret animus intuendo pacta qui ſpernunt tua.
Tu bonus tua juſſa amantem me viciſſim recrea.
Cuncta promiſſa tua nullum fixa norunt terminum.

Sin.

Me premit tyrannis: at cor verba meditatur tua.
Verba gratiora gazis aureis animo meo.
Diligo legem tuam, ceu vanitatem abominor.
Septies tuam æquitatem me canentem lux videt.
165 Legem amantibus tuam pax multa, nulla offenſio.
Spectat a te mens ſalutem, nixa promiſſis tuis.
Mens amat promiſſiones unice & ſervat tuas.
Servo tua pacta, ut viciſſim tu vitam obſervas meam.

Thau.

Invocanti da tuarum ſcire legum abſcondita:
170 Invocantem libera me, fœderis memor tui.
171 Te docente prædicabit os tuas laudes: tua
172 Juſſa lingua nuntiabit, juſſa longe æquiſſima.
173 Dextera tua obſequentem juſſibus juva tuis.
174 Abs te opem ſpero: tuarum ſcita legum diligo.
175 Soſpita me, ut prædicem te: lex juvabit me tua.
176 Me, vagam ut pecudem, require fœderis memorem tui.

PSAL.

Digitized by Google

PSAL. CXX. *Ad Dominum cum tribularer*, &c.

HInc me obſidebant bella, & hinc calumniæ
Livor faces admoverat:
Ad te refugi deſtitutus omnibus,
Rerum creator optime.
Te voce ſupplex invocavi, tu meas
Non lentus audiſti preces.
2 A fraudulentæ toxico linguæ Deus
Me protege & mendaciis.
3 O lingua fraudis machinatrix impiæ,
Qua ſpe meum oppugnas caput?
4 Scythæ ferocis lingua peſtilentior
Tinctis veneno ſpiculis:
Ignis voracis lingua flammis acrior,
Quum ſilva flagrat arida.
5 Heu vita triſtis, vita dura & anxia,
Per invios erratica
Montes, latrones inter, atque inhoſpita
Gentis feræ mapalia
6 Mens ægra vitæ carpitur faſtidio,
Hoſtes quietis accolens;
7 Hoſtes quietis, blanda quos oratio
Ferociores efficit:
Quos innocentis mentio concordiæ
Ad bella ſæva exaſperat.

PSAL. CXXI. *Levavi oculos meos in montes*, &c.

1 DUm ferox armis inimicus inſtat,
Ad montes vaga lumina
Proximos circumfero, ſi quid illinc
Forte appareat auxilî.
2 At mihi cœli Dominus ſolique
Certam ſolus opem feret.
3 Ille (quid vano trepidans tumultu
Cor pulſas mihi pectora?)
Ille ſanctorum (mihi crede) cuſtos
Noctes excubat & dies:
4 Victa nec blandi illecebris ſoporis
Unquam lumina dimovet:
5 Leniter paſſis tibi ſemper alis
Umbræ more ſupervolat;
6 Ne cutem ſolis violentioris
Urant ſpicula de die,
Nocte ne lunæ nebuloſioris
Artus degravet halitus.
7 Seu domi clauſus lateas, latentem
Clauſis ſervat in ædibus:
8 Seu foris pacis obeas amicæ,
Seu belli fera munera,
Soſpitem e cunctis Dominus periclis
Semper te bonus eruet.

PSAL. CXXII. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, &c.

1 O Lux candida, lux mihi
Læti conſcia nuncii:
Jam pleno ſtata tempora
Reddit circulus anno:

Digitized by Google

Jam feſti revocant dies
Auguſtam Domini ad domum:
2 Jam ſacri pedibus premam
Lætus limina templi.
3 Jam viſam Solymæ edita
Cœlo culmina, & ædium
Moles nobilium, & ſuo
[1] Anguſtam populo urbem:
4 Urbem, quam procul ultimis
Terræ finibus exciti
Petunt Iſacidæ, ut Deum
Placent more parentum:
5 Juſſam cœlitus oppidis
Urbem jus dare cæteris;
Et ſedem fore Davidis
Cuncta in ſecula proli.
6 Mater nobilis urbium,
Semper te bona pax amet:
Et te ſemper amantibus
Cedant omnia recte.
7 Semper pax tua mœnia
Colat: ſemper in ædibus
Tuis copia dextera
Larga munera fundat.
8 Dulcis Iſacidum domus,
Te pax incola ſoſpitet:
9 Sedes numinis, omnia
Succedant tibi fauſte.

PSAL. CXXIII. *Ad te levavi oculos meos*, &c.

1 AD te levavi, Rex, pater, & Deus;
Ad te levavi lumina, qui procul
Contagio humano remotus,
Templa habitas radiata cœli.
2 Ut ſervus obſervat Domini manus,
Geſtus & omnes lumine mobili;
Arguta [2] ceu nutus acutis
Serva oculis dominæ tuetur:
Te noſtra ſpectant, te, Domine & Deus,
Intenta mentis lumina, dum graves
Iras remittas, ſervuliſque
Des veniam bonus atque pacem.
3 Jam lenis in nos reſpice: ſervulis
Jam parce tandem, parce fidelibus,
Quos hoſtis inſultans ſuperbo
Ludificatque premitque vultu.
4 Contemtus hoſti ac opprobrium ſumus,
Vitæque tædet: ferre animus nequit
Supercili faſtum ſuperbi,
Ludibriumque opibus tumentum.

PSAL. CXXIV. *Niſi quia Dominus*, &c.

1 NI faventis affuiſſet numinis præſentia,
2 (Dicat Iſaci propago) numinis præſentia
Ni faventis affuiſſet, quum veniret perditum
Nos ſuperba multitudo, freta ſtultis viribus,

3 Forte

1 *Auguſtam populo urbem*] Hart. anni 1621. *Auguſtam.*

2 *Ceu nutus acutis*] Vautrol. Lond. 1580. *ceu nutus herilis.*

3 Forte vivos devoraſſent, debileſque & pauculos:
Ira fervidi furoris, avida noſtri ſanguinis,
4 Obruiſſet inſtar undæ nos procella cladium:
More torrentis nivali ab imbre turgidi, impetus
5 Nos repente ſuſtuliſſet: uſque ad animam gurgites,
Uſque ad animam tranſiiſſent gurgites impervii.
6 Sempiterna laus Deo ſit, qui ſuos non tradidit
Dentibus prædam cruentis perfidarum gentium.
7 Caſſibus fractis doloſis ſoſpites evaſimus:
Capta veluti jam volucris rete fugit aucupis.
8 In Deo noſtræ ſalutis ſpes repoſta eſt unica,
Qui ſolum cœlumque fecit vi potentis dexteræ.

PSAL. CXXV. *Qui confidunt in Domino*, &c.

1 SIonis arcem non aquilo impotens
Saxo ſedentem perpetuo quatit,
Nigrantibus non auſter alis
Imbriferas glomerans procellas.
2 Quicunque vere ſpem locat in Deo,
Non hoſtis hunc vis, non quatiet dolus:
Si fractus illabatur orbis,
Incolumis fugiet ruinam.
Ut civitatem mœnia montium
Sanctam tuentur, ſic Dominus ſuos
Vi cingit arcana, nec unquam
Præſidii viduos relinquet.
3 Nec impiorum perpetuo jugo
Sinet piorum progeniem premi;
Ne turpibus contaminetur
Flagitiis labefacta mentem.
4 Ut affluenter fac bona ſint bonis,
5 Ut continenter fac male ſit malis,
De calle quos recti illecebris
Impietas male ſana flexit.
Fac, ſancte rerum conditor, ut domum
Beata ſemper pax colat Iſaci:
Tranquillitas ſecura pulchræ
Exhilaret Solymæ colonos.

PSAL. CXXVI. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, &c.

1 QUum pater omnipotens captam remeare Sionem,
Dulcemque juſſit patriam reviſere.
Attoniti ſtupuere animi, necopinaque ſecum
Metum librantes inter & ſpem gaudia.
Vixque ſibi credunt: veluti qui noctis opacæ
Sopore pulſo mane verſat ſomnia.
2 Pro lacrymis redeunt riſus: ſua gaudia quiſque
Sermone celebrat, patrium laudans Deum.
Nec minus attonito ſtetit ad miracula vultu,

Digitized by Google

Sic barbarorum turba ſecum muſſitans,
En pater ille deum quot ſigna oſtendit amoris!
Hujus ſaluti gentis uſque ut proſpicit!
3 Nec falſo: nam ſigna Deus monſtravit amoris
Præclara, noſtræ dum ſaluti proſpicit.
Ergo alacres læto [1] teſtamur gaudia plauſu.
4 At tu benigne fac parens ut cæteri
Jam redeant, pleniſque viis ſic agmen inundet,
Ut æſtuoſi quum flat auſtri ſpiritus,
Indignata ſuis eohiberi flumina ripis,
Vaga per agros murmurant licentia.
5 Qui male fœeundæ commiſit ſemina terræ,
Et corde triſtis multa volvit anxio,
Si venit uberior ſeges imbribus auĉta benignis,
Exſultat hilari eor metentis gaudio.
6 Nos quoque longa fugæ poſt tædia, poſtque labores,
Læti arva dulcis patriæ reviſimus.
Te patrium canimuſque Deum, ſemperque canemus:
Agimuſque memores atque agemus gratias.

PSAL. CXXVII. *Niſi Dominus ædificaverit domum*, &c.

1 NI cœpta Dominus juverit, fruſtra ſtruis
Moles ſuperbas ædium.
Ni Dominus urbem ſervet, incaſſum excubat
Muris vigil cuſtodia.
2 Fruſtra antevertis mane ſolem, & veſpere
Sero domum reverteris:
Victum labore vix parabis anxio,
Ni Dominus admorit manum.
At ille amicis interim ſuis dabit
Purum ſoporem ſomniis:
3 Domumque dulei prole fœtam liberûm
Præbebit. Hæc hæreditas
Hæc illa merees, qua beat caros ſibi
Rerum ille Dominus omnium.
4 Non ſic timori eſt dexteram telis gravis
Bellator hoſtis hoſtibus,
Ut quem parentem maſculæ propaginis
Favor beavit numinis.
5 O ter beatum & amplius, qui talibus
Pharetram ſagittis impleat!
Non ad tribunal erubeſeet jurgia
Proeaeis adverſarii.

PSAL.

1 *Teſtamur gaudia*] Editio Al. Julii *teſtemur*, & in Ecphraſi *lætitiam demonſtremus*: ſed potior, mea ſententia, aliorum codicum lectio, utpote Hebraico textui mage conſona, qui ab interpretibus fere redditur, *Facti ſumus lætantes* vel *læti*, non vero *eramus* aut *ſimus*.

PSAL. CXXVIII. *Beati omnes qui timent Dominum*, &c.

1 FElix o ter & amplius,
Quem timor Domini tenet,
Quem non illius a via
Flectit devius error.
2 Felix, & tibi proſpere
Cedent omnia: nam tuo
Carpes dulcia fercula
Comparata labore.
3 Inſtar palmitis uberi
Proventu gravidi, & coma
Cingentis viridi domum,
Te conjux hilarabit.
Ceu plantaria fertili
Pubeſcunt oleæ ſolo,
Jucundo tibi liberi
Cingent agmine menſam.
4 Quem timor Domini tenet,
Inter talia commoda
Vitæ tempora tranſiget.
5 At te ex arce Sionis
Ditabit Domini manus
Larga: & conſpicies bonis
Florentem Solymam, tibi
Donec vita manebit.
6 Prolis adſpicies tuæ
Longa ſtirpe propaginem:
Feſſa ſemper & Iſaci
Lætos pace nepotes.

PSAL. CXXIX. *Sæpe expugnaverunt*, &c.

1 JUre [1] dicat grex bonorum, mille me moleſtiis
2 Factio preſſit [2] malorum: prima ab uſque origine
Factio preſſit malorum mille me moleſtiis:
Nec tamen ſubvertere unquam quivit ullis machinis.
3 Terga ſævis exaravit verberum vibicibus:
Terga longis ſecta ſulcis, hoſtis ad faſtidium:
4 Sed parens rerum benignus vincla rupit impia,
Meque nervo liberavit ſervitutis aſperæ.
5 Qui Sionis non amico ſpectat arces lumine,
Vota ſemper vana volvat, ſpes inanes nutriat:
6 Marceat, ceu ſole marcet herba languens torrido,
Herba ſummis nata tectis, quæ repente corruit
Ante falcis plagam [3] acutæ, ſicca marcidis comis:
7 Unde nec ſinum replevit qui maniplos colligit:
Nec manum meſſor peruſtus, prata tondens florea,
8 Nec viator ominatus proſpera eſt metentibus,

Sic

1 *Jure dicat*] Antiquiora exemplaria, tria ſcil. Steph. utraque Plant. & Argent item cum Chytræi notis edita Herborn 16·0. Lond. 1686. unumquemque hujus Pſalmi verſum in duas ſtrophas dividunt, ut in Pſalmo CV. antea annotavimus.

2 *Malorum: prima*] Prædicti libri omnes, exceptis iis qui cum Chytræi notis prodierunt, habent, *malorum, uſque ab incunabulis*: quod non admittit metri ratio, niſi diviſim legas.

3 *Acutæ, ſicca*] Prædicti codices: *acute aridis radicibus*. Eadem hujus mutationis quæ prioris cauſſa.

Sic precatus, Arva [1] læta, & arva lauta, & roſcida,
Hunc in annum, & uſque in annos hunc ſequentes, numinis
Vos favor ſemper benigni ſervet, ornet, augeat.

PSAL. CXXX. *De profundis clamavi*, &c.

1 CUrarum rapidis fluctibus obrutus,
Arcanis animi de penetralibus,
Audi verba precantis,
Clamavi, pater optime:

2 Audi verba pater, quæ tibi ſupplices
Multo cum gemitu fundimus: applica
Intentam bonus aurem
Triſtes ad querimonias.

3 Si vindex tetricus facta nefarie
Pœnis cuncta velis plectere, quis ſibi
Tam confidit, acerbum
Ut non horreat exitum?

4 At tu non furiis triſtis es aſperis,
Sed largus veniæ, & munificus parens:
Ut te jure colamus,
Legum & juſſa ſalubria.

5 Nam ſpes polliciti me recreat tui,
Promiſſique fides fallere neſcii,
Et fiducia certa
Mentem ſuſtinet anxiam.

6 Non ſic præcipiti nocte vigil diem
Obſervat roſeum, non roſeum vigil
Phœbi ſic avet ortum,
Ut flagrat mea mens Deum.

7 Securi in Domino figite ſpem pii,
Non duro veniam ſupplicibus dare;
Et promto dare preſſis
Duro ſervitio manum.

8 Electi generis progeniem gravi
Preſſam ſervitio ex hoſtibus aſſeret:
Et de morte redemtam
Noxis eximet omnibus.

PSAL. CXXXI. *Domine, non eſt exaltatum cor meum*, &c.

1 SI ſpiritu impotenti,
Si lumine inſolenti
Elatus ambulavi;
Si virium mearum
Fiducia ſuperbus
Deſpexerim minores:
Si mentis arrogantis
Sublime vectus alis,
Majora, quam liceret
Sperare, cogitavi:

2 Ni vota temperavi
Modeſtia ſalubri:
Nil deprecor rogove,
Nullam recuſo pœnam.
Qualis puer tenellus
Vix lacte pulſus, unam
Suſpirat in parentem,
Hanc ſpectat, hac ab una
Dependet, ambit unam:
Æterne rector orbis,

Te

[1] *Læta*, *&*] In prædictis deeſt *&*, hic metri gratia introductum.

Digitized by Google

Te mens mea intuetur
Unum, uni adhæret, unum
Te vindicem ſalutis
3 Agnoſcit. O piorum
Propago ſancta patrum,
[1] Unum Deum parentum
Spectate, ſpes in uno
Locate, cuncta ab uno
Sperate: ſpem nec unquam
Fovebitis caducam.

PSAL. CXXXII. *Memento, Domine, David*, &c.

1 Davidis eſto memor, genitor, memor eſto laborum
Quos tulit, in rebus tua juſſa ſequutus egenis.
2 Ille tibi, Hebrææ gentis Deus unice, votis
Obſtrinxit caput, & promiſſis ora recluſit:
3 Non ædes prius ingrediar, mollive reponam
4 Membra toro, aut oculis dulcem indulgebo ſoporem,
5 Quam fanum inveniam, & ſacri fundamina templi
Deſignem, ſanctiſque locum dimetiar aris.
6 Fama [2] licet patriæ multum promitteret oræ,
Inter ſaxa tamen ſilveſtribus obſita dumis
Monſtravit Deus ipſe locum. Deus ipſe perenne
Hic templum, templique ſacris ſedem innuit aris.
7 Ergo alacres gratam Domino properemus ad ædem;
8 Scamna pedum pronis veneremur vultibus: & tu
Sancte parens, bonus ac placidus cape vota, tuamque
Lætus adi ſedem: neu dedignare penates
Qui memorem æterni ſervabunt fœderis arcam.
9 Templa ſacerdotes caſti tueantur, & omnes
Qui tua rite piis venerantur numina ſacris,
10 Lætitia exſultent. Si David pectore puro
Te coluit, ne Davidicæ nunc reſpue prolis
Dona, tui populi cui frena tenenda dediſti.
11 Davidi enim quondam (neque jam ſententia vertet
Ulla tuam mentem) juraſti: E ſtirpe propago
Nata tua ſolium & ſceptrum retinebit avitum.
12 Quod ſi poſteritas ſervet mea fœdera, pactis
Si ſteterit, leges ſi non temerarit avitas,
Nulla dies ſolio, vis nulla extrudet avito,
Et natos natorum, & qui naſcentur ab illis.

13 Ipſe

1 *Unum Deum parentum*] Omnes cum Chytræi Collectaneis editi, *Unum Deum parentem.* Male. [Neſcio an hic peccarint operæ: nam quas vidi, *parentum* habent, ut Plantiniana & Salmuriana.]

2 *Fama licet*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent.
Ecce mihi, patriis ſubito dum verſor in arvis,
Et juga dum peragro ſilveſtribus obſita dumis.

13 Ipſe mihi ſedem elegi ſine fine Sionem,
14 Quam colerem: hîc mihi certa quies, hîc certa voluptas:
15 Hæc mihi grata domus: cœli indulgentia fruges
Faxo alat, & duros large ſaturabo colonos.
16 Templa tuebuntur caſti juſtique miniſtri,
Lætitiaque piis perfundam pectora certa:
17 Davidicoque novum producam e ſemine germen,
Quod late in populos fundet ſua brachia: [1] ſtirpi
Proſpiciam feræ ſolium qui illuſtret avitum,
Claraque per cunctas diffundat lumina terras.
18 At pudor, & turpes maculas infamia ſpargens,
Hoſtibus inficiet vultus. Jeſſæa propago
Florebit, [2] cingetque ſacrum diademate crinem,
Tranſmittetque ſuam longæva in ſecula famam.

PSAL. CXXXIII. *Ecce quam bonum, & quam jucundum*, &c.

1 Nil caritate mutua fratrum, nihil
Jucundius concordia;
2 Non aura ſuavis balſami, quum funditur
Aronis in ſacrum caput,
Et imbre læto proluens barbam & ſinus
Limbum pererrat aureum:
3 Non ros, tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina,
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonſi juga.
Fraterna quam pax incolit, domum juvat
Dominus benigna dextera:
Et opibus auget: filiorum & filios
Multis propagat ſeculis.

PSAL. CXXXIV. *Ecce, nunc benedicite*, &c.

1 Domini miniſtri, nocte qui cuſtodiæ
Sancti excubatis atrii,
Laudate Dominum, laudibus donec ſacro
Nox annuit ſilentio.
2 Interque laudes mentibus puris manus
Cœlo ſupinas tollite.
3 Et vos beabit Dominus invicem omnibus
Cœli ſolique commodis:
Dominus Sionem qui tuetur, unicus
Cœli ſolique conditor.

PSAL.

1 *Stirpi Proſpiciam feræ ſolium qui illuſtret avitum*] Ita omnes libri, præter unum Al. Julii, in quo *quæ illuſtret* eſt editum; ſed altera lectio magis arridet, ſupplendo *virum* vel *Regem*, *e poſteris Davidis*, i.e. *CHRISTUM*. Vide Vatabli Annot. in loc.

2 *Cingetque ſacrum diademate crinem*] Edit. Tho. Vaurrollerii, *Cinganique ſacrum diademata crinem.*

PSAL. CXXXV. *Laudate nomen Domini*, &c.

1 VOs quibus eſt ſacri cuſtodia credita templi,
2 Eia Deum laudate: Deum celebrate miniſtri,
Qui ſacra aſſidua vigilatis ad atria cura.
3 Eia Deum laudate bonum, nomenque beatum
Tollite perpetuo veſtro ſuper æthera cantu.
4 Quippe Jacobum ultro legit, lectumque dicavit
Hunc ſibi, ceu privam patrimonî in ſecula ſortem.
5 Nota quidem Domini eſt immenſa potentia, notum
Numen; quippe deos ſub ſe premit altior omnes,
Quos alii ſtolida placant ceu numina cura.
6 Verſat enim nutu cœlo, terraque, marique,
Aut ſi quod cæcis clauſum eſt penetrale tenebris
7 Naturæ, quodcunque libet: de viſcere terræ
Evocat, & liquido ſuſpendit in aëre nubes:
Fulguribuſque vagis venientes prævenit imbres:
Deque ſuis promit ventorum flamina gazis.
8 Ille hominum primos fœtus, pecudumque per arva
9 Divitis Ægypti ſtravit: regemque ſuperbum,
Et quicunque bibunt ſeptemflua flumina Nili,
10 Terruit oſtentis: validis ille oppida muris
Turrita evertit: numeroſo milite cinctos
Cum ſtirpe exſtinxit violento funere reges:
11 Stravit [1] Amorrhæum valida virtute Seonem,
Quique Baſan Ogus magna ditione tenebat,
Regnaque non uni Cananeia ſubdita ſceptro:
12 Arvaque, dejectis nuper viduata tyrannis,
Accepere novos Jacobi e ſtirpe colonos.
13. 14 Sancte parens rerum, qui juſto examine noſti
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Poſteritas te ſera canet: tua ſplendida facta
Nulla unquam ex animis tollent oblivia noſtris.
15 At ſibi quæ variis finxit ſimulacra figuris
Vana ſuperſtitio, calidis fornacibus aurum
Argentumve liquans, nil ſunt niſi ludicra dextræ
16 Humanæ commenta: illis os vocis inane:
17 Lucis egent oculi: ſurdas ſonus advolat aures:
Et patulas fruſtra nares jucundus odorum
Halitus incurſat: calidus non pectora pulſat

18 Spi-

1 *Stravit Amorrhæum*] Tres Steph. duæ Plant. & Argent. *Quique Amorrhæis Seon regnavit in oris,*

18 Spiritus. O quiſquis ludibria talia fingit,
Aut colit, ipſe ſuis ſimilis diis exigat ævum;
Mentis inops, & lucis egens: non aure, nec ore
Accipiat reddatve ſonos: nec nare ſagaci
Sentiat halantes per prata nitentia flores.
19 Tu vero genus a magno Iſraële profectum,
20 Et domus Aronis, genitique e ſanguine Levi,
Et quicunque pio rerum venerare parentem
21 Obſequio, laudate Deum, qui tecta Sionis
Ardua, qui ſacram Solymæ bonus incolit ædem.

PSAL. CXXXVI. *Confitemini Domino*, &c.

1 EIa Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
Larga benignum ſemper indulgentia.
2 Eia Deum laudate: Deus namque ille deorum eſt,
Larga benignus ſemper indulgentia.
3 Cui domini rerum ſubmittunt ſceptra tyranni,
Larga benigno ſemper indulgentia.
4 Qui facit attonito ſolus miracula mundo,
Larga benignus ſemper indulgentia.
5 Qui nitidos mira arte polum convolvit in orbes,
Larga benignus ſemper indulgentia.
6 Qui liquidis terras emergere juſſit ab undis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
7 Qui vitreo accendit flammantia lumina cœlo,
Larga benignus ſemper indulgentia.
8 Qui ſolem auricomum juſſit dare jura diei,
Larga benignus ſemper indulgentia.
9 Qui lunam & ſtellas tenebras diſtinguere noctis
Juſſit, benigna ſemper indulgentia.
10 Pignora prima Phari qui fato exſtinxit acerbo,
Larga benignus ſemper indulgentia.
11 Iſacidas medio incolumes ex hoſte recepit,
12 Larga benignus ſemper indulgentia.
13 Qui rubri Oceani torpentes diffidit undas,
Larga benignus ſemper indulgentia.
14 Perque undas fiſſas ſobolem traduxit Abrami,
Larga benignus ſemper indulgentia.
15 Pharonem & Pharios ſubmerſit gurgite currus,
Larga benignus ſemper indulgentia.
16 Deduxitque ſuos deſerta per avia tutos,
Larga benignus ſemper indulgentia.

17 Et

Digitized by Google

17 Et validos merita proſtravit clade tyrannos,
18 Larga benignus ſemper indulgentia.
19 Stravit Amorrhæum valida virtute Seonem,
Larga benignus ſemper indulgentia.
20 Stravit [1] & incaſſum confiſum viribus Ogum;
Larga benignus ſemper indulgentia.
21 Metatuſque novis agrum eſt utriuſque colonis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
22 Iſacidis habitare ſuis dedit hoſtica rura,
Larga benignus ſemper indulgentia.
23 Qui nos in rebus miſeros reſpexit egenis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
24 Avertitque ferum noſtris cervicibus hoſtem,
Larga benignus ſemper indulgentia.
25 Qui genti vitam humanæ victumque miniſtrat,
Larga benignus ſemper indulgentia.
26 Aſtrigeros laudate Deum qui temperat orbes,
Larga benignus ſemper indulgentia.

PSAL. CXXXVII. *Super flumina Babylonis*, &c.

1 DUm procul a patria mœſti Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas forte ſedêmus aquas;
Illa animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis,
Et numquam patrii tecta videnda ſoli.
Flevimus, & gemitus luctantia verba repreſſit;
Inque ſinus liquidæ decidit imber aquæ.
2 Muta ſuper virides pendebant nablia ramos,
Et ſalices tacitas ſuſtinuere lyras.
3 Ecce ferox dominus Solymæ populator opimæ
Exigit in mediis carmina læta malis:
Qui patriam exilio nobis mutavit acerbo,
Nos jubet ad patrios verba referre modos,
[2] Quale canebamus, ſteterat dum celſa Sionis
Regia, finitimis invidioſa locis.
4 Siccine divinos Babylon irrideat hymnos?
Audiat & ſanctos terra profana modos?

5 O

1 *Stravit & incaſſum*] Prædicti toties memorati codices,
Stravit Ogum magno fidentem corpore fruſtra.

2 *Quale canebamus*] Supple *carmen*: vox enim *quale*, non ad proxima verba, ſed altero ante verſu *carmina* refertur, ſingulari numero pro plurali metro cogente ſubſtituto: quod, paullo licet inſolentius, minus tamen durum mihi videtur, quam *quale* hic pro *qualiter* poſitum exiſtimare.

5 O Solymæ, o adyta, & ſacri penetralia templi,
Ullane vos animo deleat hora meo?
Comprecor, ante meæ capiant me oblivia dextræ;
Nec memor argutæ ſit mea dextra lyræ:
6 Os mihi deſtituat vox, areſcente palato,
Hæreat ad fauces aſpera lingua meas:
Prima mihi veſtræ niſi ſint præconia laudis;
Hinc niſi lætitiæ ſurgat origo meæ.
7 At tu (quæ noſtræ inſultavit læta rapinæ)
Gentis Idumææ tu memor eſto, pater.
Diripite, ex imis evertite fundamentis,
Æquaque (clamabant) reddite tecta ſolo.
8 Tu quoque crudeles Babylon dabis impia pœnas:
Et rerum inſtabiles experiere vices.
Felix qui noſtris accedet cladibus ultor,
Reddet ad exemplum qui tibi damna tuum.
9 Felix qui tenero conſperget ſaxa cerebro,
Eripiens gremio pignora cara tuo.

PSAL. CXXXVIII. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, &c.

PEctore te grato Dominumque Deumque fatebor
Coram ſuperbis regibus,
Et tua facta canam.
2 Ad tua templa oculis, animo ad tua numina ſpectans,
Nomen celebrabo tuum,
Perpetuamque fidem:
3 Qui [1] donis promiſſa novis cumulata rependis,
Audis vocantem, robora
Das animo trepido.
4 Te, quacunque patet tellus circumflua ponto
Reges fatebuntur Deum,
Quum ſine labe fidem
5 Audierint: rituſque tuos ſuper æthera cantu
Ferent, tuæque gloriæ
Ad jubar attoniti.
6 Nam liquidi quanquam trans ignea mœnia mundi
Beatus in te permanes:
Attamen haud humiles
7 Deſpicis; elatoſque premis: diſcrimina mille

Paſſim

1 *Qui donis promiſſa novis*] Omnes Stephanorum, utraque Plant. Argent. Vautrol. Genev. 1594. & Lond. 1620. *Qui promiſſa novis donis* ——

Paſſim mihi circumſtrepant,
Te duce tutus ero.
Tu valida obſiſtes dextra furialibus auſis
Qui me laceſſunt hoſtium:
8 Incolumique dabis
Quod ſupereſt, ſi quid ſupereſt: bonitate perenni,
Quo cœperas gradu, tuæ
Facta tuere manus.

PSAL. CXXXIX. *Domine probaſti me, & cognoviſti me*, &c.

1 Momenta vitæ nulla te latent meæ,
Rector benigne cœlitum.
2 Seu ſedeo, ſive ſurgo, ſeu quid cogito,
Tu cuncta præſens adſpicis.
3 Lux ſive curam, ſeu quietem nox tulit,
Curam & quietem temperas.
4 Nec te minutæ voculæ fugit ſonus,
Quam lingua temere fuderit.
5 Et os & humeros, totiuſque corporis
Sic arte mira fabricam
6 Finxiſti, acumen nullum ut humani ingenî
Ratiove poſſit aſſequi.
7 Quonam ergo vultum fugero tuum? quibus
Clauſus latebris occular?
8 Petamne cœlum? præſto es hic: ad inferos
Demergar? illinc non abes.
9 Aurora curru me volucri ut deferat
Ad occidentis limitem.
10 Hic deprehendes me, nec hic tutus tuæ
Vitabo fulmen dexteræ.
11 Incauta mens ſi forte ſecum cogitet,
Nox me tenebris occulet,
Obſcura tenebris noſtra nox luce eſt tibi
Meridiana clarior:
12 Tibi nec tenebræ ſunt tenebræ; nec tuæ
Nox ulla providentiæ eſt.
13 Arcana mentis tu tenes, qui pectoris
Arcana fabricatus es.
Qui me parentis ventre conditum, cutis
Tenello amictu involveras.
14 Compago mira corporis noſtri, tuæ
Miraculum eſt ſolertiæ:
Stupenda cujus opera nec noſtra aſſequi,
Sed nec negare mens poteſt.
15 Nam nulla noſtri tam minuta eſt corporis
Pars, ut tuam ſcientiam
Fugiat: nec ulla clauſtra pectoris latent
Te conditorem pectoris.
16 Maſſæ recentis rudia adhuc primordia,
Rudiſque maſſæ ſemina,
Ceu ſcripta haberes, corporiſque lineas,
Motum ſtatumque noveras.
Et membra nondum quum forent, quid adderent
Dies ſciebas ſinguli.

17 Hæc mente tacita cogitanti mihi ſtupor
Torporque ſenſus alligat:
Animus labaſcit quum tuæ miracula
Perpendo mecum dexteræ.
18 Citius inibo numerum, arenæ in littore
Quot volvat æſtus corpora:
Quamvis ocellis pervigil nunquam meis
Dulcem ſoporem indulſero.
19 O quando perdes impios, rerum parens?
O quando ſanguinarios
20 A me repelles, qui ſceleſti nomini
Et numini illudunt tuo?
21 Te quiſquis odit, non ego odi? non tuos
Hoſtes habebam pro hoſtibus?
22 Odi profectò: nec tuis ex hoſtibus
Amicus eſt quiſquam mihi.
23 Revolve mentis intimos ſinus Deus,
Latebraſque noſtri pectoris;
Niſi hìc amorem videris tui, niſi
Animum [1] obſequi nunquam pigrum,
24 Si par ſceleſtis ſcelere ſum, vitæ parem
Da cum ſceleſtis exitum.

PSAL. CXL. *Eripe me, Domine, ab homine malo*, &c.

2 ÆTerne rerum conditor, a malæ
Linguæ veneno me bonus aſſere,
Meamque perjuri tuere
Hoſtis ab inſidiis ſalutem,
3 Qui fraude tecta bella nefaria
4 Ciet: nec atris mitior anguibus
Vibratque linguam virulentam, &c
Ore vomit rabido venenum.
5 Averte fraudem, & me violentiæ
6 Hoſtis ſceleſti ſubtrahe, qui mea
Veſtigia obſervat, ſcrobeſque
Objiciens, laqueoſque tendens.
7 At tu, ſalutis præſidium meæ,
8 Audi precantem. tu Dominus mihi
Deuſque: tu me liberaſti
Incolumem crepero e duello.
9 Idem impiorum nunc bonus irrita
Fac vota: ſævam frange ſuperbiam:
10 Viruſque linguæ peſtilentis
In domini exitium refunde.
11 Dejecta cœlo flammea perfidos
Procella fundat præcipiti fuga,
Cæcoſque propellat profundas
Perpetui in barathri tenebras.
12 Linguæ loquacis perfida vanitas
Nunquam quieto deget in otio:
Sed impie dignum patratis
Exitium domino parabit.
13 At

1 *Obſequi nunquam pigrum*] Tres Steph. utraque Plant. & Argent. Lond. 1620. Gen. 1594. *obſequi non impigrum*.

Digitized by Google

13 At impiorum a vi Dominus ſuos
14 Et fraude vindex aſſeret: ut pii
Numen Dei præſens potenſque
Perpetuo celebrent honore.

* PSAL. CXLI. *Domine, clamavi ad te, &c.*

1 AUrem vocanti da parens propere, meas
Audi preces ſalutifer.
2 Quum verba fundo triſtis, & puras manus
Attollo, ſic preces meas
Manuſque puras reſpice, ac ſi thureo
Odore mane te colam:
Ac ſi colam te victima & libamine
Sero rubente veſpere.
3 Freno coërce linguam: ad oris januam
Fac excubet cuſtodia.
4 Fac mens ſequatur recta, fac in lubricam
Ne flectat erroris viam.
Fac ne ſceleſto gaudeat cœtu, neque
Menſa fruatur impia.
5 Me malo juſtus increpet, me verberet,
Quam palpet impius, comam
6 Quam rore nardi ſpargat. Impii, precor,
Et impiorum præſides,
De rupis altæ quum ruent ſpecula, ſui
Supplicia ſceleris ut luant,
Tum ſubeat animum conſcium, ſalubriter
Quod me monentem ſpreverint.
7 Sic mortis horror oſſium compagines
Mihi laxat, ut cæſæ jacent
Fagi per arva fiſſa cuneis fragmina.
8 Tu ſancte rector cœlitum,
Spes una nobis es ſalutis, unicum
Agnoſcimus te vindicem.
9 Vitam tuere ab impiorum caſſibus,
A fraude quam ſtruunt mihi.
10 Compos ſalutis impios fac in ſua
Cernam ruentes retia.

PSAL. CXLII. *Voce mea ad Dominum clamavi, &c.*

2 INvoco ſupplex Dominum, manuſque
Tendo ad ſidera ſupplices.
3 Mentis huic pando lacrymas: querelis
Imploro miſeris opem.
4 Pectus afflictum dolor obruebat:
Quamvis, Rex bone cœlitum,
Puriter vitæ mihi tu peractæ
Eſſes arbiter optimus.
Quum domo greſſum tamen efferebam,
Tendebant mihi retia.
5 Nec mihi notus, nec amicus uſquam,
Quoquo lumina verteram.
Exitus nuſquam, fuga nulla, nemo
Qui me ſoſpite plauderet.
6 Ergo

Digitized by Google

6 Ergo te, rerum pater, invocavi,
Unum præſidium in malis:
Tu meæ vires, mea ſpes, opeſque,
Dum ſedes hominum colo.
7 Da meis aurem facilem querelis
Fracti cladibus ultimis.
Aſſere a ſævi manibus tyranni,
Qui me fortior opprimit.
8 Carceris vitam rape de tenebris,
Ut te laudibus efferam:
Teque conventus celebret piorum,
Promtum ferre piis opem.

PSAL. CXLIII. *Domine exaudi orationem meam*, &c.

1 AUdi vocantem rebus in aſperis,
Et lenis aurem da precibus meis,
Rerum creator: quaque ſoles fide
Et æquitate ex hoſtibus eripe.
2 Juris ſeveri ne trutina meam
Expende vitam: nemo hominum innocens
Sic eſt, tribunal poſſit ut ad tuum
Se profiteri crimine liberum.
3 En hoſtis atrox imminet, & premit
Stratum: tenebris triſtibus abditus,
Et lucis exſors dego, velut ſpecu
Quos in ſepulchri mors fera condidit.
4 Mens pene curis obruta volvere
5 Priora cœpit tempora, quum patres,
Spes quos fovebat præſidii tui,
De fauce lethi ſæpe revelleres.
6 Hac recreatus rurſus imagine,
Imploro ſupplex auxilium tuum,
Intenta mens te reſpicit, arida
Tellus ut imbres ſub cane torrido.
7 Non lentus audi, nam mihi ſpiritus
Vix ſeſſa pulſat pectora: ſi tui
Avertis oris lumen amabile,
Mors atra ſiccis faucibus imminet.
8 Spe mens labores auxilii tui
Fert: ſpectat unum te, pater optime.
Audi precantem lenis, & exitum
Jamjam obruturis pande periculis.
9 Ab hoſte ſævo protege me, meæ
Cuſtos ſalutis: prava repellere
Mentem manumque, & recta capeſſere
Doce, unicum te qui veneror Deum.
10 Arcana fac vis numinis ut tui
Per plana greſſum dirigat, ut tua
Mandata ſecter: neu male credulum
Error malorum vertat in orbitam.
11 Ut nulla numen non celebret tuum
Et æquitatem natio, recrea
Me deſtitutum præſidio: & malis
Hoſtis ſceleſti libera ab artibus.
12 Favoris umbra me ſolita tege,
Et qui me acerbis uſque doloribus
Affligit, hoſtem perde nefarium,
Servumque ſerva perpetuo tuum.

PSAL.

Digitized by Google

PSAL. CXLIV. *Benedictus Dominus Deus meus*, &c.

1 QUo te Rex hominum carmine proſequar?
Qui firmas animum robore, qui manum
Et bellare doces, & dubii regis
Per diſcrimina prælii.
2 Quod vivo & valeo, tutus & hoſtium
A fraude, eximia fulgeo gloria:
Quod late validis impero gentibus,
Totum muneris id tui eſt.
3 O rerum genitor, quantulus eſt homo,
Hac quem proſequeris munificentia,
Et curas patria ſollicitudine!
4 Figmentum fragilis luti,
Quo nec bulla levis vanior eſt, neque
Quæ mentes agitant ſomnia turbidas,
Nec ſerum fugiens umbra crepuſculum,
Nec fumi volucris vapor.
5 Cœli pande fores, Rex bone cœlitum,
Ac de ſidereis labere ſedibus:
6 Montes nube operi: per liquidi aëris
Campos fulgura trajice.
Turbatos trepida ſparge fuga impios,
Et ſparſos jaculis perde ſequacibus:
7 Porrectaque manu me, pater optime,
Sævis eripe fluctibus.
Hoſtis pelle malam vim bonus impii:
8 Linguæ vaniloquæ reprime toxica:
Aſſuetæque dolis peſtiferis manus
Vires contere viribus.
9 Ut te noſtra novo carmine barbitos
10 Dicat, ſubſidio qui recreas tuo
Reges: qui gravibus ſæpe periculis
Vitam Davidis eripis.
11 Hoſtis pelle malam vim procul impii:
Linguæ vaniloquæ reprime toxica:
Aſſuetæque dolis peſtiferis manus
Vires contere viribus.
12 Natorum ſoboles creſcat, ut ubere
Surgit ſilva ſolo laurea: virgines
Cultu ſic niteant, ut laquearibus
Templorum tholus aureis.
13 Stipentur gravidis horrea frugibus:
Pleno cuncta penu copia ſuggerat:
Fœcundi pecoris non capiant greges
Lætis paſcua ſaltibus.
14 Pingues plauſtra boves & nitidi trahant:
Nec triſti reſonent compita claſſico,
Nec fletu plateæ: nec furor hoſticus
Clauſis affremat oppidis.

15 Felicem populum, inter bona talia
Qui vitam in tacito tranſigit otio:

Felicem populum ter quater, omnium
Cui rerum pater eſt Deus.

PSAL. CXLV. *Exaltabo te, Deus meus Rex*, &c.

1 TE Regem Dominumque canam, dum lucida volvet
Lucidus aſtra polus,
Et unicum colam Deum.
2 Luce canam te, nocte canam te: nulla carebit
Laudibus hora tuis,
Rerum creator & ſalus.
3 Magne parens, nullo cui clauſa potentia fine eſt,
4 Secula cuncta tuas
Laudes ſonabunt: & patres
5 Longævi tua facta canent, ſeræque nepotum
Per ſeriem ſoboli
Prodent: nec ætas gloriam
6 Neſciet ulla tuam: mirandaque facta decuſque
Ille memor referet;
7 Hic magnitudinem canet:
8 Ille bonum feret & juſtum, & placabilis iræ,
Et veniæ facilem, &
Larga benignum dextera:
9 Tot inter decora, & laudum præconia nullo
Emoritura die,
Nil clarius clementia.
10 Ergo, parens rerum, ſtellantis machina cœli
Cuncta ſuo gremio
Complexa prædicat tuum
11 Robur: & intacti ſcelerum contage nefanda,
Te celebrant alacres,
Tuique vires imperî
12 Per populos late vulgant: ne neſcia ſceptri
Terra ſit ulla tui,
Et gloriæ & potentiæ.
13 Imperium ſine fine tibi: nec legibus ævi
Subdita ſceptra tenes,
Aut clauſa metis temporum.
14 Tu lapſos rurſum attollis, firmaſque labantes:
Incolumeſque foves
Vitæ beatæ commodis.

15 Te

Digitized by Google

15 Te volucrum pecudumque genus, te ſæva ferarum
Secula reſpiciunt
Unum, ſuoque tempore
16 Accipiunt victum: tu dextram pandis, & omne
De locuplete penu
Animal benigne recreas.
17 Quicquid agis, juſteque & ſancte agis: impiger aurem
18 Supplicibus facilem
19 Præbes: opiſque compotes
Dimittis puro qui pectore cunque precantur:
Auxilioque piis
20 Præſens es, & periculis
Eruis e cunctis qui te venerantur amantque:
Cumque ſuo ſcelere
A ſtirpe vellis impios.
21 Ergo omnes te jure canent, nomenque tacebit
Natio nulla tuum
In ſeculorum ſecula.

PSAL. CXLVI. *Lauda anima mea Dominum*, &c.

1 TE, magne rerum conditor, & tuas
2 Sonabo laudes, factaque poſteris
Miranda prodam, dum recurret
Per calidos mihi ſanguis artus.
3 Securitatem ne ſtabilem tibi
Promitte, regum præſidio: neque
De ſtirpe mortali & caduca
Pone tibi columen ſalutis.
4 Ut membra liquit ſpiritus, in ſuam
Terrena moles terram abit, & diu
Conſulta vaneſcunt, & auras
Irrita per vacuas feruntur.
5 O ter beatum, quem Deus ætheris
Fido tuetur præſidio, ſuas
Qui ſpes opeſque omnes in uno
Conſtituit Domino Deoque;
6 Qui terram & æquor condidit & polum,
Et quicquid æquor terraque continet
Poluſque: qui promiſſa præſtat
Perpetuo ſtabilis tenore.
7 Qui nec tyranni vi ſinit opprimi
Infirmiorem, aut eſurie premi:
Qui carcerum exemtos tenebris
Compedibus levat innocentes.
8 Qui nocte pulſa luminis aurei
Cæcis refundit luminibus jubar:
Greſſuſque firmat claudicantes,

X 2 Ju-

Juſtitiamque amat æquus æquam.
9 Cura fideli qui fovet advenam,
Orbæ marito qui viduæ favet,
Orbos puellos qui tuetur,
Et ſcelerum labefactat artes.

10 Rex ergo habenas imperii tuus,
Sion, tenebit, ſidera dum polum
Pingent, & obliquum per orbem
Sol rutilos agitabit axes.

PSAL. CXLVII. *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt,* &c.

1 EIa Deum laudate, Deo date carmina digna:
Certe erudito dignus ille eſt carmine:
2 Qui Solymam inſtaurat rurſus, paſſimque per orbem
Sparſos reducit exules Abramidas:
3 Qui fractos animi levat, & corda anxia lenit:
Mulcet dolores, mitigatque vulnera:
4 Qui numerat tacito labentia ſidera mundo,
Suiſque quæque nuncupat vocabulis.
5 Magna Dei virtus, immenſa potentia: nulla
Quam lingua fari poſſit, aut mens cogitet.
6 Qui mite ingenium fovet, allevat, auget honore;
Humique ſternit impiam ſuperbiam.
7 Eia Deum cantate, Deo perſolvite grates;
Grato benignum canite patrem barbito:
8 Qui cœlum obnubit tenebris, terram rigat imbre;
Monteſque læto veſtit altos gramine:
9 Qui pecudum genti larga dat pabula dextra,
Corvoque victum ſe roganti ſufficit.
10 Quem neque magnanimûm delectat robur equorum,
Nec vis ferocis aut lacertus militis:
11 Sed pietas animi ſimplex, & in illius una
Quæ ſpem ſalutis collocet clementia.
12 Eia, Dei laudes Solymææ pangite turres:
Benignitatem mons Sionis prædica.
13 Qui portarum aditus clauſtris firmavit ahenis,
Civeſque cunctis commodis auxit tuos.
14 Qui te pace beat læta, & defendit ab hoſte:
Et meſſe flava tritici campos tegit.
15 Cujus ad imperium fundit ſua munera tellus:
Natura cujus prompta paret juſſibus.
16 Qui nivibus celſos operit, ceu vellere, montes:
Denſas pruinas cineris inſtar dejicit.
17 Et glacie lapſus ſolidarum frenat aquarum:

Cujus

Cujus rigorem quis feret mortalium?
18 Quum libuit, molles glacies tabeſcit in undas,
Adſpirat aura mitior, rivi fluunt.
19 Oſtenditque ſuam per ſigna illuſtria mentem:
Legeſque Abrami tradidit nepotibus.
20 Non ita ſe populis aliis monſtravit amicum,
Qui ſcita legum neſciunt cœleſtium.

PSAL. CXLVIII. *Laudate Dominum de cœlis, laudate*, &c.

1 LAudate Dominum cœlitum
Chori beati, qui procul
Contagio mortalium
Templa ætheris tuemini:
2 Laudate Dominum, quos ſibi
Adeſſe juſſit Angelos:
Laudate Dominum exercitus.
Parere promti juſſibus.
3 Laudate Dominum, qui diem
Sol, luna noctem illuminas:
Laudate Dominum lucidis
Stellæ decoræ flammulis.
4 Laudate eum rotatiles
Tot orbium compagines,
Et unda longè celſior
Campis nitentis aëris.
5 Huic cuncta laudes dicite,
Numenque cuncta pangite,
Quod cuncta nutu condidit,
Et cuncta nutu ſuſtinet:
6 Fixitque firmo cardine,
Ne vi ſenectæ corruant:
Certiſque vinxit legibus,
Quas tranſgredi non audeant.
7 Laudate Dominum ſub ſpecus
Terræ dracones abditi:
Et vaſta cete, quæ ſinus
Ponti repoſtos finditis.
8 Ignes, nives, & grandines,
Vaporque, & auræ ſpiritus,
Ad juſſa Domini mobiles
Circumrotantes turbines:
9 Colles feraces, & feri
Montes, & omnes arbores;
Seu montibus rigeſcitis,
Seu cultibus manſueſcitis:
10 Mites feræque beſtiæ,
Humique lente reptiles,
Et quæ liquentes aëris
Campos volando carpitis:
11 Reges & orbis præſides,
Et nationes liberæ,
Et pauperi plebeculæ
Qui jus ab alto dicitis:
12 Et vos juventa florea
Læti puelli & virgines,
Seneſque vitæ in ultimo
Jamjam exituri limine,
13 Laudate Dominum: numini
Sit ejus uni gloria,
Unumque noſcat omnium
Cœlum ſolumque principem.
14 Hunc omne in ævum laudibus
Propago tollat Iſaci:
Sibi dicatam qui bonis
Gentem beavit omnibus.

PSAL. CXLIX. *Cantate Domino canticum novum*, &c.

1 CAntate Domino canticum
Novum: ſonet laus illius
Cœtus per omnes, qui ſacris
Non ſe profanis polluunt.
2 Oblectet Iſaci genus
Auctore ſe ſuo: ſuo

Regi Sionis arduæ
Congratulentur filiæ:
3 Nomen celebrent illius
Lætis choris & tympanis;
Ejuſque laudes accinant
Blande canoro pectine.
4 Gentem bonus parens ſuam
Amore ſancto amplectitur,
Mitemque manſuetudinem
Firmat ſalute immobili:
5 Cœtus piorum ut geſtiant
Foris paratu ſplendido,
Domique ſecum clanculum
Lætentur in cubilibus.
6 In ore, rerum præſidis
Laus continenter perſonet;
Utrinque acuti in dexteris
Vibrentur enſes vindices.
7 In ſe ferarum ut gentium
Crudelitatem vindicent:
Et in futurum iras, minas,
Superbiamque comprimant.
8 Reges ſuorum ut hoſtium
Arctis catenis alligent;
Et ferreis coërceant
Vinclis feroces principes.
9 Pœnas ſecundum cœlitus
Præſcripta ab iis ut exigant,
Et laus piorum pervolet
Omnes per orbis cardines.

PSAL. CL. *Laudate Dominum in ſanctis ejus*, &c.

1 LAudate Dominum, lucidum
Templum colentem ſiderum,
Qui vi ſuæ potentiæ
Firmavit orbis cardines.
2 Laudate Dominum fortiter
Ubique geſtis inclytum:
Laudate magnitudinem
Captum ſupra mortalium.
3 Laudate Dominum bellicæ
Claris tubæ clangoribus:
Laudate Dominum nabliis,
Lyriſque blande garrulis.
4 Laudate Dominum tympanis,
Chorique feſti cantibus:
Laudate Dominum fidibus, &
Sonore dulci tibiæ.
5 Laudate eum tinnitibus
Lætis canori cymbali.
6 Hunc cuncta laudent, quæ trahunt
Vitalis auræ ſpiritum.

F I N I S.

EJUS-

Digitized by Google

EJUSDEM
GEORGII BUCHANANI

Hymnus Matutinus ad CHRISTUM.

PRoles parentis optimi,
 Et par parenti maximo,
De luce vera vera lux,
Veruſque de Deo Deus:
 En nox receſſit, jam nitet
Aurora luce prævia,
Cœlum ſolumque purpurans,
Et clauſa tenebris detegens.
 Sed fuſcat ignorantiæ
Caligo noſtra pectora,
Et nubilis erroribus
Mens pene cedit obruta.

 Exſurge ſol puriſſime,
Diemque da mundo ſuum:
Noſtramque noctem illumina,
Erroris umbram diſcute.
 Diſſolve frigus horridum,
Arvumque noſtri pectoris,
Calore lampadis tuæ,
Humore purga noxio:
 Ut irrigetur cœlitus
Roris beati nectare,
Et centuplo cum fœnore
Cœleſte ſemen proferat.

CANTICUM SIMEONIS,
AB
ADOLPHO MEKERKO,

παραφρασθέν. Luc. 2.

Nunc dimittis ſervum tuum, Domine.

EIa nunc patribus, Deus,
 Adjungis placide me famulum tuum,
 Ut vox pollicita eſt tua.
2 His namque, his oculis ille Salutifer
 Humani generis tuus
3 Eſt viſus mihi: quem tu pater omnibus
 Erexſti populis, velut
Signum propoſitum ante ora hominum omnium,
 In quod lumina dirigant
Quos ſol cunque ſuo lumine viderit:
4 Hæc Lux flammifera face
Diſpellet tenebras gentibus exteris:
 Hæc Lux ſemper erit tuis
Lectis Iſacidis gloria poſtuma.

Hoc:

Digitized by Google

Hoc in loco inſerenda duximus aliquot

GEORGII BUCHANANI

POEMATA ET FRAGMENTA,

Quæ nunquam antea cum aliis ejus operibus edita fuerant.

Ad JOANNEM III. Luſitaniæ & Algarbiæ *Regem Carmen*, *Præfixum libro* JACOBI TEVII *de rebus geſtis Hiſpanorum ad Dium in India. Edit.* Romæ 1601, Francof. 1603, & Col. Agripp. 1611.

CUM tua ſceptra Aſiæ gens Europæque timeret,
Et tremeret faſces terra Libyſſa tuos:
Jamque jugi patiens Indus, nec turpe putaret
A domino Ganges poſcere jura Tago:
Inque tuis Phœbus regnis oriensque cadenſque,
Vix longum feſſo conderet axe diem:
Et quæcunque vago ſe circumvolvit Olympo,
Luceret ratibus flamma miniſtra tuis:
Gaudebat tibi devictus, ſibi redditus orbis,
Noſſe ſuos fines, juſtitiamque tuam.
Una aberat, oberatque tuis Mors ſæva triumphis,
Carpere victricem ſcilicet auſa manum.
Et comes huic tenebris niſa eſt Oblivio cæcis
Fortia magnanimum condere facta ducum.
Donec Apollineis ſe Tevius induit armis,
Et ſpolia e victa Morte ſuperba tulit:
Victuriſque jubet chartis juveneſcere vitæ
Prodiga pro patriæ pectora laude ſuæ:
Proque ævi paucis, quos Mors præciderat, annis,
Reddit ab æterna poſteritate decus.
Jure ergo invictus Rex es, quando omnia vincens
Acceſſit titulis Mors quoque victa tuis.

In

In JULIUM CÆSAREM, *Tragœdiam* M. ANTONII MURETI. *Edit. cum ipſius Carminibus, quæ* Juvenilia *appellat*, Pariſ. 1553. 8°.

QUANTA in magnanimi conſedit pectore Bruti,
Pro patria virtus cum pia tela daret,
Tanta animò, Murete, tuo ſeſe intulit, ore
Altiloquo Bruti dum pia facta canis.
Ergo licet claris raro non invida cœptis
Fortùna Æmathio ſparſerit oſſa ſolo,
Ille iterum ſurgit per te poſt funera major,
Creſcit & ingenio laus rediviva tuo,
Et magis illuſtri gaudet decorata tropæo,
Quam ſi Pyramidum contegat oſſa labor.

Ad PETRUM DANIELEM AURELIUM, *de Auctore Comœdiæ, cui titulus eſt* PLAUTI QUEROLUS, ſive AULULARIA, cum ejuſdem P. DANIELIS NOTIS. *Edit. apud* ROB. STEPHANUM *Typogr. Reg.* 1564. 8°.

QUISQUIS es, infernis prope nunc revocatus ab umbris,
Auſoniis hilaras pulpita qui ſalibus:
Bis refer acceptum Danieli luminis uſum,
Bis tibi qui Medicæ præſtitit artis opem:
Dum tenebris revocat, dum barbara vulnera ſanat,
Fila novans famæ pene reſecta tuæ.
Atque utinam, Daniel, meriti non immemor hujus
Poſteritas paribus te colat officiis:
Utque facis veterum vatum monumenta renaſci,
Interitum ſcriptis arceat illa tuis.

E Comment. DION. LAMBINI *in* CICERONIS *Oratio-nem pro* A. CÆCINA, *cap.* 36. *ſub finem.*

MUlto etiam minus quæri, A. Cæcinæ fundus ſit, &c.*] Sic olim hunc locum reſtitueram, Georgii Buchanani, Scoti, viri cum omni doctrina præſtantis, tum Poëtæ optimi, auctoritatem ſecutus: *Multo etiam minus quæri, A. Cæcina fundus ſit,* &c. cujus verba edenda curavi. Sic igitur ille: In oratione pro Cæcina extrema ita vulgo legitur: *Multo etiam minus quæri, A. Cæcinæ fundus ſit, necne: me tamen id ipſum docuiſſe, fundum eſſe Cæcinæ.* At enim docere fundum eſſe Cæcinæ, non magnopere ad præſentem quæſtionem pertinet: nec id Cicero uſpiam docuit: niſi forte id docere quis vocet, quod in orationis narratione paucis rem verbis attigit. Ut in pauca conferam, *teſtamento facto mulier moritur: facit heredem ex deunce, & ſemuncia Cæcinam.* Paullo vero inferius adeo ſe id non docuiſſe oſtendit, ut de hoc agro tanquam controverſo & ambigui juris loquatur, his verbis: *Atque iſte omnes introitus, qua adiri poterat, non modo in eum fundum, de quo controverſia fuerat, ſed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos opponit.* Vides, ut de illo fundo controverſia ſit, de altero nihil ambigatur? ubi ergo docet Cicero fundum fuiſſe Cæcinæ? Nam inter argumenta cauſſæ nulla de hac re mentio eſt, ubi maxime id oportuit doceri. Tum enim res controverſa docetur, cum vel argumentis, vel teſtibus, vel multis magniſque indiciis probatur. Quod ſi nuſquam Cicero facit, cujus improbitatis eſt in cauſſa præſertim tam multiplici ac perplexa, id in epilogo pro confirmato numerare, cujus nuſquam in tota cauſſa facta ſit mentio? aut cujus negligentiæ eſt, quod in refutando fuit poſtremum, in tota pene cauſſa firmiſſimum, cum cætera commemoraris, id in enumeratione præterire? Horum cum neutrum in Ciceronem convenire poſſit, hunc locum nimia caſtigantium audacia dicam, an inſcientia, corruptum eſſe non dubito. Ego vero cum ad eum corrigendum nihil habeam, quod afferam, præter conjecturam, eam in medium proponam, ac ſuum exiſtimaturis judicium relinquam. Sic igitur legendum cenſeo: *Multo etiam minus quæri, A. Cæcina fundus ſit, necne: me tamen id ipſum docuiſſe, fundum eſſe Cæcinam.* Id ut ita eſſe exiſtimem, cum illa, quæ ſupra adverſus veterem lectionem diſputata ſunt, tum etiam capitum ordo, quibus hæc cauſſa continetur, facit. Primum enim Cicero vim factam eſſe probat: deinde verbum illud, *unde*, cujus interpretatione cauſſa adverſariorum maxime nitebatur, ſecum facere contendit: tertio loco, Cæcinam poſſediſſe oſtendit: quarto loco civem eſſe Cæcinam, ac poſſe jure civium Romanorum hereditates capere, neque legem Corneliam, quo minus id faceret, impedimento eſſe probat. Quatuor hæc, quibus tota cauſſa continetur, capita, in pero-

Digitized by Google

peroratione, eodem, quo dixerat, ordine enumerat. Quod ſi ita legamus, ut habent vulgati codices, quartum quod erat in refutando caput, in epilogo videbitur plane præteriiſſe: ſin ut ego legendum puto, cum cætera oratione conſtabit epilogus. Nam cum fundi dicantur populi (ut alibi Cicero ſcribit) ii, in quibus jus Romanum, velut in fundo, reſediſſet, non poteſt dubitari, quin coloni, fundi eſſent, ſiquidem cives eſſent Rom. hoc eſt (ut Ciceronis verbis utar) quin lege agerent, & ſuum jus perſequerentur, & omnes jure civili ſine cujuſquam aut magiſtratus, aut judicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione, uterentur. Igitur A. Cæcina cum colonus eſſet ejus coloniæ, cujus coloni cives eſſent: non dubium eſt, quin ſit fundus, & jure civili Romano utatur, ſuumque jus perſequi, & hereditates civium Romanorum capere poſſit: nec hoc jus ei quiſquam per vim auferre potuerit. Legitimus ergo Ceſenniæ heres, ut, qui optimo jure, fuit A. Cæcina. Hæc omnia Cicero ut in epilogo breviter complecteretur, fundum eſſe Cæcinam dixit. Quod ſi quis pertinacius contra dicat, ac veteris lectionis fidem tueri velit, quod ſatis credat eſſe probatum, fundum eſſe Cæcinæ, cum ſit demonſtratum, eum Ceſenniæ eſſe heredem: ex iis, quæ ſupra diſputavimus, ſatis perſpicuum eſſe puto, alterum non ſtatim ſequi, ſi Cæcina heres ſit Ceſenniæ, ideo fundum eſſe Cæcinæ, non magis, quam Fulcinii, qui ex duabus ſextulis, aut Æbutii, qui ex una ſextula, ejuſdem ſcriptus fuerat heres: alterum vero neceſſario ſequi, heredem eſſe Ceſenniæ non potuiſſe, qui fundus non eſſet. Poſtremo, ſi, ut ego cenſeo, hæc clauſula orationis ultima legetur; & ſenſus Ciceronis erit apertiſſimus, & idem ordo in epilogo ſervabitur, qui fuit in argumentatione & confirmatione: quod enim in argumentatione quarto loco poſitum erat, id in epilogo quartum locum obtinebit. Sin vetus lectio retinebitur; neutrum, meo judicio, conſtabit. [1] Hactenus Buchananus.

[1] *In hanc* Buchanani *Commentationem ita animadvertit* Franciſcus Hottomannus Obſerv. Lib. II. cap. 19. Lambinus ſcribit *Buchananum*, virum omnium judicio plane ſingularem, legendum putare, *Cæcina: ut fundus* dicatur pro *colonus:* ea ratione qua *populus* dicebatur *fundus.* Buchanani judicio nemo plus tribuit, quam ego, ſed quo minus ei aſſentiri poſſim, hæc obſtant: primum quod *fundum hominem* dici, pro *cive*, nuſquam legi. Docui quidem Obſervat. 2. c. 5. *Fundum* eum dici, qui alicui rei auctor eſt: multaque in eam ſententiam diſputavi: ſed *fundum* pro *cive*, pro eo qui juris civilis particeps eſt, nuſquam legi. Præterea præcipua totius iſtius cauſſæ vis in eo vertitur, utrum Æbutius an Cæcina fundi iſtius controverſi ſit dominus. Nam ſi Æbutius dominus non fuit; certe injuſte dominum aditu ſui fundi prohibuit. Quod vero Buchananus ait, nuſquam niſi perleviter tactum fuiſſe, Cæcinam fundi dominum eſſe, videamus ne mendum ſit memoriæ: quid enim aliud ſuperius actum eſt, ubi Cicero multis verbis contendit, Æbutium non ſibi, nec ſua pecunia fundum illum emiſſe: ſed Ceſenniæ, & de ipſius pecunia.

Contra Buchananum etiam diſputat Petrus Faber Comment. in loc. Edit. Pariſ. 1611.

Digitized by Google

Ex ADRIANI TURNEBI *Adverſariis*, *cap.* 2.

NEminem eſſe exiſtimo in Gallia paullo humaniorem, cui Georgius Buchananus non ſit notus, *&c.* Inter nos de literis nuper cum ſermo incidiſſet, ac de Tranquillo in Octav. Auguſt. cap. 73. loqueremur, qui vitas Cæſarum pari licentia ac illi egere, ſcripſit, dixit non ſolum magno errore receptum eſſe patrem ejus Auguſti clavium fuiſſe: verum etiam magna hominum moleſtia in eo explicando miſere ſe cruciantium; quorum quid, inquit, attinet ineptias commemorare? Seſe autem opinari dicebat *anguſticlavium* ſcribi debere, ut *laticlavium*: quod eſſet tunica anguſti clavi, ut lati. Atque hujus ſententiæ ſuæ aſtipulatorem adſcriptoremque producebat Ovidium, cujus libro IV. Triſt. Eleg. X. hi ſunt verſus:

Curia reſtabat: clavi menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Se enim in Equeſtri ordini ſubſtitiſſe dicit Ovidius: & Suetonius patrem ſuum nondum adeptum fuiſſe latum clavum ſignificat. Etſi autem tam clare id a Buchanano probatum eſſe confido, ut dubitandum nullo modo cenſeam: tamen quo id teſtatius & confirmatius ſit, *&c.*

JEPH.

2.3.22

JEPHTHES,

SIVE

VOTUM,

TRAGOEDIA,

Auctore

GEORGIO BUCHANANO

SCOTO.

Digitized by Google

174

Digitized by Google

AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM,

CAROLUM COSSÆUM,

Franciæ Mareſcallum, ac apud Taurinos Regis Francorum Præfectum, in JEPHTHEN Tragœdiam

PRÆFATIO.

ABSVRDAM *fortaſſe rem facere quibuſdam videbor, qui ad te, hominem ab ineunte ætate militaribus imbutum ſtudiis, & inter arma tubaſque ſemper verſatum, munuſculum hoc literarium mittam: ſed ii fere hoc abſurdum exiſtimaturi ſunt, qui aut harum rerum inter ſe conſenſionem non ſatis animadvertunt, aut tuum ingenium parum habent perſpectum. Neque enim inter rei militaris & literarum ſtudium ea eſt, quam plerique falſo putant, diſcordia: ſed ſumma potius concordia, & occulta quædam naturæ conſpiratio. Quanquam enim ſuperioribus aliquot ſeculis, ſive hominum inertia, ſive falſa quadam perſuaſione, diviſæ fuerunt hæ profeſſiones, nunquam tamen perverſa imperitorum opinio tantum potuit, ut ipſæ inter ſe veterem illam & naturalem (ut ita loquar) cognationem obliviſcerentur. Omnes enim omnium ætatum imperatores, qui res præclaras geſſerunt, aut ipſi doctiſſimi fuerunt, aut viros doctrina illuſtres ſummo amore proſequuti ſunt.*

Digitized by Google

ſunt. Neque profecto fieri poteſt, ut magnus & excelſus animus, qui, neglectis rebus caducis, æternitatis memoriam ante oculos habet propoſitam, non etiam memoriæ & antiquitatis cuſtodes literas amet. Neque alii fere ſunt, qui literas oderunt & contemnunt, quam qui, vita per ignaviam & flagitia turpiter acta, conſcientiam poſteritatis reformidant: ut non minus vere quam eleganter mihi ceciniſſe videatur Claudianus,

Gaudet enim Virtus teſtes ſibi jungere Muſas,
Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Contra vero, qui omne ſuum ſtudium in eo poſuerunt, ut perfectæ virtutis imaginem ſibi ad imitationem proponerent,

------ & quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris *haurirent*,

quanta eos lætitia affectum iri putemus, ſi ejus, quam tantopere animo perſequuntur, vivum & ſpirans ſimulacrum (ut ita dicam) nacti fuerint? Sed & præter hanc mutuam virtutis admirationem, & naturæ, quam dixi, conſenſionem, accedit utilitatis etiam mutuæ quædam ſpecies. Nam, ut illuſtrium facinorum auctor non immerito eum ſuſpicit, quem virtutis tradendæ magiſtrum & illuſtrandæ artificem eſſe videt; & velut parentem colit, non eum, a quo hujus, qua fruimur, lucis brevem uſuram acceperit, ſed alteram illam longe diuturniorem vitam in poſteritatis memoria collocatam ſperet: ita ille alter libenter amplectitur ſegetem & materiam ſuæ gloriæ ſibi oblatam,

------ qua ſe quoque poſſit
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Uterque enim etſi opinione hominum imparem, pari tamen ſtudio ex eodem fundo gloriæ fructum petit. Sed hæc ad omnes com-

communiter pertinent. qui (*ut ait Salluſtius*) præclari facinoris aut artis bonæ famam quærunt. *Illa vero tua ſunt propria, quod a primis uſque adoleſcentiæ ſpatiis ea fuiſti in patriam caritate, in bello fortitudine, in pace temperantia & æquitate, ut omnibus, qui literas colunt, tuarum virtutum exemplar edideris, quod poſteritati ad imitationem proponere & poſſint & debeant: quod literas,* PHILIPPI COSSÆI *fratris tui Epiſcopi Conſtantienſis patrocinio orbatas, in diverſo vitæ inſtituto tamen fovendas ac tuendas ſuſceperis: quod doctiſſimos homines ſemper tecum habeas, quibuſcum, etiam in medio ſæviſſimi belli ardore,*

------ [1] Muſiſque Minervam
Temperes, & Geticum modereris Apolline Martem:

quod filium ita literis inſtituendum in pueritia cures, ut hanc tam amplam laudis & gloriæ hæreditatem a parente acceptam non ſolum tueri, ſed etiam augere poſſet. Me autem abſentem, nec ulla alia re, quam literarum commendatione, tibi cogni-

1 *Muſiſque Minervam*] Verſus eſt Auſonii Epig. I. a Buchanano, ſive conſilio, ſeu memoriæ lapſu, nonnihil mutatus: ſic enim ille,

Bellandi fandique potens Auguſtus, honorem
Bis meret, ut geminet titulos, qui prælia Muſis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem.

Inepte autem Buchananus Car. Coſſæum, in Liguribus tum bellantem, *Martem Geticum Apolline moderari* dixerit, ſi (quod exiſtimat eruditiſſimus Elias Vinetus) *Mars Geticus* ab Auſonio appellatus ſit *propter bellum ab Imperatore*, ſive is Theodoſius, ſive Gratianus aut Valentinianus fuerit, *contra Getas geſtum*. At falli videtur Vinetus: *Geticus* enim *Martis* eſt epitheton, apud Poëtas frequentiſſimum. Virg. Æneid. III. 35.

Gradivumque patrem Geticis qui præſidet arvis.
Val. Flac. Arg. V. 618.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris.
Stat. Theb. III. 220.
Gradivum acciri propere jubet: ille furentes
Biſtonas, & Geticas populatus cædibus urbes.
Claudian. in Conſ. Prob. & Olyb. 119.
Qualis lethifera populatus cæde Gelonos
Procubat horrendum Getico Gradivus in Hæmo.

Mars autem *Geticus*, explicante Turnebo Adverſ. lib. IV. cap 22. idem eſt ac *Thracius*; ita dictus, quod eum ſine viro conceptum in *Thracia* Juno ſit enixa. Ovid. Faſt. V. 257.

Jamque gravis Thracen, & læva Propontidos intrat,
Fitque potens voti; Marſque creatus erat:

cognitum, ita complexus es omnibus humanitatis & liberalitatis officiis, ut ſi quis ingenii mei ſit fructus, ſi qua vigiliarum velut fœtura, ea merito ad te redire debeat. Quod quidem adeo avide facit meus hic JEPHTHES, *ut qui antea publicam lucem & cœtus hominum reformidabat, te patrono fretus prodeat, & in ſpem nonnullam etiam publici favoris ſeſe erigat. Quid enim non illis ſibi ſperet auſpiciis, quibus diſciplinam militarem ad antiquæ ſeveritatis exemplum videt emendatam, & vetuſtam belli gloriam Galliæ reſtitutam? cum bellica fortitudine, legum & juſtitiæ cultum, cum ſumma omnium rerum licentia ſummam omnium rerum non modo tuam, ſed etiam tuorum omnium continentiam videt conjunctam? His ego cauſſis impulſus, hanc meam lucubratiunculam ſub tuo potiſſimum nomine in manus hominum exire volui. Tu vero (ut ſpero) hoc meum ſive tuorum in me officiorum teſtimonium, ſive meæ erga te benevolentiæ ſignificationem (quæ tua eſt humanitas, & in literas amor) boni conſules. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, quinto Calend. Aug. M. D. LIV.*

ARGU-

ARGUMENTUM

ex libro Judicum ſumtum.

JEPHTHES, Galaddi filius, patre defuncto a fratribus domo pulſus eſt, quod negarent æquum eſſe, ut nothus cum legitimis filiis in hæreditate paterna dividenda æquaretur. Is quum ob inopiam collecta manu latrocinio viveret, ac fortitudinis magnum ſpecimen dediſſet, primum a cognatis, deinde a reliquis Hebræis dux factus eſt adverſus Ammonitas, qui viginti prope annorum graviſſima ſervitute eos preſſerant. Profecturus igitur in expeditionem, vovit, ſe, ſi victor reverteretur, qui primus domo ſua egrederetur, eum Deo ſacrificaturum. Prima revertenti occurrit unica filia: eam Deo immolat.

ALIUD ARGUMENTUM

CAROLO UTENHOVIO F. auctore,

A D

LUCRETIAM MORELLAM.

Forte Galaddidæ, patris poſt funera, fratres
Dicere, Cede domo, *non habuere nefas:*
Jure cohæredem ſibi ſcilicet eſſe negabant,
Suppoſita fratrem de genitrice nothum.
Ille latrociniis inopem traducere vitam
Cœpit, & in caſtris æra merere novis.
Jamque ſui ſpecimen cum terque quaterque dediſſet
Roboris, & dextræ Martis ad arma bonæ
Dux & ab Iſacidis conſanguineiſque creatus
Fertur in adverſos protinus Ammonidas,
Jam prope vicenis hos qui crudeliter annis
Compulerant famulo ſubdere colla jugo.
Ergo profecturus: „ *Si victor ab hoſte rediret,*
„ *Victima victrices imbuet ille manus,*
„ *Quiſquis erit (voti fuit hæc ſententia) primus*
„ *Ille domo qui fors egredietur, ait.*
Prima revertenti ruit obvia filia Jephthæ
Unica, victori victima fitque patri.

PERSONÆ.

ANGELUS prologus.
STORGE mater.
IPHIS filia.
CHORUS indigenarum puellarum.
JEPHTHES imperator.
SYMMACHUS amicus.
SACERDOS.
NUNCIUS.

JEPH.

Digitized by Google

JEPHTHES, SIVE VOTUM, TRAGOEDIA.

ANGELUS prologus.

Magni tonantis huc miniſter aliger,
Cœlo relicto, mittor Iſaci ad lares,
Solumque promiſſum Iſaci nepotibus,
Solum regendis deſtinatum gentibus,
Si pacta ſacri intaminata fœderis
Servaſſet: [1] arma ſed modo quod Ammonia
Expavit arcto ſervitutis ſub jugo,
Tulitque quicquid triſte, crudele, aſperum,
Iratus audet victor, aut victus timet.
Hac [2] clade fracta gens rebellis vix Deum
Agnoſcere patrum cœpit, & nefarios
Mentita cultus numinis ludibria
Inſpecta noſſe, nota floccipendere:
Et ſero quamvis ad patrem rediit ſuum.
Humana ſed mens neſcia modum ponere
Rebus, ſecundis intumet ſucceſſibus.
Quo plura hominibus contulit bonitas Dei,
Occœcat animos altior ſecuritas,
Vanoque faſtu turgidos ſuperbia
Stimulat inanis. Qualis in dominum furit
Equi ferocis contumax protervitas,
Imperia paullum ſi remiſſa ſentiat,
Ac vix lupatis domitus, & calcaribus
Duris cruentus, redit ad officium, & ſuo

Ob-

1 *Arma ſed modo quod Ammonia*] *Quod* (*ſolum* ſcil.) Pronomen eſt hoc in loco, non Conjunctio: male igitur quibuſdam libris cum accentu ſcribitur.

2 *Hac clade*] In editione Plantiniana 1566, Stephanorum fratrum 1566, Baſileenſi ——, & And. Hart, anno 1622, legitur, *Vix docta tandem calamitatibus Deum.*

Obtemperat hero: ſic populus hic pervicax,
Cervice dura, pronus in pejus, flagrum
Si conquievit paullulum, novos deos
Adſciſcit, & ſe dedit aliis ritibus,
Ignota ſacra ſequitur. Atque adeo parens
Benignus animos turgidos licentia,
Bello, fameve, peſtilentive aëre
Frangit, rebellem comprimens ferociam.
At rurſus, animi ne cadat fiducia,
Serie malorum continenter obruta,
Mittit prophetas, bellicos mittit duces,
Qui ſervitutis liberatos aſperæ
Vinclis reducant, priſtiniſque ritibus
Servire cogant: arma nunc Ammonia
Ut excitavit in rebelles, ac Dei
Juſſis relictis, impiis erroribus
Se mancipantes. Sed modum ſtatuens ſuæ
Iræ, propitius liberatorem dedit:
Non e potentum quempiam numero, gravem
Turba clientum, liberiſve turgidum:
Sed e paternis exulantem ſedibus
Jephthen, ſuiſque fratribus ſpretum, ſatum
Genitrice vili: ne ſuperba gens ſuis
Aſſignet armis quod manu geſtum eſt Dei:
Ut ſciat & Ammon hactenus ſe viribus
Non floruiſſe propriis, ſed vindicem
Cœleſtis iræ. Porro ne Jephthes quoque
Se metiatur exitu hujus prælii,
Et intumeſcat inſolens rebus bonis,
Damno obruetur protinus domeſtico,
Cedentque fracti contumaces ſpiritus.
Etenim arma in hoſtes perfidos quum ſumeret,
Belli ſecundus ſi daretur exitus,
Quodcunque primum ſe obviam ferret ſibi,
Promiſit aris ſe daturum victimam.
Heu quanta moles imminet tibi mali,
Miſerande! quantis obruere luctibus!
Ut te propinqui credulum ſpes gaudii
Fallit! Propago ſola, quæ patriam domum
Tibi nata ſervat, prima patri ſe offeret,
Ut gratuletur proſperum armorum exitum:
Magnoque ſolvet fœnore, ac jugulo luet
Felicitatis miſera præcox gaudium.
Atque ecce, mater triſtis egreditur domo,
Quam ſomniorum nocte tota terruit
Tremendus horror; nataque parenti comes,
Præ ſe ferentes mentis ægrimoniam
Mœrore vultus, geſtibus, ſilentio.

STOR-

STORGE mater, IPHIS filia.

EHeu, recenti corda palpitant metu,
Mens horret, hæret vox in ipſis faucibus,
Nec ora verbis pervium præbent iter:
Nocturna ſic me viſa miſeram territant,
Et dira turbant inquietam inſomnia,
Gravibuſque curis pectus urunt anxium.
At tu nitentis ſumme dominator poli,
Averte in hoſtes luctuoſum & funebre
Omen, mihique placidus & gnatæ meæ,
Quæ ſola ſpes & familiæ ſolatium
Supereſt, ſenectæ columen unicum meæ.
I. Quin ominare cara mater lætius,
Vanæque cauſſas abjice ægritudinis:
Et iſta mentis turbidæ ludibria
Secura ſperne, ſpretaque obliviſcere.
S. Utinam liceret: ſed metus, veluti recens,
Quoties recordor, concutit formidine
Mentem, atque imago ſomnii triſtiſſimi
Oberrat animo: pectus horrificat timor.
Jam cuncta paſſim blanda ſtraverat quies,
Mutumque nox induxerat ſilentium;
Vidi luporum concito curſu gregem
Rictu cruento, ſpumeo, rabido, unguibus
Sævum recurvis præcipite ferri impetu
Imbellia in pecora, vidua paſtoribus.
Tum pavidi ovilis fida cuſtodia canis
Lupos abegit: atque ad infirmum pecus
Trepidi timoris exanime adhuc memoria,
Denuo reverſus, e ſinu timidam meo
Agnam revulſam dente laniavit truci.
O ſol, o vaga lumina lunæ,
Pictaque tacito ſidera mundo,
Et tu nox mihi conſcia curæ,
Nigris referens ſomnia pennis,
Si quid natæ miſeræ impendet,
Si quem caſum fata minantur,
Caput hoc prius in tartara miſerum
Detrudite, dum ſpes ambiguæ
Alternantibus angunt curis
Incerta ſuæ pectora cladis.
I. Cur miſere animum crucias, mater,
Luctuque tuo cumulas luctum
Publicum, & acres renovas curas?
Omine læto reducem potius,
Poſitis queſtibus, excipe patrem:
Qui (niſi vano mens augurio
Credula nimium pectora fallit),
Spoliis aderit clarus opimis,

Rem-

Remque, & laudem, & decus æternum
Genti referens patriæque ſuæ.
S. Non hunc tenorem parca mihi vitæ dedit.
Quod tempus unquam lacrymis caruit mihi,
Ex quo parentis primum ab alvo prodii?
Primum juventa ſervitutem patriæ
Triſteſque vidit hoſtici agminis minas,
Pecorumque raptus, ſterile ſine cultu ſolum,
Cædes, cruores, vaſtitatem, incendia,
Profana, ſacra, miſta. Non unquam mihi
Secura vitæ fluxit ulla portio:
Ut trudit undas unda, fluctus fluctui
Cedit ſequenti, pellitur dies die;
Semper premuntur præterita novis malis:
Dolor dolori, luctui eſt luctus comes:
Fratrem patremque perculit belli furor:
Confecta curis mater inter funera
Cognata ſenuit, perduelles perfidos
Armis maritus urget. His majus nefas
Tamen veretur animus. *I.* Immodicus timor
Facile ſiniſtris [1] adhibet auguriis fidem.
S. Utinam ſecundis audiam rumoribus
Virum reverſum, ſoſpitemque exercitum,
Salva familia. *I.* Veniet haud dubie parens
Incolumis: idem bella qui ſuaſit Deus,
Salvum reducet laude cumulatum nova.

CHORUS.

Jordanis, vitreo gurgite qui rigas
Convalles virides, paſcua dividens
Fœcunda Iſacidum flumine languido,
Et nunquam poſita frigoribus coma
Formoſum Solymæ palmiferæ nemus,
En unquam miſeræ candidus afferet
Curarum vacuæ lucifer hunc diem,
[2] Quum cernam patriam libera liberam,
Quæ nunc ſervitii vincula barbari
Infelix patitur. Nobilis Iſaci

San-

1 *Adhibet auguriis fidem.*] [Veteribus hoc ſenſu inuſitatam eſſe locutionem pluribus oſtendimus ad Ovid. xv. Metam. 316. ubi *habere fidem* elegantius dici probavimus.]

2 *Quum cernam*] Solenne ſcriptoribus Tragicis eſt in Choris interim plurali, interim ſingulari, quaſi uno tantum loquente, uti.

Digitized by Google

Sanguis degeneris fert domini jugum :
Et quos nec Phariæ rex tumidus plagæ
Urgens falciferis terruit axibus,
Nec trux purpurei ſævities freti
Undarum refluis obruit æſtibus,
Nec deſerta Arabum vomeris inſcia,
Nec portenta hominum mole Cyclopia
Fregerunt, timidi [1] mancipium ſumus
Ammonis. Gravius flagitium eſt malo,
Sub turpi domino ſegne jugum pati.
At tu ſumme parens, qui mare turbidum
Componis, placidi qui maris æquora
Cauri nubiferis flatibus excitas,
Et terræ ſtabilis dura tremoribus
Fundamenta quatis, mobilis & poli
Siſtis præcipitem, quum libuit, fugam ;
Cladibus tandem ſatiate noſtris,
Deſine irarum, propiuſque feſſis
Gentis afflictæ facilis bonuſque
Conſule rebus.
Noſtra ſi pœnas meruit ſeveras
Culpa, ſi quondam tibi ſeparatam
Abjicis ſortem, vitiis iniquus
Si pater noſtris minus obſequentes
Deſeris natos, & inexpiata
Ante dilecti populi querelas
Deſpicis ira :
Nec tibi Syrus, neque dirus Ammon,
Nec Phari rector tumidus minacis
Expetat pœnas, neque ſit profano
In tuis caſtris gladio poteſtas :
Ignis armatus potius triſulci
Tu, pater, dextram jaculis tremendis,
Vindicis flammæ face contumaces
Obruas urbes, chaos aut patentis
Devoret terræ miſeros colonos,
Aut ſuperfuſis adoperta tellus
Hauriat undis.
Ne ferox hoſtis tumeat ſecundis
Inſolens rebus, populuſque muti
Stipitis cultor, tua qui nefando
Polluit ritu ſacra ; ne, quod ira
Sæviit in nos tua, vertat Ammon
In ſuas laudes, carie pereſi
Thure dum placat ſimulacra trunci,
Teque veſano neget ore gentem
Semper addictam tibi, ſe premente,
Poſſe tueri.
Ah miſer, quantos tibi riſus iſte
Mox dabit fletus ? Breve diluendum eſt
Gaudium longis lacrymis : citato
Advolat curſu levis hora : tempus,
(Vana ni vatem ſpecies inani
Spe fovet) tempus properat, viciſſim

Quum

1 *Mancipium ſumus*] Pro *mancipia*: quod rarum videtur.

Quum gravis victor mala ſervitutis
Sentiet duræ. Neque enim cruorem
Uſque ſanctorum patiere inultum,
Nec tuas aras dabis exſecrandis
Pollui ſacris. Utinam ſupremæ
Terminus vitæ mihi in hoc ſuperſit,
Patrio donec tibi ſacra ritu,
Dum tibi gratum memori canamus
Pectore carmen.
Sed ecce, celeri nuncius properat gradu,
Ni [1] fallit animus, advenit ab exercitu.
Agnoſco, ſic eſt: ſcire quid ferat juvat.

NUNCIUS, CHORUS.

Salvete veteris Abrahami filiæ,
Vereque ſancti ſancta progenies patris.
Iſthæcne Jephthæ eſt imperatoris domus?
An me fefellit error ambiguum viæ?
C. Et iſta Jephthæ domus, & hæc eſt filia.
Sed quam reportas ſpem, refer, ſi quid vacat.
N. Nempe iſtud ipſum miſſus huc ſum ut nunciem.
Fuſis, fugatis hoſtibus, victoria,
Re, laude parta, ſalvus eſt exercitus.
Hæc ſumma. *C.* Paucis plurima ut complexus, es!
Audita, primum, an viſa fers, ediſſere.
N. Viſa, acta, vera, certa, non rumoribus
Collecta vanis affero; ut qui prælii
Pars ipſe fuerim. *C.* Ut geſta res eſt expedi.
N. Vobis lubenter [2] gaudium hoc impartior.
Aurora primum luce quum roſea polum
Perfudit, Ammon ſegnis impatiens moræ:
Equis viriſque, bellicorum & curruum
Strepitu tremendo, late inundarat ſolum.
Jamque explicata legio peditum per ſuas
Stabat cohortes ferro & ære ſplendida:
Turmæ curules ante curvis falcibus
Ibant minaces: ſuderant ſe in cornua
Equites utrinque: noſter autem exercitus

Campi

1 *Ni fallit*] Steph. 1566, utraque Plant.
Ni fallit animus, venit ab exercitu.
at metro repugnante.

2 *Gaudium hoc impartior*] Et *impartior* dicimus & *impertior* activa ſignificatione, ſæpius tamen *impertio*. Plaut. Stich. II. 3. 15. *Nimio impartior multo tanto plus.* Cic. Manil. 8. *Ut omnes intelligant me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, ſapienti homini, & magno imperatori debeatur.*

Digitized by Google

Campi patentis ultimos colles tenens,
Non aſper armis, nec paratu bellico,
Sed corda, [1] fretus numinis fiducia,
Iræque juſtæ vindices animos gerens.
Ibi noſter inter imperator agmina,
Præcone miſſo, tentat abſque ſanguine
Finire bellum jure & æquis legibus:
Uterque populus ut vetuſti finibus
Contentus agri, ab alteris injuriam
Vimque abſtineret, rapta dominis redderet,
Pacemque bello & certa dubiis præferat.
Contra ſuperbus militum hoſtis copiis,
Armiſque fretus, increpat ferociter
Præconem, acerbis & minis calumniam
Addit: duello ſe petere puro & pio
Agros vetuſtos, unde quondam Ammonidas
Expulerat armis vique proles Iſaci,
Egreſſa terræ finibus Niloticæ.
Quos ſi tenere perſtet, atque injuriam
Bello tueri præferat, quam reddere
Erepta per vim, vindices ſibi deos
Non defuturos æqua poſtulantibus:
Sin parta per vim jure malit linquere
Solymæa gens, & ſponte cedat finibus,
Quos limes Arnon & Jabocus terminant,
Qua ſolitudo cogit agros ultima
Jordanis uſque ad lente euntis flumina,
Æquis paratos facere pacem legibus,
Factamque gentis utriuſque commodo
Sancte tueri. Hæc præco poſtquam retulit,
Renunciare protinus Jephthes jubet;
Nec ſe, parentes nec ſuos Ammonio
Populo dediſſe fraude vel vi damna: nec
Quos repetat agros nunc, fuiſſe finium
Ammonis unquam, ſeculis quos jam tribus
Propago Jacobi abſque controverſia
Tenuit: nec ulla facta mentio interim eſt
De jure dubio, vel joco vel ſerio:
Niſi forte, Chamos quæ Deus tenuit tuus,
Tibi jure cedent; noſter autem quos Deus
Poſſedit agros, deſeret. Non deſeret:
Sed ut ante bello victor agros hoſtibus

Ade-

1 *Fretus*] Steph. 1566, utraque Plant. & Baſil. *Fœtus.*

Digitized by Google

Ademit, idem juſtus arbiter modo
Hujus ſecundos exitus pugnæ dabit,
Etiam ſecundum jus & æquum. Ut rettulit
Hæc præco, rauci clangor æris æthera
Pulſat, virorum clamor, armorum fragor,
Fremitus equorum, curruum ſtridor boat:
Cœlum remugit: fracta tellus axibus
Gemit: recuſſum duplicant montes ſonum.
Virtute & aſtu quiſque pro ſe nititur:
Ferit, feritur: pellitur, pellit: cruor
Permutat amnes: nocte ſub denſa polum
Pulverea nubes occulit: numero ferox
Inſtabat Ammon, numinis fiducia
Et cauſſa noſtris æquat animos juſtior.
Dum neutra cedit, urget acies utraque,
Ecce inter umbras pulveris, cadentium
Lamenta gemituſque inter, atque hortantium
Voces, refulſit nube diducta dies,
Et utraſque turmas redditus cœlo fragor
Implevit, humilis omnium mentes pavor
Conſternat, enſe languido torpent manus,
Gelidumque lentos frigus artus alligat.
Ibi imperator voce noſter maxima
Alacrique vultu, Te, parens rerum, ducem,
Tuumque ſequimur angelum. Deus. Deus
Inimica flammis ſternit illis agmina:
Totuſque turmis fulget æther igneis.
Hæc vox utrumque poſteaquam exercitum
Pervaſit, amens alter in fugam ruit,
Pavido novatis inſtat alter viribus:
Nec his ſequendi finis, aut illis fugæ
Fuit, tenebris donec atra nubilis
Nobis quietem, illis latebras nox dedit.
C. Cur victor ergo non reducit copias?
N. Mane, univerſi nondum habes belli exitum.
C. Forſan refectis hoſtis inſtat viribus.
N.[1] Si quidem reſument mortui vires novas:
Namque omne robur perfidæ gentis Deus
Uno coëgit demetendum prælio.
Ergo aut peremti corporum cumulis locum
In quo ſteterunt, obtinent, aut lurida
Fuſi per agros ſtrage paſcunt vultures

Et

1 *Si quidem*] [Una voce ſcribendum *ſiquidem*, niſi metro vim fieri velimus.]

Digitized by Google

Et ne reſurgat denuo bellum novum,
Multos in annos dux futuri providus
Proſpexit: etiam peperit & nepotibus
Serisquietem. Victor arma Ammonium
Per omne nomen celeriter circumferens,
Bis dena muris vertit oppida dirutis:
Tectis peruſtis puberes dedit neci:
Vaſtavit agros: debiles tantum ſenes,
Pueri tenelli & fœminæ imbelles ſolum
Vacuum pererrant, patriæ & caſum gemunt.

CHORUS.

O Aurei dux luminis
Sol, qui recurſu præpete
Vices diurnas temperas,
Et igne flammifer vago
Partiris orbi tempora,
Poſt luſtra tandem quattuor
Jubar beatum in liberos
Fundis nepotes Iſaci.
Inauſpicatos impetus
Hoſtis ſuperbi dextera
Jephthæa fregit, ſpiritus
Ammonis acres contudit,
Et prædo præda factus eſt.
Nec tela Scythico profuit
Pennata nervo ſpargere,
Rapax nec axis impetus,
Minax recurvis falcibus,
Nec vis equorum, aut fortium
Denſæ phalanges militum,
Premente texerunt Deo.
Jamjam diſcite perfidi,
Jamjam agnoſcite: non lapis,
Non lignum Deus eſt: neque
Quod vel ſculpſerit artifex
Cælo dextera ferreo,
Vel plaſtes facili manu
Finxit, vultum hominis luto
Mentitus madido: Deus
Noſter arduus ætheris
Arces incolit igneas,
Et rerum ſator & ſalus,
Majeſtate ſua potens,
Nec cerni facilis, neque
Mortali docilis manu
Certam ducere imaginem.
Vecordem ille ſuperbiam
Regum frenat, & impia
Vota & ſpes nimias malum
Juſtus ducit ad exitum.
Ille innoxia pectora
Sævis preſſa doloribus
Præſenti auxilio levat:
Et de pulvere pauperem,
Et cuſtodem olidi gregis
Sceptra attollit ad aurea,
Paſtorum diademate
Ornans tempora regio.
Hunc unum Dominum & Deum
Terræ dædala machina,
Sub quocunque jacet die,
Agnoſcat, colat, atque amet:
Et quam ſol oriens novis
Subjectam radiis ferit,
Et quam ſub medio die
Incendit propioribus
Flammis: quique bibit Tagum
Fulvo gurgite nobilem,
Et qui perpetua nive
Damnatas habitant plagas.

Digitized by Google

Eia Hebraides, aureis
Comtæ colla monilibus,
Perfuſa ambroſiæ coma
Suave fragret odoribus.
Eia Hebraides, Indicis
Comtæ tempora gemmulis
Terram multicoloribus
Late ſpargite floribus.
Ceſſant tinnula cymbala.
Ceſſant nablia cum lyra,
Victori Domino novum
Carmen dicere? tibiæ
Ceſſat multiforæ ſonus?
Quis terram pede libero
Plaudit? mollibus & choris,
Feſto lætus & otio
Curas diluit aſperas?
Feſtas victima dux gregis
Aras imbuat: Arabis
Suaveolentia nubila
Ignis halet odoribus.
Et tu progenies ducis,
Magni ſpes generis, cape
Cultus, filia, ſplendidos,
Et patrem reducem piis
Læta amplectere brachiis.
Jamjam purpureos ſinus,
Iphi, aſſume, retortulum
Jam cirrum cohibe: ferit
Aures en fremitus virum:
Ipſe eſt, ipſe parens adeſt.

JEPHTHES.

Regnator orbis, unus & verus Deus,
Solumque numen propitium, pollens, potens,
Idem ſeverus ultor, & clemens pater
Tuis tremendus & ſeverus hoſtibus,
Tuis amicis lenis & ſalutifer,
Iræ timendæ, ſed tamen placabilis,
Amore fervens idem, & irritabilis:
Nos ſervitutis juſta preſſerunt mala,
Meritaſque pœnas dedimus impii impiis,
Qui, te relicto Rege, patrono, Deo,
Rerum parente, fonteque perennis boni,
Ad ſaxa ſtultas muta fudimus preces,
Et vana ſurdis vota lignis fecimus.
Pudet fateri: mentis æternæ capax
Homo, rationis particeps, mentis inops
Truncos adorat, thura vivus mortuo
Præbet, ſuumque metuit artifex opus.
Ergo relicti, qui reliquimus, ſumus:
Pœnas ſubacti dedimus, & fracti malis:
Quum nunc Idume, nunc Palæſtinæ manus,
Nunc dirus Ammon, nunc Syrus contaminat
Hæreditatem gentis & ſortem tuæ.
Malo eruditi, & hoſtium ludibrio
Tandem coacti, vix reverſi ad te ſumus.
At tu benignus atque miſericors Deus,
Juſti furoris frena compeſcis tui:
Iram remittis, & odii obliviſceris:

Et

Digitized by Google

Et abdicatos filios culpa ſua,
Reſtituis iterum miſericordia tua.
Defectionis ceu ſceleſtæ ſit parum
Veniam dediſſe ſontibus, cumulas novis
Etiam triumphis, laudibus, victoria.
Exutus armis hoſtis arcu languidus
Abiit remiſſo: bellici currus fugam
Totis morantur ſparſa campis funera:
Volucreſque paſcit qui ſuperbus vincula
Solymis parabat: contegit ſtrages agros,
Cruorque tumidas auget undas barbarus.
Ergo, creator orbis, & magne arbiter,
Memores libenter mente grata gratias
Agimus, habemus, ſupplicesque victimis
Tuas ad aras patrio litabimus
Ritu, canentes te Deum ac patrum patrem:
Qui per rubentis gurgites tumidos freti
Noſtris dediſti tutum iter majoribus,
Quum, te jubente, pigra moles æquoris
Poſuit procellas, mobilis ſtupuit liquor
Curſu coacto, & vitreus cryſtallino
Muro pependit pontus hinc & hinc, viam
Præbere juſſus: fœderis memor tui
Placidus propitiuſque accipe hæc ſervi tui,
Exigua quamvis, vota, grato pectore
Tamen profecta, debitaque nuper tibi.
Quod primum ad ædes ſoſpiti occurret meas,
Tuas id aras imbuet grata hoſtia
Suo cruore; tuis beneficiis licet
Par nulla poſſit comparari victima.
At tu benigne memoris animi munera
Interpretaris: ut fideliter tua
Promiſſa ſolvis, vota ſic reddi tibi
Fideliter gaudes, potentiam exſerens
Erga rebelles, exſerens clementiam
Erga timentes. Vis nec alla eſt altera,
Cui terra, cœlum, pareant, & tartara.

IPHIS, JEPHTHES, SYMMACHUS, CHORUS.

PRodeo: parentis reducis ut læta ac lubens
Conſpicio vultus. O mihi ſecundum Deum
Genitor verende, ſine frui amplexu tuo.
Cur, genitor, a me torva vertis lumina?
J. Me miſerum. *I.* In hoſtes omen hoc vertat Deus.
J. Utinam: ſed in nos recidit. *I.* Heu quid audio?

J. Mi-

J. Miſeræ parentem filiæ miſerrimum.
I. Hei mihi, tremiſco: ſalvus eſt exercitus?
J. Eſt ſalvus. *I.* Et tu victor? *J.* Ita ſe res habet.
I. Nulloque corpus ſauciatus vulnere?
J. Sic eſt. *I.* Quid ergo de profundo pectore
Secreta ducis ingemens ſuſpiria?
J. Id ſcire non eſt tibi opus in præſentia.
I. Hei mihi, quid in te miſera peccavi, pater?
J. Nihil: ſed in te, miſera, peccavit pater.
I. In me profecto, quod ſciam, erratum eſt nihil:
Nec ſi fuiſſet, id tibi moleſtiam
Afferre debet. Nam parentum injurias
Æquo neceſſe eſt liberi ut animo ferant.
J. Sapienter, ac ut te decet, nata, loqueris.
Quantoque tu ſapientius loqueris, meum
Pectus recludis altiore vulnere.
I. Quodcunque mentem, genitor, exercet tuam,
Omitte: cunctis parta per te civibus
Tuo dolore gaudia haud contamines,
Tuaque amicos ſine frui præſentia.
J. Nobis pariet abſentiam hæc præſentia.
I. Belli pericla forte rurſum te vocant.
J. Diſcrimen armis gravius imminet domi.
I. Bello periclum gravius eſſe domi poteſt?
J. Bello ſalutem repperi, perii domi.
I. Imo & familia ſalva per te & patria eſt.
J. Eſt: gratiamque debeo hoc nomine Deo.
I. Ac nomine iſto ſemper utinam debeas.
J. Sed vereor, iſta ut ſalva perſiſtant diu.
I. Quare ſecundæ nunc, pater, quum maxime
Res ſunt, precari votaque decet ſolvere:
Non quum reflavit fortis aura mobilis,
Palpare numen precibus, in re proſpera
Oblivioſa ſacra negligentia
Deſerere. Facilem quiſquis incolumis Deum
Sibi demereri ſtuduit, ubi res ingruit
Adverſa, nixus conſcientiæ bonæ
Fructu, rogare numen audet propitium
Jam ſponte, vota nuncupat ſecurius,
Et certiore ſpe futura concipit.
J. Jamdudum id ipſum facere mecum cogito.
I. Quid te moratur? *J.* Hæc relinque, filia,
Curanda nobis: quod puellares decet
Animos & annos id tuæ curæ puta.
I. Non mihi alienum eſt quicquid ad patrem attinet.
J. Fateor: ſed interim ut domi recte omnia

Sint, provide, & morem patri tuo gere.
Huc rurſus ad nos poſt brevi revertere.
Adeſſe oportet te ſacrificio ſtatim.
I. Fiet, revertor. Heu miſera, quidnam patri
Mutavit animum priſtinum erga liberos?
Hoc nemo nuper fuerat indulgentior,
Nec liberorum quiſquam amantior parens;
Qui nunc ſeverus, tetricus, triſtis, ferox,
Vultu minaci bellicum præ ſe ferens
Adhuc tumultum: quicquid eſt, metuo nimis:
Id aſſequi unum nequeo, quod propter me ait
Seſe dolere, nullius quæ conſcia
Culpæ mihi ſim, qua parentem offenderim.
O fœminarum ſorte vulgus aſpera
Productum in auras, quas, licet culpa vacent,
Rumor malignus dente rodit invido.
Pro facto habetur quicquid ira finxerit
Servi loquacis, quod maritus ſuſpicax
Commentus ipſe eſt, malevola aut vicinia.
Quid ſuſpicetur genitor, in mea manu
Non eſt: remedium id arbitror tutiſſimum,
Intaminata conſcientia frui.
S. Probe loquuta es, digna patre filia
Victore, caſta digna matre & patria.
Humana quamvis finxerit malignitas
Crimen, repoſtos perſpicit ſenſus Deus,
Illoque vincit purus animus judice.
Speranda ab illo & expetenda præmia
Vitæ peractæ: patris autem injuria
Æqui ac iniqui perferenda eſt liberis.
Proinde patri morigera domum interim
Reviſe. Si quid fama divulgaverit,
Hic aucupabor, perſequens veſtigia
Tui parentis: mox tibi indicavero.
C. Quin hoc amice pergis agere Symmache?
S. Id diligenter fiet. *C.* At, quantum potes,
Iſto puellam libera trepidam metu.
Hoc poſcit abs te jus amicitiæ vetus.
Quæ culta primis uſque ab incunabulis
Fidei tenore ſemper uno perſtitit:
Hoc poſcit ipſa patria, quæ Jephthæ ſuam
Debet ſalutem. *S.* Quin tace, ac fidei meæ
Permitte. *C.* At illud callide ut fiat, vide,

Animique cæcos penitus excutias ſinus.
S. Ne metue, nec me poterit ille, nec volet
Celare ſenſus: apta novi tempora.

CHORUS.

I Felix, pede fauſto:
Et qui pectoris imo
Cernit clauſa receſſu,
Idem teſtis & æquus
Judex cœpta ſecundet.
At te, peſſime livor,
Audax nectere fraudes,
Et committere ficto
Dulces crimine amicos,
Et rumore maligno
Sanctæ fœdera tædæ
Præceps ſolvere, caros
Qui gaudes ſua patres
Contra pignora cæco
Linguæ armare veneno,
Idem teſtis, & idem
Secreti arbiter æquus,
Te clauſum tenebroſi
Antris abdat averni,
Unde has nec vaga ſedes
Unquam fama reviſat.
O quantum ille laborum
Tecum detrahet una!
Quam mortalia diris
Curis pectora ſolvet!

SYMMACHUS, JEPHTHES, CHORUS.

Quidnam repente, ductor armis inclyte,
Mutavit oris priſtinum ſtatum tui?
Quæ mœſtitudo læta turbat gaudia?
Metus receſſit, perduelles perfidi
Pœnas luerunt, parta patriæ quies.
Quum gratuletur civitas victoriam
Tibi, tuumque patria nomen laudibus
In aſtra tollat, cantibus feſtis fremens,
Qui publici auctor gaudii es, non publicæ
Felicitatis eſſe debes particeps?
J. O grata ſortis infimæ ſecuritas?
Felice natum ſidere illum exiſtimo,
Procul tumultu qui remotus exigit
Ignotus ævum tuta per ſilentia.
S. At ego beatum potius illum duxero,
Cui vera virtus peperit æternum decus:
Quem de tenebris erutum popularibus
Splendore, vulgo & ſeparatum a deſide,
Gloria futuris merita ſeclis conſecrat.
At qui ſopori deditus & ignaviæ eſt,
Et vitam inertem pecudis inſtar tranſigit,
Nil intereſſe opinor, an ſit mortuus,

An

An morte vitam obſcuriorem duxerit,
Quum par utrumque ſupprimat ſilentium.
Quapropter in te cuncta quum congeſſerit
Quæcunque amicum numen homini dare poteſt,
Laudes, honores, rem, decus, victoriam,
Benignitatem agnoſce gratus numinis,
Nec ſordidis ſententiis res ſplendidas
Corrumpe: quum nil poſſit eſſe gratius
Deo, beneficii quam memor animus dati.
J. Præclara dictu res honor, victoria,
Decus, triumphus, parta bello gloria:
At quæ videntur fronte prima ſuavia,
Eadem intuere propius, & intelliges
Condita fellis acri amaritudine.
Fortuna nulli ſic refulſit proſpera,
Adverſa ut illam lance non penſet pari:
Triſtia ſecundis, & ſecunda triſtibus
Viciſſitudo acerba ſortis temperat.
Putas beatum me, beatitudinem
Fulgore inani metiens, & plauſibus
Vulgi, miſeriæ quem premunt certiſſimæ.
S. Quin finge ſortem benevelam ex ſententia
Tibi polliceri cuncta: quid ſupereſt adhuc
Quod concupiſcas? Spretus, exul, patria
Domo repulſus, inque ſolitudinem
Detruſus altam, pauperis dominus caſæ,
Repente veluti ſomnio dives, tamen
Felicitatis arbiter iniquus tuæ
Conquereris. Altam ferre ſi ſortem nequis,
Puſillus animi es, ſin nequis agnoſcere
Benignitatem numinis, digniſſimus
Rebus relictis priſtinoque es tugurio.
Per ferrum & ignes regna mortales petunt:
Tibi nec petenti principatus contigit.
Suo cruore plurimi victoriam
Redimunt, ſuorum cæde, damno publico:
Quam tu incruento marte, ſalvo exercitu,
Incolumis ipſe rettuliſti, patriæ
Auctor ſalutis, hoſtium terror, inopi
De ſorte dives, liber e ſervo: modo
Ignobilis, nunc clarus altum vertice
Pulſas olympum gloria: media modo
E plebe populi principem locum tenes.
Ad abſolutam nil beatitudinem
Deeſt parte ab omni, præter animum muneris
Tanti capacem, & proſperis rebus parem.

J. Ut video, amice, publicus te error tenet:
At mentis oculis limpide ſi cerneres.
Quam magna magnis ſint malis obnoxia,
Tantopere quem nunc laude proſequeris ſtatum
Rerum mearum, diceres miſerrimum.
S. Non pene vitio ſemper id noſtro evenit,
Et inquietæ mentis inconſtantia,
Neutram ut feramus lance ſortem æquabili?
Tranquillitatem pauperis laudat caſæ
Dives, nec alta claſſico ſilentia
Turbata, ſomnos liberos inſomniis,
Curis vigilias: pauper aurum, purpuram,
Servos, clientes, apparatus regios,
Ædeſque laxas ſine nullo laudibus
Tollit, beatos divites ſolos putat.
Sed rem ſuopte expende utramque examine:
Sors neutra pura eſt omnibus moleſtiis.
Inopes egeſtas angit, opulentos metus:
Diti eſt voluptas, pauperi ſecuritas.
Acerba lætis ſors utrinque miſcuit:
Sed illa certe exiſtimanda eſt optima,
Quæ multa paucis læta condit triſtibus,
Divina qualem tibi dedit clementia,
Cumulatam honore, laude, re, victoria:
Quam abnuere, ſtulti eſt; perfidi, haud agnoſcere;
Neſcire modice ferre, vix reor viri.
J. Fruſtra mederi pharmacis vulgaribus
Conare noſtro vulneri: ſanabilis
Hæc plaga non eſt, intimis vitalibus
Inſedit, alte in viva penetrans viſcera:
Eoque luctus eſt acerbior meus,
Quod culpa damnum, miſeria errorem gravat.
S. Quin apud amicum quicquid eſt ediſſere,
[1] Fidiſque ne vereare credere auribus.
J. Ecquid memoria te ſubit voti mei?
S. Quod nempe ſalvo es pollicitus exercitu?
J. Rem loqueris ipſam: quod utinam prudentior
Voto fuiſſem nuncupando & cautior.
S. Quis hic ſit error, comminiſci non queo.
J. Qui me meamque perditurus eſt domum.
S. Oblata poterit perdere omnes victima?
J. Quæ ſola generis ſupererat ſpes filia.
S. Hanc immolabis? quæ jubet neceſſitas?

J.

1 *Fidiſque ne vereare credere auribus*] Editio Baſil. *Ne vereare rem credere.*

J. Quod prima nobis obvia redeuntibus.
Quod tandem in hac re nata commiſit ſcelus?
J. Promiſſa certam vota poſtulant fidem.
S. Hic ſcrupus animum ſcilicet premit tuum?
J. Premit, nec avelli ante pectori meo
Poterit, nefanda quam cruentus victima
Miſer ubi miſeros perditus perdam meos,
Illiſque juſtas ac mihi pœnas luam.
At tu coruſci Rex vibrator fulminis,
Quem contremiſcunt terra, cœlum, tartarus,
Si quando juſſis obſequens promte tuis
Gratum quod eſſet dixerimve aut fecerim,
Audi precantem, & vota dexter adjuva:
Non nunc ſuperbas poſtulo victorias,
Feſtoſque plauſus: redde rurſum prælia:
Crudelis in me victor Ammon irruat,
Et noxiam animam mille plagis exigat.
C. Heu mutatio ſubitæ ſortis!
Ut perpetua ſerie lætum
Nil mortalibus uſque relictum eſt!
J. Aut tu triſulcis dividens cœlum ignibus,
In me ſceleſtum parricidam & impium
Molire telum, flammeo actum turbine:
Jam nunc nocentem, &, ſi ſuperſit amplius
Vitæ, futurum noxium in dies magis,
Detrude vivum ſub profunda tartara.
S. Non tranſigenda temere res eſt tam gravis,
Turbata cæco dum tumultu mens furit.
Compone tete: quum quieſcet impetus,
Et liber animus ſana conſilia audiet,
Una cum amicis cuncta ſtatues libere.
J. Conſilia dubiis remedium rebus ferunt.
Qui conſulit, quum nullus auxilio eſt locus,
Addit miſeriis ſponte ſtultitiam ſuis.
S. Remedia ſemper integra re ſuppetunt.
J. Nempe medicinam quum modus patitur mali.
S. Si ſors initio res videtur ardua,
Non eſt quod animum protinus deſpondeas,
Quin conſulendum cenſeo vel eo magis.
Quod ſæpe viſum eſt uni inexplicabile,
Expediit alius facile: ſi cedant bene
Conſulta prave, te ſequetur gloria:
Si male ceciderint, tu tamen culpa vacas.
Auctore magno deſipere, pene ſapere eſt.
Quod ſi undiquaque claudit omnes exitus

Digitized by Google

Invicta vis, aut fatum ineluctabile,
Nec explicare conſilia ſeſe queunt,
Idem probabunt, quicquid eveniet, quibus
Uſus fuiſti in conſulendo auctoribus:
Sin ipſe reliquis facinus inſciis novum
Perages, rogatus qui probaturus fuit,
Eventa primus arguet: quanquam ſciat
Remedia nulla, ſciſſe vult credi tamen.
C. Ne commonentem recta ſperne, nam fere
Temere patrati pœnitentia eſt comes.

CHORUS.

Quanquam triſtia, quanquam ingrata
Referam, & luctus luctibus addam
Stat ſententia promere cuncta
Ordine matri, miſeræ & gnatæ,
Aut conſilio forte, aut precibus
Fatum avertere triſte licebit.
Subit interea communi hominum
Sorti impendere lacrymas: primum
Quid deplorem? miſerum an patrem?
Quem ſic valida compede vinctum
Conſilii exſors detinet error,
Ut ſola putet impietate
Se pietatem poſſe tueri.
Miſeræ an doleam fata puellæ?
Quam vernantem primo ætatis
Flore tenellæ, ſpes ad opimas
Eductam, non hoſtica bella
Patria capta captam eripiunt:
Non dira lues cœlo immiſſa
Perimet, patrio ſed mactatu
Victima diras imbuet aras,
Et vice brutæ pecudis: jugulo
[1] Calidam ſanguinis evomet undam,
Artus ferro trunca tenellos,
Quos nec violet barbarus hoſtis,
Nec montanæ feritas urſæ
Crudo auderet carpere dente.
Victore feret patre miſella,
Quæ nec victore hoſte tuliſſet.
Vos hoſtilia paſſim campis
Sparſa cadavera, ſi quis vita
Venit exutos ſenſus ad artus,
Gaudete, aſpras cernite pœnas
Victorem de ſeſe exigere.
Hæc nimirum eſt addita noſtræ
Vitæ ſors, ut triſtia lætis
Vicibus ſubeant, tenebræ ut ſoli,
Ut veri aſpera bruma tepenti.
Nulla eſt adeo pura voluptas,
Quam non tetro felle dolores
Vitient: levitas perfida ſortis
Vice ſæva res hominum miſcet.
Sic ubi placidis ſternitur undis
[1] Æquor

1 *Calidam ſanguinis evomet undam*] Stat. Theb. IX. 747.
——— *Stat faucibus unda Sanguinis, & ſacri facies rubet igne veneni.* Sic Claudianus *unda bellorum*, & Virgilius *unda ſalutantum* dixere.

[1] Æquor tacito lene ſereno,
Nigram glomerans turbo procellam
Tumidos longe cumulat fluctus:
[2] Hinc remeabilis impetus æſtus,
Illinc Cauri flabra protervi,
Per freta dubiam ſpumea puppim
Rapiunt: noſtræ hæc facies vitæ eſt,
Inter cædes, furta, tumultus,
Et graviores morte timores
Mortis: ſi quid læti illuxit,
Velut arentes inter ſtipulas
Flammæ evanida lux fugitivæ,
Celeri velox avolat aura:
Dein perpetuis nexa catenis
Longi ſubeunt agmina luctus.

JEPHTHES, SACERDOS.

O Sol diurnæ lucis auctor, o patres,
O quicquid hominum ſceleris immune es, procul
Averte vultus exſecrandis a ſacris;
Aut tu cruorem virginalem innoxium
Potura tellus hiſce, patulos in ſpecus
Sinuque vaſto me vora: dum non nocens
Perire poſſum, quolibet me obrue loco.
Vel ipſum adire non recuſo tartarum,
Modo parricida tartarum non incolam.
Quid tartarum ajo? tartarus mihi eſt domi.
Quo me profuſis mœſta conjux lacrymis
Rogabit ore? nata quo intuebitur
Moritura vultu? colla complectens, preces
Quas admovebit voce lamentabili?
S. Hic ultimorum conſequi luctus ſolet
Comes malorum, quum medentium manum
Vulnus recuſat, aut peractum quum ſcelus
Remedia refugit. Tu, miſer ſis, an ſecus,
Tua repoſtum eſt in manu: integrum tibi eſt
Natam ſacrifices necne; ſive (ut verius
Dicam) integrum non eſt: niſi ſi quis miſer
Sponte eſſe cupiat: integrum quomodo tibi eſt
Id perpetrare, ſacra quod vetat parens
Natura? pietas cui reluctatur? Deus

Quod

1 *Æquor tacito lene ſereno*] Sil. Ital. XII. 3.
——— *Blandiſque ſalubre*
Ver Zephyris tepido mulcebat rura ſereno.
[Vide ad Valer. Flac. I. 332.]

2 *Hinc remeabilis impetus æſtus*] *i. e.* æſtus maris reciproci. qui ſemper aut affluit aut refluit. Sic Stat. Theb. IV. v. 531. decantatum Poëtis Syſiphi *ſaxum remeabile* vocat.

Digitized by Google

Quod abominatur ? Primum, amare liberos
Natura noſtris inſeruit affectibus:
Nec noſtra tantum motus iſte pectora
Percellit: altum quicquid æquor permeat
Celeri natatu, quicquid alis aëra
Findit, quod utero cunque cunctorum parens
Tellus creavit, ſentit affectus ſacros.
Nam patris hanc æterna providentia
Cœleſtis animis indidit mortalium
Ad educandos utilem vim liberos,
Et continendam publicam concordiam
Orbis, recentemque ſobolis propaginem
Semper novandam: quoque nomen arctius
Imprimeret iſtud mentibus, dici pater,
Et eſſe voluit: nec modo exemplo ſui,
Sed & ferarum, & alitum, atque piſcium,
Patriæ probavit caritatis vinculum.
Nos, quibus (ut hominis ſerviamus nomini)
Peculiaris debet eſſe humanitas,
Longe a ferarum vincimur clementia.
Nec ſcelere noſtras inquinare dexteras
Sat eſt: nefandum facinus adſcribere juvat
Cœlo: cruentis victimis confingimus
Gaudere numen: quod nec Ægyptus Dei
Ignara patrat, nec ſuperſtitionibus
Aſſyria falſis una dedititiſſima.
Quam cæde puras nos manus eſt æquius
Servare, puris e parentibus ſatos,
Et pura caſte ſacra juſſos numini
Offerre? Noſtro non litatur victimis
Deo cruentis, bubulove ſanguine:
Polluta nullo corda ſed contagio,
Et mens recocta veritate ſimplice
Illi offerenda, & caſta conſcientia.
J. Cur ergo leges victimas ſacræ imperant?
S. Non quod bidentis cæde gaudeat Deus,
Famemve cæſi carnibus vituli expleat:
Sed audientes eſſe nos monitis jubet.
J. Non nuncupata vota oportet reddere?
S. Sed nuncupare juſta tantum lex jubet.
J. Iſtud fuiſſet rectius ab exordio,
Id polliceri quod probant ritus patrum:
Nunc re peracta, quod ſemel votum eſt Deo,
Lex miſſa cœlo nos jubet dependere.

S.

S. Mactare natos quæ parentes lex jubet?
J. Quæ vota juſſit nuncupata reddere.
S. Faſne eſt vovere quod nefas eſt reddere?
J. Quinimo ſummum eſt, vota non ſolvere, nefas.
S. Quid ſi cremare jura voviſſes patrum?
J. Nemo iſta ſanus vota nuncupaverit.
S. Cur? nonne ſacris quod repugnet legibus?
J. Sic eſt. *S.* Quid ergo, qui trucidat liberos?
J. Non tam quid agitur intereſt, quam cur agas.
S. Parere juſſis tibi videtur numinis?
J. Mactare natum juſſit Abramum Deus.
S. Qui juſſit, idem quoque vetuit occidere.
J. Cur ergo juſſit? *S.* Ut probaretur fides
Seclis futuris. *J.* Cur vetuit? *S.* Oſtendere
Vel hinc volebat, victima obedientiam
Magis placere. *J.* Nempe ſacro numini
Parere oportet. *S.* Scilicet. *J.* Jubet Deus
Vovere? *S.* Sanè. *J.* Et vota ſolvi poſtulat?
S. Sic eſt. *J.* Morantes increpat, & a perfidis
Pœnas repoſcit? *S.* Nihil habes hic quo tuum
Poſſis tueri facinus: infandum ſcelus
Qui perpetrare ſpondet, ultro affectibus
Stultis ſuiſque paret ille inſomniis.
Proinde voti quicquid illud eſt, [1] Deum
Crudelitati deſine adſcribere tuæ:
Nec qui ſceleſtos odit, & nefarios
Ritus ſacratis exſecratur legibus,
Scelere, quod odit, poſſe placari putes.
Divina vox eſt una, ſimplex veritas,
Sibique conſtans: quod ſemel juſſit, ratum
Fixumque perſtat tramite immutabili:
Nec ad ſiniſtram dexteramve paullulum
Deflectere licet. Intueri unum hunc ſcopum
Verum eſt, ab una lege conſilia ſuæ
Vitæ capeſſere: quando ceu facem Deus
Hanc eſſe juſſit, quæ per incertas vias
Errore cæco regeret inſtabiles gradus.

Ab

1 *Deum Crudelitati deſine adſcribere tuæ*] Forte *inſcribere*, ut apud Ovid. Met. xv. v. 127.
Nec ſatis eſt quod tale nefas committitur: ipſos Inſcripſere Deos ſceleri ——
[Si ita Buchananus ſcripſiſſet, laudarem, ſed in recentiorum ſcriptis tantum ſibi permittere nefas puto. Neque etiam inelegans eſſe puto verbum *adſcribere*. Vid. ad Ovid. Epiſt. Heroid. vi. 99. Claudian. iii. de Rapt. 419. *cur autem adſcribimus illum His lacrimis?*]

Ab hac lucerna quum procul te ſentias
Flexiſſe temere, nunc, priuſquam longius
Abducat error, in viam rurſus redi.
Si ſtulta vota credis infandis ſacris
Poſſe expiari, falleris: crudelitas
Iſta cumulabit, non ſcelus tollet tuum.
Nec falſa ſpecies decipiat animum: Deus
Ut rite ſacris gaudet oblatis, ita
Nefanda vota reſpuit: nec abſtulit
Impune, quamvis concitus ſtudio pio,
Admovit ignem qui profanum altaribus.
Igitur amica monita ne ſperne, & Deum
Placare dum vis, concitare deſine,
Non inſtituto qui coli gaudet tuo,
Sed ſibi probatis lege, ritu, moribus.
J. Hos, qui videntur ſapere ſæpe plurimum,
Vulguſque ſupra ſe imperitum venditant,
Plerumque veræ comperi prudentiæ
Minimum tenere: nemo negligentius
Ritus vetuſtos ſervat & myſteria
Facit minoris: vulgus indocile ac rude
Voti tenax eſt, neſcium fraudis: ratum,
Quod pollicetur numini ſemel, putat:
Ut nil ſit aliud ſapere jam, me judice,
Quam ſcire velum noxiæ prætendere,
Fucumque factis peſſimis inducere.
Quin potius illud cogitare erat æquius,
Culpa carere, quam videri innoxios,
Aut fraudulentæ cautionis tegmine
Velare mentis improbæ verſutias.
Pietatis ergo quiſquis æmulos volet
Suos haberi liberos, ne litteris
Hos erudire ſtudeat æquo impenſius.
Nam litterarum quo quis eſt peritior,
Huic eſt ſacrorum cura negligentior.
S. At rurſus audi, ſi vacat, vir optime,
Quam cæca fallat credulum ignorantia.
Errore vulgi qui tuetur ſe, nihil
(Opinor) ideo peccat excuſatius.
Nec iſtud unquam moribus regnum malis
Permittat ille maximus rerum parens,
Ut recta plebis improbæ conſenſio
In prava vertat, e bono ut faciat malum.
Nec ſi tyrannis blandiens palpatio

Pejora

Pejora laudet, recta mutans nomina,
Efficiet ut quæ viſa multitudini
Honeſta ſunt, honeſta fiant protinus.
Una eſt honeſti forma ſimplex, quam neque
Vel vis tyranni, vel potentum auctoritas
Adulterare poterit aut corrumpere.
Nunc quo quis eſt e plebe ferme indoctior,
Auctoritatem aſſumit arrogantius
Dijudicandi in rebus obſcuriſſimis:
Et pertinaci (quod fere ignorantiæ eſt)
Animo tuetur dogma ſuſceptum ſemel.
Nec interim æquo expendit examine, mala
An recta quæ pertinaciter tenet.
Sed quum inter omnes maxime cæcutiat,
Cæcus videntes cæcitatis arguit.
Ut cui peruſta febre fervent viſcera,
Amara cuncta credit, unumque autumat
Se ſapere, quum deſipiat unus maxime:
Sic vos tenebris pectus atris nubili
Iis imperare quæritis, quibus æquum erat
Parere: quorum oportuit ſententiam
Sequi, eſſe comites cogitis, & impingere
In ſaxa, firmam ſponte pellentes ratem.
Religio vera eſt, veraque pietas, Deum
Non inſtituto colere quod commentus es.
Tibi ipſe, ſacris victimas non quaſlibet
Mactare, ſed quas miſſa legum cœlitus
Decreta poſcunt, & patrum mores probant.
7. Quodcunque geſtum eſt mente ſincera, Deo
Gratum eſt, bonique dona ſemper conſulit.
Quæcunque corde ſunt profecta ſimplice,
Nec numen aurum, ſed animum dantis probat.
8. Si recta vitiat mentis improbitas malæ,
Non ideo curva ſtultus animus corrigit.
Nam quæ vocatis recta, ſimplicia, proba,
Sunt vanitatis plena dementiſſimæ
Niſi eſſe poſſit forte quicquam vanius
Quam ad veritatis lumen oculos claudere.
Dein cæcitatem lapſus in ſpontaneam,
Titulis honeſtis in ſcelere laudem petis,
Rerumque tollis omnium diſcrimina,
Dum iniqua juſta, fœda honeſta mobilis
Pendere vulgi ſtatuis ex ſententia.
Quod ſi poteſtas tanta ſit ſententiis

Stultorum, ut æqua iniqua faciant protinus,
Ut ſint profana ſacra, jus injuria:
Cur non & illud arbitremur poſſe eos,
Ignes in undas, undam in ignes vertere,
Mutare lignis ſaxa, vitam mortuis
Revocare? motus temporum ſiſtant citos,
Et ſempiternas transferant rerum vices.
Quod ſi arbitraris hæc ſupra mortalium
Vires, & uni conditori obnoxia;
Quas ille leges prodidit ſemel, puta
Æque perennes ac ratas, aut amplius,
Nec ullum in illas eſſe jus mortalibus.
Nec qui ſupremus imminet mundo dies,
Edicta rumpet illius: cœlum & ſolum,
Et aëra & aquas ſolvet ignis ultimus:
De lege vero, quæ data eſt divinitus,
Non carpet apicem temporis longinquitas.
J. Vos iſta per me, ſi libet, ſectamini,
Quos juvat haberi antiſtites prudentiæ:
Ego veritatem malo ſtultam & ſimplicem,
Quam ſplendidam fuco impiam ſapientiam.

CHORUS.

O Iſacidas matrona inter
Rarum exemplum fortis amicæ,
Quam ſubito te fortuna atrox
Exitio ſubmerſit, & illum
Prope tangentem ſidera faſtum
Obruit, atræ & more procellæ
Luctu gaudia vertit acerbo.
Heu nunquam homini ſat compertum
Quid petat aut quid vitet in horas.
Quis tibi nuper non invidit,
Dux fortiſſime? cui prope ſupra
Votum acciderant proſpera cuncta:
Clari generis ſplendor, caſti
Thalami, ſoboles digna parente,
Partaque valida gloria dextra:
Qui nunc ſubitæ mole ruinæ
Obrutus, ipſis es miſerandus
Hoſtibus, ac tua vota [1] retractans
Imples miſeris aſtra querelis.

1 *Retractans*] Ex Ovidio deſumtum, qui duplici ſenſu utitur lib x. Met 288. *Rurſuſque manu ſua vota retractat*, ubi iterum iterumque tangere manu notat. deinde vſ. 370. *Furſumque vota retractat*, ubi notat, mente ſua iterum iterumque volvit, reputat. ut apud eumdem l. iv. 569 & vii. 719. nam quod *retractare* quidam credant dici de iis, qui priorem ſententiam revocant, & pœnitentiam agunt, falli puto. ſed

dum

Nempe erroris nebula, & terris
Ignorantia ſepta tenebris
Sic humanas ſepelit mentes.
Nec perſpicuis animi quiſquam
Oculis radios cernere potis eſt
Veri ſimplicis, aut virtutis
Nudæ rectum inſiſtere callem.
Sed veluti ſub luce maligna
Per ſecretos nemorum anfractus
Lubricus error mille viarum
Dubio occurſu ludit euntes,
Inter varios ſemita flexus
Nulla placet, neque diſplicet ulla:
Sic iter homines præter propter[1]
Dubia incerti mente vagamur.
Hic venalem funere laurum
Otii impatiens dum ſibi quærit,
Luctu alieno dura per arma
Redimit vanæ murmura famæ.
Captatores alius captans
Dulci ſteriles pignore lectos
Multa penſat plebe clientum:
Atque intenta fraude viciſſim
Corvos ludere gaudet hiantes.
Cunarum alter murmura blanda,
Tenero & balbas ore querelas
Non mutaverit opibus Crœſi,
Aut quas divite lucidus unda
Rutilas Hermus volvit arenas.
Verum nemo tam ſapienter
Vitam inſtituit, conſilium ut non
Damnet decies ipſe ſuum una
Forſitan hora.
Atque en prodit ſqualida luctu
Miſeram comitans nata parentem:
Quam diſſimiles (proh dolor!) illis
Quæ conſpicuæ nuper cunctis,
Lætæque novi laude triumphi,
Pene attigerant vertice olympum:
Nuper ad invidiam uſque beatæ,
Nunc exemplum nobile ſortis
Variæ. Sic Deus humana rotat,
Inſtar volucris pulveris acti
Turbine celeri mobilis auræ:
Aut hibernæ more procellæ,
Quæ violenti flamine Cauri
Obruit altos grandine montes,

Mox

dum retractamus res, & quaſi ſecundas curas cogitatis adhibemus mutare ſæpe ſolemus decreta priora: neque ſemper de pœnitentia utitur, Buchan. Silv. II. *Piget & mea vota retracto.*]

1 *Sic iter homines præter propter*] Deſumtum ex Ennio, apud Agell lib. XIX cap. 20.

Incerte errat animus: præter propter vitam vivitur

Quod ſic explicat Turneb. lib. XIV. Adverſ. cap. 18. *Præter propter vitam vivere*, *eſt non ſoli inſervire vitæ, ſed multa conquirere quæ non deſiderat vita, ſupervacanea ſunt & voluptuaria, min neque neceſſaria*, &c. Potior tamen, & Ennii & Buchanani ſententiæ magis conſona videtur Salmaſii expoſitio Plinian. Exercit. cap. 42. pag. 617 *Hi ſunt*, inquit, *quibus vita* (ita enim ille legendum vult, non *vitam*) *vivitur præter propter, quibus nunc illud, nunc aliud placet; modo propius, modo longius abſunt ab hoc vel ab illo vivendi propoſito.*

Mox ubi roſeo fulſit ab ortu
Fax perſpicui pura diei,
Late albentes fuſa per agros
Vix conſpecto ſole liqueſcit.

STORGE, JEPHTHES, IPHIS.

O Spes inanes: feſta nuptialia
Tibi parabam, nata; lucem cernere
Illam expetebam, ſorte quum te proſpera
Auctam viderem liberis, & conjuge
Claro beatam: te ſenectutis meæ
Fore pollicebar columen ac ſolatium:
De te augurabar falſa fruſtra inſomnia.
Nunc me inſolenti ſæviens ludibrio
Sortis furentis impotens immanitas
Felicitatis de ſupremo culmine
Dejecit, uno cuncta vertens impetu.
O ter beatos, liberis quos hoſticus
Orbavit enſis, peſtilens aut aëris
Lues, fameſve: ſcelere quorum lacrymæ
Carent, doloremque imputare aliis queunt:
At hic in uno ſcelere ſexcenta ſcelera
Fortuna miſcet: liberorum carnifex
Parens, ſceleſta ſacra, ritu barbaro
Aræ cruentæ victimis nefariis.
Si ſancta ſancte ſacra tantum numini
Credis probari, tolle morem barbarum:
[1] Crudelitate ſin propitius ſit Deus,
Et me trucida victimam cum filia.
J. Acerbitatis plus ſatis complectitur
Sors noſtra per ſe, nihil ut accedat mali.
Quamobrem omitte meque teque incendere
Nil profuturis luctui conviciis.
Nam ſæva quamvis ſit calamitas omnium,
Sors noſtra multo cæteris eſt ſævior.
Conjuncta veſtris innocentia eſt malis,
Et labe ſceleris miſeria infelix caret.
Ego nec ſceleſtus eſſe queo, ni ſim miſer,
Nec calamitoſus ſceleris expers degere:
Soluſque cogor facere facinus & pati.
S. Nempe ipſe tete ſponte cogis & volens.
J. Utinam iſta noſtri vota ſint arbitrii.
Promiſſa nec ſit abnegare nefarium.
S. Sceleſta vota grata non ſunt numini.

J.

1 *Crudelitate ſin propitius ſit Deus*] An *propitius ſit?* …

J. Fuiſſe grata teſtis eſt victoria.
S. Quid? polliceri quod tuum non eſt potes?
J. Mea nata non eſt? *S.* Eſt: ſed etiam ut ſit mea.
Commune pignus quum ſit, uni cur patri
Mactare, vitam mihi tueri non licet?
Quod ſi liceret liberos addicere
Parentis alterius libidini, & impio
Dirimere amoris vinculum divortio,
[1] Plus jure matri parte cederet ſua,
Matri, ſalutis quæ ſit auctor, quæ patri
Jam ſponte natam perdituro ſubtrahit.
Quid? nuptiales ſi pararentur faces,
Virumque legeret filiæ ſuæ pater,
Non hîc parentis utriuſque arbitrium
Commune pariter liberis incumberet?
At hæc ſocietas impotens & arrogans
Eſt conjugalis copulæ conſortium,
Servare matri non licere, perdere
Licere patri, ſi modo quis perdidit
Hanc, quam trucidat, cujus aſtans funeri
Immanitatis gloriatur ambitu:
Qui, clauſtra dum revellit animæ, dum latus
Mucrone ſævo reſerat, & vitalibus
Haurit morantem ſub profundis ſpiritum,
Cupit videri, non eget ſolatio:
Famam aucupatur liberorum e ſanguine, &
Compenſat aura ſanctimoniæ ſcelus,
Seſeque jactat laude parricidii.
Tu, ſi parentis exuiſti in liberos
Mentem, furenti percitus vecordia,
Permitte ſaltem matris indulgentiæ
Amare, non amare quod ſummum eſt ſcelus;
Servare, ſummum quod nefas eſt perdere:
Quod prodidiſſe ſponte, parricidio
Eſt gravius omni; quod trucidare propria
Manu, ferarum immanius truculentia eſt.
Si dividendum pignus eſſet mutui
Amoris, æqua lege non diviſimus:
Ut tu uti, abuti, morte, vita filiæ
Poſſis, redundent ad genitricem modo
Luctus, dolores, lacrymæ, ſuſpiria.
O rupe dura durior, vel robore

Pro-

1 *Plus jure matri*] Duæ Elzev. Wetſten. aliæque Belgicæ editiones [*plus juris*] habent, quod metrum non recipit.

Prognate crudo, [1] cotibus vel aſperis
Inter ferarum luſtra, nec generis tenens
Noſtri nec ulla ſanguinis veſtigia!
Num flente nata, lacrymante conjuge,
Mœſtis propinquis, liberorum carnifex
Ullum doloris indicem gemitum dedit?
Quin ad paternos, nata, procidis pedes?
Oratione ſi quid aut lacrymis potes,
Cor flecte durum, frange mentem ferream.

I. Miſerere, genitor, te per hanc rogo manum
Voti potentem, compotem victoriæ:
Per ſi quid unquam merita ſum de te bene:
Si quando parvis comprimens te brachiis,
Onus pependi dulce de collo tuo:
Per ſi quid ex me tibi voluptatis fuit,
Depone mentem liberos erga trucem,
Et diritatis hujus obliviſcere:
Aut ſi quid in te ex parte peccatum eſt mea,
Profer, quod inſtat cunque levius perferam,
Si luere pœnas jure me cognovero.
Quid ora vertis? miſera quod feci nefas,
Cur eſſe patri debeam exſecrabilis,
Ut contueri non queat vultus meos?

J. Nil, nata, per te perpetratum eſt: hoc meum
Nefas: meum iſtud eſt ſcelus totum: meæ
Immerita pœnas pendis imprudentiæ.
Ego teque meque, miſera, perdidi miſer
Votis nefandis: quod utinam prudentior
Verbis fuiſſem, aut prælio infelicior:
Et morte honeſta tot virorum fortium
Inter catervas cæſus hoſtili manu
Præoccupaſſem miſeriæ portum meæ.

Ingrata

1 *Cotibus vel aſperis*] Dubitari poteſt an *cautibus* noſter ſcripſerit, pulcherrimum illum Maronis locum æmulatus Æneid. IV. v. 365.

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Et Senecæ Herc. OEt. v. 143.

Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caſpia,
Quæ virgata tibi præbuit ubera?

At non ſollicitanda eſt recepta lectio: idem enim Virg. Ecl. VIII. 43.

Nunc ſcio quid ſit Amor. Duris in cotibus illum
Iſmarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis noſtri puerum, nec ſanguinis edunt.

quæ Buchanani animo præcipue hic obverſata poſtremus verſus indicat.

Ingrata nunc me vita mihi ſuperſtitem,
Luctus, reſervat, ſemper ut videam novos.
Tibi per nefanda ſacra juro, quæ Deo
Renuente vovi, per mali cumulum mei,
Et luctuoſam memoriam cladis tuæ,
Si morte redimi mors vicaria queat,
Vitam libenter, filia, tibi impenderem.
Ecquid beatus videor eſſe vos ſupra?
I. Æque atque nos, aut amplius etiam miſer.
S. Apud parentem quando levis auctoritas
Eſt hujus, unum conjugem conjux rogo,
Atque id ſupremum, me mori pariter jube.
Mortem imputare, ſi me amas, potes mihi;
Sin oderis, tibi: doloribus exime
Me morte, teque libera moleſtiis.
J. Patratur una cæde ſceleris plus ſatis.
S. O ſanctitas, o fas, & innocentia!
Peccare metuit immolator filiæ.
I. Omitte mater lacrymas cariſſima,
Omitte queſtus, jurgia & convicia.
Et tu, pater, quæ pectus anxium premit,
Depone curam: nec meam propter necem
Ultro citroque verba commutaveris.
Quod non volentem dura te neceſſitas
Iſthuc coëgit, multa mihi faciunt fidem:
Mœſtitia præſens, priſtina indulgentia;
Et nullius mens criminis mihi conſcia,
Cur commereri debeam mortem a patre.
Quapropter iſtud quicquid eſt, neceſſitas
Quod cogit, ultro non recuſo perpeti;
Et quam parenti patriæque debeo
Animam, libenter reddo: & & illud ultimum,
Nil poſtulatura, genitrix, poſthac rogo,
Ne quid patri cauſſa mea ſuccenſeas,
Neu ſis moleſta: mortuis ſi quis ſuper
Senſus ſepultis eſt eorum, quæ gerunt
Vivi, futurum crede manibus meis,
Ut ſi quid aliud, id quidem gratiſſimum,
Si vos beatos, proſpereque degere
Sim certa vitam; nec parentes ad meos,
Officia vitæ mutua quibus debeo
Reddere viciſſim, & educandi ſolvere
Pretium, ſenectæ infirmitatem ſuſtinens,
Ex me redundet luctus atque acerbitas.

S. Utinam (precari ſi pie & ſancte id licet)
Dominetur Ammon, priſtinum ferat jugum
Judæa: quamvis ſerva, certe viveres,
Aut morte ſaltem non nefanda occumberes:
Sæviſſet in nos levius inſolentia
Hoſtis furentis, quam patris victoria.
Novaque fati ſed miſerrima vice,
Servire votum eſt, & calamitas vincere.
O ſemper in nos vel favens etiamnum atrox
Fortuna, quantis gaudii uſuram brevem
Luctus acerbi fœneraſti lacrymis!
I. Quin potius illi juſta ſupplicia luant:
Nos, ſi neceſſe eſt, immerentes ſanguine
Aras piemus, totque cædes hoſtium
Penſemus una ſponte gratique hoſtia.
J. Heu nata, nunc intelligo demum miſer
Quam fœda, ſæva, dira deſignaverim,
Qui prole tali temere meme orbaverim.
Sed ipſe de me ſponte pœnas exigam.
Te namque iniquum eſt dare meæ dementiæ
Pœnas, puellam innoxiam, ſuperſtite
Auctore luctus: ipſe ſtultitiæ meæ
Supplicia pendam; nec mihi exprobrabitur
Ab invida vicinia, quod ultima
Sub ſpatia vitæ parricida filiæ
Mihi peperci, liberûmque ſanguine
Vili redemi turpis auram gloriæ.
At tu beata hac caritate in patriam
Patremque vive, cujus ætas dignior
Supereſſe: quamque gratiam nequit parens,
Perſolvat ille, ſolus æqua qui poteſt
Pro dignitate huic indoli rependere.
I. Omitte, genitor, has moras innectere,
Meumque dictis mollibus frangere animum;
Nec fas nec æquum te mea fungi vice:
Me vota poſcunt: itaque tibi animam libens
Hanc reddo patri, reddo patriæ meæ.
Nec ulla Jephthæ me redarguet dies
Non ſtirpe dignam: tolle, age, abduci jube.
Devota morti, & conſecrata victima
Projeci amorem lucis: omnis eſt mora
Moleſta: mater jam vale cariſſima,
Et vos penates patrii, in quibus dies
Lætos peregi, ſpes ad amplas molliter

Educta

Educta; claris deſtinata nuptiis.
O fata, fata, & morte defuncti patres,
Accipite placide deſtinatos patriæ
Manes ſaluti: tuque lux noviſſima
Hodierna noſtris haurienda oculis, vale.

CHORUS.

Laus fœminei [1] famaque ſexus,
Et generoſæ gloria ſtirpis,
Animi nimium virgo virilis,
Licet injuria tibi fatorum
Utiliores abſcidit annos,
Licet immanis feritas Parcæ
Teneri florem carpſerit ævi,
Quod tibi vitæ ſors detraxit,
Fama adjiciet poſthuma laudi:
Et qua primis Phœbus ab Indis
Rutilæ tollit lumina flammæ,
Te poſteritas fera loquetur.
Te, qui primi flumina Nili
Bibit, & curru qui [2] Sarmatico
Solidum non timet ire per Iſtrum,
Concinet olim,
Non formidine mortis inerti
Pavidam, patriæ donaſſe alacrem
Natura tibi quos dedit annos.
Noſtris longum tu dolor & honor
Virginibus, tibi thalami expertes
Mœſto ululatu flebile carmen
Per redeuntes recinent annos.
At vos, veſtri dedecus ævi,
Animam patriæ reddere ſegnes,
Vos æternis tenebrarum umbris
Teget oblivio longa ſepultos,
Et generis pudor, & telluris
Pondus inutile, quos & præſens
Spernit, & altera neſciet ætas.

STORGE, NUNCIUS.

Heu miſera, an omnis ſpes ſalutis occidit?
Effare. *N.* Res ut interadverſas quidem
Non peſſime agitur. *S.* Si quid accidit boni,
Ea blandientis ſortis eſt crudelitas:
Venena dulci melle tetra temperat.
Quapropter ede quicquid occultas mali.
Uſus dolendi longaque experientia
Induxit animo callum: ut amplius mihi

No-

1 *Famaque ſexus*] i. e. famigeratum ſexus decus. Ovid. Amor. III. 9. 5.
Ille tu vates operis, tua fama Tibullus.
Virg. Georg. II. 40.
O decus, o famæ merito pars maxima noſtræ.

2 *Sarmatico*] [Dubito an noti fuerint Iſraëlitis Sarmatæ & Iſter, & ita decorum ſervaverit Poeta.]

Nocere poſſet, nil reliquit ſors ſibi.
Parata certa eſt ſed miſera ſecuritas.
N. Ut geſta res eſt ergo paucis accipe:
Quum ſtaret aras ante triſtes victima
Jam deſtinata virgo, purpureum decus
Per alba fudit ora virgineus pudor,
Cœtus viriles intuerier inſolens:
[1] Ut ſi quis Indum purpura violet ebur,
Roſaſve niveis miſceat cum liliis.
Sed ſe per ora cum pudore fuderat
Perſpicua certæ juncta vis fiduciæ,
Interque flentes ſola fletibus carens,
Vultu remiſſo conſtitit firma, ac ſui
Secura fati: quas tenebat lacrymas
Propinqua morti virgo, populus non tenet.
Alium parentis beneficium recens movet,
Et ſervitutis patriæ exemtum jugum,
Et ſolitudo familiæ clariſſimæ.
Alius acerbam ſortis ingemuit vicem,
Longoque luctu breve redemtum gaudium,
Raroque ſtabilem rebus in lætis fidem.
Florem juventæ deflet ille, & ſiderum
Similes ocellos, æmulamque auro comam,
Supraque ſexum pectoris conſtantiam.
Et forte ſolito [2] gratiorem afflaverat
Natura honorem, ceu ſupremo munere
Dignata funus nobilis viraginis.
Ut jam ruentis æquor in Tarteſſium
Phœbi recedens eſſe gratior ſolet
Splendor, roſæque vere ſupremo halitus
Colorque cupidos detinet oculos magis:
Sic virgo fati ſtans ſupremo in limine,
Parata morti, nec recuſans molliter,
Turpive torpens exitus formidine,
Commorat omnes, verſaque in ſe lumina
Vulgi ſtupentis traxerat miraculo,
Et triſte cunctis attulit ſilentium:
S. Narrare porro perge facinoris modum,

Neu

1 *Ut ſi quis Indum*] Imitari voluit illud Virg. Æneid. XII. 67.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur; vel mixta rubent ubi lilia multa
Alba roſa: tales virgo dabat ore colores

2 *Gratiorem afflaverat Natura honorem*] Virg. Æneid. I.
——— Lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Neu parce matris auribus: nihil potes
Afferre triſte, ut triſtiora non ſibi
Proponat animus: cuncta jam præcepta ſunt.
N. Animi virilis tum puella lumina
Ad clara tollens aſtra, concipit preces
Ex ore caſto, voce non fracta malis:
Æterne rerum genitor, atque hominum parens,
Tandem propitius gentis errori tuæ
Ignoſce, & iſtam victimam lenis cape.
Quod ſi furoris exigis piaculum,
Quæcunque noſtra contumax ſuperbia
Supplicia meruit, te parentem deſerens,
Utinam luatur hoc cruore: ſæpius
Utinam liceret ſanguinem profundere, &
Hîc ſi parentum & civium ſita eſt ſalus,
In me furoris impetum ac iræ tuæ
Per mille mortes ſæpius deflectere.
At tu ſacerdos quid metuis? (etenim metu
Gelido tremebat) ades, & hanc luce exime
Animam: morantem ſolve corporis obicem:
Populum, parentem, meque voto libera.
Ut hæc loquuta eſt, ille jamdudum parens
Viſus cruentus, ſæviorque tigride,
Oculos amictu lacrymis madens tegit,
Seſeque damnans votaque temeraria,
Fletu ſacerdos obrutus vix ſolvere
Animæ meatus potuit, & mœſto diu
Taciturna turba torpuit ſilentio.
Ut vocis autem pervium patuit iter,
Non ille gemitus, eſſe nec qualis ſolet
Fremitus doloris, atque lamentatio,
Sed concionis gratulantis murmure
Confuſa turba, teque prædicantium,
Adverſa fortis inter aſpræ vulnera,
Et blandientis læta dona, fœminam
Unam beatam maxime & miſerrimam.
Nam plaga quamvis alte ad oſſa ſederit,
Magni doloris magnum habes ſolatium.
S. Solamen ipſo luctuoſius malo,
Quod leniendo exaſperat malum vetus,
Luctuſque acerbi memoriam ſemper novans,
Reducta cogit vulnera recrudeſcere.
Quo fortiore nata tulit animo necem,
Hoc angit animum triſtior meum dolor.

FINIS.

Digitized by Google

2.3.22

215

BAPTISTES,

SIVE

CALUMNIA,

TRAGOEDIA,

Auctore

GEORGIO BUCHANANO

SCOTO.

Digitized by Google

216

Digitized by Google

GEORGIUS BUCHANANUS
JACOBO SEXTO
SCOTORUM REGI
S. P. D.

CUM omnes mei libelli, poſtquam tibi erudiendo ſum appoſitus, ad te familiariter accedunt, ſalutant, confabulantur, & in tuæ clientelæ umbra conquieſcunt, tum hic meus BAPTISTES pluribus de cauſſis tui nominis patrocinium audentius ſibi poſcere videtur: quod meus, quanquam abortivus, tamen primus eſt fœtus, & adoleſcentes a vulgari fabularum ſcenicarum conſuetudine ad imitationem antiquitatis provocet, & ad pietatis ſtudium, quod tum ubique fere exagitabatur, animos excitare pro virili contendat. Illud autem peculiarius ad te videri poteſt ſpectare, quod tyrannorum cruciatus, &, cum florere maxime videntur, miſerias dilucide exponat. Quod te nunc intelligere non conducibile modo, ſed etiam neceſſarium exiſtimo: ut mature odiſſe incipias, quod tibi ſemper eſt fugiendum. Volo etiam hunc libellum apud poſteros teſtem fore, ſi quid aliquando pravis conſultoribus impulſus, vel regni licentia rectam educationem ſuperante, ſecus committas, non præceptoribus, ſed tibi, qui eis recte monentibus non ſis obſecutus, id vitio vertendum eſſe. Det Dominus meliora, &, quod eſt apud tuum Salluſtium, tibi bene facere ex conſuetudine in naturam vertat. *Quod equidem cum multis & ſpero & opto. Vale.* Sterlino, *ad Calend. Novembres.* 1576.

PERSONÆ.

PROLOGUS.
MALCHUS Phariſæus.
GAMALIEL Phariſæus.
JOANNES Baptiſta.
CHORUS Judæorum.
HERODES Rex.
HERODIAS Regina.
REGINÆ filia.
NUNCIUS.

Digitized by Google

BAPTISTES, SIVE CALUMNIA, TRAGOEDIA.

PROLOGUS.

Veteres Poëtæ fabulantur Protea
Quendam fuiſſe, qui ſe in omnes verteret
Formas, nec ullis contineri vinculis
Poſſet: liquentes nunc in undas dum fluit,
[1] Nunc flamma ſtridet, nunc ferus rugit leo,
Viret arbor, horret urſus, anguis ſibilat,
In cuncta rerum tranſiens miracula.
At ego profecto fabulam iſtam comperi
Longe Sibyllæ veriorem oraculis.
Nam quotquot homines video, tot me Proteos
Videre vultus credo qui ſumant novos,
Seſeque vertant in figuras quaslibet:
Subjecta quorum maxime calumniis
Fortuna ſemper ſcenici eſt ſpectaculi.
Nam ſi vetuſtam fabulam quis proferat,
Turbant moleſti, tuſſiunt & nauſeant.
At ſi novam quis attulit, tum protinus
Vetera requirunt, comprobant, laudant, amant.
Illiberali reſpuunt faſtidio
Nova, & priuſquam noſcere queant, exigunt:
Recteque dicta interpretationibus
Vitiant malignis: omnia in pejus trahunt.

Ipſi-

1 *Nunc flamma ſtridet*] Non temere exiſtimat eruditiſſimus Ægid. Menagius Anti-Baillet Tom. I. §. 98. Buchananum hic reſpexiſſe illud Licentii apud D. Auguſtinum,
Spumat aper, fluit unda, fremit leo, ſibilat anguis.
Videſis Lud. de la Cerda ad Virgilii Georg. I V. 407.

Ipſique ſomno dediti [1] ac ignaviæ,
Vacui laboris, invident laboribus
Aliorum, & omnem collocant operam ſuam,
Ut deprehendant quod queant reprehendere:
Si quis ſit error, antevortunt Lyncea
Viſu, notaque perlinunt cenſoria:
Bene dicta ſurdis auribus prætervolant.
Horum ſevera ſupercilia nihil moror,
Triſtemque vultus tetrici arrogantiam.
At ſi quis adſit æſtimator candidus,
Qui puriores promoventi litteras
Studeat benignus, & favore ſublevet,
Et (quando ab omni parte ſincerum nihil
Humana gignit mens) levibus erroribus
Ignoſcat, illi fabulam afferimus novam,
Aut potius [2] hiſtoriam vetuſtam interpolem:
Baptiſta quondam ut regia libidine,
Et invidorum ſubdolis calumniis
Oppreſſus, indignam innocens ſubiit necem.
Porro vocare fabulam veterem aut novam
Per me licebit cuique pro arbitrio ſuo.
Nam ſi vetuſta eſt ante multa ſecula
Res geſta, veteres inter hæc cenſebitur:
Sin quod recenti memoria viget,
Exiſtimemus, hæc erit prorſus nova.
Nam donec hominum genus erit, ſemper novæ
Fraudes, novæque ſuppetent calumniæ:
Livorque ſemper improbus premet probos.
Vis jura vincet, fucus innocentiam.

MALCHUS & GAMALIEL Rabini, CHORUS.

Miſera ſenectus, & ſupremi ſpiritus
Propinqua meta, fataque infelicia,
In

1 *Ac ignaviæ*] Libri quidam, *atque ignaviæ.* [Obſervat Torrentius ad Sueton. Auguſt. cap. XCVI. non temere reperiri apud veteres *ac*, ſequente vocali. quare male, mea ſententia Cl. Davieſius apud Ciceron. lib. 1. de Nat. Deor. cap. 1. edidit, *ac ab omni curatione:* cum Cicero ſemper & vel *atque* (ut mox, *atque in maxima*) ſoleat ante vocalem ponere. Sed Buchananus hoc millies & in carmine & in proſa neglexit.]

2 *Hiſtoriam vetuſtam interpolem*] i. e. *interpolatam, renovatam, ex veteri politam.* Plin. lib. XXIX. cap 1. *Mutatur ars quotidie toties interpolis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur.* Sic Plautus Moſtell. I. 3 117. *Interpoles mulieres* vocat, quæ vitia corporis fuco occulunt, ut cum vetulæ ſint, puellæ videantur.

In hoſne vitæ longioris terminum
Tribuiſtis uſus, ſerviente ut patria
Polluta templa cernerem nefarie,
Profana ſacra miſta? Vidi impervii
Arcana fani fracta, ſacrum poſtibus
Aurum revulſum: quicquid aut Gabinii
Cupido rapere potuit, aut Antonii
Haurire luxus, periit: ac ludibrio
Etiam Cleopatræ fuimus (infandum) gulæ.
Ac ne deeſſet parte ab ulla indignitas,
Rex, [1] Antipatri Semi-arabis pronepos,
Crudele ſceptrum ſævus Herodes gerit;
Judæa Idumæ ſervit, [2] Arabarchæ Sion,
Solyma profano, populus impio Dei.
Tot ſortis inter ſævientis vulnera,
In ſervitute quamlibet gravi tamen
Scintilla quædam dignitatis priſtinæ
Adhuc ſupererat; diſciplinæ & patriæ
Vel qualecunque ſpecimen, ipſis hoſtibus
Etiam verendum: cœperat victor ferox,
Et purpuratæ non minima pars curiæ,
Honore leges proſequi Judaicas.
Hac recreati ſpe caput vix tollere
Feſſi miſeriis cœperamus, quum nefas
Ortum repente eſt, unde nullius mali
Metus imminebat: ecce Baptiſtes novus,
Non e profanis editus parentibus,

In-

1 *Antipatri Semi-arabis pronepos*] Legendum videtur *nepos*. Vide quæ nos de metr. Buchan. cap III. §. II. 27.

2 *Arabarchæ*] Occurrit hæc vox apud Cic. lib. II. ad Attic Epiſt. 17. *Valim e Theophane expiſcere, quonam in me animo ſit Arabarches.* Et Juvenalem Sat. I. v. 130.

— —— *Inter quos auſus habere*
Neſcio quis titulos Ægyptius aut Arabarches.

De nominis autem rum origine rum ſignificatu, acriter diſputant in utrumque ſcriptorem commentatores & alii. Quidam enim *Arabarchen* vocatum exiſtimant Arabiæ præfectum, aut publicanum, qui vectigali quadrupedum ex Arabia in Ægyptum devectorum præerat. Adr. Turnebus Adverſ lib. XXVII cap. 25. *Arabarchen* magiſtratum contendit fuiſſe Alexandriæ, qui Judæis præerat Alexandrinis, ejuſque rei teſtem citat Joſeph. Bell. Jud. lib. XXII. cap. 5. At Cujacius Obſerv. lib VIII. cap. 37. *Alabarchen* ſcribendum putat, ita dictum ab ἄλαβα i. e. *atramento* quo ſcribimus, ſive *ſcriptura*: quaſi dicas *Magiſtrum ſcripturæ*: i. e præpoſitum vectigalibus, quorum ratio publicanorum ſcriptura conſtabat. Fullerio Miſc ſac. I v. 16. Ἀλαβάρχης eſt qui vice Principis fungitur, priore vocabuli parte e Syrorum idiomate petita. Cæterum Buchananus nihil aliud intelligere videtur quam Principem ex Arabia oriundum, quippe cujus avus Antipater (Idumæus ideo dictus) ex Idumæa erat, quæ regio Arabiæ Petrææ pars olim cenſebatur.

Interque cultus educatus exteros,
Sed gente noſter, genere Levites, Deo
Primis dicatus uſque ab incunabulis,
Pontificis ipſe natus, ipſe pontifex
Brevi futurus, ni cupitæ gloriæ
Fructus acerbos rapere mallet, quam ſuo
Maturam honoris legere meſſem in tempore.
Is ergo ruris devii ſolos colens
Solus receſſus, ſanctitatis tetricæ
Vulgus fefellit imperitum imagine.
Hirto capillo, terga opertus pellibus,
Victu ferino, & id genus [1] præſtigiis,
In ſe ora vertit omnium. Plebs credere
Vatem repente redditum mundo novum.
Et jam ſequacis ille vulgi exercitum
Traduxit ad ſe: jam relictis urbibus
Hunc populus unum ſuſpicit, proceres colunt,
Reges verentur. Ille ſtolidæ inſania
Plebis ſuperbus, alter ut Moſes, nova
Dat jura: lymphis expiare crimina,
Adulterare ritibus leges novis
Audet vetuſtas: [2] ut furore facilius
Vulgi fruatur, omnibus probris patres
Lacerat, ſecundis plebis uſus auribus.
Quod ſi furentis inſolenti audacia
Latronis hujus nemo ſe conatibus
Opponat, illa celebris orbi ſanctitas
Brevi peribit, imo perit, imo periit.
G. Profeſſionem nil temere noſtram decet
Statuere: mites lenitas decet patres:
Juvenum temeritati dari venia poteſt:
At nulla noſtram poterit excuſatio
Velare culpam. Paullulum da iræ locum,
Reſidat impetus, & dolor defervet.
M. Et tu, Gamaliel, hic ſacrilegus quæ facit,

Tua,

1 *Præſtigiis*] [Sequitur eorum ſententiam Buchananus, qui ſecundam producunt ſyllabam. vid. Pincier. Parerg. lib. III. cap. 23. & quæ ad Fabri Theſaurum ſunt adjecta.]

2 *Ut furore*] Ita major & melior codicum pars, Mamerti *ſcil.* Patiſſonii in officina Roberti Stephani, 1579. Jacobi Stoer, 1591. Genev. 1594. Pet. Sanctandreani, 1597. Commelini, 1609. Hen. Laurentii, 1618. Iſ. Elzevirii, 1621. And. Hart, 1615 & 1621. &c. *i. e.* ut ego quidem interpretor, *quo facilius furentis effrenisque vulgi animos ſibi concilret ac retineat:* eodem fere modo quo paullo ſuperius dixerat, *Ille ſtolidæ inſania plebis ſuperbus.* Apud Raphelengium tamen 1609, Elzev 1628 & 1676. Lond. 1686. & alios, legitur, *ut favore.*

Tua, ut videtur, approbas ſententia.
G. O Malche, Malche, nec probo aut damno prius
Quam quale quodque ſit ſciam: quod vatem ad hunc
Spectat, vir adeo (quantum ego audio) malus
Non eſt, nec odio ſic premendus publico.
M. O ſidera, o cœlum, o ſolum! Huic etiam viro
Non deeſt patronus, eſſe qui malum neget.
G. Qui vitia carpit, qui docet mores bonos,
Præitque primus, quam indicat aliis, viam,
Hunc eſſe mihi perſuadeas malum virum?
M. Qui jura ſpernit, qui docet ſectas novas,
Novoſque ritus, qui petit conviciis
Populi magiſtros, pontificibus detrahit,
Hunc eſſe mihi perſuadeas bonum virum?
G. Si in nos ſeveri & tetrici æque judices
Eſſemus, aliis quam ſumus ſæpe aſperi,
Minus paterent publicis conviciis
Flagitia noſtra. Blandiamur quamlibet
Nobis, beati prædicemur, cœlites
Vulgo putemur, integri, caſti, pii:
At nemo noſtrum maximis vitiis vacat.
M. Ut hæc, Gamaliel, vera ſint, num cuilibet
E plebe fas eſt præſuli maledicere?
Plebs audiat, plebs pareat, ſit ſobria,
Injecta frena non recuſet: qui præeſt,
Plebs ſi quid erret, eam reducat in viam;
Lex ipſe ſibi ſit: ſi quid autem erraverit,
Eſt qui ſceleſtum cernat & plectat Deus.
G. Et tibi videtur æqua lex hæc? *M.* Maxime.
G. Quînam? *M.* Quia propria eſt plebis ignorantia,
Error, temeritas, imperitia, cæcitas.
G. E plebe media ſæpe deprehenderis
Qui principum non ceſſerit prudentiæ.
M. Quin ergo cathedra cedimus opilionibus?
G. Opilio Moſes, opilio David fuit.
M. [1] Eos erudivit cuncta ſpiritus Dei.
G. Hunc poterit idem qui erudiit illos Deus.
M. Nobis relictis erudiet illum Deus?
G. Non ſceptra ſpectat, non parentum ſtemmata,
Decuſve formæ, aut regias opes Deus:

Pol-

1 *Eos*] [Contrahenda vox in unam ſyllabam, vel *Hos* legendum. vid. de Metris Buch. cap. III. §. 28.]

Polluta nullo corda ſed contagio
Crudelitatis, fraudis & libidinis:
Hoc ille templo ſpiritus capitur ſacer.
M. Equidem, Gamaliel, fatear ut verum, mihi
Videre pridem ſacrilegam hanc ſectam tua
Sententia probare. Non poſſum amplius
Celare tacitus, cum tuis majoribus
Indigna facias: qui tueri debeas
Auctoritatem maxime unus omnium
Noſtram, repugnas maxime; idque in gratiam
Juvenis furentis. Per Deum rogo, edoce,
Qua ſpe iſta tentas: aut quid hinc captas lucri?
Forte ille honores aut opes dabit tibi,
Qui dignitatem funditus noſtri ordinis
Evertit omnem, noſque ad inopiam vocat.
G. O Malche, vero procul aberras a ſcopo,
Noſtram tueri dignitatem ſi putes
Nos poſſe faſtu, viribus, ſuperbia.
Non hæc parentes ratio noſtros extulit.
M. Vetuſta veteres, noſtra nos magis decent:
Suique vivat quiſque more ſeculi.
G. Quin potius omnes bona bonos ſemper decent,
M. Si quid paterni ſpiritus nobis foret.
G. Et nos paternis viveremus moribus.
M. Pœnas luiſſet morte nebulo hic, non minis.
G. Aliena noſtro ab ordine eſt crudelitas.
M. Quicquid Deo præſtatur, id ſanctum & pium eſt.
G. Morti immerentes impia eſt pietas dare.
M. Hunc immerentem, cuncta qui evertit, vocas?
G. Si peccat ille, quin palam redarguis?
Quin lumen ingenii exſeris illic tui?
Rudem peritus, doctus indoctum, ſenex
Aggredere juvenem. Fors reduces in viam;
Et tibi apud omnes comparabis gloriam.
M. Curanda non eſt iſta plaga molliter,
Sed fune, ferro & igne: vel ſi quid ſcias
Quod fune, ferro & igne ſit crudelius.
G. Sit ille, qualem dicis, aut pejor etiam,
Si vis, dare unum te tamen decet tibi,
Ut ante moneas hominem amice & leniter:
Ne malle quiſquam præcipitare te putet
Dubium ſalutis, dexteram quam tendere
Jam peſſum eunti: plurimum intereſt tuam
Ad famam, ut omnes invidi etiam intelligant

Digitized by Google

Servare te omnes velle, perdere neminem,
Niſi obſtinata mente qui præceps ruat.
Unum oro ſaltem, te priuſquam longius
Abducat ira, cogita quid aſſequi
Hac obſtinata pertinacia queas.
M. Nempe illud, hoſtem ut opprimam, ſoler bonos,
Dubioſque firmem, & impudentes terream,
Legeſque patrias hoc cruore ſanciam.
G. Quin potius illud aſſequere, ut omnibus
Graſſatus eſſe viribus tyrannidis
Credare, ſanctum donec opprimeres virum,
Ratione quem non potueris convincere.
M. Sit ſanctus ille, ſit gravis quantum libet,
Divinus illum ſpiritus non dirigit,
Quando inſtituta priſca patrum negligit.
Et quando apud vos nil reperio [1] præſidii,
Contra ruinam regium auxilium petam.
C. Recte Gamaliel admonet, me judice:
Et tu monenti obtempera. Sed conſilii
Recti hoſtis ira mentis aciem obnubilat:
Auremque monitis obſtruit ſalubribus.
G. Ille abiit ira incenſus, & faſtu tumens.
Ego, quod licebat, ſedulo pro viribus
Monui furentem, ſpiritus nixus feros
Lenire verbis mollibus, fidum dedi
Conſilium: at ille tantum abeſt, ut gratiam
Ingratus habeat, etiam ut oderit bene
De ſe merentem. Vulgo ita modo vivitur,
Noſtrique cœtus vitium id eſt vel maximum,
Qui ſanctitatis plebem imagine fallimus:
Præcepta tuto liceat ut ſpernere Dei;
Contra inſtituta noſtra ſi quid audeas,
Conamur auro evertere adverſarios,
Tollere veneno, ſubditiſque teſtibus
Opprimere: falſis regias rumoribus
Implemus aures: quicquid animum offenderit,
Rumore falſo ulciſcimur, & incendimus
Animum furore turbidum, & calumniis
Armamus iræ ſævientis impetum.
Nullius ille nunc memor modeſtiæ
Graditur ad aulam: comminiſcetur novas
Sectas oriri, ſacra patrum deſeri,
Auctoritatem regiam ludibrio
Patere,

1 *Præſidii*] [Legendum *præſidî*.]

Patere, demum quicquid illi commodum eſt,
Honeſta ſceleri nomina obtendens ſuo.
His ſi moveri ſenſerit regem parum,
Inveniet aliud ſævius telum: in caput
Jurata regis clamitabit agmina,
Secreta fieri colloquia: nefarium
Facinus parari: conſilia clam concoqui:
Cœtus coire nocte: privatas opes
Per factiones impias augeſcere.
Hæc ille finget, aut atrociora, ut eſt
Animi impotentis, barbaræque jugiter
Crudelitatis auctor. Hæc in regias
Stillabit aures toxica ingenii ſui.
Hoc adeo cunctis pene ſemper regibus
Commune vitium, facile delatoribus
Præbere ſeſe: quo quid eſt crudelius
Fictum, facilius creditur: vanos metus
Fingunt ſibi ipſi; mobilis famæ levem
Sequuntur auram: qui fideliter monet,
Timidus habetur, languidus, torpens, hebes.
Virtutis olim vertimus jam nomina,
Virtute nulla ſplendidi: ſed ſplendidis
Titulis ſuperbi fallimus vulgus rude.
Quod ad prophetam ſpectat hunc, modeſtius
Se noſter utinam gereret ordo, & cautius.
Si miſſus huc eſt ille conſilio Dei,
Humana poterit nulla vis obſiſtere:
Sin fraude tectum comminiſcitur nefas,
Seſe ipſe gladio ſubito confodiet ſuo.
Interpretetur quiſque pro ingenio ut lubet,
Si quis ſequatur hîc meam ſententiam,
Cruore puras ſervet innocuo manus,
Nec temere ſancti prodigus ſit ſanguinis:
Ne quæ ſtatuimus in alios crudeliter
Exempla, recidant poſtea in noſtrum caput.
Immanitatis non ſat Herodes habet,
Ni facibus iræ ſubditis, accreverit
Animi furentis impotens crudelitas?

CHORUS.

Quanta mortales latebris opacis
Nox tegit mentes! quibus in tenebris
Degimus, lapſu celeri, fugacis
Tempora vitæ!
Occulit falſus pudor impudentem,

Im-

Impium celat pietatis umbra,
Turbidi vultu ſimulant quieta,
Vera doloſi.
Qui fuit triſti gravitate vultus,
Unicum vitæ ſpecimen modeſtæ,
Æſtuat præceps furiis, & atrox
Fervet in iras.
Qualis Ætnæis vapor e caminis
Saxa convolvit celeri rotatu,
Qualis arentem coquit in favillam
Flamma [1] Veſevum:
Talis hunc cæcus furor ultionis
Cogit in vatem ruere innocentem,
Ut truci nudam male veritatem
Crimine vexet.
Tu mali tanti genitrix, cupido
Gloriæ, vano tumefacta faſtu;
Lauſque fucati ſpecie ſuperne
Splendida honeſti:
Mentis ut regnum ſemel occupaſti,
Faſcinas blandis animos venenis,
Et relegata ratione turbas
Pectoris aulam.
Te fugit verum, pietas, pudorque,
Te fides, & quæ melioris ævi
Hoſpes, infames vitiis reliquit
Ultima terras.
Si quis, o, frontis nebulis remotis,
Artifex nudas daret intueri
Pectoris curas, penitus revelans
Abditæ cæcum penetrale mentis,
Cerneres miris variata formis
Monſtra non magno ſtabulare in antro,
Plura quam terris ferat in remotis
Nilus & Ganges, Libyeque ſævis
Fœta portentis, latebriſque nigris
Caucaſus horrens.
Non [2] ibi tigris rabies cruentæ
Deeſſet, aut fulvæ feritas leænæ,
Non ſitim nulla ſaturata ſtrage
Dira ſævorum ingluvies luporum,
Nec venenata baſiliſcus aura
Peſtifer, longumque ferens ſoporem
Aſpis, & caudæ metuendus uncæ
Scorpius telo, lacrymiſque fictis
Perſonans feram crocodilus algam,
Nec doli vulpis, Phariæque fallax
Ludus hyænæ.
Ficta crudeles pietas tyrannos,
Impios mores ſtola fimbriata
Celat: in panno tenui recondit
Nuda ſe virtus, tugurî ſub umbra
Ruſti-

1 *Flamma Veſevum*] Editiones Mamerii Patiſſonii, Pariſ. 1579. Jac. Stoer. 1591. Fran. le Preux, Genevæ, 1594. Petri Sanctandreani, 1597. Hier. Commelini, 1609. And. Hart, Edin. 1615. habent, nullo quidem ſenſu, *Flammæ ſævum.*

2 *Non ibi*] And. Hart. 1615. *Non tibi.*

Ruſtici, nec [1] ſe titulis ſuperbis
Vendit; inſanoſque fori tumultus
Ridet, & plauſus popularis auræ;
Nec cliens magni foribus patroni
Aſſidet: vitæ tacitos beatæ
Rure ſecreto ſibi nota tantum
Exigit annos.

REGINA, HERODES.

TU lentus uſque auctoritatem regiam
Labare nondum ſentis? in tuum caput
Nondum parari cæcus inſidias vides?
Nam concitator iſte vulgi, ſi alterum
Superſit annum, vincla, [2] carcerem, cruces
Fruſtra mineris: jam ſuas circumſpicit
Vires ſuperbus: proſequentum jam grege
Obſcurat aulæ regiæ ſatellites.
H. A turba inermi quod times periculum?
R. Secreta ſi conventicula fieri ſinas,
A genere nullo non timendum exiſtimes.
H. At hic ruentem ſponte populum ad ſe docet.
R. Magis timenda eſt fuſa late factio.
H. Crimen refellit iſtud hominis ſanctitas.
R. Hoc tecta velo ſæpe flagitia latent.
H. A purpuratis vis timenda eſt ſatrapis.
R. Et a ſeveris fraus timenda hypocritis.
H. Inops, inermis, unda cui ſedat ſitim,
Dat ſilva victum, terra gramineum torum,
Quem cogitare poterit is ſceptris dolum?
R. Vides amiculum, & cibum & potum vides:
At quod recluſum pectore gerit, non vides.
H. Conditio regum miſera, ſi miſeros timet.
R. Si nil timendo præda ſit, miſerrima.
H. Quid ergo tutum jam ſupererit regibus?
R. Omnia, quieti ſi quod obſtat auferant.
H. Nempe hoc tyrannus intereſt regi bono:
Hic ſervat hoſtes, hoſtis ille civium eſt.
R. Utrumque durum eſt, & perire, & perdere:
Sed ſi eligendum eſt, præſtat hoſtem perdere.
H. Cum non neceſſe eſt alterum, utrumque miſerum eſt.
R. Tanto in tumultu nihil agendum eſt aſpere,
Quum concitatur mobilis vulgi furor;

Leges,

1 *Nec ſe titulis ſuperbis Vendit*] *Vendit* pro *venditat*, ſeu *gloriatur*.

2 *Carcerem*] And. Hart. 1621. *carceres*.

Leges, religio, auctoritaſque principis
Contemta plebi eſt infimæ ludibrio?
Cave, lenitatis falſa ſpecies avocet
Tibi mentem ab æquo: quæ videtur lenitas.
Propius tuenti ſumma erit crudelitas.
Dum parcis uni factioſo & perdito,
Is perditum omnes, in caput quos hic tuum
Armare ſatagit. Finge fieri, quod fore
Tandem neceſſe eſt, concitari mobile
Ad arma vulgus, cuncta paſſim lugubri
Ardere bello, vaſta linqui prædia,
Urbes cremari, virgines per vim rapi,
Manuſque dubia conſeri victoria:
Quum frena legum ruperit licentia,
Damnabis iſtam ſero tum clementiam.
Atque ecce coram peſtis & mali caput.
Hic cenſor ille eſt. Hunc roga, plura audies
(Ni fallor) ab eo, fama quam vulgaverit.
Nec miror eſſe ſceptra qui ſpernant tua;
Quando ipſe pravos lenitate provocas.
H. Quum multa poſſis, facere viribus modum,
Regum bonorum eſt. *R.* Itane? jam ſceptris modum
Hic faciet? hujus regnum habendum arbitrio eſt?
Si regis eſſet animus in te. . . *H.* Quin abis:
Mihi hæc relinque. *R.* Quin abeo, ne denuo
[1] In os, ut ante, contumelias feram.
Regina inulta quando cedit infimis,
Quæ ſpes fovebit æquitatis cæteros?

HERODES, JOANNES, CHORUS.

Jamne abiit? abiit. Hoc agamus interim.
Non eſt quod id te moveat, aut novum putes,
Si læſa mulier nobilis, dives, potens,
Regina denique, gravius æquo iraſcitur.
Vel ipſe teſtis eſſe poteris optimus,
Quantum ſaluti faverim ſemper tuæ.
Namque univerſæ plebis odium te petit,
Et ad luendas flagitat pœnas reum:

Do-

1 *In os, ut ante &c.*] [Dixit quidem Terent. Adelph. II. 4. *coram in os laudare*; ſed an liceat dicere, *ferre in os contumelias*, dubito, cum diverſum hæc locutio, nec ſatis honeſtum, poſſet capere ſenſum, quo *os* alicujus *illudere* veteres dixere. rectius mox dixiſſet, *exprobrare impudicas nuptias in os*.]

Dolentque proceres, & ſacerdotes fremunt.
Atque adeo quid ſit, quod querelam publicam
Incendat, edam breviter. Omnes ordines
Laceras maledicis concionibus palam:
Vulguſque veterum decipis legum rude,
Lethale ſpargens dogmatis virus novi:
Et turbulentis vocibus regni ſtatum
Tranquillitatemque labefactas publicam:
Parere prohibes milites duci ſuo,
Parere populum Cæſari, vulgo nova
Dum regna ſpondes: liberos jugo extero
Fore polliceris, ſpeque vana concitas:
Gentem rebellem nec finis quieſcere.
Et calamitatum ceu tuliſſemus parum,
Romana demens arma rurſus provocas.
Nec dubito quid ſis auſus abſens, quum palam
Mihi impudicas exprobraris nuptias:
Et odia populi nixus in me accendere,
Fratremque mecum prælio committere
Tentaris, in te quod erat. Ac velut parum
Scelerum patraſſes, auſus omnia in omnium
Pariter ſalutem, bella jam cœlo paras:
Et ſacra, quibus hoc hactenus regnum ſtetit,
Abolere tentas. Hæc populus omnis fremit:
Lentumque legum me queruntur vindicem
Patriarum; at in te durius nihil tamen
A me profectum eſt: & modo, quicquid favor
Judicis amici & benevoli poterit dare,
Tribuetur a me liberaliter tibi.
Neque enim tyrannum genuit avidum ſanguinis
Veſtri pater me Aſſyrius aut Ægyptius:
Et patria, & altrix, & parens eadem mihi
Vobiſque terra eſt: infima quoties perit
De plebe quiſquam, corporis membrum mei
Toties revelli exiſtimo; meus cruor
Mitti videtur: facilem & æquum judicem
Herodem habebis. Si refellere cætera
Objecta poteris, quicquid in me dixeris
Olim meoſque, gratiam facio tibi.
Tu, teſte populo, intelliges injuriam
Negligere propriam, perſequi me publicam.
Utinam ipſe reliqua diluas ſic crimina,
Severitatis ut mihi nullam tua
Occaſionem linquat innocentia.
C. Hac perge carus eſſe: vives poſteris

Clarus.

Clarus. Nec auro, nec catervis militum
Tam crede regna tuta, quam quæ caritas,
Et æquitate parta defendit fides.
J. Tenenda populi frena cui credit Deus,
Audire oportet multa: cuncta credere
Neceſſe non eſt: quæſtus, invidia, favor,
Timor, dolorque ſæpe vera ſupprimunt.
E plebe ſi quis aut patrum inclementius
Me credit in ſe prolocutum quippiam,
Vitam neceſſe eſt arguat prius ſuam,
Orationem quam meam culpet. Mea
Hæc ratio ſemper fuit, [1] uti reprehenderem
Delicta publica publice: occulte nihil
Facio, doceove. Non latebras aucupor
Cæcas; nec homines, ſed vitia redarguo.
Cum me rogarent milites, quonam modo
Servire poſſent pariter & regi & Deo:
Pulſare vetui, rapere, vim facere, dolo
Circumvenire improvidos, componere
Cupidinem juſſi ad modum ſtipendii.
Nec ſpem novarum prædico rerum, niſi
Quam vos prophetis ex vetuſtis creditis
Mecum: nec unus interim e tot millibus,
Auctore me qui principem contemſerit,
Profertur. Iſta ſive fama rettulit,
Seu finxit ira cæca, dum præceps furit
Studio nocendi, nuda facile veritas
Per ſe refellet. Sacra quam pie colam
Et inſtituta vetera, nullum certius
Indicium opinor, quam meorum criminum
Præclarus index quod palam non prodeat;
Clam murmuret, ubi facile fit fictis locus.
Quod te negavi poſſe fratris conjugem
Habere jure, id ipſe tecum cogita,
Utrum placere tibi ſit æquius, an Deo.
Atque utinam is animus omnibus itidem foret,
Quicunque regum ſeſe amicitiæ dicant,
Ut vera malint proloqui ac ſalubria,
Quam blanda damno mox futura: quot malis
Præcluſus aditus eſſet & moleſtiis!
Ego ſi quid olim liberius ac verius

1 *Uti reprehenderem*] [Non recte corripitur hic ultima in *uti*. vid. de metris Buch. cap. 111. §. 16.]

Dixi, tu, ut æquum eſt æquitatis vindicem,
Æqui bonique bonus & æquus conſule:
Tuæque fines hos ſtatue potentiæ,
Menſura legum quos tibi præſcripſerit.
Quod jus in alios hîc habes, in te Deus
Alioſque reges omnium Rex obtinet.
Proinde quicquid de capite ſtatues meo,
Statuere id ipſum crede de tuo Deum.
H. Quum in aſtra venies, loquere tum cœleſtia:
Terrena jura patere, dum terram coles.
J. Terrena vereor regna, pareo regibus:
Æterna patriam regna puto, regem colo.
H. Res ipſa clamat, regibus quam pareas;
Parere regem qui tuis vis legibus.
J. Si ferre leges mihi liceat, edicerem
Parere populos regibus, reges Deo.
H. Sat litigatum eſt: rurſus hunc abducite.
Perplexa res eſt: donec cuncta certius
Comperta pateant, ſtat nihil decernere.
C. Qui de tyranni oratione ſe autumat
Perſpicere mentis poſſe ſenſus abditos,
Næ turbido ſe credere ſpeculo ſciat.
Utinam ſecundet cuncta cœleſtis parens!
Sed ominari metuit animus quæ timet.
H. Fortuna regum quam miſera ſit & anxia,
Nec fando poterit explicare oratio,
Nec cogitando mentis acies aſſequi.
Nos eſſe vulgus liberos ſolos putat,
Solos beatos, quos egeſtas obſidet,
Formido cruciat, miſera ſervitus premit.
Quodcunque populus diligit, cupit, timet,
Audet fateri libere; procul metu
Fruitur modeſtis opibus: at nobis foris
Perſona honeſta eſt induenda: cogimur
Vultu benigno humaniter promittere;
Palam profari juſta; ficto pectore
Differre bilem; ſupprimere odia in ſuum
Tempus; minari maxime, cum maximæ
Cauſſæ timoris anxium pectus premunt.
Spernit modeſtum principem plebs, aſperum
Odere. Vulgo ſerviendum eſt mobili,
Et imperandum: nil meo arbitrio gero.
Hunc ſi prophetam perdo, populum offendero:
Si ſervo, regno conſulo parum meo.

Quid

Quid ergo agendum eſt? Idne dubium eſt? imperî
Habenda ratio eſt: ipſe mihi ſum proximus.
Si ob ſceptra populo ſerviendum eſt, ſtultius
Quid eſſe poterit, regna quam peſſundare,
Placere vulgo dum ſtudes? plebs gaudia
Iraſque temere ſumit, & temere abjicit.
Nunc ſtat cruore auctoritatem regiam
Stabilire: vulgus facile poſt placabitur.
Si ſerpere malum latius præſens ſino,
Remedia vincet: auſus eſt videlicet
Mihi impudicas exprobrare nuptias
In os: id illi impune ſi permiſero,
Non ſtabit illic hominis impudentia.
Jam ſceptra leges ad ſuas flecti volet:
Jam vincla captis induet: jam non regi,
Sed regere cupiet, jura regibus dabit,
Confundet imis ſumma: gliſcenti malo
Statim medendum eſt: antequam creſcat, recens
Flamma opprimenda eſt: contumelias novas,
Veterem ferendo, provocas, injuriam.
Populo ſecundo ſi expetere pœnas queam,
Populi faventis gratiam non negligam:
Si nequeo, regno cuncta ſtat poſtponere.
Quid Malchus iſte garriat de legibus,
Quas curioſas quæſtiones litibus
Inexplicatis jactet, id nihil mea
Referre credo, modo populus unam hanc ſciat
Legem tenendam, præter ut leges, mihi
Licere quidvis, eſſe legitimum putet.

CHORUS.

O Spatioſi conditor orbis,
[1] Cujus trepidant omnia nutum,
Cœlum nitidis ignibus aptum,
Tellus vario florida cultu,
Tumidum refluis æſtibus æquor:
Nonne ad noſtras pertulit aures
Fama prioris conſcia ſecli,
Ævi ſplendida facta prioris?
Cum tu, validæ robore dextræ,
Auro atque opibus regna ſuperba
Ipſa exſtinxti a ſtirpe revellens;
Illorum ut nos agro insereres,
A-

1 *Cujus trepidant omnia nutum*] Wetſt. *nutu*; at elegantior magiſque Poëtica recepta lectio. Juv. Sat. 10.
Nec motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram.

Agro, haud enſe, aut jaculis noſtris,
Aut conſilio viqᵘe parato.
Sed nos cœli favor omnipotens
Per fera tutos agmina duxit.
Non tu Rex ille Iſacidarum?
Non tu gentis Deus Hebrææ?
Cujus ductu perfida caſtra
Proculcavimus, hoſte peremto:
Non confiſi robore noſtro,
Sed duce, & auſpice te, præclaras
Sæpe retulimus patriæ palmas.
Nunquid penitus deſeris, olim, Genitor, populum tibi dilectum?
Nunquid fabula linquimur hoſti?
Spreta eſt pietas: religio jacet:
Fraus purpurea regnat in aula:
Populus, tanquam victima, ſanctus
Dat pia ſævæ colla ſecuri:
Vates pereunt enſe tyranni:
Noſtris gaudent luctibus hoſtes:
Et pietatis ſub prætextu,
Meriti pœnas regna gubernant:
Meritos regnum pœna coërcet.
Exſurge, tuo populo fer opem:
Exſurge parens optime, & hoſti
Da te talem cernere, qualem
Te viderunt æquore patres
Rubro Pharios mergere currus:
Qualem vatis fatidici olim
Te puer oculis vidit apertis,
Dantem igniferis frena quadrigis,
Totis flammas ſpargere campis.
Te, caligine pulla erroris
Humanæ qui lumina mentis
Obruta cæca nube recondit,
Et quæ primo ſole tepeſcit
Tellus, & quæ mergere ponto
Cernit rutilæ lumina flammæ,
Unum agnoſcat cuncta potentem.

MALCHUS, JOANNES.

Sic ſe profecto res habent mortalium,
Ut optionem ſi tibi obtulerit Deus,
Incertus erres quid recuſes, quid velis.
Opes, honores, rem tibi & tuis cupis?
Quæ perdiderunt ſæpe voti compotes.
Hoſti imprecaris vincla, carcerem, fugam?
Quæ ſæpe pariunt maximam illi gloriam,
Tibique damnum: quod adeo verum meo
Didici periclo, exempla ne longe petam.
Nam cum remotis montium degens jugis,
Baptiſta vulgus faſcinaret hic novus,
Plebiſque ſecum credulæ traheret gregem,
Ego Phariſææ dignitatis vindicem
Me præſtiti unum, cæteris cunctantibus:
Nec experiri cuncta deſii prius
Quam dura ſontes vincla præſterunt manus,
Hoſtemque carcer publicus compeſcuit:

Au-

Aulamque totam criminum implevi. At nihil,
Ut video, proſunt vincla, carcer, crimina:
Sic plebis animos occupavit impiæ
Vis dira peſtis, omniumque pectora
Lethale virus perbibere, ut illius
Clades honorent, ingemant periculis.
Quacunque pergo, me exſecrantur, indicant
Me digito, iniquo me intuentur lumine:
Illi favetur ſacrilego, qui ſuſtulit
Rerum univerſa & ordinum diſcrimina;
Et excubatur ante clauſum carcerem.
Nihil miſerius eſſe nobis arbitror,
Qui nos omiſſis rebus aliis commodo
Populi dicamus: quiſquis illi mancipat
Se, collocatam gratiam ſciat male:
Ut qui maligno ſemper ingenio ſolet
Favere pravis, optimates ſpernere.
Quo conferam me? quid querar primum? quibus
Potiſſimum iraſcar? cui opem primum feram?
Pſeudoprophetam populus impius colit:
Muſſant Rabini, connivet Rex, negligunt
Proceres: ruentes ſolus his humeris ego,
His fulcio humeris patrios ritus, manum
Nullo admovente: publicam ſolus vicem
Doleo: quid igitur? deſeram munus? ſacra
Legeſque prodam, dignitatemque ordinis?
Meque eſſe patiar hoſtibus ludibrio?
Patiar profecto. Nam quid aliud jam queam?
Feramne ſolus, ferre quod cuncti abnuunt?
Et me ruinæ publicæ objiciam? Deus
Sua tueatur: quando jam ſic vivitur,
Ut quiſque caveat ſibi, ego mihi ſum proximus.
Si male gero rempublicam, in meum caput
Ruina verget: qui favent nunc maxime
Stanti, jacentem calcibus primi petent.
Si bene geram rem, gratiam male collocem,
Nihil parabo præter invidiam mihi.
Nunc Gamalielis ſero conſilium placet,
Niſi forte ſero nemo reſipiſcere poteſt.
Malo ego requirant hic meam conſtantiam,
Quam re peracta temeritatem puniant.
Quod cuique viſum eſt ſentiant: moleſtiis
Ego me explicabo, & gratiam reſarciam
Hoc cum propheta: nec animi ſimplex homo

Renuet opinor. Duriorem ſi mihi
Se oſtendet, omnes admovebo machinas,
Ne populus illum credat artibus meis
Periiſſe: populum ſi reconciliavero,
Non undequaque ceſſerit res peſſime.
Atque ipſe, opinor, ipſe nimirum eſt, vide
Qui cœtus illum ſacrilegum ſequitur comes.
In urbe media nos inanes interim
Inter cathedras deſidemus: at libet
Audire primum quid magiſter hic ferat.
J. O magne rerum rector, auctor, arbiter:
Te quicquid aër continet laxo ſinu,
Quæcunque tellus educat, quicquid ſuis
Fretum ſub undis nutrit, agnoſcit Deum,
Sentit parentem, legibus ſemel datis
Obſequitur ultro tramite immutabili:
Juſſu tuo ver pingit arva floribus,
Fruges dat æſtas, fundit autumnus merum,
Hiems pruinis veſtit albicantibus
Montes, in æquor curva volvunt flumina
Moles aquarum, mare reciprocat vices,
Noctem Diana, Phœbus incendit diem,
Et inquieta luſtrat orbem lampade.
Nil denique uſquam eſt ſive cœlo, ſeu ſolo,
Quod non libenter pateat Regi ſuo,
Amet parentem, & officiis quibus poteſt
In conditorem ſtudia declaret ſua.
At ſolus homo, quem cæteris longe magis
Gaudere decuit, & obſequi juſſis Dei,
Contemtor unus inter omnes maxime eſt:
Præcepta ſpernit, frena legum rejicit:
In omne præceps facinus it: libidine
Metitur æquum: ponderat jus viribus.
M. Principia recte ſeſe habent tibi hactenus.
J. Nec tam per orbem devias miror vago
Errore gentes, quam populum, qui ſe Dei
Hæreditatem jactat, & conviciis
Inceſſit alios, impioſque clamitat:
Quum nulla, qua ſol cunque terras adſpicit,
Gens orbe toto vivat effrenatius.
M. Sane locutus cuncta vere es hactenus.
J. Nec iſta vulgi culpa tantum eſt mobilis:
[1] Levita longe veſte fulgens candida,
Le-

1. *Levita longe veſte fulgens candida Legiſque ſcriba turgidus ſcientia*] Non facile conſtat

Legiſque ſcriba turgidus ſcientia,
Et vos verendi ætate matura ſenes,
Obliquus error devio flexu abſtrahit:
Viduæ orphanique cauſſa veſtra ad pulpita
Succumbit; opprimitque dives pauperem:
Iniqua juxta & æqua ſunt venalia.
M. Dirrumpor ira: tacitus hæc ut audiam?
J. At vos Rabini, ſanctitate cæteros
Præſtare qui ſimulatis & ſcientia,
Et vos ſacerdotum ſacrata dignitas,
Princepſque ſacri pontifex collegii,
Decimatis omne terra quod profert olus.
Non vos anethum, mentha, ruta, & allium,
Urtica non vos aut viride fœnum fugit:
At ſi legendum, ſi docendum ſcilicet
Reſponſa vatum, & ſanctioris orbita
Monſtranda vitæ, veſtra demum auctoritas
Eſt muta, muti non latratis hîc canes,
Circumfrementes veſtra non ovilia
Lupos abigitis: quid lupos dixi? lupi
Vos eſtis ipſi, vos gregem deglubitis.
Vos lana veſtit, lac ſitim ſedat, famem
Caro: gregem non paſcitis, vos paſcitis.
M. Faceſſat hinc in maximam malam crucem
Concordia: egone patiar amplius meo
Sic inſolenter contumeliam ordini
Fieri? Deus me ſi ex olympo mitteret
Hac lege, ut hæc ſint audienda, deſeram
Mandata potius, iſta quam dici audiam.
Durare nequeo ulterius: heus tu vir bone,
Turbæ magiſter unice: hæc nempe eſt tua
Doctrina? populum incallidum ſic inſtruis?
J. Si probus es, ad te haud attinent quæ dicimus.
M. Ad te ſacerdotem attinet traducere?
J. Bene puto dici, cum malis dictum eſt male.
M. Parere juvenem convenit majoribus.
J. Parere cunctos convenit magis Deo.
M. Te juſſit igitur iſta proloqui Deus?
J. Jubet proferri vera cunctos veritas.
M. Tacuiſſe vera ſæpe multis profuit.
J. Cum ſcelere juncta nil moramur commoda.

M.

ſtat horum verſuum conſtructio, niſi antecedentia Baptiſtæ verba huc revoces, *Præcepta ſpernit, &c.* aut ſimile quid ad ſenſum perficiendum tibi ſuppleas.

M. Scelus videtur, ni ſcelus dicas, tibi.
J. Scelus videtur tot perire millia
Spectare, poſſim cum reducere in viam.
M. Reducere? gregis nonne paſtores ſumus?
J. Si res quidem eadem eſt paſcere & deglubere.
M. Rerum tuarum ſatage, noſtra deſere.
J. Vicina cum res agitur, agitur & mea.
M. Quis tandem es, oro, auctoritate hac præditus?
Tune ille Chriſtus patribus promiſſus es?
J. Non ſum. *M.* Propheta es ille? *J.* Non ſum. *M.* Es Helias?
J. Nec Helias ſum. *M.* Si nihil es horum, neque
Spes noſtra Chriſtus, nec Propheta, nec Helias,
Quinam auctor audes eſſe baptiſmi novi?
Quem te eſſe tandem perferemus? indica.
J. Vox ſum in remotis montium clamans jugis,
Viam parate, facite rectas ſemitas
[1] Veniente Domino: cujus adventu cavæ
In plana valles explicabunt ſe, ſolo
Saxoſa montes culmina æquabunt: ego
In nomen ejus abluo populos aquis,
Cui detrahendis ſervus etiam ſocculis
Indignus eſſem; nemo quem agnoſcit, licet
Verſetur inter vos, & uſque obambulet.
M. Quos iſte laqueos nectit, atque ambagibus
Eludit! iſtam quam tibi ſic vindicas
Auctoritatem quo probas miraculo?
J. Poſſem ego viciſſim te rogare etiam, tuam
[2] Auctoritatem quo probes miraculo?
M. Ut contumax eſt! quamlibet celes, tamen
Quid in furorem te rapiat, omnes ſciunt.
Noſtra profecto creſcere invidia cupis,
Rem comparare gloriamque incommodo
Noſtro, artibuſque vis potens fieri malis.
Nec decipis nos: ipſe tete decipis.
Nec primus iſta es fallere aggreſſus via:
Poſtremus utinam debitas pœnas luas:
Aut potius animum in melius admonitu meo
Mutes: &, auctor ut fuiſti errantibus,
Mutatus auctor ſis revertendi in viam.
Vidi ſeveram veſte ſanctimoniam
Præ ſe ferentes, ut facile facerent fidem

1 *Veniente Domino*] Wetſt. *Venienti*: at metrum non recipit.

2 *Auctoritatem quo probes*] Editt. Edimb. 1578. Elzev. 1628. Wetſt. 1687. Londin. 1686, *quo probas*.

Animi modeſti & ſimplicis: poſt artibus
Ubi his honores comparaſſent & opes,
Nudare ſenſim ingenia: probitatem prius
Bene ſimulatam propalam contemnere,
Et frena veris moribus permittere.
Quod ſi hac honorum tendis ad faſtigia,
Rerum imperitum fallit ignorantia:
Non iſto ad altam tramite itur gloriam.
Ni me ſefellit peſſime non peſſimus
Magiſter uſus, & ſenecta uſus parens,
Famæ reique conſules melius tuæ,
Si tuta potius appetas quam ſplendida.
J. Si vera dico, recta facio, cur mihi
Quiſquam imperare debeat ſilentium?
Sin falſa, doctus imperito id indica.
M. Horum pigebit, morte quum pœnas lues.
J. Iſthæc minare fata formidantibus.
M. Si vivo longum, faxo non lætabere
Hac contumacia. Scies quid ſit ſenes
Negligere, ſcribas jurgiis proſcindere,
Dictis Rabinos provocare procacibus:
Et quando amicos nos habere negligis,
Quid poſſit odium forte cognoſces ſenum.

CHORUS.

Ad furta qui ſe comparat,
Nocturna vitat lumina:
Odit facem ſicarius,
Sui furoris conſciam:
Puer recuſat pharmaca,
Condita amaro abſynthio:
Abhorret a ſalubribus
Vulnus reſectum emplaſmatis.
Occulta cui mentis mala
Secreta rodunt pectora,
Huic eſt moleſta veritas,
Quæ cor revelat turbidum.
At vos ſeveri hypocritæ,
Quos fronte duros tetrica
Lucrum juvat nefarium; ex
Errore vulgi creduli,
Quantumlibet recondita
Celaveritis crimina,
Quamvis tegatur ſordida
Sentina mentis impiæ;
Vos veſtra conſcientia
Secreta rodens arguit:
Vos clauſus intra viſcera
Occultus exeſt carnifex,
[1] Duro flagellans verbere.
O ter beatum & amplius,

Qui

1 *Duro flagellans verbere*] Forte *Surdo* legendum: quemadmodum Juvenal Sat. 13. v. 192. quem hic imitatus videtur noſter:

—— *Cur tamen hos tu*
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Qui purus animi ad judices
Non ſit reus domeſticos;
Clauſo nec in præcordiis
Tortore ſemper vapulat.

MALCHUS, CHORUS, REGINA.

IN rege nulla certa ſpes eſt: publicam
Suamque cauſſam prodidit pravo ambitu,
Populo placere dum ſtudet, dum gratiæ
Venatur auram, lenitatis imagine
Me plebis iræ nixus eſt ſupponere:
Suaſque voluit vindicare injurias
Meo periclo. Nempe Baptiſtæ necem
Ut ſi videret ægrius ferre populum,
Populo paratus capite confeſtim meo
Litare: populus ſi tuliſſet leviter
Novæ interemtum factionis principem,
Quod ſe ultus eſſet maxima cum gloria,
Credi volebat: callide: ſic exhibent
Alterna reges civium de ſanguine
Spectacula ſibi, & cæde ludunt mutua.
Quodcunque vulgus approbat, ſibi vindicant:
A ſe patratum prædicant: laudi ſuæ
Noſtri laboris arrogant induſtriam.
Popularis aura ſi favoris flexerit
Secus ac putabant & petebant, transferunt
Culpam in miniſtros: & cruore innoxio
Animaque vili crimen avertunt ſuum.
Supereſt doloris ſola noſtri particeps
Regina, tigris orba ceu catulis furens,
Baptiſta thalami quod prioris fœdera
Polluta coram rege non probaverit,
Palamque vetitos lege damnarit toros
Cum uxore fratris. Flamma dum recens calet
Iræ æſtuantis, turbidæ menti faces
Supponam, alamque commodis ſermonibus.
Atque ecce ſeſe in tempore offert commode.
C. Nunc flamma flammæ, toxicum nunc toxico
Accedit: inſtat ultimum periculum.
M. Regina ſalve, ſplendidum gentis decus,
Et ſola regni digna tanti culmine.
R. Et tu Rabine Malche: ſed quid triſtis es?
M. Idem quod animum, ut arbitror, pungit tuum.
R. Fortaſſe: ſed tu quid ſit, ede apertius.
M. Ecquid animo æquo fers dignitatem tuam
Sperni?

Sperni ? per orbem ſacroſanctam regii
Auctoritatem nominis vileſcere ?
Et ſceptra vulgi ſubjici ludibrio ?
R. Quid ergo faciam ? quod remedium ſit, doce.
M. Iras & animis, & tuis natalibus,
Thalamiſque dignas corde tandem concipe.
R. Jamdudum id actum eſt : rumpor ira, lacrymo,
Objurgo, clamo : [1] ſed nec ira & lacrymis
Promoveo quicquam : verba venti diſſipant.
M. Si auctoritate, qua decet, apud conjugem
Eſſes, inultas ſic tuas injurias
Tuliſſet, aut, ut verius dicam, ſuas ?
R. [2] Studia ipſe populi, Malche, cernis. Forſitan
Hac rex putavit poſſe pœna ſpiritus
Acres retundi, & mitigari audaciam.
M. Tu ſi feroces ſpiritus coërcitos
Putes latroni huic vinculis & carcere,
Erras. Ferarum ſævit acrius furor,
Quas fracta fudit cavea, quam quas deviis
Silva alta ſemper educavit montibus.
Quid liberatus non aget, cujus colit
Nunc vincla populus ? Provocata accenditur,
Non mitigatur ira : contumeliis
Elatus animus ad furorem impellitur.
R. Quin lenietur potius hoc beneficio :
Quod qui perierat pertinacia ſua,
Sit liberatus regiâ clementia.
M. Quod tu beneficium, ille putat injuriam :
Seſeque vinctum quam ſolutum ſæpius
Per te meminerit. *R.* Aſperum ingenium refers.
M. Id pene cunctis inſitum eſt mortalibus :
Quod bene patraris, gratia ilico perit ;
Quod male patraris, nullus obliviſcitur.
Odere cuncti propemodum beneficia,
Quorum memoriæ juncta ſunt maleficia.
Baptiſta quoties memor erit meriti tui,
Meminiſſe toties ſceleris eum ſui puta :
Se ſcelere credet non ſolutum, ſed tuo
Animo nocentem, liberum pravo ambitu ;
Pœnam remiſſam, in tempus iram ſupprimi.
R. Ingenia ſæva mitigat benignitas.

M.

1 *Sed nec ira & lacrymis*] Utraque editio And. Harti *nec ira nec lacrymis*, repugnante carminis lege.

2 *Studia ipſe populi*] Elzev. 1628. Wetſt. aliæque nonnullæ Belgicæ editiones, *Studia ipſa*.

M. Longo quod uſu [1] in pejus uſque induruit,
Multo facilius fregeris, quam flexeris.
R. Quin ergo dubiam, quid ſit e re, præmones?
M. Reddam expedita hæc facile, ſi credas mihi.
R. Modo præmoneto, nulla erit per me mora.
M. Quærendo, agendo, providendo, haud otio,
Res magnæ aguntur. *R.* Si nihil promoveris
Quærendo, agendo providendo, non in magis
Præſtat quieſſe, quam negotium ut tibi
Fruſtra faceſſas, & aliis ſis riſui?
M. Quod ſæpe vis non perficit, vincit labor.
Nec alta quercus icta ſubito ſternitur:
Nec vertit aries bellicus primo impetu
Muros: frequenter quæ putaris perfici
Non poſſe, tempus expedit: quæ non poteſt
Plerumque ratio, expugnat importunitas.
Proinde prenſa: lacrymis miſce preces,
Iraſque monitis, blanda dicta jurgiis:
Ambi maritum ſedulo omnibus modis:
Occaſiones uſquequaque amplectere.
Si peragi aperte res nequit, tendas dolos.
Quod ſpectat ad me, certa ſtat ſententia,
Niſi re peracta neutiquam deſiſtere.

CHORUS.

TAndem livor, & impiis
Accenſus furiis dolor
Vires ſævitiæ ſuæ
In vatem exſeruit pium.
Illinc ſæva calumnia
Diræ juncta tyrannidi
Pugnat fraude nefaria:
Hinc innoxia veritas
Nullo fulta ſatellite
Spernit terrificas minas.
Tot telis petitur caput
Unum: tot pariter doli
Intentant juveni necem.
[2] Ille ut tunſa furentibus

1 *In pejus uſque induruit*] Quintil. lib. II. cap. 4. *Frangas citius quam corrigas quæ in pravum induruerunt.*

2 *Ille ut tunſa furentibus Ilex dura aquilonibus*] Ita recte exhibent Editio Edimb. 1578. Francof. Wecheli 1578. Mam. Patiſſonii 1579. Sanctandr. 1597. Rapheleng. 1609. Commel. 1609. And. Harti 1621. Glaſg. 1684. At Genev. 1593 & 1594. Jac. Stoeri 1591. And. Harti 1615. Elzev. 1621 & 1628. Janſon. 1640. Wetſt. 1687. Lond. 1686. Joan. Cairns 1677. &c. *tunſa* in *tonſa* mutavere, decepti, ut videtur, illo Horatii, Carm. 4. Od. 4.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Quamvis enim *ilex tonſa bipennibus* elegantiſſime dicatur; non propterea *Ilex tonſa aquilonibus* quis proprie dixerit: longe quippe diverſum ſenſum *tondere* & *tundere*

Ilex dura aquilonibus,
Aut rupes remeabili
Quam fluctu mare verberat,
Nullo concutitur metu.
O numen venerabile
Cunctis, candida Veritas!
Quam nec bellica vis metu,
Nec fraus inſidiis poteſt
Firmo pellere de gradu:
Sola non metuis graves
Fortunæ inſtabilis vices:
Non obnoxia caſibus
Ullis, pectora robore
Armas inſuperabili:
Et vitæ dominam & necis
[1] Parcarum indomitam manum
Nobis eſſe vetas gravem.
Sed ceſſo vatem convenire, nuncio
Ut impleam aures omnium miſerrimo?
Atque eccum ante ipſas carceris ſtantem fores.
Propago ſanctis ſanctior parentibus,
Et innocentiæ una priſtinæ fides,
Incolumitati, dum tempus ſinit, tuæ
Conſule: Rabinus Malchus intentat dolos:
Occulte inops regina conſilii furit:
Blanditur aula: rex ſuam ſententiam
Diſſimulat: alii vera muſſant dicere:
Jam tempus inſtat ultimi diſcriminis.

JOANNES, CHORUS.

Quid eſt pericli? *C.* Mortis urget terminus.
J. Hæc ſumma nobis imminentis eſt mali?
C. Quo nullum in hominem cadere poſſit amplius.
J. Ut vis tyranni ceſſet ac dolus, feret
Hanc ſponte nobis temporis longinquitas,
Pravo timendam, at innocenti optabilem.
C. At tu ſalutem negligas tuam licet,
Te ratio noſtri tangat: iſtos ſpiritus
Paullum remitte: precibus animum regium
Flecte: per amicos non inexorabilem
Spero futurum. *J.* Sedulo nonne hoc ago?

C.

dere animo ingerunt: hoc enim *percutere* aut *verberare*, illud *ſcindere* vel *amputare* ſignificat. Virgil Æneid. V. 124.

Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Littora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi ſidera Cori.

Claudian. in Rufin. 1. 275.

Te nobis trepidæ ceu ſidus dulce carinæ
Oſtendere Dei, geminis quæ laſſa procellis
Tunditur. ———

Et Buchan. ipſe Pſal. 65.

---- *Jugaque inquietis Tunſa procellis.*

[1] *Parcarum indomitam manum*] Ita Editio Edimb. 1578. Raphel. 1609. And. Hart. 1621., cum aliis nonnullis: at Mam. Patiſſon. 1579. Jac. Stoer. Pet. Sanctandr. Commelin. Elzev. 1621. & 1628. And. Hart. 1615. Gen. 1593 & 1594, *indomita* habent, quod metrum non recipit.

C. Utinam tibi iſtam præbeat mentem Deus.
J. Nihil precari eſt opus: is animus jam diu eſt.
Explere properat rex meo iram ſanguine:
Nec ego recuſo: qui magis regem queam
Placare, quam quum volumus eadem & nolumus?
C. Bona verba. *J.* Quid igitur mihi auctor es? duo
Reges utrinque facere pugnantia jubent:
Cœleſtis alter, miſericors, clemens, bonus;
Terrenus alter, impotens, ferox, malus:
Mortem minatur alter; alter me vetat
Mortem timere, pollicetur præmium
Vim non timenti: corpus alter perdere
Poteſt; at alter corpus una & ſpiritum
Torquere flamma poterit inevitabili.
Hi quum repugnent, conſule utri paream.
C. Placare nunquam poſtea Herodem datur,
Oblata ſi nunc prætereat occaſio:
Dei ſed ira ſemper eſt placabilis.
J. Divina quanto ſævit ira lentius,
Hoc mota pœnas exigit ſeverius.
C. Sic fata ſpernis, quæ Deus mortalibus
Timenda voluit eſſe? neve corporis
Animique ſanctum dirimeret conſortium
Oblata temere cauſſa, vinclo mutuo
Amoris animum corpori connexuit.
J. Non ſperno mortem: at morte [1] momentanea
Fugio perennem: quem Deus lucis mihi
Conceſſit uſum, reddo repetenti libens.
C. Itane relinquis orphanos parens tuos?
J. Nunquam orphanus erit, qui Deum credit patrem.
C. Nil te propinqui, nil amicorum movent
Lacrymæ, impotenti quos tyranno deſeris?
J. Non deſero, ſed potius ab eis deſeror.
Namque, inſtitutam ab initio mundi viam,
In fata curro. Nempe lege hac naſcimur,
Quicunque lucis fruimur almæ munere,
Conditio cunctos una cohibet, tendimus
In mortem: eo nos ſinguli ducunt dies.
Mortem eſſe pœnam voluit improbis Deus,

Bo-

1 *Momentanea*] [Ignotum Quiritibus vocabulum, ſed Chriſtianis frequentatum. *Momentarius*, quo Apulejus utitur, magis placebat Voſſio. vide Borrichii cogitationes, qui nos remittit ad inſcriptionem apud Gruter. pag. 1064. ubi nihil reperio in hanc rem: alteram ſpuriam nihil moramur.]

Boniſque portum, terminum longæ viæ,
Ad longioris vitæ initium januam,
Quæ nos perennis ſplendidam ad lucis domum
Mittat renatos verius quam mortuos:
De carcere hic eſt exitus mortalibus,
Et ad carentem morte vitam tranſitus:
Hac univerſus præiit cœtus patrum,
Cuncti ſequentur. Quis, ubi liquit carceres,
Non curſor animo rapitur ad metam? freto
Quis æſtuoſo nocte tenebroſa vagus
Portu recuſet ſe quieto condere?
Quis exul, errans per peregrini ſoli
Deſerta teſqua, doleat in patriam cito
Seſe reverti? Lætus ergo tramite
Decurſo ad ipſum ſtare metam me puto.
Jam prope peractæ liber e vitæ freto
Proſpicio terram: de peregrino ſolo
Domum revertor, optimum primum patrem
Viſurus: illum nempe patrem, qui ſolum
Revinxit undis, induit cœlum ſolo;
Regitque certas mobilis cœli vices:
[1] Servator, auctor, rector unus omnium:
Cui cuncta vivunt viva juxta ac mortua.
Ut flamma ſurſum ſponte volvit vortices,
Undæ deorſum perpeti lapſu ruunt,
Propriumque pergunt ire cuncta ad fomitem:
Jamdudum anhelat ſpiritus cœlo editus
Rerum ad parentem lucis æternæ incolam,
Quem contueri eſt vita, mors non cernere.
Non, ſi pruinis obſtet horrens Caucaſus,
Aër procellis, unda tempeſtatibus,
Tractuſque nimiis invius caloribus,
Eo ire pergam? non, tot ut videam duces,
Reges, prophetas, judices pios, via
Rumpenda, vel ſi mille mortes obſtruant?
Ergo recluſo corporis de carcere,
Eo evolare ſpiritus liber cupit,
Quo cunctus ibit orbis ſerius ocyus.
Nam longa vita nil, opinor, aliud eſt,
Quam lenta duro ſervitus in carcere.
O mors laboris una laxamen gravis!
O mors doloris portus, & mali quies!

1 *Servator, auctor*] And. Hart. anni 1621, *Scrutator, auctor.*

Notumque paucis commodum mortalibus!
Formido pravis, & bonis votum! tuo
Sinu recepta naufragum hoc corpuſculum,
Et ſempiternæ duc quietis in domum,
Quo non ſequetur vis, dolus, calumnia.
C. O te beatum hac pectoris conſtantia!
O nos miſellos, quos iners animi metus
Felicitatis privat hoc conſortio!
Quando igitur ipſe quod opus eſt facto tenes,
Salve valeque ſempiternum dicimus.
Quam diſcors hominum tramite diſpari
Verſat lis animos! non metuit mori,
Qui nil commeruit: qui meruit mori,
Si vanis leviter mors crepuit minis,
Exſanguis trepidat degeneri metu.
Quam mortem fugiunt gnaviter improbi,
Per flammas, per aquas, ſaxaque devia:
Tam mortis cupidi præcipitant boni
Illuſtres animas dura per omnia.
Nempe ignota malis commoda mors habet,
Et fati comes eſt vita beatior.
Nec toti morimur: ſed melior rogos
Noſtri pars avidos ſpernit, & æthera
Sublimis patrium ſcandit, & igneos
Inter cœlicolas certa animas manet
Sedes innocuas: at male conſcios
Manes exagitant ſulphureo in lacu
Crinitæ colubris Eumenides nigris,
Et jejuna avidi guttura Cerberi,
Et nunquam ſaturi copia Tantali.
Hinc formido malis: hinc bona ſpes bonis;
Et vitæ fragilis prodiga pectora,
Dum vitam properant infragilem ſequi.
O Siren magicis illecebris potens,
Et fallacis amans vita fugax boni!
Tu nobis teneris blanditiis mali
Vicinum effugium claudis: & obſtruis
Portum perpetuæ pacis amabilem;
Nullus terror ubi Martius increpat,
Nec rauco reboant claſſica murmure,
Nec pirata rapax æquora territat,
Nec latro tacitum trux nemus obſidet,
Nec ſceptri miſera prædo cupidine
Inſanus populis exitium creat:
Nec felix placido ſolus ut otio

Torpeſcat, tenues cladibus obruit:
Nec viles animas qui miſerabilis
Vulgi pro titulis mutet inanibus.
Sed tranquilla quies, almaque fauſtitas,
Et ſimplex probitas omnia poſſidet,
Et ferri in tenebras indocilis dies,
Et vita alterius neſcia funeris,
Et luctus queruli neſcia gaudia.
O dulce hoſpitium corporeæ domus,
Et vitæ nimium carcer amabilis,
Jam tandem magicis exue nexibus
Mentem cœligenam, quam patriæ ſuæ
Oblitam gremio amplecteris ebriam
Lethes ſomniferæ deſide toxico,
Et lætam thalami degeneris jugo.
O fallax lutei tegmen amiculi,
Vaneſce in cineres rurſum abiens tuos;
Ut rurſus patrio reddita mens polo
Puri ſe radiis luminis expleat:
Et te peſtiferis morte laboribus,
Et mentem anxiferis ſolve moleſtiis.

REGINA.

Phariſæus igitur ſpem fefellit: rex pari
Se vanitate pariter & me prodidit,
Vulgi loquacis dum timet rumuſculos.
Formido miſere, nata quid rerum gerat,
Saltationis nuper in convivio
Cui rex frequenti præmium ſpoponderat
Quodcunque peteret: illa Baptiſtæ caput
In lance pepigit ſe petituram, & feret:
Feret profecto, niſi parum notus mihi
Sit regis animus. Liber invidia necis,
In me odia populi vertet, ut reor, libens.
Et ego, peracta re, libenter id feram:
Odium ultionis gaudio, maculam lucro
Penſabo. Turpe eſt eſſe atrocem fœminam.
Turpe, niſi reges eſſe inultos turpius
Foret. Sed ambo proferunt pedem domo
Rex & puella: quo propior eſt ſpes, metus
Hoc gravius urit: cuncta fortunet Deus.

HERODES, PUELLA, REGINA.

Deliberatum quid rogares jam tibi
Satis videtur? *P.* Sic ſatis: ſi quidem ſatis
Promiſſa regum certa ſint, & regia.
H. Ne metue firma, teſtibus coram, fide
Sancita: regni poſce dimidium mei,
Vel ſi quid animo carius regno eſt tuo,
Feres; volentem nulla vis averterit.
P. Iſtud brevi jam quale ſit videbimus.
H. Jam poſce, certum eſt. *P.* Nil opus regno tuo
Mihi eſt, quod æque, rege te, meum reor,
Ac ſi ipſa teneam: rem facilem & æquam peto.
H. Non ego, ſed ipſa, ne feras, tibi in mora es.
P. Da in hac reciſum lance Baptiſtæ caput.
H. Quod verbum ab ore temere tibi, virgo, excidit.
P. Non temere. *H.* Donum virgini indecens petis.
P. Non indecorum eſt facinus hoſtem perdere.
H. Hic igitur ira dignus hoſtis regia eſt?
P. Is dignus ira eſt, ſcelere qui hanc meruit ſuo.
H. Quod nunc remedium plebis odio reperiam?
P. Parere populi eſt, imperare regium.
H. Æqua imperare regium eſt. *P.* Quod iniquum erat
Prius, imperando facere rex æquum poteſt.
H. At imperandi lex facit regi modum.
P. Si principi quod placuit eſt jus, jam modum
Non regibus lex, legibus ſed rex facit.
H. Pro rege fama me tyrannum perferet.
P. At ſceptra metuit. *H.* Metuit: & garrit tamen.
P. Compeſce ferro. *H.* Regna male ſervat metus
P. Et regna vertit facile ſcelerum impunitas.
H. Securus eſt, quem civium ſervat fides.
P. Neceſſe reges eſt timeri, diligi
Neceſſe non eſt. *H.* Odia crudelem premunt.
P. In rege vulgo lenitas contemnitur.
R. Hæc tota, opinor, tendit huc oratio,
Promiſſa vana ut effluant. Nondum mihi
Regum videre noſſe quæ ſint munera.
Si honeſta credis eſſe regi & turpia,
Quæ honeſta vulgus credit eſſe & turpia,
Falleris: amici, proximi, ſocer, gener,
Fratres, ſorores, civis, hoſtis, pauperum

Sunt

Digitized by Google

Sunt vincla: vana regibus vocabula.
Diadema quiſquis induit capiti ſemel,
Vulgaris omnes ponat officii gradus.
Nil arbitretur turpe, quod regi utile:
Nullum indecorum facinus eſſe exiſtimet,
Suæ ſalutis quod facit cauſſa. Salus
A rege populi pendet: igitur conſulit
Populi ſaluti, quiſquis in regem eſt pius.
Tantine ſanguis hujus erit homunculi,
Ut tu diebus ſollicitus ac noctibus
Non conquieſcas? Deme nobis hunc metum,
Sceptris pudorem, vaſtitatem mœnibus,
Armis rapinas, civicum bellum omnibus.
Statuere magno oportet exemplo & novo,
Ut ſacroſancta regna ſint mortalibus.
Scelus patravit: ſcelere peſſum eat ſuo.
Si nil patravit, conjugi pereat tuæ.
Da conjugi hoſtem: conjugem ſi negligis,
Promiſſa redde filiæ, rex & parens.
H. Promiſſa certum eſt optima reddere fide:
At illa, ſi me conſulet, ſapientius
Optabit. *R.* At, ſi conſulet me, ne ſua
Conſilia mutet. *H.* Itane? ſicne oportuit
Juraſſe temere? ſic puellæ me meam
Obſtringere fidem? ſic ſalutem, regnum, opes,
Vitam, necemque fœminæ committere?
R. Promiſſa regum certa firmet veritas.
H. Quando negare non licet, quod modo licet,
Admoneo rurſum, & oro, ne quid ſanguine,
Sexuque veſtro, & regio culmine parum
Dignum patrare cogat iracundia.
R. Hæc mitte, noſtræ linque curæ cætera.
H. De vate ſi quid ſtatueritis durius,
Veſtra illa culpa, veſtrum erit periculum.
R. Jam vindicata dignitas eſt regia,
Ne pateat ulli in poſterum ludibrio:
Jam faxo populus pervicax de regibus
Loqui modeſte vel malo diſcat ſuo:
Et ſive reges æqua iniquave imperent,
Æquo ferenda populus animo omnia putet.

CHORUS.

Davidis regnum, Solymæque turres,
Et locupletis Solomonis arces,
Unde tam dirus furor in prophetas?
Sanguinis juſti ſitis unde ſæva?
Quem decet normam pietatis eſſe,
Unicum eſt vitæ ſpecimen ſceleſtæ.
Furta, vis, cædes, dolus & rapinæ
Sunt tuæ tirocinium palæſtræ.
Non ſacerdoti pietas nefandis
Fraudibus ſuadet cohibere dextras.
Cultor idoli populus reliquit
Omnium rerum dominum & parentem:
Pro Deo lignum colitur lapiſque:
His calent aræ vitulis & agnis:
Et ſuæ dextræ ſimulacra adorat
Artifex: vitam ſine lege truncum
Poſcit, a muto eloquium precatur:
Pauperi dives, dominus miniſtro
Supplicat: ritus pereunt vetuſti.
Te prophetarum cruor innocentum
Judicis magni rapit ad tribunal:
Pauperes clamant, viduæque cœlum
Queſtibus implent.
Ergo te juſtæ manet ultionis
Pœna non mendax, niſi fallor augur.
Namque, qui faſtus premit inſolentes,
Arbiter cœli, maris atque terræ,
Spectat ex alto, lacrymaſque plebis
Et preces triſtes meminit, manuque
Vindice infandi ſceleris propinquas
Exiget pœnas: quibus intumeſcis,
Inſolens victor tibi vertet arces:
Barbarus miles tua poſſidebit
Prædia: externo domino refundet
Vinitor fructus tuus: alta qua nunc
Surgit in cœlum [1] Solomonis ædes,
Exterus meſſem faciet colonus.
Ergo dum præbet tibi pœnitendi
Numinis favor ſpatium, relictis
Turpiter vitæ vitiis peractæ,
Exteri ritus ſimulacra pelle;

1 *Salomonis ædes*] Libris omnibus *Solomonis* legitur, pro quo non dubitavimus *Salomonis* reponere, ut ead. ſcen. v. 4. quemadmodum & aliis ſcriptoribus id nomen conſtanter declinatur.

Et ſitim fraterni avidam cruoris,
Et famem argenti cohibe profanam.
Sed nec exactæ male pœnitebit
Te tuæ vitæ, neque ſacra ab æde
Exteri ritus ſimulacra pelles;
Nec ſitim fraterni avidam cruoris,
Nec famem argenti fugies profanam.
Ergo te peſtis vitioſa carpet,
Te fames, bellum, macies, egeſtas
Opprimet, donec merito rependes
Sanguine pœnas.

NUNCIUS, CHORUS.

QUis indicabit ubi reperiam gentium
Comites prophetæ, nuncium ut triſtem feram?
C. Niſi forte properas, ſiſte paulliſper gradum:
Eloquere paucis: ſcire quid feras juvat.
N. At non juvabit ſciſſe, ſcire quod cupis.
C. Ut ut ſe habent res, ne moram invide brevem.
N. Sciſti puella ab rege quid petiverit?
C. In lance vatis ſibi caput cæſum dari.
N. In lance vatis abſtulit cæſum caput.
C. O facinus atrox! ille cœleſtis vigor,
Decuſque vultus morte triſti emarcuit!
Et ora nuper plena ſacro numine
Clauſit perenni dira vis ſilentio!
N. Quid fles? inanes mitte queſtus fundere.
C. Quum flenda videam & audiam, flendum negas?
N. Si flenda mors eſt, mortuos illi fleant
Quorum ſepultæ ſpes jacent cum corpore;
Qui poſt ſoporis terminum breviſſimi
Reditura membra non putant, & alteram
Supereſſe vitam. Mortuos miſeri fleant,
Miſeroſque tantum: neminem facere poteſt
Fortuna miſerum: ſimilis inſontem licet.
Sontemque maneat terminus vitæ, tamen
Male morietur nemo, qui vixit bene.
De genere miſeros exitus ſi judices,
Miſeros putabis tot patres ſanctos, quibus
Crux, enſis, unda, flamma clauſit ſpiritum.
Nam veritatis qui ſatelles occidit
Pro religione, patriiſque legibus,

[1] Ominibus illum proſequi bonis decet,
Votiſque vitæ poſcere ſimilem exitum.
C. Vere profecto es elocutus omnia.
At nos, opinio quos & errores trahunt,
Dum fata fugimus, fata ſtulti incurrimus.
Ignis pepercit, unda mergit: aëris
Vis peſtilentis æquori ereptum necat:
Bello ſuperſtes tabidus morbo perit.
Differre, non vitare fata dat Deus:
Et fœneramur mortis in dies moras
Morbis, periclis, luctibus, moleſtiis.
Nec longa vita eſt aliud ac longi mali
Catena, mortis nexa ad uſque terminum
Serie perenni. Nec ligati hoc vinculo
Servire miſeri nos putamus: exitum
Quam ſervitutem potius exhorreſcimus.

1 *Ominibus illum proſequi bonis decet*] Longe major codicum pars male *Omnibus* habent. Liv. in Præf. *Cum bonis potius ominibus votiſque ac precationibus Deorum Dearumque, ſi, ut Poëtis, nobis quoque mos eſſet, libentius inciperemus.* Cic. Phil. 12. cap. 8. *Proficiſcantur legati optimis ominibus.* Suet. in Auguſto cap. 57. *Revertentem ex provincia non ſolum fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus proſequebantur.* Et ipſe Buchan. de jur. reg pag. 19. l. 16. —— *cum bonis ominibus & fauſtis acclamationibus prodeuntem:* ubi in Editt. Francof. & Moſman. *omnibus* perperam itidem legitur.

FINIS.

GEOR-

2.3.22

253

GEORGII BUCHANANI
SCOTI
POEMATUM
PARS ALTERA:

In qua continentur,

FRANCISCANUS & FRATRES.
ELEGIARUM Liber I.
SILVARUM Liber I.
HENDECASYLLABON Liber I.
IAMBON Liber I.
EPIGRAMMATUM Libri III.
MISCELLANEORUM Liber I.
DE SPHÆRA Libri V.
MEDEA & } Euripidis Poëtæ Tragici, Latino carmine redditæ.
ALCESTIS }
SATYRA in Carolum Lotharingum Cardinalem.

Digitized by Google

254.

Digitized by Google

GEORGIUS BUCHANANUS
JACOBO STUARTO
MORAVIÆ Comiti *S. P. D.*

A*NTE annos fere triginta, cum ruri apud Comitem* Caſſiliſſæ *eſſem, ſcripſi per otium* Elegiam, *quæ animos* Franciſcanorum *magis quam pro re offenderat. Homines enim in paupertate ambitioſi, & qui ſub umbra honeſti flagitia potius tegerent, quam ex virtute præſtitis officiis ſuam exiſtimationem tuerentur, nihil moleſtius ferebant, quam* pellem, *ut ait* Horatius, *ſibi* detrahi. *Itaque totis ſuæ impotentiæ viribus (qui patribus illis religioſis mos erat) in me incumbunt, & animo gladiatorio injuriam (ut ipſis videbatur) tam inſignem ultum eunt: adeoque homines, in maledicendi palæſtra exercitati, criminibus ſeminandis brevi perfecerunt, ut ad* Regias *etiam aures parum belli de me rumores penetrarent. Verum longe alio atque illi exſpectaverant ſucceſſu. Nam* Rex *jampridem eorum artes deprehendere cæperat, & ad opinionem de flagitiis eorum prope confirmatam nova etiam acceſſerat offenſio, quod in cauſſa hominis nobilis, qui majeſtatis erat accuſatus*, Franciſcani, *qui in omnia omnium negotia* falcem (*quod dicitur*) immittere *ſolerent, parum ſincere ſe geſſiſſent. Itaque iiſdem fere, quibus hæc gerebantur, diebus, cum ad Regem, qui me paullo ante filio ſuo inſtituendo præfecerat, in* Aulam *veniſſem, is mihi continuo multis audientibus imperavit, ut in* Franciſcanos *aliquid, idque etiam acriter, ſcriberem: non quod mihi in eo genere facultatem exiſtimaret eſſe præcipuam, ſed quod me, opinor, ſtimulis privati doloris incitatum, acriorem injuriæ publicæ fore vindicem ſperaret, quando etiam, quod ait Poëta lepidiſſimus,*

Si natura negat, facit indignatio verſum.

Verum contra longe tum evenit. Ego enim, qui hominum illo-

rum

rum impotentiam probe noſſem; & opes magis timerem, quam revererer virtutem, abjectis belli conſiliis, ſtatuebam quavis ratione mitigare potius, quam acrius irritare, beſtias natura feras & prope implacabiles. Itaque ut Regi *in* Franciſcanos, & Franciſcanis *in me iratis pariter ſatisfacerem, carmen porrexi, quod ejus adverſus illos iræ impetum eluderet, & eorum erga me animos non accenderet vehementius. Erat enim & verbis & ſententiis ita ſcriptum ambigue, ut in utramvis partem Lectori facilis eſſet interpretatio. Deinde nullum mihi reſervavi exemplar, ne latius ejus rei fama promanaret. Verum id conſilium, quantumvis mihi callidum videretur, adeo me fefellit, ut dum utriſque placere ſtudeo, neutris ſatisfacerem. Nam & illi ſtatim per ſpeculatores, quos habebant in* Aula *frequentes, rumore vulgato, omnes concionum ſuarum aculeos in me diſtringebant, & in facinore incerto ſuæ malevolentiæ certam dabant ſignificationem. Et* Rex *acriores a me ſtimulos poſcebat, qui non modo ſummam pungerent cutem, ſed in intima uſque præcordia penetrarent. Neque id erat adeo difficile, in homines tam delicatos, & ita ſua opinione ſacroſanctos, ut ad leviſſimas eorum offenſiunculas expiandas,*

- - - - Non debeat una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Itaque [ſcripſi,] & jure, ut mihi tum videbatur, iratus, & ut Regi *ſatisfacerem, quoniam illis non poſſem, carmen de vita, moribus & inſtitutis eorum inchoavi, ejuſque principium* Regi *flagitanti obtuli. Et tamen, animis utrinque irritatis, ut aliquem mihi ad eorum gratiam reſervarem receptum, nulli præterquam* Regi *carminis ejus copiam feci. Illi vero, qui meo ſupplicio cuperent aliorum ora obſtruere, & ſecuritati ſuæ in longinquum proſpicere, non deſtiterunt, & per ſe maledicis concionibus, & per ſuæ factionis amicos in Aula, primum a filio* Regis *inſtituendo me abſtrahere, deinde in exilium ejicere, exulem totis potentiæ viribus per* Angliam, Franciam, Hiſpaniam, & Liguriam *perſequi. Tandem poſt viceſimum quartum exilii mei annum, cum Nobilitatis* Scoticanæ *conſenſione tyrannis eorum eſſet oppreſſa, cœpi retractare* Satyram, *juſſu* Regis *in boa-*

am,

Digitized by Google

tam, varietate temporum communium interpellatam, meorum [temporum] iniquitate intermiſſam: ac vix tandem per otium abſolutam, ſub tuo, Jacobe Stuarte, *nomine potiſſimum edere ſtatui, qui in patria ab illis monſtris expurganda princeps operam navaſti; eamque adeo ſtrenuam, ut quæ* Græci, *homines ſummo ingenio & doctrina, in maxima fingendi licentia, de* Hercule *ſuo fabulati ſunt, tu rebus præſtiteris; & incredibili tua virtute antiquitatis fidem adeo ſublevaveris, ut quæ nemo fieri poſſe credebat, a te facta non minus omnes gaudeamus, quam admiremur. Accedit etiam illud, quod patris tui æs alienum, licet ſero, tandem aliquando tamen exiſtimarem tibi per paterna ingredienti veſtigia potiſſimum ſolvi debere, & ita ſolvi, ut temporis moram fœnoris amplitudine compenſarem. Vale,* Fano Andreæ, Nonis Juniis, 1564.

FRANCISCANUS *&* FRATRES.

FRANCISCANUS.

UNDE novus rigor in vultu? triſtiſque ſeveris
Frons caperata minis, tardique modeſtia greſſus?
Illaque frenatæ conſtans cuſtodia linguæ?
Quo lepor & riſus abiere, ſaleſque venuſti?
Nec pila delectat, nec rauci in pulvere circi
Flectere cornipedem, volucrem nec ducere viſco,
Nec leporem canibus, nec certo cominus ictu
Figere ramoſi vivacia pectora cervi?
Sæpe mihi humanæ meditanti incommoda vitæ,
Speſque leves, trepidoſque metus, vanoſque labores,
Gaudiaque inſtabili ſemper fucata ſereno,
(Non ſecus ac navis lato jactata profundo,
Quam venti, violenſque æſtus, canuſque magiſter
In diverſa trahunt,) tuto ſubducere portu

Decretum [1] quodcunque mihi ſupereſſe fugacis
Fata ſinent ævi, ſanctiſque impendere curis
Finem animæ, & ſtolidæ lacrymis commiſſa juventæ
Abluere inſani citra commercia mundi.
O ſanctum feſtumque diem! cum cannabe cinctus,
Obraſumque caput duro velante cucullo,
Auſpiciis, Franciſce, tuis, animo inſitus aſtris,
Præcipiam ætheriam terreno in corpore vitam.
[2] Hic ſcopus, hæc meta eſt, plenis huc tendere velis
Mens avet, ut ſtabili tandem ſtatione potita,
Irrita fallacis fugiat ludibria mundi.
Si tibi propoſitum eſt ſanctæ compendia vitæ
Carpere per virtutis iter, nucibuſque relictis
Exſerere immerſam cæca caligine mentem, &
[3] Ad fontes penetrare boni, tenebriſque remotis
Tollere perſpicuos animi ad cœleſtia viſus,
Vota quidem laudo & magnis congratulor auſis:
Sed ſi degeneris recti [4] ſeduceris umbra,
Et ſequeris vanum tranſverſo tramite faſtum,
Dum tempus te reſque ſinit, [5] ceciniſſe receptum
[6] Ne pigeat, temere inceptos nec flectere curſus:
Neu tu ſinceri recteque monentis amici
Deſpice conſilium; nec te plus obſitus annis
Error, & inſani moveant deliria vulgi,
Quam ratio ſimplex, & nullis oblita fucis,
Et veri inventrix: ſed nec me oppedere cœlo
Crede, nec in Divos redivivam attollere Phlegram.

Nam-

1 *Decretum*] In editione Baſileenſi, anno, ut videtur 1568. Hen. Stephani 1569, & Commeliniana 1609, legitur, *Decreti*.

2 *Hic ſcopus, hæc meta eſt*] Ita Steph. 1569. Baſil. 1568. Genev. 1584 & 1594. And Hart. & Commelin. Abeſt autem [*eſt*] ab Elzev. 1621 & 1628. Werſten. Lond. 1686, aliiſque nonnullis Editt.

3 *Ad fontes penetrare*] Boët. lib. III. Metr. 9 23.

Da fontem luſtrare boni, da, luce reperta,
In te conſpicuos animi defigere viſus.

Unde quidam forte arbitrentur hic [*fontem*] & [*conſpicuos*] legendum, non [*fontes* & [*perſpicuos*:] at nulla opus mutatione.

4 *Seduceris umbra*] [Rectius *deduceris* ſcripſiſſet. *ſeducere* enim Latinis eſt ſeorſim ducere, ut conſtat, adhæſit hoc Buchanano ex Theologorum inquinato ſermone, ut aliquoties hoc verbo perperam utatur.]

5 *Ceciniſſe receptum*] Quamvis uſu longe frequentius ſit *ceciniſſe receptus*, nihil tamen impedire videtur quo minus *ceciniſſe receptum* Latine dicatur, pari modo quo Ovid. Met. 1. 340.

——— *Cecinit juſſos inflata receptus.*

Et Triſt. IV. 9. 31.

——— *Cane, Muſa, receptus.*

Ita enim ex optimorum codicum fide repoſuit accuratiſſimus Nic. Heinſius; cujus loco *receſſus* utrobique vulgo legitur.

6 *Ne pigeat*] Recentiores codices, *Neu pigeat*, & verſ. ſeq. *Non tu ſinceri* -----

Digitized by Google

Namque ego ſum teneris ſemper veneratus ab annis
Pontifices, ſanctoſque patres, quos candida virtus
Reddidit æterna dignos in ſecula fama.
Attamen haud quoties longo ſub ſyrmate raſum
Cerno caput, tortum funem, latumque galerum,
[1] Atque feneſtratum ſoles captare cothurnum,
Cernere me Paulum credo: nam veſte ſub illa
Sæpe latent ſævi truculenta mente tyranni,
Sæpe latro, lurcoque vorax, & fœdus adulter,
Et ſimulatus amor, fallaxque modeſtia vultus,
Quæ tegit innumeras ſub ovillo vellere fraudes.
Ergo cave ne te falſo ſub nomine mendax
Simplicitas fors tranſverſum ſeducat, & illuc,
Unde referre pedem nequeas, trahat: & puerum olim
Me quoque pene ſuis gens hæc in retia mendax
Traxerat illecebris, niſi opem mihi forte tuliſſet
Cœlitus oblata Eubuli ſapientia cani.
Et quoniam, ut video, morbo cruciaris eodem,
Sive nocens gramen, magicive potentia cantus,
Seu genii fraus forte mali tibi ſuſtulit omne
Judicium, ſævo mentem excantante veneno,
Experiar furias purgamine mentis eodem
Expugnare tibi, quo me ſine fine furentem,
Gaudentemque malis, indulgentemque furori,
Eubuli eripuit divina ſcientia docti.
Tu modo ne dubita, monitis nec certius iſtis
Eſſe puta inſanæ quod ructavere Sibyllæ.
Ergo ubi luſtrali novies te aſperſeris unda,
Signariſque novem crucibus, totieſque meracum
Hauſeris helleborum, niveo cum flore revulſum
Moly tenens, memori quæ dicam mente reconde.
Hæc licet a ſanctis olim gens patribus orta,
Clara quidem niveo morum candore refulſit,
Implevitque ſua venientia ſecula fama;
At nunc poſteritas, vera pietate relicta,
Degenerem quæſtum ſordeſque ſecuta, caducas
Cogit opes, ficta & ſub relligione pudendos
Occultat mores, & famæ innixa parentum
Seducit ſtolidum pietatis imagine vulgus.
Et ne forte tibi præſtringat lumina vanus
Splendor, & attonito velut ad ſpectacula vultu

Suſpi-

1 *Atque feneſtratum ſoles captare cothurnum*] Recentiores *Atque feneſtratum ſoleas c. c.* Fefelliſſe videtur infra v. 45. ---- *Soleaſque æſtivum admittere ſolem.*

Suſpicias ſanctæ ſimulacra evanida vitæ,
Eja age ſpectemus quid ſit, quod vulgus. & ipſi
Pontifices, rerum domini, ſummique Monarchæ
Tantum admirentur: quid raſo vertice calvum
Conferat eſſe caput, quid longo ſyrmate talos
Uſque tegi, ſoleaſque æſtivum admittere ſolem,
Et quæ prætextu latitent portenta ſub illo:
Quæ monſtra abſcondat veſtis ſinuoſa; quid artis
Vana ſuperſtitio, [1] mentes ut faſcinet ægras,
Sit commenta; [2] ſuas quam vendat callida nugas.
Principio huc omnes tanquam ad vivaria currunt,
Queis res nulla domi eſt, quibus eſt irata noverca,
Quos durus pater, aut plagoſi dextra magiſtri
Territat, aut legum timor, aut quos dedita ſomno
Exercet nullis Lethæa ignavia curis:
Deinde quibus gelidus circum præcordia ſanguis
Obſtitit ingenio, quos ſacro a fonte Camœnæ,
Quos Pallas Phœbuſque fugat, [3] quos ſidere torvo
Aſpicit infauſto [4] volucer Tegeaticus ortu.
Hi cum infrugiferæ ſpatium trivere juventæ
Muſarum in ſtudiis fruſtra, jam mollibus umbris
Sic fracti, nec bella pati, nec ducere remos,
Nec terram incurvo norunt ſuſpendere aratro:
Ergo famem adverſus, violentaque frigora brumæ,
Hîc ſibi deſidiæ portum, atque ignobilis otî
Eſſe rati, huc properant: illis cuſtodia portæ
Creditur, aſt aliis cura eſt commiſſa culinæ:
Hic hortos fodit, hic viduas circumvenit: illi
Pinguius ingenium eſt, rus ibit, fallet agreſtum
Vulgus hebes, pueris fragrantia poma, puellis
Amuleta dabit, tenero redimicula collo:
Donec blanditiis, fabelliſque admirandis
De larvis, deque empuſis, & lumine caſſis,
Tandem captatum trahat in ſua retia piſcem.
Adde his, quos febris, quos vexat dira phreneſis,

Aut

1 *Mentes ut faſcinet ægras, Sit commenta*] Ita, monente viro docto (qui variantes lectiones ſuaſque nonnuſquam conjecturas Editioni Elzevirianæ anni 1621 ſubjecit) hunc locum reſtituimus, pro quo libris omnibus editum eſt, *mentes ut faſcinet æquas, Eſt commenta.*

2 *Suas quam vendat*] Forte legendum, *ſuas cum vendit.*

3 *Quos ſidere torvo*] Steph. *Queis ſidere torvo Aſpicit infauſtos volucer Tegeaticus ortus.*

4 *Volucer Tegeaticus*] *i. e.* Mercurius eloquentiæ Deus, a Tegea urbe Arcadiæ ſic dictus. Stat. Sylv. I. 2. 18.

Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra.

Et Syl. V. 1. 101.

----- Non plura interprete virga
Nuntiat e celſis ales Tegeaticus aſtris.

Aut alius cerebri expugnator morbus: in ipſa
Morte ſiti, cum jam medicus ſpondere ſalutem
Deſierit, longa ſtolidi vertigine jurant
Se, quodcunque ævi placati numinis ira
Jam deploratæ dignetur jungere vitæ,
In Franciſcano victuros eſſe cucullo.

Hic aliquis ſancta pietate paterculus ardens
Protinus inſternit fuſcam cum cannabe veſtem,
Et caput exſcalpit cerebroſum, & ſomnia blanda
Garrit in auriculam, meritorum mille trecentos
Promittit modios, venias inculcat, olympum
Defuncto ſpondet, vivo ſpondere paratus,
Captatæ potius quam vel ſemiuncia prædæ
Una brevis pereat. Tum ſpe lactatus inani
Interea miſer ægrotus jubet optima quæque
Deferri ad Monachos, argentea vaſa, tapetas,
Molliculas veſtes, & quicquid venditur auro,
Quatenus haud illis nudos fas tangere nummos.

Verum hæc pinguiculis tenduntur retia turdis,
His cœlum venale patet: ſi Codrus & Irus
Pauper obit, ceſſat pietas, non cymbala clangunt,
Nænia nulla ſonat, ſerie nec candida longa
Pompa præit, nullo planguntur funera luctu.

Sed nec funigeræ minor eſt acceſſio turbæ,
Cum mens veſano inflammata cupidine vultum
Affingit ſpernentis opes, vilique paratu,
Inceſſuque gravi, & ficta probitate loquendi
Seducit ſtolidam pietatis imagine plebem.
Nec prius ille furens animi ſatiabitur ardor,
Ambitioque procax, donec cum fune cucullo
Abjecto induerit regali tempora mitra,
Et, quantum fas eſt mortali accedere cœlo,
Scandat, & in terris cœleſtes tractet habenas.

Sunt quoque qui ſordes, fœdoſque hoc tegmine mores
Poſſe latere putant, miſero ut dent verba popello,
Dum vitæ infami ſpecioſum obtexere velum
Contenti, introrſus pleni ambitionis & iræ,
Invidiæ & fraudis, Chriſti prædentur ovile,
Incautum occulto vulgus fallente veneno.

Adjice præterea quos præceps alea nudat,
Quos Venus enervat, quos & potatio pernox
Ejecit patriis laribus, quos urget egeſtas,
Et quibus haudquaquam res ſunt in amore ſecundæ,
Faſtoſæque inopes excluſit limen amicæ,

Digitized by Google

Quos ſcelus infamat, [1] vitæ quos turpiter actæ
Inſequitur metus, & quos urget tutor avarus,
Huc velut ad tutum cunctis eſt curſus aſylum.
Hoc procerum e numero creſcit generoſa propago
Funigeri gregis: hi patres quibus ille ſuperbit
Ordo ſacer: ſeges hæc orbis moderatur habenas:
Quos metus, ira, furor, mens tarda, ignavia, crimen,
Ambitio, res adverſæ, faſtidia vitæ,
Durus amor, durus pater, implacata noverca,
Et mendax virtutis amor collegit in unum.
  Namque velut quondam, cum res adverſa premebat,
Ad laqueum, ad præceps, ad toxica, flumina, pontes,
Atque truces gladios, caliganteſque feneſtras,
Curſus erat, duram cupienti evadere ſortem:
Sic modo cum ſceleris pudor, aut formido ſeveri
Judicis, aut gravior cunctis infamia pœnis
Urget, ad hunc ſcopulum Franciſci in ſyrmate fune
Cingimur: & tanquam pariter cum vertice radi
Mens etiam ſcelerata queat, de ſacrilegis &
De parricidis, de furibus, atque cinædis,
[2] Nos faciet cœli ſubitos raſura colonos.
  Dira ſuum nunquam mutant aconita vigorem
Vimque mali, quamvis auro gemmave bibantur:
Atque aſinus, quanquam Tyrio conſpectus in oſtro,
Semper erit tardus, lea ſæva, doloſus ichneumon,
Urſa vorax, avidus vultur, bos mitis, hirundo
Garrula: ſic animi non mores exuit atros
Veſtis Hyperboreas ſuperans candore pruinas.
  Nec ſimul exuviis poſitis Maſſyla venenum
Vipera deponit, nec tigris monte relicto
Mitior ingenio eſt: ſic nec tranſcurrere montes,
Aut mare, vel populi cœtus vitare, vel atra
Veſte tegi aut nivea, coriove aut fune recingi,
Aut mendicatum ſemper corrodere panem,
Turbatæ poterit mentis ſedare tumultus.
Semper enim quocunque loco, quocunque receſſu
Degeris, uſque licet Riphææ frigora brumæ
Fugeris, aut calidam vicino ſole Syenen,

Te

1 *Vitæ quos turpiter &c.*] Omnibus fere libris (præter editos ab Henrico Steph. & And. Hart.) abſunt hæc duo hemiſtichia.

——— *vitæ quos turpiter actæ*
Inſequitur metus - - Apud illos etiam legitur,
------ *tutor quos urget avarus.*

2 *Nos faciet*] Recentius ediri *Nos faciat*: male, me judice, ſi totius orationis texturam attendamus.

Te dolus & mentis maleſuada cupido ſequetur,
Et vigil occultis cruciabere pectora curis.
Nec ſi marmoreis circundatus undique clauſtris
Fugeris aſpectus hominum, te ſæva relinquet
Tempeſtas veſani animi: te conſcius horror
Mentis aget vigilem: tibi diras triſtia formas
Somnia nocte ferent: te inſano turgida faſtu
Gloria ſublimem ventoſis evehet alis,
Dum furit effractis tandem perrumpere clathris.
Scilicet is nuper contemtus homuncio, qui nec
Prima elementa ſonis poterat diſtinguere certis,
Et quem nec ſtabulo purgando, olidæve popinæ
Præficeres, raſus, ſophiæque auctore cucullo
Tectus, erit ſubito doctus, ſapiens, & honeſtus,
Et gravis, & prudens; jam de balatrone modeſtus,
De lenone pudens, & de latrone ſeverus,
Et frater ſuperûm, & cœli pene inſitus aulæ.
Frater dixit, ita eſt: fratres vetuere, cavendum eſt.
Frater erit judex: cauſſam committere non vis
Fratribus? in ſanctos quicquam cave dicere fratres:
Tantum juris habet cerebelli inſania calvi.
Et miramur adhuc, ſimili ſi errore vetuſtas
Crediderit Cadmo ſerpentis dentibus olim
Eſſe ſatos comites, vel ſi Pagaſæus Iaſon
Horruerit magicos terra prægnante tumultus;
Cum modo qui fuerat caprimulgus, treſſis agaſo,
Scurra vagus, ſubito mutatus numine mentem,
Fiat Ariſtoteles, Xenophon, Plato, Zeno, Cleanthes.
Nunc quibus hæc ſtudiis gens deſidioſa popellum
Captet, & in laqueos viduas trahat, omnia turbet,
Involvatque orbem tenebris, & mobile vulgus
Faſcinet, occulto ſenſim ſerpente veneno,
Si vacat, expediam: fraudes, ludibria, furta,
Philtraque, & arcanas tibi pandere moliar artes.
Primum ubi detonſo veſano vertice, caudex
Qui fuerat, fit homo ſubitus, ceu vomere Thuſco
Erutus ille Tages, vates jam doctus in ipſo
Naſcendi articulo: diſcit componere greſſus,
Cancellare manus, caput inclinare ſiniſtrum,
Verſus humum ſpectare, oculis defigere limis
Omnia, pallori ſimilem confingere vultum,
Sulphuris affuſo circum os & tempora fumo;
Effugere occurſus hominum, compeſcere riſum
Si quis adeſt, coram reticere, interque precandum

In-

Invitis oculis lacrymas ſimulare, boatu
Rancidulo in templis nativum frangere cantum:
Cum bibitur, calicem digito cohibere ſiniſtro,
Conceptis [1] verbis aperire & claudere portas,
Conceptis verbis de ſomno ſurgere, menſam
Ponere, adire, referre, jubere, orare, ſalutem
Dicere, conceptis urinam reddere verbis:
Scire quibus nodis, & quot diſtinguere funem
Fas ſit, ubi facilis pateat venatio prædæ,
Quo pueros fallas, quo tu ſermone puellas
In Venerem accendas, viduas quæ retia captent:
Quo regum teneas aures, quæ munera placent
Terrarum dominos, quo vulgus mobile fuco
Decipias, quibus ægrotos in limine vitæ
Illaquees verbis, & teſtamenta reſignes.
Hæc ſunt Funigeræ miranda procemia ſectæ,
Vera rudimenta, & ſanctæ præludia vitæ:
Hoc eſt, cur aliquis patriam caroſque propinquos
Abneget, & dulces obliviſcatur amicos:
Cur vagus, exul, inops, erro, peregrinus & exlex
More feræ toties mutet præſepe, tot annos
Scurra procax currat, cunctos allatret, in omnes
Sævus, blandus, atrox, inimicus, amicus, ut alvus
Imperat: hæc illis lex una & regula vitæ eſt.
Hæc ubi jam pravi docilis præcepta juventus
Imbibit, & vitæ ſeſe devovit inerti,
Protinus e calvo ſenior grege, lippus, inermis
Gingivas, tremuluſque manus, rugiſque verendus,
Incipit arcanæ latebras evolvere ſectæ,
Et ſophiam abſtruſam placidis recludere dictis.
O juvenes, inquit, quos torti vincula funis,
Quos tonſura eadem, ſoleæque feneſtra recluſæ,
Par votum, veſteſque pares, atque otia jungunt:
Jam mihi vix raris variantur tempora canis,
Vox fragilis, latus infirmum, greſſuſque labantes;
Jam prope decurſo ſpatio ſpectare propinquam
Fata jubent metam, jam quinquageſima meſſis
Sub calido ſemper placide tranſacta cucullo,
Liberat officiis vitæ: fortuna benigna
Me tamen haud fruſtra longum ſervavit in ævum:
Nam, ceu Tireſias Ithacum, Priameius heros

Ma-

1 *Conceptis verbis aperire*] Hic verſus deſideratur in omnibus editionibus, exceptis Hen. Steph. & And. Hart.

Digitized by Google

Magnum Anchiſiaden iterumque iterumque monebat,
Quos peteret tuto portus, quo flectere curſus
Deberet, levibus fugeret quæ littora velis:
Cur ego vos, animæ noſtræ pars maxima, amicis
Non monitis horter? digreſſum & pauca ſub ipſum
Edoceam? juvat exhauſtos iterare labores.
Et ſulcata meis percurrere littora remis.
  Principio cum veſtra ætas ſic mollibus umbris
Sit fracta, ut nec bella pati, nec frangere remis
Æquora, nec terram poſſit verſare ligone,
Et fuget Aonias ſocors ignavia Muſas:
Huc animos, juvenes, certatim advertite, & acri
Mente Seraphinæ myſteria diſcite ſectæ.
  Sancta quidem certis fulcitur ſecta columnis,
E quibus in primis locuples Confeſſio largo
Proventu eſt, gnavum non deceptura colonum:
Ut ſeges agricolam fallat, pulſataque triſti
Grandine vix raris ſpumet vindemia prelis,
Et pecus abſtulerit belli furor, unica nunquam
Artifici imponit Confeſſio callida docto.
Hoc telo armatus noſter ſe regibus ordo
Terribilem oſtendit, ſolioque extruſit avito
Quos viſum eſt; alios ad ſumma cacumina rerum
Extulit, & multa ſtabilivit cæde tribunal.
Namque ubi cunctorum ſenſus, ſecretaque mentis
Noveris, in promtu eſt tibi conjurata fovere
Pectora conſiliis, timidumque in fœdera vulgus
Cogere, ut ignotas poſſint expendere vires,
Vel proceres merito de te bene prodere regi.
  Ergo (vos ſiquidem numerandi crimina cura
Detineat) matrona locum ditiſſima primum
Vindicet, aut dulci aſſuetus daniſta lucello:
Proxima mercator teneat loca: tertius ordo
Nobilium eſt, quos aut ditat quæſita rapinis
Præda, vel innocuo manus oblita ſanguine civis
Reddidit inſignes: poſt hos, aut divitis aulæ
Aſſecla, aut famulus, ancilla, puella, puellus.
Sed neque lenonem, nec tu contemne latronem,
Spes modo [1] ſi lucri: qui nil quod donet habebit,
Ἐς [2] κόρακας. Quis enim ſterili committere ſanus

Se-

1 *Si lucri*] Ita Baſil. Steph. & Hart. alii vero codices fere omnes, *ſit.*

2 Ἐς κόρακας] *i. e.* Ad corvos. Proverbium perinde valens quaſi *abeat in malam rem.* Vide Eraſmi Chiliad. Adag.

Semen agro curet? quis inanes irriget hortos?
Hic ubi ſecretam penitus demiſſus in aulam
Pectoris, arcanas latebras cognoveris, omnes
Tum facies rerum, tum vafrum Protea finge.
Cum tibi crediderit virgo, quod credere matri,
Quod ſocius ſocio, quod nolit nupta marito,
Tum pete ſecurus quidvis, tum vincula captis
Injice, tunc humeris quemvis ſuperingere faſcem.
Nam ſemel arcanæ tibi qui penetralia mentis
Nudavit, penituſque alto ſub corde repoſtos
Detexit ſenſus animi, timet, horret & odit,
Quamvis diſſimulet: ſed mens male conſcia pallet,
Ne commiſſa tegas male [1] vino liber, & ira
Commotus, magnoque ſatis non munere cultus.
Hoc ubi fertilior præda eſt depренſa capiſtro,
Poſce, jube, rape, ſtringe, omnem dum ſpongia ſuccum
Egerat; exhauſtumque penum in tua congere clauſtra.
Nec tamen ætatis, nec te diſcrimina ſexus
Prætereant. Primæ quoniam lanuginis ætas
In Venerem eſt præceps, lucris addicta ſenectus,
Virgo capi facilis blandæ dulcedine linguæ,
Vana ſuperſtitio mentes exercet aniles,
Mercator dulci poſtponit numina lucro.
Si matrona potens, vel prædæ victima opimæ
Incidit in caſſes, cautus confinge petendi
Mille novas artes: caries annoſa columnas
Diruerit, ſacram Boreas nudaverit ædem,
Clauſtra latus magna pandant adaperta ruina:
Deſint ligna foco, nemorum ſi dives abundet:
Si locuples agri eſt, atrum corrodere panem
Finge tuos fratres, langueſcant pocula vappa:
Ruſtica cortis aves, agnos, hœdoſque petulcos
Mittat: ab urbanis ſacræ pete ſtragula menſæ,

Poſce

1 *Vino liber*] Non hic *ſiccum & ſobrium* innuit, quod quidam forte exiſtimabunt, quaſi *liber vino* eadem loquendi formula hic diceretur, quo *liber metu*, aut *liber periculis*: ſed *liber vino*, contrario plane ſenſu, idem ſignificat ac *vino largius hauſto liber*, i. e. *curis ac metu ſolutus*: cujuſmodi homines arcana ſibi commiſſa revelare ſolent. Expreſſiſſe autem videtur illud Horatii I. Epiſt. 18 38.

Commiſſumque teges & vino tortus & ira.

[Conſtruendum puto, ne male tegas commiſſa, liber vino. id eſt per vinum: ne nimio vino libere loquens male tegas commiſſa. *liber* enim hic de incontinentia linguæ capi debet, ut apud Ovid. I. Metam. 757 *libero ore loqui*. Salluſt. Jug. 95. ſic *liber dolor*, de quo vide ad Quinctil. declam XI. I. *libere loqui*. Quinctil. de Inſt. Or. VI. 3. ita & *libertas* Ovid. Ep. XV. 65. & quæ plura ſunt obvia.]

Digitized by Google

Poſce ſacras veſtes, quodque oras ambiat aurum,
Quod calicem fractum inſtauret, quod lignea pingat
Signa, quod in vitreis poſſit ſplendere feneſtris:
Det miles prædæ partem, furtique latrones;
Mercator fulvis redimat perjuria nummis.
  Et quoniam teneræ nequeunt donare puellæ
Munera, dent quod habent, quod [1] ſecure dare poſſunt:
Quæ [2] data non pereunt, quæ fruſtra non data perdunt.
Segnior in Venerem ſi qua eſt, accende monendo,
Pande voluptatiſque modos, formaſque latentes,
Quærendoque doce Veneris quem neſciat uſum.
Talia quærenti facilem quæ commodat aurem,
Sit licet antiquis magis illa ſevera Sabinis,
Noſſe volet, notum quod poſſe juvare putabit.
Interdum tanquam cupias reprehendere luxum
Veſtis, & accenſum gemmis quod fulgurat aurum,
Lacteolas furtim dextra conſtringe papillas,
Inque gradum fractos digito compone capillos,
Et pede tange pedem, dextram dextra, oribus ora:
Sic, dices, rides, ſic molliter oſcula jungis,
Oſcula commiſſas inter luctantia linguas:
Sic te tractandam præbes, tractataque gaudes,
Sic pede, ſic digito, ſic tu promittis ocello,
Hoc loqueris nutu, tali noctem abnuis ore:
Sic per inoffenſas graderis ſecura tenebras,
Sic aperis limen, ſic nullo murmure claudis.
Hæc animo memori præcepta recondite fratres:
Quæque locus tempuſque dabunt, quæ ſexus & ætas
Permittent: hinc dives opum venit annua cura;
Speſque voluptatum, caræ ſine crimine famæ.
  Quod ſi quis ſanctæ fugiat commercia ſectæ,
Sentinamque tuæ nolit mandare cloacæ,
Illius ancillas, famuloſque arceſſe loquaces:
Inquire in mores, paſſim ſere crimina, in aurem
Omnibus obganni ſecreta piacula: quod ſi
Criminibus non ulla locum fortuna miniſtret,
Actaque ſincere conſtet pars maxima vitæ,
Hæreticum clama nitidum prætexere fucum
Occulti ſceleris maculis tacitoque veneno.
Sic hos in laqueos trepida formidine, & illos

Cre-

1 *Secure*] Steph. *ſecuræ*.

2 *Quæ data*] Novemdecim qui ſequuntur verſus, uſque ad, *Hæc animo memori*, &c. utpote parum verecundos, ſua editione expunxit H. Stephanus.

Credulitate trahes, vel ſpe, vel fraude, vel arte,
Ut captum teneas intra tua retia piſcem,
Grande ſcelus levibus contentus plectere pœnis.
Nec precibus longis lacrymiſve piacula dele
Horrida, ſed nummis loculos, non pectora fraude
Exhauri: vel templa jube, vel clauſtra, vel aras
Exſtruat, aut multis redimat jejunia Miſſis.
  Hoc quoque præmoneo ſuper omnia, corda juventæ
Infice, ſopitos accende libidinis ignes:
Semina flagitii in vacuo turgentia campo
Uſque fove, plenos ſceleris dum reddere fructus
Poſſint, & late in pingui regnare novali.
Hic ager, hæc ſeges eſt, hæc noſtræ vinea ſectæ.
Hunc igitur multo ſcelerum pingueſcere cœno
Effice, & infuſis hunc exſaturato cloacis.
Non tam Riphææ metuenda injuria brumæ,
Atque ſuperfuſo tellus ſubmerſa profundo,
Aridaque inſolitis candens fervoribus æſtas,
Quam ne diſcuſſis tenebris reſipiſcere mundus
Incipiat, quam ne patefacto lumine veri
Inſpiciat noſtras plebecula ſtulta tenebras.
  Sed jam ruricolis labor impendendus, apricos
Jam luſtrare juvat campos, perque ardua montium
Ire juga, & latos indagine claudere ſaltus.
Ecquis, io juvenes, tenebris & inertibus umbris
Poſthabitis, ſtrepituque urbis, nigraque popina
Audet in aërios nemorum conſcendere tractus,
Bacchatoſque choris Nympharum accedere fontes,
Prataque purpurea ſemper renovata juventa?
O mihi ſi calido ferveret corpore ſanguis
Integer, & validæ vires, firmataque nervis
Membra ſuis, quam prata libens & florea Tempe
Aſpicerem, & viridis captans umbracula ſilvæ,
Et tremulæ leve murmur aquæ, cantuſque volucrum,
Languida ſepoſitis relevarem pectora curis!
Nunc quoniam hæc nobis invidit ſerior ætas
Commoda, & effœtis membris ignava voluptas,
Veſtrum opus hoc, juvenes, veſtra hæc vindemia, laxas
Ferte plagas, laqueos innectite, tendite caſſes,
Arvaque ſunigero reſonent pecoroſa moloſſo.
  Primum igitur qui rura petis, ſi mollia tardo
Membra labant ævo, (cum nos equitare parentis
Franciſci præcepta vetent,) aut vilis aſelli
Aut hinni ambigui, aut ſterilis preme tergora mulæ:

Carpe

Digitized by Google

Carpe viam pedibus juvenis: nec munera deſint,
Quæ faciles capiant animos, pictæve tabellæ,
Aut ſcelerum veniæ, ſimulacrave plumbea, imago
Chartea, vel paucis venalia munera nummis.
Nam neque piſcator ſapiens radiantibus auro
Piſcem hamis captat, nec ſerica retia tendit.
Sæpe & odoratis oneretur mantica pomis,
Sæpe pirum, primamque manu decerpito ficum.
Piſce etiam piſcis capitur, grus capta volantes
Fallit ſæpe grues, nec ſperni vilia credas
Munera divitibus. Cernis quam parva feroces
Vincla feras teneant, quam parvos currat ad hamos
Mullus: virga tenet grandem viſcata volucrem.
  Adde, quod haud cunctis eſt utile retia ſilvis
Tendere, nec mullus quavis capietur in unda,
Nec laqueo accipitres venatur callidus auceps,
Nec Cererem dabit omnis ager, nec Maſſicus humor
Aſpera purpureis veſtit dumeta racemis.
Diſpice propterea quo tendas retia ſaltu,
Cui laqueos prædæ, quem fallat linea piſcem.
  Nec tibi ſum (multis licet hoc arrideat) auctor
Ut ſacra diſſimulet teneram raſura puellam,
Quæ feſſa anxiferis ſolvat præcordia curis,
Ambigua quamvis ſexum mentita figura
Decipiat multos: tamen hinc diſcrimina mille,
Mille manent caſus: ſæpe haud fruſtrata ſagaces
Suſpicio occulti pandit veſtigia furti,
Sæpe etiam læſi gravis imminet ira mariti,
Perſequiturque fugam, & rapta pro conjuge ſævit
Bella ciens: ſacræ non illum infamia ſectæ,
Non pudor, aut pietas poterit cohibere furentem:
Dedecus in vulgus profert, rumoribus iras
Expiat; in cunctas ſerpit nova fabula cœnas.
Aut ſi turgidior movit præcordia bilis,
Vel reſecat ferro peccantia membra, vel arcto
Fune ligans tendit, vel terga [1] caputque colurno
Fuſte domat, ſanctam haud veritus temerare coronam.
  Arbitror & vobis notum, quod contigit olim
Burdegalæ, nec (ſi ignotum eſt) narrare pigebit.
Obſuit exemplum patribus, fortaſſe nepotes

In-

[1] *Caputque colurno Fuſte domat*] Forte *Fuſte dolat* noſter ſcripſerit, ad exemplum Horatii I. Sat. V. 22.
Ac mulæ nautæque caput lumboſque ſaligno Fuſte dolat ------

Inſtruet. Eximia quidam pietate probatus
Frater erat, quo non quæſtus ſtudioſior alter,
Nec magis edoctus laqueo implicuiſſe tenaci
Pinguiculas viduas, ſtupidoque imponere vulgo.
Hic ubi jam multos prædator callidus annos
Santonicos luſtraſſet agros, & utrumque Garumnæ
Littus, & antiquæ felicia rura Tholoſæ:
Tandem Burdegalam fatis urgentibus intrat
Cum conſorte viæ, novies cui turgida pleno
Orbe diem admorat partus Lucina propinqui.
Illa, rudis miles, tumidi dum crimina celat
Jam matura uteri, colluctaturque dolori,
Audet iter longoſque viæ perferre labores,
Nec timet irato ſeſe committere ponto:
Tantus amor ſacræ penitus ſe addicere ſectæ.
Ecce autem pronum dum ſindit puppe Garumnam,
Fluctuat & tumidis pinus vexata procellis,
Heu! bene celati patefecit damna pudoris,
Dum timor introrſus gemituſque & verba retentat,
Dum labor in veras cogit prorumpere voces,
Editus in mediis infans evagiit undis.
Pars facti novitate ſtupet, quodque audiit ipſa
Vix audiſſe putat: petulantior altera riſu
Perſonat: aſt alius tumida ſuccenſus ab ira,
In mare præcipitem monachum, & cum prole parentem
Proturbare jubet, lethoque abolere nefandum
Dedecus, & monſtro miſeram relevare carinam:
[1] Hinc tumidos fluctus, pontoque furente procellas,
Ventorumque minas, & apertam Numinis iram.
Si quis adeſt animi pius, & moderatior iræ,
Occultare cupit facinus, parcitque benignus
Errori, humanos prudens expendere lapſus,
[2] Agnoſcitque ſuas alieno in crimine vires.
Ergo dum trepidant diſcordia pectora vulgi,
Nautarumque fremit per littora rauca tumultus,
Infelix frater turbæ ſeſe inſinuans clam
Tramitibus cæcis elabitur, oraque velans
Vertice demiſſo peregrinas exul ad urbes
Mœſtus abit, pœnaſque domi, famamque ſiniſtram
Formidans, miſeramque gemens cum prole puellam,

Quam

1 *Hinc tumidos fluctus*] Supple *oriri clamant*, aut ſimile quid.

2 *Agnoſcitque ſuas a. i. c. vires*] i. e. *ſuam animi imbecillitatem*, vel, *vires ſuas parvas ac debiles eſſe*.

Quam ſolam atque ægram [1] nuda liquiſſet in acta,
Inter inhumani riſum & ludibria vulgi.
Ipſe ego tum validus, viridique in flore juventæ,
Nec linguæ nec vocis inops, nec flectere corda
Plebis inexpertus ſtolidæ rumore ſecundo,
Vix tamen adverſæ gliſcentia murmura famæ
Flectere, vix potui populi compeſcere voces,
Sæpe licet verbis factum exſecrarer amaris,
Auctorem ſceleris comitem licet eſſe Lutheri
Jurarem ſanctæ latitantem nomine ſectæ.
Nec [2] minus in terra comes eſt infamis Ibera
Puſio, ſed forſan minus eſt formidinis illic,
Quod Veneris nullo produnt commercia partu.
Sed quid opus toties ſeſe objectare periclis,
Et non parſuræ cuiquam committere famæ,
Cum liceat tuto, liceat rumore ſecundo
Undique ſecuros Veneris decerpere fructus?
Neve mihi fatuas ruris ſectare puellas,
Cuſtodeſque gregis calido ſub ſole recoctas:
Sed ſi qua eſt matrona potens, & militis uxor
In locuplete domo viduas exercita noctes:
Cum bello externis vir debacchatur in oris,
Interea vacuos valido tu Marte penates
Oppugna, nec blanditiis, nec parce querelis,
Nec precibus: primus ſi non patefecerit arcem
Impetus, haud animi timidus frangare, ſed infer
Arma audax: viduæ interdum miſerere puellæ,
Ingratum nunc finge virum cum pellice noctes
Ducere, deſerto dum ſecubat illa cubili:
Crede mihi, obſepti perfringes clauſtra pudoris,
Atque aliquem invenies aditum, votoque frueris,
Præſertim occultos tibi cum confeſſio ſenſus
Nudet, & integrum non ſit ſimulare pudorem.
Sic tibi per cunctos graſſari impune penates
Fas erit, & geminos pariter decerpere fructus.
Namque ubi proſtrati perrupit jura pudoris
Fœmina, neglecto redimet ſua gaudia cenſu.
Pene mihi exciderat, quod primum pene monere
Debueram gnavos ruris genialis alumnos,

Ut

1 *Nuda liquiſſet in acta*] *i. e.* in *littore*, Gr. ἀκτῇ. Virg. Æneid. V. 613.
At procul in ſola ſecretæ Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant ——

2 *Nec minus*] Hos etiam ſequentes 27 verſus, ad *Pene mihi exciderat*, &c. caſtis, ut videtur, auribus parcens, omiſit H. Steph.

Ut quid quæque domus præſtet, quid vir, mulierve
Quæque, ſit in memores id cura referre tabellas;
Ne, nova cui fuerit provincia [1] tradita ſorti,
Annua vel redimit qui vectigalia, vel qui
Hoſpes ad externas, ut ſit, proficiſcitur urbes,
Erret inops animi, dubius cœnæque lariſque,
Quæ petat ignarus, quæ vitet tecta, quid inde
Speret, ubi certum faciant mendacia quæſtum.
Atque ubi ſucceſſor te tardum exceperit ævo
Junior, huic tabulis deſcriptum tradere cenſum
Non ſatis, arcanis muliebria nomina ſaltem
Punge notis, ſi qua eſt animo obfirmata rebelli,
Si qua procax, ſimplex, inceſta, proterva, benigna,
Cuique notent mores propriis diſcrimina ſignis.
  Sed me præteritæ ſuaviſſima mentio vitæ
Longius ac volui tenuit. Pars maxima rerum
Reſtat adhuc, ſanctæ columen, caput, anchora ſectæ.
Nam vaga ſub certas comprendere crimina formas,
Et ſe prodentes animi pernoſcere mores
Artis opus modicæ eſt, celerique addiſcitur uſu,
Inque peragrandis ſola eſt induſtria villis.
At vero e celſæ ſublimem ſede cathedræ
Mille oculos in ſe intentos aureſque tenere,
Et velut injectis tot circumflectere frenis
Ora hominum, & reſides animos turbare tumultu,
Et molli alloquio trepidos componere motus,
Magnæ mentis opus, cui ſit ſolertia prudens,
Ingeniumque capax, projecta audacia, promtus
Sermo, pudor nullus, firmum latus, acer in ore
Cui vigor, & vocis ſonus aſper, lenis, acerbus,
Ut res cunque feret; cui vultus cereus, omnes
Tranſire in formas docilis, mens ſubdola, fallax,
Et recti pravique tenax; pro tempore fingat,
Diſſimulet, ſimulet, præſens ubi poſtulat uſus.
Hæc quotus in turbæ quiſque eſt tot millibus unus
Qui præſtare poteſt? niſi ſi cui forte benignus
Deucalion raro finxit præcordia ſaxo.
  Nec tamen exſpectet quiſquam dum rhetora fingens
Divitis eloquii prima incunabula pandam;
Et vulgata ſcholis paſſim præcepta [2] recludam,

Tra-

1 *Tradita ſorti*] An [*forte*] potius, juxta illud Ovidianum Met. II. ---- *Cur illi tradita ſorte Æquora decreſcunt* ----

2 *Recludam*] Baſil, Steph, & Commel. revovam.

Tradere quæ poſſit trivialis cura magiſtri:
Vos, o Calliope, precor aſpirate canenti,
Majus opus moveo: ſed nec per devia Tullî,
Aut Fabii longos te circumducere tractus,
Aut per Ariſtotelis ſpineta aſperrima conor:
Commodius patefiet iter, qua nulla ſalebra
Offendet pulſata pedem, qua ſemita noſtris
Trita rotis noto deducet limite greſſus,
Mollia clivoſi dirimens compendia prati.
  Primum iter ingreſſus tenerum de fronte pudorem
Excute: nec vacuæ eſt unquam pudor utilis alvo,
Nec decet audacem niſi ficta modeſtia ſcurram.
Quod ſi naturæ vitio male firma ruborem
Frons trahit, & ſubitas confundit purpura malas,
Tum tibi vel frictus, vel Bacchi largior uſus,
Curaque & aſſiduæ meditatio garrula rixæ
Durabit ſolidum rubicunda per ora cruorem.
  Nec te grammaticas opus eſt ediſcere nugas,
Et tetricis languere ſcholis, tantum elige gnomas
Priſcorum e libris paucas: tria commata Tullî,
Virgilii totidem verſus, vel carmen Horatî
Dimidium: hæc omnis ceu condimenta loquelæ
Semper habe in promtu, ſic creſcet opinio, ſurget
Hinc decus, & ſtupidi magna admiratio vulgi.
  Novi ego, qui tantum ter quinque Latina teneret
Verba, ſed ingenii ſic dexteritate valebat,
Ut quocunque loco, de re quacunque, parata
Semper & ad nutum poſita in ſtatione teneret,
[1] Ταῦτ' ἀπαμειβόμενος. Nec te vox barbara turbet,
Aut temere erumpens lingua titubante ſolœcus:
Tot ſanctos oppone patres: myſteria ſacra
Turpe eſt grammaticis ſubmittere colla capiſtris.
  Nec mihi diſpliceat primo muliebria paſſus
Flore ævi; hinc effrons audacia naſcitur, atque
Fœmineum in morem rixandi inſana voluptas.
  Cura ſit in primis tibi linguam armare veneno
Verborum, Ætna animas, animas tibi torreat Hecla,
Tartara ſulphureis volvant incendia fumis
Mixta, tibi nigris Phlegethontias unda ceraſtis

Bul-

1 Ταῦτ' ἀπαμειβόμενος] i. e. *Hæc reſpondens*, ſive *hoc reſponſo ex adverſo reddito*. Quæ verba longe frequentiſſime Homerus repetit. Alludit ad illud Martialis I. Epigr. 46.

Edita ne brevibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Digitized by Google

Bulliat, & miſeras lacerent cacodæmones umbras,
Donec fracta crepent longis ſub dentibus oſſa.
Nec minus horrendos purgatrix flamma vapores
Evomat, æterno niſi quod non æſtuet igne,
Sed precibus vinci queat, & luſtralibus undis
Exſtingui, Bullis minui, Miſſiſque levari.
Hic ager eſt dives, noſtrique colonia Papæ:
Nectaris hic fons eſt, hæc vectigalia noſtri
Ordinis, hæc fatuo tenduntur retia vulgo.
Iſta relegatos cœleſti a limine manes
Contineat ſedes, donec mercede ſoluta
Extrahat e calida excoctos fornace ſacerdos.
Is muſſet Miſſas, veniis venetur, & undis
Irrorans magicis findat cava buſta ſuſurris:
Sed tantum dites cruciatu liberet umbras.
Iſta tibi ad populum clamanti ſilva miniſtret
Tela: nec ut deſint metuas, [1] dum ſcripta manebunt
Virgilii, dum [2] Lombardi rhapſodia, [3] Thuſci
Nugæ Antonini, ſacri commenta legentur
[4] Gregorii, vel mendici mendacia [5] Thomæ.
Neve ruant lapſis tam ditia tecta columnis,
Quæ ſuper æternam poſita eſt Eccleſia petram,
Tu Petrum ſuper ædifica, qui claudere cœlum,
Tartara qui ſolus poſſit, nec tartara tantum
Solvere, ſed loculos fatuorum, arcæ ſed avaræ
Vincula, ſed ſtantem plenum ad præſepe juvencam.
Hæc qui ſacrilegis auſit convellere verbis
Schiſmaticus ſit & Hæreticus, ſit torris Avernæ
Ollæ, opifex ſcelerum, Furiarum filius, Orci
Germen, & in mentem quicquid tibi ſplendida bilis
Suggeret: huc omnes tonitrus, huc fulgura linguæ

Con-

1 *Dum ſcripta manebunt Virgilii*] *Maronem*, diverſiſſimæ licet ab iis, qui mox memorantur, notæ ſcriptorem, hic recenſet, quod quæ ſexto immortalis operis libro de animarum apud inferos ignea purgatione ab ipſo traduntur, proxime omnium ad Pontificiorum de ſuo Purgatorio dogmata accedere videantur.

2 *Lombardi rhapſodia*] Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis ſcripſit quatuor libros *Sententiarum*, unde & *Magiſter Sententiarum* eſt dictus. Claruit ſeculo duodecimo.

3 *Thuſci nugæ Antonini*] D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, celebris inter Pontificios ſcriptor ſeculo floruit XV. præcipua ejus opera ſunt *Summa Theologica* 4 Voll. & *Summa Hiſtorica* 3 Partt.

4 *Gregorii*] Gregorium Arminenſem intelligit, qui Commentarios in Pet. Lombardi Sententias ſcripſit, ob id *Doctor Authenticus* ſalutatus. Vixit ſeculo XIV.

5 *Thomæ*] D. Thomam Aquinatem innuit, qui ſeculo XIII. florens Theologiam Scholaſticam primus invexit, *Doctor Angelicus* ideo cognominatus.

Digitized by Google

Congere, proque focis hîc depugnetur & aris.
Frigida tu Chriſti & comitum præcepta ſeveris
Linque ſcholis: aut ſi quis adhuc antiqua requirat
Antiquarius, & veterum jejunia patrum,
Tu, mihi crede, tuæ ſemper memor eſto culinæ.
Et quoniam in proceres vulgus maledicta libenter
Accipit, & fandi hæc late patet area bella,
Furta, latrocinia, & vis, fraus, injuria, cædes,
Atque ingens ſcelerum ſemper ſeſe offeret agmen:
Illic tela tuæ poteris [1] diſtringere linguæ.
Res tamen hæc populo longe eſt gratiſſima, quando
Ordo ſacerdotum eſt acri perfuſus aceto:
Nec locus eſt alius fœcundior, ut neque in ulla
Parte magis vitæ regnante libidine tetra.
Hic & craſſorum licet abdomen monachorum
Arripere, hîc luxum cœloque minantia tecta
Pontificum, fractique malis alimenta popelli
In fumum & cinerem converſa, domeſtica caſtra
Scortorum, ſcelerum artifices, molleſque cinædos,
Lenones, ſcurras, balatrones, pſallere doctos
Semiviros, geſtire manu, pede plaudere terram,
Et condire novis exotica fercula ſuccis:
Præſulis hæc ſancti quando eſt non ultima virtus
Majorum a magna non degenerare culina.
Interea fac ſtet mendicus ad oſtia Chriſtus,
Imploretque fidem vinoſi antiſtitis algens,
Et ſitiens, ſaniemque uno non ulcere ſtillans,
Nec ferat ullus opem, niſi forte canicula blanda
Et ſaturo domino clementior ulcera lambat.
Hîc poteris totum Bernardum effundere, manes
Ex Acheronte ciere, animæque audire querelas
Implorantis opem. Sed quid numeramus arenam
Littoris? hic nunquam, mihi crede, oratio deerit,
[2] Dum Papa omnipotens Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque [3] Pater coleatus habebit.

Ne

1 *Deſtringere*] [*Diſtringere* dicendum fuit vid. Ampl. Cuper. IV. Obſ. 5.]

2 *Dum Papa omnipotens*] Verſus ſunt Virgilii Æneid. IX. 448. paullum immutati.

3 *Pater coleatus*] Ita Pontificem Rom. ironice appellat: a Joannæ enim Papiſſæ (quæ mentita ſexum circa annum 855 Pontificatum erat adepta) tempore, ſolebant Pontifices Rom. in ſella perforata collocati, ut Pierii verbis utar, *virilitatem ſuam locupletiſſimis teſtibus* approbare. At is mos jamdudum exolevit: unde non illepide luſit Joannes Pannonius his verſibus,

Non poterat quiſquam reſerantes æthera claves
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic nunc tempore ceſſat?
Ante probat quod ſe quilibet eſſe marem.

Ne nimium Sodomam tamen infamemque Gomorram
Ingere, doctores ne culpa redarguat ipſos.
Hac ubi jam fueris ſat debacchatus arena,
Et proceres licuit populo laniare ſecundo,
Collige paullatim tete, proceresque jacentes
Erige: ſint fontes, & nullo a crimine puri;
Non tamen his cuivis fas obgannire, nec arcto
Solvere colla jugo, quamvis moderetur habenas
Sacrilegus Judas, Romanaque templa gubernet,
Trudat & innumeros ad pallida tartara manes,
Privato mutire nefas: rapiatque feratque,
Et laceret totum convulſo cardine mundum:
Tu tacitus ſpecta, (dices) mundique ruentis
Vindictam permitte Deo: citiuſque parentis
Invalidi jugulum ferro reclude, profana
Quam violes dextra raſi male ſanus honorem
Verticis; uxorem quamvis manifeſtus adulter,
Et natos nataſque tuas compreſſerit, & te:
[1] Sed nube, atque tace potius, nullumque recuſes
Flagitium, quam traducas quos unctio ſanctos
Et raſura facit, ſacræque licentia Bullæ.
His ubi præceptis molles calfeceris aures,
Tum licet adjicias magnæ primordia Miſſæ,
Quoque ſacerdotum gentem decorarit honore
Cœlituum pater: ut ſoli ſibi fingere numen
Murmure verborum poſſint, tenuique farinæ
E maſſa generare Deum, genitumque repente
Frangere, ſacrato fractum merſare falerno,
Viſceraque & carnes, cumque albis oſſa medullis,
Semianimeſque artus avidam demergere in alvum.
Tanta ſacerdoti cum ſit permiſſa poteſtas,
Quam neque purpurei poſſint ſibi ſumere reges,
Quiſquis & ætherios bonus angelus incolit orbes,
Quiſquis & infernas malus angelus incolit umbras,
De pane ut numen faciant, [2] de numine φ φ:
Unde homini fragili hæc projecta audacia, ut auſit
Chriſtophorum vel Chriſtivorum violare nefando
Sacrificum verbo, aut ſceleratam impingere dextram?
Sic in ſacrificos jaciens convicia, vulgus

745 Con-

1 *Sed nube*] Primario ſignificatu verbum *nube* hic adhibuiſſe videtur, *i. e. vela* vel *tege*.

2 *De numine φ φ*] Hoc eſt, quod Chriſtianis auribus horrendum videtur, *fimum* ſive *ſtercus*; φ enim, ſive *phy*, Interjectio eſt rem fœtidam averſantis.

Conciliare potes: ſic rurſum avertere læſi
Iram ſacrifici poteris, cum numinis inſtar
Efficies ſacroſanctum, atque a formidine duri
Judicis exemtum: quamvis fregiſſe paternum
Vicini clament jugulum, matriſque morantis
[1] Vota Sibyllinam laqueo finiſſe ſenectam.
Nam velut ex uſu eſt cunctis afferre timorem
Ordinibus, cunctos ſic conciliare neceſſe.eſt,
Unde vel exigui fulgebit ſpecula lucri.
Unum illud moneo, atque iterumque iterumque monebo,
Et tamen haud unquam monitum ſatis eſſe putabo;
[2] Tarſenſis fuge ſcripta ſenis, fuge toxica noſtri
Ordinis. O primis utinam periiſſet in annis!
Aut manſiſſet adhuc hoſtis! licet, ante renatus
Vivifica quam lympha eſſet, tam multa dediſſet
Funera graſſatus ferro, ingentique procella
Afflixiſſet adhuc tenerum pietatis ovile:
Plus tamen adſcriptus nobis, plus factus amicus
Obfuit: & niſi Funigeri præſaga parentis
(Cornua cui nomen dederant) oracula fallant,
Tempus erit, cum Paulinis male credula ſcriptis
Turba ſacerdotes templis expellet & aris;
Quæque prope in terris ædes imitantur Olympum
Diruet, & cineres divorum atque oſſa profundo
Merget, & immiſſo victricis lumine veri,
Oſtendet populo myſteria noſtra profano.
Illa meo, ſiquidem ventura eſt, ſerior ævo
Hora precor veniat. Sed vos, quibus imminet ingens
Tempeſtas, vigilare decet, cunctoſque monere
Opportune, importune, ne incauta juventus
Occulta attingat prorſus myſteria Pauli,
Neve in vulgares veſana audacia linguas
Transferat, indocto non committenda popello.
Quæ quia non penitus fas eſt abolere, probatæ
Tot ſerie annorum, (quæ cautio proxima) ſaltem
Efficite, ut vulgus tenebris velut abdita cæcis
Sorbonæ hæc ſenibus lippis tractanda relinquat:
Sed tum cum reſides acuerunt pocula ſenſus.
  Noſtra licet ſuper has ſit ſecta exſtructa columnas
Præcipue, non pauca tamen, nec parva ſuperſunt:

Sed

1 *Vota Sibyllinam*] Vide Virgil. Æneid. VI. 321. & Ovid. Met. XIV. fab. 4.

2 *Tarſenſis fuge ſcripta ſenis*] *i. e.* Divi Pauli Apoſtoli; qui ſe Tarſi natum teſtatur Act. XXII. 3.

Sed prope jam vulgata, nec artis egentia noſtræ,
Nec vocis: ſed quiſque ſibi quæ tradat, & uſu
Addiſcat, thalamos ceu conciliare jugales,
Aut male conjunctas cauſſando ſolvere tædas,
Aut ubi deprenſo rupta eſt concórdia mœcho,
Uxori a duro veniam impetrare marito.
Illa tamen patribus ſeges olim uberrima noſtris,
Fingere nocturnos lemures, maneſque vagantes
Luſtrali compeſcere aqua, magiciſque ſuſurris,
Frigida nunc tota eſt; poſtquam naſuta juventus
Pectora craſſorum male credula ridet avorum,
Nec credit niſi quæ Scriptura teſte probaris;
Conjurata licet magnis Sorbona ſigillis
Figmenta affirmet. Verum melioribus annis
Hæc thalami clauſas frangebat machina portas,
Hæc teſtamenti tabulas mutabat, & ibat
Vir peregre Romam, aut Solymam, dum tædia mœchum
Jam ſibi permiſſi caperent lecti: aſt ubi dives
Umbra oblita ſui paucas in funera Miſſas
Legarat, potiuſque ſuis bona linquere natis
Duxerat excedens, quam noſtros ungere caules,
Non impune nefas ſoliti id perferre priores.
Is dolor arma dedit generoſis fratribus undam
Ad Ligeris, qua dives agri, qua dives Jacchi
Oſtentat longe formoſa Aurelia turres.
Et niſi cauta parum pietas in fraude paranda
Inter tot vigiles Argos deprenſa fuiſſet,
Partus honor noſtræ foret & dignatio ſectæ.
Sæpe quidem nobis facimus mala multa: velut cum
Alter in alterius damnum ſeſe ordinis armat.
Berna novum ſibi Franciſcum jam finxerat, & jam
Stigmata clara pedum & manuum confixa patebant;
Ni vicina dolens augeſcere commoda livor
Ficta renudaſſet magnó ludibria riſu,
Nec damno leviore. Italæ ſapientia major
Illa oræ, quæ Senenſis tacite Catharinæ
Vulnera diſſimulans, penſat mendacia quæſtu,
Barbaricumque ad ſeſe his artibus attrahit aurum.
Sed tamen hoc ævo temere miracula fingi
Noluerim, niſi monticolas inter craſſoſque
Paſtores: nec paſtores jam ſpernere tutum eſt,
Quando etiam in ſolas migrat ſapientia ſilvas.
Quis rigidos Scotos gelidi ſub vertice cœli
Aut animum, aut aures, oculoſve habuiſſe putaſſet?

Et

Digitized by Google

Et tamen ille catus vetularum Langius auceps,
Cum teter locus errori & nox cæca faveret,
Non potuit celare piæ ludibria fraudis.
Campus erat late incultus, non floribus horti
Arrident, non meſſe agri, non frondibus arbos,
Vix ſterilis ſiccis veſtitur arena myricis,
Et pecorum rara in ſolis veſtigia terris:
Vicini Deſerta vocant. Ibi ſaxea ſubter
Antra tegunt nigras Vulcania ſemina cautes:
Sulphureis paſſim concepta incendia venis
Fumiferam volvunt nebulam, piceoque vapore
Semper anhelat humus: cæciſque incluſa cavernis
Flamma furens, dum luctando penetrare ſub auras
Conatur, totis paſſim ſpiracula campis
Findit, & ingenti tellurem pandit hiatu:
Teter odor, triſtiſque habitus facieſque locorum.
Illic ſæpe animas torqueri Langius, illic
Sæpe queri & longas in fletum ducere voces
Audiit, aut voluit credi audiviſſe frequenter,
Et vitulabundos cacodæmonas, & per arenas
Caudarum longos ſinuatim ducere tractus.
Sæpe etiam infernæ, quoties jejunus adibat
Antra, ſibi viſus nidorem haurire culinæ.
His ubi jam vulgi ſtolidas rumoribus aures
Imbuerat, parat Exorciſmum: circulus ingens
Ducitur, hunc intra ſpatio breviore minores.
In medio ſtabat palus, juxtaque catinus
Plenus aquæ, ſed cui cineremque ſalemque ſacerdos
Addiderat multo cum murmure, nec ſine anhelis
Flatibus. Hoc poſtquam ſcena eſt inſtructa paratu,
Langius ipſe pater ſacro venerandus amictu,
Circum omnem irrorat ſetoſi aſpergine ſceptri,
Verbaque præcipiti contortuplicata rotatu
Convolvens, cœlum ac terras adjurat & undas,
Et tremefacta imis Acherontia regna cavernis.
Et jam nox aderat ſecreti conſcia ſacri,
Jamque e vicinis populus convenerat agris,
Matres atque viri, pueri innuptæque puellæ,
Scire avidi quo tanta cadant promiſſa: niſi ille
Conſcia ſecreti formidans lumina & aures,
Eſſe procul magna juſſiſſet voce profanos;
Quive ſacerdoti non illa luce diſerte
Cuncta ſuſurraſſet tacituram crimina in aurem:
Laica ne trepidi fugiant commercia manes,

Neve

Digitized by Google

Neve inhians prædæ vel jejunus cacodæmon
Involet, & laceret ſceleratorum unguibus artus,
Ducitur ad palum velut hoſtia ruſticus ipſe,
Ficta quidem gnarus cuncta, at formidine tanta
Attonitus, quam ſi Stygia egreſſurus ab alno
Aſpiciat nudas mandentem Cerberon umbras;
Sive animo timor a puero conceptus, aniles
Fabellæ haud modicus pueris plorantibus horror,
Sive locus fumo & cæca caligine opacus,
Et velut infernæ terrebat imago culinæ.
Cætera ſubmoto clam cuncta peracta popello:
Sed tamen audiri gemitus, voceſque minantis
Dæmonibus, mixtæque preces, nulloque rogante
Interdum reſponſa dari: nunc tollere vultus
In cœlum, nunc figere humi, nunc plangere pectus
Langius, & ſacra templum conſpergere lympha,
Donec avis lucis prænuntia ſpectra moneret
Cedere, & in veterem ſe denuo condere nidum.
[1] Tum templo egreſſi, dicenda tacenda referre
Langius, umbrarum pœnas, flammæ rapidam vim
Luſtralis: quot carnifices cacodæmones ollas
Admoveant, verubus quot figant, fluctibus umbras
Quot merſent gelidis, quot Miſſis cui levetur
Pœna, velut civis Stygio vixiſſet Averno,
Ordine cuncta recenſebat: neque credula deerat
Turba homini: purgatricis rediviva favillæ
Gloria creſcebat, multum indignante Luthero:
Et creviſſet adhuc, niſi vel formidine captus,
Vel pretio victus, vel vino, ruſticus ille
[2] Anormis comes, Exorciſmi proditor, eheu!
Cuncta revelaſſet taciti mendacia ſacri.
Ex illo fluere, & retro ſublapſa referri
Spes prædæ, & nimium vivacis gloria veri
Creſcere. Quapropter, moneo, dehinc fingite parce
Somnia, nocturnos lemures, miracula, ni ſors
Aut apud extremos fieri dicantur Iberos,
Americoſve, aut Æthiopas, calidove ſub axe,
Et caput ignotis ubi Nilus condit arenis,
Unde aderit nemo, qui teſtis dicta refutet.

For.

1 *Tum templo egreſſi*] An forte *egreſſis?*
2 *Anormis comes*] Recentioribus *Enormis* legitur: *Abnormis* forte Buchan. ſcripſerit, præ oculis habens illud Horatii 2. Sat. II. 3.
Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minerva.

Forſitan externos ſolertia fugerit hoſtes
Callida; ſed peſtem natam intra viſcera, & ipſis
Hærentem venis hominum vix ulla cavebit
Cura: niſi noſtros vis provida numinis olim
Reſpexiſſet avos, jamdudum Funiger ordo
Proditus a propriis miſere periiſſet alumnis.
Si quis erit fratrum, qui ſuaſu dæmonis auſit
Efferre in vulgus myſteria condita, fraudes
Occultas, ritus nocturni arcana, negatum
Depoſitum, cæſas poſt ſtupra nefanda puellas,
Quicquid & exſtinctis frater patrare lucernis
In fratres ſolet imberbes: hæc prodere ſi quis
Audeat, extemplo ſcelerato ſanguine pœnas
Solvat, & æterna compoſtus pace quieſcat.
Hæc ſunt, quæ noſtro liceat ſermone monere.
Et jam plena epulis menſarum fercula fumant,
Latrantemque fame ſtomachum prope verba relinquunt.
¶ Hactenus Eubulus, qui facta nefanda peroſus,
Funigerûm pœnas etiam metuebat acerbas,
Orgia non veritus populo evulgare profano.
Is mihi carminibus luſtrato, & ſulphure, & ovo,
Et vlva rorato unda, cerebroſa fugavit
Somnia de raſis, de cannabe, deque cucullis;
Inque hominum nugis ad lucra nefaria fictis,
Nulla eſſe ad vitam docuit momenta beatam.

GEORGIUS BUCHANANUS
CAROLO UTENHOVIO F.

S.

C*ENSOR meorum carminum*, UTENHOVI, *meos*
Commendo Fratres *hos tibi*,
Fratres *quidem* Fraterrimos: *hoc eſt*, *malos*,
Craſſos,

1 In editione Baſil. additur, *Erudito juxta ac ſincero amico.*
In eadem editione Baſil. hæc ſunt ſubjuncta; *Edinburgo* 1564 *Idibus Junii. Qui te unice diligit*, BUCHANANUS.

Craſſos, ineptos, garrulos.
Tu necte, plecte, cæde, fac gemant ſuis
Variata terga funibus.
Sin pectus illis non ſit inſanabile,
Medentis ut ferant manum;
Unus mederi poteris, artes cui ſuas
Indulſit uni Delius:
Sic ut profunda conditum caligine
Ab uſque Lethæis vadis
r Nonnum *evocaris, graviter iratis ſua*
Parcis retexi ſtamina:
Et jus Latinæ civitatis & togæ
Reſuſcitato indulſeris:
Et qui latebat ante ſqualidus ſitu,
Grajiſque vix notus ſuis,
Cultu Latino nunc ſuperbus ambulans
Vates vetuſtos provocat.
Hunc ſuſcitare qui potueris mortuum,
Fors & meos Fraterculos
Sanare penitus ſi minus queas, tamen
A fauce mortis erues.
Nec id laboro, delicato in otio
Ut ſuaviter curent cutem:
Satis ſuperque eſt ſi maligne victitent,
Pannis & annis obſiti,
Laceri flagellis, famelici,
Quæ vita digna eſt Fratribus;
Diuque vivant, & pœnas luant diu,
Mortemque timeant, & velint.

FRA-

r *Nonnum evocaris*] [Valer. Andr. in Bibliotheca Belgica Nonnum ab Utenhovio editum inter ejus opera non recenſet, neque prodiiſſe ſcimus. vid. Fabric. Biblioth. Græc. lib. v. cap. 16. t. vii. pag. 686. Falkenburgius in præfatione ad Sambucum, exſpectari ab Utenhovio Latinam Nonni non tantum interpretationem, ſed & ipſum auctorem ab omnibus mendis vindicatum, ſcribit. quare Buchanani verba, quaſi jam *cultu Latino ſuperbus ambulares vates*, ita capienda, ut ſperaret brevi prodituram verſionem. nam ſi hec Utenhovio præfatio ſcripta eſt A. 1564. nondum potuit prodiſſe ejus verſio Nonni, quam adhuc A. 1569. exſpectat Falkenburgius]

FRATRES FRATERRIMI.

I. *In Antonium Tomarium Abbatem.*

O Fama, priſci laudibus ſecli tumens,
Præſens ſuperbo deſpuens faſtidio,
Accede, ſpecta quid priorum temporum
Opponat ætas noſtra magniloquentiæ:
Non quod Platoni, rancidove Socrati,
Sophiſque falſo dictitatis comparet,
Sed Chriſtianæ puritatis unicum
Exemplar, unum ſpecimen, unam imaginem,
Unamque vitæ corrigendæ regulam,
Unumque Chriſti proxime veſtigia
Qui perſequatur, indicetque cæteris,
Vitamque vita penitus exprimat ſua,
Antonium Tomarianum Antiſtitem.
Chriſti parentum nemo vidit alterum:
Nec ipſa mater novit Antonî patrem.
Uterque paſtor, noſter hac parte eſt prior;
Hic paſcit herbis, ille verbis paverat.
Ut quinque panibus ille quinque millia
Saturavit, iſte (ne ſaturitas noxia
Animæ inquinaret puritatem, ut arbitror,)
Ad quinque panes quinque plebis millia
Redegit: ut, ſi quid ſuperſit, ut reor,
Fragmenta poſſet abſque cophino tollere.
Ut ille vera vitis, hic verus meri
Eſt uter: ille verba ſevit, hic viros.
Piſcator hic, piſcator ille, retia
Uterque tendit diſpari compendio:
Comprendit ille pauculos pauperculos,
At iſte clauſtra plena monachis pinguibus.
Aucupibus hic eſt atque venatoribus
Comitatus, olim ut ille piſcatoribus.
Et hic & ille crediti cum fœnore
Exactor aſper, dena utrique altera decem
Talenta, quinque quinque pariunt altera.
Quæ ſparſit alius, hic & ille colligit:
Quæ ſevit alius, hic & ille demetit.
Cum publicanis atque peccatoribus
Libenter ille cœnitare dictus eſt:
Cum publicanis atque peccatoribus
Sic ratio noſtro ſemper eſt Antonio,
Ut pene decoris immemor, lucri memor,
Publicanus eſſe non recuſet. Pauperum
Secuta Chriſtum turba ſemper eſt comes,
At iſte late quam patet vicinia,
Agris propinquos pauperes reddit ſuis,
Quorum caterva, qua nequit pedibus ſequi,

Diris probriſque ſequitur & conviciis.
Chriſti perunxit una peccatrix caput,
Pedeſque lacrymis lavit, exterſit comis:
Iſtius humeros, colla, pectus, brachia,
Caput, pedeſque & crura, ventrem & ilia,
Si ſcire cupias quot meretrices lavent,
Tergant, refoveant, induant & exuant,
Scies facilius quot capillos verticis
Ex area alba tonſor illi demetat.
Chriſtus paternam jam reviſurus domum,
Fidis tuendum comitibus gregem dedit:
At hic Avernam jam reviſurus domum,
Monachis tuendum pinguibus gregem dedit.
Paſſim per agros jam cucullati patres
Oves ſequuntur, &, colono paupere
Cum prole pulſo ſordida, late ſolum,
Paſtore monacho, paret uni Antonio,
Ut per propinqua rura grex ſit unius,
Et unum ovile, & paſtor unus. Unica
Sed pars omiſſa eſt, unicam quam maxime
Agere decebat: Chriſtus immerito luit,
Sic iſte merito luere pœnas debuit.
Sed juſta ſi quid vota pauperum valent,
Quos laribus inopes expulit, ſontem hæ manent
Inter comantes angue torto Erinnyas.

II. *In Beleagonem.*

Beleago fomes & parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit,
Mali ſuſurrat neſcio quid clanculum:
At fama de illo non ſuſurrat, ſed palam
Hoc univerſus populus affirmat, quod eſt
Beleago fomes & parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit.
Hoc igitur æquus æſtimator judicet,
An mentiatur populus univerſus, an
Beleago fomes & parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit.

III. *Imago ad peregre venientes religionis ergo.*

1 FARE age qui terras luſtras vagus hoſpes & undas,
Quid petis hinc? longæ quæ tibi cauſſa viæ?
Non Deus hic quiſquam, nec imagine numen in iſta eſt,
Nos lapis & tantum putria ligna ſumus:

Ver-

1 *Fare age*] Quibuſdam libris *Fare ebo*, legitur.

Vermibus eſca, cibus tineis, domus hoſpita blattis,
Opprobrium cœli, ludibriumque ſoli.
Non capiunt humiles numen cœleſte penates,
Structa nec humana ſaxea tecta manu.
Quem mare, quem tellus, quem non capit igneus æther,
Clauditur in nullo ſpiritus ille loco.
Ut Chriſtum invenias, animi ſecreta revolve,
Aut lege fatidici quæ cecinere patres:
Aut quæ dives habet paſſim circumſpice mundus,
Hæc vera eſt ædes, hoc penetrale Dei.
At quiſquis picto gaudet dare baſia trunco,
Craſſaque pulvereo lingere ſaxa croco,
Dignus morte perit, qui mortua vivus adorat,
Et vitæ in fragili ſpem ſibi ponit humo.
Si te picta juvant, cariem ne perline trunci,
Sed vera mentem ſimplicitate tuam,
Hac ratione domi poteris reperire, quod omnes
Erro vagus terras ſic peragrando fugis.

IV. *Ad Paſquillum.*

PRÆSULE de Paulo, præſul doctiſſime vatum,
Paſquille, dic quid ſentias?
Nec [1] melius paullo quidquam eſt antiſtite Paulo,
Et pejus eſt Paulo nihil.

V. *Ad Elizabetham Sereniſſimam Angliæ Reginam*, ODE.

QUamvis vetuſto ſtemmate ſplendeas,
Regina, Princeps optima Principum,
Quacunque magnum ſol per orbem
Flammiferos agitat jugales:
Quamvis feroci Marte ſubegeris
Hoſtes rebelles, & populi feros
Motus, & inſanos tumultus
Lenieris, ſine cæde, victrix:
Virtutis inter tot titulos tuæ,
Et [2] ſempiternas fulget adoreas,
De fauce avarorum latronum
Religio pia vindicata.
Jam nulla ſaxis figimus oſcula,
Nulla e ſepulchris tracta cadavera
Gemmis refulgent, faſcinantque
Indociles animos popelli.
Non otioſæ dedita næniæ
Mendica fratrum turba rapacium
Paſſim vagatur, collocatque
Fœmineo inſidias pudori.

Sub

1 *Nec melius*] Commelin. & alia editio anno 1594. *Nil melius paullo factum eſt antiſtite Paulo.*

2 *Et ſempiternas*] Ita Editio Edinburgenſis And. Hart; alii autem codices, quod ſciam, omnes exhibent,
—— *tuæ & Laudum perennes fulget adoreas.*

Sub te licebit Principe libere
Chriſtum fateri, ficta retellere,
Myſteriumque veritatis
Sepoſito reſerare fuco.
Ergo ſalutis ſollicitum tuæ
Cœleſte numen pervigil excubat,
Et impiorum inauſpicata
Vota facit, retegitque fraudes.
Super dracones fortis inambula,
Sævam leonum frange ferociam:
Per aſpides erra & per oras
Quas Libycus baſiliſcus afflat.
Cœli favor te, te pietas tua,
Te ſupplicantum continuæ preces
(Prædonibus quos ex avaris
Eripis) incolumem reducent.

VI. *Piſtoris & Pictoris Dialogiſmus.*

CONTENDUNT ſpecimen piſtor pictorque uter edat
Pulchrius, hic fuco doctior, ille foco.
Hic feciſſe Deum ſe jactat: Rettulit ille,
Corpus ego verum, tu ſimulacra facis.
Dentibus aſſidue teritur Deus hic tuus, inquit:
Corrodunt vermes, rettulit ille, tuum.
Pictor ait, Multos meus integer aſtat in annos,
Sæpe una innumeros devorat hora tuos.
At tibi vix toto Deus unus pingitur anno,
Piſtor ait, decies mille dat hora mihi.
Parcite, ait myſtes, fruſtra contendere verbis:
Nil ſine me poterit veſter uterque DEUS.
Et quia utrumque [1] Deum facio, mihi ſervit uterque:
Namque [2] hic mendicat, manditur ille mihi.

VII. *Ad idolorum cultorem.*

MANE, *Pater noſter*, cum ſurda idola ſalutans
Ingeminas, ſana mente videre loqui?
Saxeus illo ipſo magis es, me judice, ſaxo:
Quippe patrem ſaxum qui fateare tuum.

VIII. *In eundem.*

OSCULA, ſerta, roſas das & libamina ſaxo?
Teque [3] pium dici, cum facis iſta, cupis.
Quid tibi pro tanta majus pietate precemur,
Quam ut fias numen tu quoque, quale colis?

IX.

1 *Deum facio*] Baſil. & Hart, *ſacrum reddo*
2 *Namque*] Baſil. *Atque hic.*
3 *Teque pium*] Baſil. *Teque cupis dici, cum facis iſta, pium.*

Digitized by Google

IX. *In*[1] *Hypocritam quendam.*

ILLE vides naſo qui incedit ſeſquipedali,
Qui quicquid loquitur ſeſquipedale ſonat:
Qui longo gaudet voces producere tractu,
Qui ſemper longo ſyrmate verrit humum:
Qui latus exhauſtum non una ſindone veſtit,
Qui capiti inducit pilea plura pilis:
Rarus ſermo, gravis greſſus, talaris amictus,
Ut rere, egregii[2] ſunt ea ſigna Sophi.
Sed cur ſacrificos gaudet ſtipare cinædos?
Cur ſapiens ſtolidos ſic ſine fine colit?
Auctio ſectorum cordi eſt, non actio ſectæ,
Donec ſector erit, nempe ſecutor erit.

X. *In Pium Pontificem.*

VENDIDIT ære polum, terras in morte relinquit;
Styx ſupereſt Papæ, quam colat, una Pio.

XI. *In Julium.*

STare diu haud poterant mundusque & Julius una,
Omnia perdendi tam ferus ardor erat.
Ergo ne ante diem mundi ſtructura periret,
Ad Styga diſceſſit Julius ante diem.

XII. *In Paulum Pontificem.*

PAULUS ab Hebræo ſcis quantum diſtet Iuda?
Hic cœli Dominum vendidit, ille domum.

XIII. *In Pontifices.*

[3] PÆDICAT Paulus, contemnit fœdera Clemens,
Sacrilega tractat Julius arma manu.
Et quiſquam ſceleris nomen formidat inane,
Auctores ſcelerum qui videt eſſe Deos?

XIV.

1 *In Hypocritam quendam.*] Baſil. *In P. T. D. R. H. P. I. Hypocrytam.*
2 *Sum*] Baſil. *ſunt.*
3 *Pædicat Paulus*] Quidam libri *Prædicat*, adverſante & metro & ſententia

XIV. *In* [1] *Romam*.

HI colles, ubi nunc vides ruinas,
Et tantum veteris cadaver urbis,
Quondam cæca LUPIS fuere luſtra,
Donec per freta vectus Arcas exul,
Pani, pelleret ut LUPOS, Lycæo
LUPERCALIA feſta dedicavit:
Nudos currere juſſit & LUPERCOS,
Sacrum & collibus addidit LUPERCAL.
Sed vis inſita, contumaxque flecti
Pervicit genius laborem & artem,
Et per ſecula longa ne perirent
Iſtis ſemina collibus LUPINA,
Triſtes progenuit ſolum LUPINOS,
Lætos progenuit LUPOS ſalictum.
Et conjux LUPA Fauſtulo tyranni
Albani pecoris fuit magiſtro:
Et qui mœnia prima condidere,
Nutrivit LUPA Romulum Remumque:
Et Floralia feſta ſunt LUPARUM,
Et quondam in media fuit Suburra,
Vico urbis celeberrimo, LUPANAR:
Et quos Fabricios graves putabis,
Obſerva, invenies LUPOS voraces:
Et quas Sulpicias reare caſtas,
Obſerva, invenies LUPAS ſalaces.
Et ne poſſe Deos LUPIS carere
Credamus, ſacer eſt LUPUS Gradivo:
Et LUPOS mare laneos, & amnis
Sub cryptam mediæ vomit Suburræ:
Nec putris ſoboles araneorum
Non cognomine nobilis LUPORUM eſt.
Totam denique quantacunque Roma eſt
Naſcentem, vegetam excute, & ruentem,
Nihil comperies niſi LUPERCOS,
LUPERCALE. LUPOS, LUPAS, LUPANAR.

XV. *In eandem Romam.*

NON ego Romulea miror quod paſtor in urbe
Sceptra gerat, paſtor conditor urbis erat.
Cumque LUPÆ gentis nutritus lacte ſit auctor,
Non ego Romulea miror in urbe LUPOS.
Illa meum ſuperat tantum admiratio captum,
Quomodo ſecurum ſervet ovile LUPUS.

XVI. *In eandem.*

ROMA armis terras, ratibuſque ſubegerat undas,
Atque iidem fines orbis & urbis erant.
Vincere reſtabat cœlum, perfregit Olympum

Priſco-

[1] *In Romam.*] Baſil. *In Romam, carmen ut omnium venuſtiſſ. ita veriſſimum.*

Priſcorum pietas aurea Pontificum.
At bona poſteritas, auſis ne cedat avitis,
Tartara præcipiti [1] tendit ad ima gradu.

XVII. *Paſquillus loquitur.*

ESSE putas forſan me fragmina trunca columnæ,
Vel de præcipiti ſaxa voluta jugo:
Falleris: ille ego ſum Paſquillus in urbe Quirini
Notus, & in formas impiger ire novas.
Nunc putor inducto Cyllenius eſſe galero:
Me facit æquoreum fuſcina ſumta Deum.
Adde mihi citharam, fiam manifeſtus Apollo:
Pampineos thyrſos adde, Lyæus ero.
Pallada me clypeus, Phœben facit aureus arcus:
Da fulmen, Juno dixerit eſſe Jovem.
Sum pax, ſum bellum, lis & concordia fio:
Nunc volucris pennis, nunc fera tecta pilis.
Denique tranſiero cuncta in miracula rerum,
Sed puero Romæ non licet eſſe mihi.
Hoc quoque ero per purpureos aliquando cinædos,
Si liceat laxas non habuiſſe nates.

XVIII. *In Dionem & Clementem.*

EBRIA cum dubio titubans veſtigia paſſu
Vix regit, & blæſo [2] blandulus ore ſonat:
Cum lacrymis oculique madent, pectuſque falerno,
Sancte feſta Dion ſe coluiſſe putat:
Sic etenim ſuaſit multos diffuſus in annos
Ritus ab antiquis uſque petitus avis.
At Clemens dum ſancta legit monumenta parentum,
Dum populo ad cœli limina pandit iter;
Otio legitimo violat dum feſta labore,
Rite diem feſtum ſe coluiſſe putat:
Sic etenim veterum ſuadent [3] exempla parentum,
Oreque veridici prodita juſſa Dei.
Utrum igitur laudas? quando defendit uterque,
Legibus hic, cauſſam moribus ille ſuam.
Si liceat juſte cauſſas expendere, feſtum
Ille colens violat, hic violando colit.

XIX.

1 *Tendit*] Baſil. *currit ad atra.*
2 *Blandulus*] Baſil. *Blandior.*
3 *Exempla parentum*] Baſil. *monumenta parentum.*

Digitized by Google

XIX. *Fratres Fraterrimi.*

CUM Monachi fratres ſint, quos vel candida veſtis,
Vel nigra, vel gemino mixta colore tegit:
Quanta tamen miſeros agitat diſcordia fratres!
Quam non fraternæ fœdera pacis amant!
Non ita germanum reducem trux oderat Atreus,
Atrea viſceribus non ſatur ille ſuis.
Mitius Oedipodæ ſoboles exarſit in iras,
Mitior indomitas incitat ira feras.
Eventu o ſimili ceſſet fraterna ſimultas,
Et dirimat calvos exitus iſte patres!
Dentibus & gladiis in mutua [1] funera currant,
Ira nec extremi ceſſet in igne rogi.

XX. *In Pantalabum.*

[2] DIcunt Grammatici ſuos Cucullos,
Dicunt Rhetores horridos Cucullos,
Et quiſquis Latias ſemel Camœnas
Vel primis modo contigit labellis.
Sic olim in Satyris Cucullum Aquinas
Et durum & Venetum poëta dixit.
Verum Pantalabus ſeverus ille
Franciſcanus, & horridus ſophiſta,
Clamoſæ & ſophiæ ſenex magiſter,
Dicit perpetuo ſuam Cucullam,
Laudat perpetuo ſuam Cucullam,
Per [3] ſacram quoque dejerat Cucullam,
Per ſacram quoque pejerat Cucullam:
Suoſque edocuit Cuculliones
Sacra [4] ſpem ſibi ponere in Cuculla.
Prudens id facit ille, ne quid erres,
Non lapſu temerario loquendi,
Nec quod ſic genus ille fœmininum
Ardet jam [5] miſer impotente amore,
Calvo vertice, languidoque pene:
Sed quod relligioſa res ſit illi,
Cum deeſt fœmina maſculis abuti.

XXI. *In eundem.*

SI quis jam tremula piger ſenecta,
Morbo, aut vulnere languidus recumbat,
Statim Pantalabus ſagax odorem
Sentit funeris, & cadaver, ante
Quam corvique, caneſque vultureſque,
Et ſagacius acribus moloſſis,
Per veſtigia certa certus ædes
Ægroti petit eſuritor audax;
Pulſa conjuge, liberis, propinquis,
Ceras delet & oblinit priores,
Natos abdicat, occinitque in aurem
Morbo deſipientis, & ſenecta

De-

1 *Funera.*] Baſil. *vulnera.*

2 *Dicunt Grammatici*] De hoc Epigrammate ſic Ferrarius de re veſt. part. I. lib. I. cap. 22. *Scotorum doctiſſimus non illepide in genus quoddam hominum ludit, quod ſexus ignoratione barbare ac præpoſtere cucullam appellent, & ſic veluti naturam invertant. Sed, ut arbitror, iſtis Latinitatis oſoribus,* cuculla *eſt contracte* veſtis cucullata, *ſive habens* cucullum, *qualis Benedictinorum.*

3 *Per ſacram quoque dejerat Cucullam*] In Baſil. deeſt hic verſus.

4 *Sacra*] Baſil. *ſacram.*

5 *Ardet jam miſer*] Baſil. *Ardeat miſer.*

Deliri ſenis, ut caput Cucullo
Obducat, moriatur in Cucullo:
Amorem ſuperûm ſacrum Cucullum,
Timorem cacodæmonum Cucullum,
Cuncti delicias poli Cucullum,
Id unum canit, urget, orat, inſtat,
Id unum reboat, ſonat, tonatque:
Id unum tamen expedire neſcit
(Negotî quod erat caput) beati
Quî fit ut moriamur in Cucullo,
Cum nemo bene vivat in Cucullo.

XXII. *De [1] Monachis S. Antonii.*

DICERIS, Antoni, porcos paviſſe ſubulcus
Vivus, adhuc Monachos lumine caſſus alis.
Par ſtupor ingenii eſt ventriſque abdomen utriſque,
Sorde pari gaudent ingluvieque pari.
Nec minus hoc mutum pecus eſt brutumque ſuillo,
Nec minus inſipidum, nec minus illepidum.
Cætera conveniunt, ſed non levis error in uno eſt,
Debuit & Monachis glans cibus eſſe tuis.

XXIII. *In [2] quendam Præſulem.*

CUM te mula vehit nihilo te indoctior ipſo,
Et nitet, ut par eſt, murice uterque pari.
Quod [3] non te proceresque colant, & vulgus adoret,
Presbyteris, clamas, nullus habetur honos.
Non tum ceſſat honos, Præſul cum ſpernitur excors,
Sed cum regnat ὄνος, tum male ceſſit honos.

XXIV. *In Pantalabam.*

VIS te miremur, putri quod verme cucullo
Undante [4] abſumta viſcera pelle patent:
Impia quod ſtolido vendas mendacia vulgo,
Quod laudet nugas plebs male ſana tuas:
Quod male dum cantas, quos non intelligis, hymnos,
Rancida de balba ſibila nare ſones:
Quod tribus Anticyris caput inſanabile radas,
Quod bibat immundam calceus udus aquam:
Quod tunicam fluxam nodoſa cannabe cingas,
Cum melius fauces ſtringeret illa tuas.
Miramur certe, ſed non cum deſide vulgo,
Sed velut Harpyias, Gorgonas aut Furias.

XXV.

1 *De Monachis*] Baſil. *Ad Divum Antonium.*

2 *In quendam Præſulem*] Baſil. *In Scarabaum.*

3 *Quod non te*] Baſil. *Ni proceres Scarabae, colant te, & ——*

4 *Abſumta viſcera pel'e*] Libri vetuſtiores [*abſumto*] nullo, ut mihi videtur, ſenſu.

XXV. *Fratres extra mundum.*

PENE, manu, lingua, fratres munda omnia fœdant,
In mundo merito ſeſe habitare negant.

XXVI. *In Petrum Gonellum Dominicanum.*

IN vino audivit verum latitare Gonellus,
Seſquipede extento pinguis aqualiculo.
Sicne, ait, in nugis fruſtra conſumſimus annos,
Et tulimus tetricæ jurgia lenta ſcholæ?
Ergo vale ſterilis veri Sorbona, tuumque
Accipe diſcipulum docta taberna novum.
Ex illo ad craſſam ſcrutatur dolia fæcem,
Pervigil & noctes perbibit atque dies.
Tandem conſumtis fœcunda in pocula nummis,
Hoc veri invenit, Nil ſcio, nil habeo.
Solandoque ſui lepide ludibria damni,
Socrate ſe jactat non minus eſſe ſophon.

XXVII. *In eundem.*

CUM vetus effuſo biberetur milite vinum,
Nec fore maturum ſpes foret ulla novum:
Immatura pater biberet ne vina Gonellus,
Matura Stygias morte petivit aquas.

XXVIII. *Adventus in Galliam.*

JEjuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebæque tantum fertiles penuriæ,
Valete longum. At tu beata Gallia
Salve, bonarum blanda nutrix artium,
Cœlo ſalubri, fertili frugum ſolo,
Umbroſa colles pampini molli coma,
Pecoroſa ſaltus, rigua valles fontibus,
Prati virentis picta campos floribus,
Velifera longis amnium decurſibus,
Piſcoſa ſtagnis, rivulis, lacubus, mari;
Et hinc & illinc portuoſo littore
Orbem receptans hoſpitem, atque orbi tuas
Opes viciſſim non avara impertiens;
Amœna villis, tuta muris, turribus
Superba, tectis lauta, cultu ſplendida,
Victu modeſta, moribus non aſpera,
Sermone comis, patria gentium omnium

Com-

Digitized by Google

Communis, animi fida, pace florida,
Jucunda, facilis, Marte terrifico
minax,
Invicta, rebus non ſecundis inſolens,
Nec ſorte dubia fracta, cultrix numinis
Sincera, ritum in exterum non degener:
Neſcit calores lenis æſtas torridos,
Frangit rigores bruma flammis aſperos,
Non peſtilentis pallet Auſtri ſpiritu
Autumnus æquis temperatus flatibus,
Non ver ſolutis amnium repagulis
Inundat agros, & labores eluit.
Ni patrio te amore diligam, & colam
Dum vivo, rurſus non recuſo viſere.
Jejuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebaſque tantum fertiles penuriæ.

XXIX. *Braſilia.*

AFRICA deſeritur, miles mendicat egenus,
[1] Vi ſine tuta fugax oppida Maurus habet.
Accipit obſcœnos Braſilia fuſca colonos,
Quique [2] prius p..... foderat, arva fodit,
Qui ſua militibus tollit, dat rura cinædis,
Jure ſub adverſo nil bene Marte gerit.

XXX. *In Colonias Braſilienſes, vel Sodomitas [3] a Luſitanis miſſos in Braſiliam.*

DEſcende cœlo turbine flammeo
Armatus iras, Angele, vindices,
Libidinum jam notus ultor
Exitio Sodomæ impudicæ.
En rurſus armis [4] quod pereat tuis
Luſtrum Gomorrhæ ſuſcitat æmulum,
Syrûm propago, & exſecrandæ
[5] Spurcitiæ renovat palæſtram.
[6] Pars iſta mundi, quam ſibi propriam
Sedem dicavit mollis amœnitas
Luxuſque, ſub fœdis colonis
Servitium tolerat pudendum.
Abominandis arſit amoribus
Strigoſus æſtu, pauperie & fame,
Glandis vorator, virulentum
E raphanis redolens odorem.
Quem, rere, ponet nequitiæ modum
Frenis libido libera? & inſolens
Humanioris ferre victus
Illecebras meliore cœlo?

1 *Vi ſine*] Ita Baſil. 1568 Steph. 1569. & recentiores libri omnes: at Genev. 1584 & 1594. Commel. 1609, & Hart. 1615. *Ut ſine*, reclamante ſenſu, ut vir doctus admonuit.

2 *Prius pueros*] Baſil. *prius fœde vixerat.*

3 *A Luſitanis miſſos in Braſiliam*] Abſunt hæ voces ab omnibus editionibus præter unam Edinburg. And. Hart.

4 *Quod pereat*] And. Hart., *pareat*, adverſante & metro & ſenſu.

5 *Spurcitiæ renovat palæſtram*] Ita vetuſtiis codices. Elzev. vero 1628, *renovas.* Lond. 1686. Wetſt. 1687, & aliæ Edit. Belgicæ *renovans.*

6 *Pars iſta*] Antiquiores *Pars illa*

O Chriſtiani infamia nominis!
O fœda labes & nota temporum!
O turpium turpiſque cauſſa, &
Exitus, & pretium laborum!
Ignota roſtris verrimus æquora,
Gentes quietas ſollicitavimus
Terrore belli, orbiſque pacem
Miſcuimus miſero tumultu.
Per ferrum & ignes & mare naufragum
Secreta rerum clauſtra refregimus,
Ne deeſſet impuris cinædis
Proſtibulum Veneris nefandæ.
Gens illa nullos mitis in hoſpites,
Et ora victu aſſueta nefario,
Portenta conſpexit Cyclopum
Sanguinea dape fœdiora.
Nunc Scylla ſævos exſere nunc canes,
Nunc nunc Charybdis vortice ſpumeo
Convolve fluctus, & carinas
Flagitiis gravidas reſorbe.
Aut hiſce tellus in patulos ſpecus,
Ætherve flammis perde ſequacibus
Turpes colonos, Chriſtianæ
Dedecus opprobriumque terræ.

XXXI. *In* [1] *Antiſtitem quendam.*

ESSE Lutheranum rumor te, Poſthume, clamat:
Sed tuus Antiſtes te tamen eſſe negat.
Tam [2] ſcortaris, ait, quam ſi vel Epiſcopus eſſes,
Et potas dubiam pervigil uſque diem:
Nec memor es Chriſti, niſi cum jurare libebit,
Nec ſcis Scripturæ vel breve Iota ſacræ.
Nempe per hæc ſuevit nunquam fallentia ſigna
Ille vigil ſanas noſcere paſtor oves.
Quiſquam igitur dubitat, rumorne an Epiſcopus erret,
Tam bene commiſſam qui ſibi novit ovem?

XXXII. *In Codrum.*

ILLE ſenex civis, rigidique exemplar honeſti,
Codrus, heri parvo conditus eſt tumulo.
Sed neque funereæ præceſſit nænia pompæ,
Penſilibus ſignis nec nituere faces:
Lurida nec pullam ſumſit cognatio veſtem,
Tinnula nec mœſtos æra dedere ſonos:
Funera nec denſæ celebrarunt agmina turbæ,
Præfica nec luctum ſollicitavit anus:
Vix datus eſt tumulus. Codrum ſi rere fuiſſe
Forte Lutheranum, fallere; pauper erat.

XXXIII.

1 *In Antiſtitem*] Baſil. *In Poſthumum. comedis, quam* ——
2 *Tam ſcortaris*] Baſil. *Tam bene, ait,*

Digitized by Google

XXXIII. *In Chryſalum.*

FLAVA Ceres longi ſpes interceperat anni,
  Aruerat pigro vinea toſta gelu:
Morbus oves rapuit, furto periere capellæ,
  Inter opus fracti ſuccubuere boves:
Plena [1] domus belli ſubita eſt direpta tumultu,
  Et male celatas latro refodit opes.
Ergo opibus caris cum Chryſalus eſſe ſuperſtes
  Nollet, & in laqueum jam ſua colla daret:
Succurrit laqueum nummis venire quaternis:
  Ergo nos gratis nec moriemur, ait.
Enſis adeſt, ſtricto transfigere pectora ferro
  Dum parat, & ſumtus hic quoque adeſſe videt:
Tanti foſſor, ait, tanti veſpillo, ſacerdos,
  Cereus, & tanti cymbala rauca crepant:
Et precibus pretium eſt etiam, pretiumque ſepulchro:
  Ergo placet rapidis mergere corpus aquis.
Dumque cadit, Certe quamvis mare, dixit, avarum es,
  Attamen hîc gratis, credo, jacere licet.

XXXIV. [2] *Somnium.*

MANE ſub auroram nitidæ vicinia lucis
  Pallida venturo cum facit aſtra die:
Arctior irriguos ſomnus complectitur artus,
  Demulcens placido languida membra ſinu:
Cum mihi Franciſcus nodoſa cannabe cinctus,
  Aſtitit ante torum, ſtigmata nota gerens.
In manibus ſacra veſtis erat, cum fune galerus,
  Palla, feneſtratus calceus, haſta, liber:
Et mihi ſubridens. Hanc protinus indue, dixit,
  Et mea dehinc mundi transfuga caſtra ſubi.
Linque voluptates cum ſollicitudine blandas,
  Vanaque continui gaudia plena metus.
Me duce, ſpes fragiles & inanes deſpice curas:
  Et ſuperûm recto tramite limen adi.
Obſtupui ſubita defixus imagine, donec
  Vix dedit hos tandem lingua coacta ſonos.
Pace, inquam, veſtri liceat depromere verum
  Ordinis, haud humeris convenit iſta meis.

Qui

1 *Plena domus*] In Baſil. deſunt hi duo verſus.

2 *Somnium*] Deeſt totum hoc carmen in Edit. Baſil.

Qui feret hanc veſtem, fiat ſervire paratus:
  At mihi libertas illa paterna placet.
Qui feret hanc, ponat perfricta fronte ruborem:
  At non ingenuus nos ſinit iſta pudor.
Qui feret hanc, fallat, palpet, pro tempore fingat:
  At me ſimplicitas nudaque vita juvat.
Nec me Phthiriaſis, nec rancida cantio terret,
  Inque diem ignavæ vivere more feræ:
Oſtia nec circum magno mugire boatu,
  Si tamen his nugis ætheris aula patet.
Pervia ſed raris ſunt cœli regna cucullis:
  Vix Monachis illic creditur eſſe locus.
Mentior, aut peragra ſaxo fundata vetuſto
  Delubra, & titulos per ſimulacra lege:
Multus honoratis fulgebit Epiſcopus aris,
  Rara cucullato ſternitur ara gregi.
Atque inter Monachos erit hæc rariſſima veſtis:
  Induat hanc, ſi quis gaudeat eſſe miſer.
Quod ſi tanta meæ tangit te cura ſalutis,
  Vis mihi, vis animæ conſuluiſſe meæ?
Quilibet hac alius mendicet veſte ſuperbus:
  At mihi da mitram, purpuream que togam.

XXXV. *Palinodia.*

VISUS eram nuper cœli procul aurea ſupra
  Sidera Gorgoneo ſcandere vectus equo:
Qua ſecat in geminas orbem via lactea partes,
  Et Jovis ad magni limina pandit iter.
Fas mihi ſit mundi reſerare arcana latentis,
  Fas mihi ſit vera pandere viſa fide.
Non ego Phlegræis venio ſpeculator ab armis,
  Rurſus ut attonitum terreat Oſſa polum:
Nec mihi furtivæ damnarunt [1] crimina flammæ
  Viſcera, Caucaſeis dilanianda feris:
Nec mea garrulitas ſacræ male conſcia menſæ
  In refugo meruit flumine ferre ſitim.
Sacra fero, miranda cano, memoranda revolvo,
  Ut colat æternos impia turba Deos.
Rurſus ut ingrato ſuperûm clementia mundo
  Nota ſit, & quiſquis numina novit, amet.
Ergo ubi ſiderei ſteteram prope limina templi,
  Explicuit fulvas regia vaſta fores:

1 *Crimina*] Steph. *lumina.*

En

En [1] ſubito duri me judicis ante tribunal,
  Increpitans magno murmure, turba trahit.
Raſus erat vertex, facies irata minaxque,
  Et brevior triſti barba ſupercilio.
Omnibus unus erat cinctus, color omnibus unus,
  Qui ſolet eſſe aſinis anſeribuſque feris:
Qui color in ſalice eſt, & Palladis arbore, qualem
  [2] Hoſpita Threicii gurgitis ales habet.
Et niſi fluxa ſinus talos penderet ad imos,
  Cercopithecorum penula veſtis erat.
Idem cinctus erat, cultus, vultuſque colorque
  Judicis, & paribus frons caperata minis:
Uno aliis diſpar diſcrimine, quod foret acri
  Aut ſtimulo ſpinæ ſanguinolenta manus;
Aut rigida forſan nimis obluctante puella,
  Fœmineæ palmas cuſpide fixus acus.
Is quaſſans caput, & ſuffuſus lumina flamma,
  Irato tales fudit ab ore ſonos:
Tune, ait, in noſtros auſus blaterare ſodales,
  Nil veritus calvos tot violare ſenes?
Prodere nec populo myſteria noſtra profano,
  Sanctaque funereæ ſpernere jura togæ?
Lignipedes ridere patres, ſanctamque coronam,
  Et mendicatos abſque pudore cibos?
Quid cum fratre ſoror clauſa ſine lumine cella,
  Quid tiro imberbis cum ſeniore gerat?
Fruſtra pontifices cœlo nos æqua poteſtas,
  Fruſtra nos Regum ſceptra verenda timent:
Si tibi fas noſtræ eſt impune illudere ſectæ,
  Si plebs exemplo ſollicitata tuo
Rideat, exſerta comitetur ſannio lingua,
  Perque vias digito ſtulta juventa notet.
Vos, age, quid ſtatis? ſcelerato auferte lacernam,
  Ut vitium linguæ cætera membra luant.
Nec mora, diripiunt fratres a pectore veſtes,
  Sectaque nodoſa cannabe terga notant.
Alternantque vices, & acerbant verbera verbis,
  Verba oculis, oculos nutibus atque minis.
Dum feriunt, numerant ad ſingula verbera [3] Divos,
  Grata foret cunctis ceu mea pœna Deis.

Nec

1 *En ſubito*] Baſil. *Et ſubito.*

2 *Hoſpita Threicii gurgitis*] *Gruem* intelligit. Vide Virg. Georg. I. 120. & in eum Lud. de la Cerda.

3 *Divos*] Baſil. In margine habet adſcriptum, *De par Dieu: de par ſa mere.* &c.

Nec mea carnifices fratres laſſant mala, quamvis
  Deficerent Divi, deficeretque dies.
Perdiderat rabieſque modum, plagæque figuram,
  Atque unum in toto corpore vulnus erat.
Talis erat, ſi vera fides, Hieronymus olim,
  Dum ſtudium ob Tulli vapulat ante Deum:
[1] Sic cute direpta Satyrum videre [2] Celænæ,
  Tibia cum blandæ eſt victa canore lyræ.
Ut primum fari licuit, meque ipſe recepi
  Nudus, & in nuda ſanguinolentus humo,
Clamabam, Nunc parce pater, nunc parcite fratres
  Cæde mea ſanctas conſcelerare manus.
Parce pater: ſic ille ſacer Seraphicus ordo
  Floreat auſpiciis ſanctior uſque tuis:
Sic mendicantum genti turba inſcia veri
  Affluat, & nunquam credula deſit anus:
Veſtra nec incauto pateant mendacia vulgo,
  Nec videat craſſos plebs tunicata dolos:
Et nova ſub patribus tironum turba ſeveris
  Inveniat quæſtus ingenioſa novos:
Seu male luſtratis manes [3] exire ſepulchris
  Fingere, ſeu tacita ſomnia nocte libet;
Relligio nubes animis offundat agreſtum,
  Objiciat tenebras ſancta Laverna ſuas.
Quæque vident oculi ſe non vidiſſe reantur,
  Deque fide facti ſit dubitare nefas.
Quod ſi forte ſacra lateat ſub veſte puella,
  Quæ relevet longæ tædia lenta viæ,
Aut teneret multa craſſum farragine corpus,
  Si caro ſpiritui quando rebellis erit:
Callida decipiant animos commenta profanos,
  Et vetet ulterius quærere velle timor.

Fallat

1 *Sic cute direpta*] Marſyam innuit tibicinem, ab Apolline, quod cum ipſo auſus eſſet in certamen venire, pelle exutum: Cæterum [*derepta*] videtur legendum, non [*direpta:*] ita enim Ovid. de hac ipſa re loquens, Met. VI. 387.

Clamanti cutis eſt ſummos derepta per artus.

Et in Ibin 551.

Nudave derepta pateant tua viſcera pelle,
Ut Phrygium cujus nomina flumen habet.

quanquam nonnullis libris utrobique *direpta* legatur.

2 *Celænæ*] Ita ſcribendum; non *Celenæ*, ut in omnibus libris: eſt autem urbs, quondam Phrygiæ caput. Lucan. III. 206.

Lugent damnatæ Phœbo victore Celænæ.

Et (quem præ oculis habuiſſe noſter videtur) Stat. Theb. IV. 185.

—— Qui non certamina Phœbi
Noſſet, & illuſtres Satyro pendente Celænas.

3 *Exire*] Ita legitur in Editt. H. Steph. Commel. Hart; aliis vero *excire*.

Fallat & incautos pietatis imago maritos,
  Et capiat faciles ſicula tenta nurus.
Sic tibi, ſi quando junges per ſtagna lacuſque
  Cum ranis ſocias alitibuſque preces,
Nullá [1] tuum ſuperet cornix vel rana canorem,
  Oreve præcipitet mobiliore ſonos.
Sive tibi pulex, fraterve pediculus obſit,
  Et tenuem ſignet puſtula multa cutem,
Innocuos ungues utriuſque a ſanguine ſerves,
  Neu tibi cognata pollue cæde manus:
Sed tua fraterno pietas dignetur amore,
  Ut ſolita eſt, vulpes carnivoroſque lupos:
Et quibus indulſit vitam pater omnibus idem,
  Sive ferat tellus, ſeu ferat illa fretum,
[2] Mortua tu comedes animalia; culpa profani
  Sit populi iis vitæ corripuiſſe moras.
Quæcunque in ſacram fratrum convicia veſtem
  Non verita eſt olim fundere lingua procax,
Cuncta recantabo, maledicta priora rependam
  Laudibus, & fratrum nomen in aſtra feram.

XXXVI. *Palinodia.*

VOBIS relligio eſt, ſincero aſſueſcere recto,
  Relligio eſt, Chriſti facta fidemque ſequi:
Raraque ſimplicitas, & rara modeſtia vobis,
  Et virtus rara eſt, & probitatis honos:
Faſtus inauditus, nullaque libidine victum
  Robur, nec duro fracta labore manus:
Claſſica non placidos turbant Mavortia ſomnos,
  Nil opus inſano verba locare foro:
Semina non arvo, non vitem credere ſulco,
  Nec dare nubifero vela neceſſe Noto:
Sed veluti mures alieno parta labore
  Carpitis, & vitam ducitis Angelicam.
Vos chorus, & cantus, nitidi vos floribus horti,
  Cinctaque porticibus tecta ſuperba tenent.
Quicquid ubique labor per dura pericula quærit,
  Quod clam fur aufert, latro palamve rapit;
Vos penes eſt fructus, penes eſt vos uſus & eſus,
  Ad dominos redeunt damna, pericla, dolor:

Copia·

1 *Nulla tuum ſuperet*] In margine Baſil. adſcribitur, *Vide Legendam auream.*

2 *Mortua tu comedes animalia*] Baſil. *comedas.*

Copiaque & luxus vobis in paupere vita eſt,
  Nil eſt, & ſuperant multa, nihilque deeſt.
Vos pro me miſero fratres orate, patremque
  Flectite, pro vobis ſic roget ille Deum:
Sic flectat: nos interea, quod poſſumus unum,
  Facta recantatis ſplendida carminibus
Dicemus: teneræ nec furta ſilebo juventæ,
  Addita nec manibus ſtigmata, nec pedibus:
Et quæ longa forent numeranti ſingula: at unum
  Non [a] eſt fas numeris præteriiſſe meis.
Forte furens male morigeri petulantia membri
  Urebat patrem ſævius igne pium.
Quid faceret? peteret ſanctarum clauſtra ſororum?
  Clauſtra procul, nuſquam ſancta propinqua ſoror.
Vulgivagum peteret populo ſpectante lupanar?
  Nequitiæ fieret proditor ipſe ſuæ.
Eloquio matres blando tentaret honeſtas?
  Ferre nequit longas ſicula tenta moras.
Ergo velut taurus crabronum cuſpide fixus,
  Corripuit, rabies qua ſtimulabat, iter.
Nudus & in gelida ſtratus nive membra volutat,
  Et fingit globulos, perterebratque nivem,
Imponitque ſuo veluti collaria peni,
  Et jubet optata conditione frui.
Hæc, ait, Æmilia eſt, hæc eſt generoſa Corinna,
  Hæc illa eſt longis Gellia flava comis.
Deinde alias numerat præſtanti corpore Nymphas,
  Nomine formoſæ nulla corona caret:
Tum veluti Coſſus ſpoliis inſignis opimis,
  Per fora, per vicos victor amoris ovat.
Parcite, clamabat, me parcite dicere ſanctum,
  Non ego ſum, ceu vos creditis eſſe, pius:
Sum miſer, & merito duro ſic plector ab hoſte,
  Nequitiæ pœnas perſoluoque meæ
Pene coronato populus dum ſpectat ovantem,
  Hic ſilet, hic riſu perſonat, ille dolet.
At miſeræ matres, nuptæ innuptæque puellæ
  A lacrymis ſiccas non tenuere genas.
Illa quidem juſtis res annumeranda triumphis
  Inter facta pii prodigioſa patris,
Quod quamvis aſinis membroſior omnibus eſſet,
  Et Venerem in nulla perdomuiſſet equa,

Tot

a *Non eſt fas*] Baſileenſi adſcriptum eſt in margine, *Vide Legendam auream.*

Digitized by Google

Tot tamen haud multis mulos genuiſſet in annis,
  Quot nec in umbriferis Mænala celſa jugis.
Ut pater audivit ſancti præconia membri,
  Lætior ad laudes jam meliorque ſuas,
Arriſit, tremuloſque abiit prurigo per artus,
  Et me cum ſomno deſeruere minæ.

GEORGII BUCHANANI SCOTI
ELEGIARUM LIBER.

I. *Quam miſera ſit conditio docentium literas humaniores Lutetiæ.*

ITE leves nugæ, ſterileſque valete Camœnæ,
  Grataque Phœbæo Caſtalis unda choro.
Ite, ſat eſt: primos vobiſcum abſumſimus annos,
  Optima pars vitæ deperiitque meæ.
Quærite, quem capiat jejuna cantus in umbra:
  Quærite, qui pota carmina cantet aqua.
Dulcibus illecebris tenerum vos fallitis ævum,
  Dum ſequitur blandæ carmen inerme lyræ.
Debita militiæ molli langueſcit in umbra,
  Et fluit ignavis fracta juventa ſonis.
Ante diem curvos ſenium grave contrahit artus,
  Imminet ante ſuum mors properata diem:
Ora notat pallor, macies in corpore toto eſt,
  Et tetrico in vultu mortis imago ſedet.
Otia dum captas, præceps in mille labores
  Irruis, & curis angeris uſque novis.
Nocte leves ſomnos reſolutus compede foſſor
  Carpit, & in mediis nauta quieſcit aquis:
Nocte leves ſomnos carpit defeſſus arator,
  Nocte quies ventis, Ionioque mari:
Nocte tibi nigræ fuligo bibenda lucernæ,
  Si modo Calliopes caſtra ſequenda putes:
Et tanquam Libyco ſerves curvata metallo
  Robora, & Herculea poma ferenda manu,

Digitized by Google

Pervigil in lucem lecta atque relecta revolves,
Et putri excuties ſcripta ſepulta ſitu.
Sæpe caput ſcalpes, & vivos roſeris ungues,
Irata feries pulpita ſæpe manu.
Hinc ſubitæ mortes, & ſpes prærepta ſenectæ,
Nec tibi fert Clio, nec tibi Phœbus opem.
Si caput in cubitum laſſa cervice recumbat,
Et ſopor exiguus lumina feſſa premat:
Ecce, vigil ſubito quartam denuntiat horam,
Et tonitru horrifico lumina clauſa quatit:
[1] Excutit attonito ſomnos ſonus æris acuti,
Admonet & molli [2] membra levare toro.
Vix ſiluit, jam quinta ſonat; jam janitor urget
Cymbala, tirones ad ſua ſigna vocans.
Mox ſequitur longa metuendus veſte magiſter,
[3] Ex humero lævo mantica terga premit.
Dextera crudeli in pueros armata flagello eſt:
Læva tenet magni forte Maronis opus.
Jam ſedet, & longis clamoribus ilia rumpit,
Excutit implicitos ingenioque locos.
Corrigit, & delet, mutat, vigilata labore
Promit, in obſcuro quæ latuere [4] diu.
Magna, nec ingeniis ævi explorata prioris,
Eruit, inventas nec ſibi celat opes.
[Ignava [5] incerta ſtertit plerumque juventus,
Cogitat aut curæ multa priora ſuæ.]
Alter abeſt, petiturque alter, [6] mercede [7] parato
Qui vocet, & fictos condiat arte dolos.
Ille caret caligis, huic rupta calceus alter
Pelle hiat: ille dolet, ſcribit & ille domum.
Hinc virgæ, ſtrepituſque ſonant, fletuque rigantur
Ora, inter lacrymas tranſigiturque dies.

Dein

1 *Excutit attonito ſomnos*] Lond. 1686, Edinb. 1677, utraque Elzev. omneſque quas viderim recentiores Editt. *ſomno*.

2 *Membra levare toro*] Baſil. ad oram libri adſcriptum habet *levanda*. [Memor forte fuit, quicunque adſcripſit, illius Ovidiani ex lib. I. Am. v. *appoſui medio membra levanda toro*. ſed ibi alia verbi *levare* eſt ſignificatio, pro reficere, novare. vid. notas. hic Buchananus capit pro tollere, erigere, & de lecto ſurgere.]

3 *Ex humero lævo*] Recentt. *Et humero*, quod metrum non patitur.

4 *Diu*] Edinburgenſis And Hart, *ſitu*.

5 *Ignava incerta*] In omnibus Editionibus deſideratur hoc diſtichon, præter Edinburg. And. Hart, ubi pro *incerta* forte *interea* legendum.

6 *Mercede parato*] Ita exhibent Editiones Baſil. H. Steph. Commelin. And. Hart, & Editio anni 1594. aliæ autem quas vidi omnes *parata*.

7 *Mercede parato*] i. e. *homine aliquo mercede conducto*: male recentioribus libris *parata* editum videtur.

Digitized by Google

Dein nos ſacra vocant, dein rurſus lectio, rurſus
Verbera: ſumendo vix datur hora cibo.
Protinus amota ſequitur nova lectio menſa,
Excipit hanc rurſus altera, cœna brevis:
Surgitur, in ſeram noctem labor improbus exit,
Ceu brevis ærumnis hora diurna foret.
Quid memorem interea faſtidia mille laborum,
Quæ non ingenua mente ferenda putes?
Ecce tibi erronum plenas ex urbe phalanges,
Terraque ferratis calcibus icta tremit:
Turba ruit, ſtolidaſque legentibus applicat aures,
Quales Phœbææ Phryx dedit ante lyræ.
Et queritur nullis onerari compita chartis,
Eſſe & [1] Alexandrum nullo in honore ſuum:
Nec gravidum pleno turgeſcere margine librum,
Neglectumque premi vile Guidonis opus.
Curritur ad [2] Montem magno cum murmure Acutum,
Aut alias ædes, [3] ſicubi Beta ſapit.
Quid referam quoties defenditur [4] acer Oreſtes,
Carmina vel numeris cum caruere ſuis?
Arcadico juveni quod læva in parte mamillæ
Nil ſalit, iratus clamat uterque parens:
Conqueritur nullo labentia tempora fructu,
Totque diu ſumtus deperiiſſe ſuos.
[Quin [5] etiam in libros nati conſumta talenta
Supputat: & damnum flagitiumque vocat.]
Æſtimat & noſtros non æqua lance labores:
Temporis & nulla damna rependit ope.
Adde, quod Aonidum paupertas ſemper adhærens
It comes, & caſtris militat ipſa ſuis:
Sive canas acies in Turcica bella paratas,
Sive aptes tenui mollia verba lyræ:
Sive levi captas populi ſpectacula ſocco,
Turgidus aut tragico ſyrmate verris humum:
Denique quicquid agis, comes aſſidet improba egeſtas,

Sive

1 *Alexandrum*] [Cujus doctrinale & partes tenebricoſis his temporibus in ſcholis ediſcebantur. vide quæ de Alexandro hoc nuper in præfatione ad Valer. Flacc. ubi de Maſeriana editione ago, ſcripſi. & adde Hamelmannum tom. I. Oper. pag. 112. & 115.]

2 *Montem magno cum murmure Acutum*] Collegium intelligit apud Pariſienſes Montis Acuti vulgo appellatum.

3 *Sicubi Beta ſapit*] Vide Eraſmi Chiliad. Adag. *Betizare*.

4 *Acer Oreſtes*] Tragœdiam aliquam id tituli ferentem innuere videtur, qualem meminit Juven. Sat. I.

5 *Quin etiam*] Hoc etiam diſtichon in ſola Editione Edinburgenſi And. Hart reperitur.

Sive poëma canis, ſive poëma doces.
[1] Bella gerunt urbes ſeptem de patria Homeri:
Nulla domus vivo, patria nulla fuit.
Æger, inops patrios deplorat Tityrus agros,
Statius inſtantem vix fugat arte famem.
Exul Hyperboreum Naſo projectus ad axem,
Exilium Muſis imputat ille ſuum.
Ipſe Deus vatum vaccas paviſſe Pheræas
Creditur, Æmonios & numeraſſe greges.
Calliope longum cœlebs cur vixit in ævum?
Nempe nihil [2] doti quod numeraret, erat.
Interea celeri curſu delabitur ætas,
Et queritur duram tarda ſenecta famem:
Et dolet ignavis ſtudiis luſiſſe juventam,
Jactaque in infidam ſemina mœret humum:
Nullaque maturis congeſta viatica canis,
Nec faciles portus jam reperire ratem.
Ite igitur, Muſæ ſteriles, aliumque miniſtrum
Quærite: nos alio ſors animuſque vocat.

II. *Majæ Calendæ.*

FESTA vocant, lætiſque comes Laſcivia feſtis,
Et chorus, & choreæ blandus amicus Amor:
Ludit & admiſſis levis Indulgentia frenis,
Et levat aſſueto libera colla jugo.
Interea vigiles paullum ſecedite curæ,
Et genitor curæ dure faceſſe labor.
Eſte procul lites, & amaræ jurgia linguæ,
Mixtaque flebilibus mœſta querela ſonis:
Dum renovat Majus ſenium revolubilis ævi,
Et tenerum verno pingit honore ſolum:
Dum cœli juvenile decus, mundique juventa,
Per non ingratas itque reditque vices,
Inque recurrentes ſine fine revertitur ortus,
Et nunquam feſſis ſecula luſtrat equis.
Hunc Jocus, hunc tenera menſem cum matre Cupido
Vindicat, hunc riſus, & ſine felle ſales:
Hunc hilaris Genius, Genii & germana Voluptas,
Et pellucentes Gratia picta ſinus.

Ipſa

1 *Bella gerunt urbes ſeptem*] Hart. *Septem bella gerunt urbes.*
2 *Doti*] Ita Baſil. Steph. Hart.) Commelin. Editio 1594, Elz. 1621 & 1628, &c. at Wetſteniana anno 1687. *dotis.*

Ipſa ſuo Cypris præſens aſpirat honori,
Et recreat flamma ſplendidiore polum:
Ipſa novos cultus, niveoque monilia collo
Induitur, Marti ceu placitura ſuo.
Lætus Amor, jaculis Sicula fornace recoctis,
Splendida ſanguinea ſpicula cote terit.
Has linit ambroſia, linit illas felle ſagittas,
Et renovat flamma lucidiore faces.
Cernis ut Aſſyrios late Dea fragret odores,
Implicet & flavas verna corona comas?
Ut manus Eois radiet ſtellata ſmaragdis,
Ut fluat in nitidos aurea palla pedes?
Luſtret ut intento choreas puer improbus arcu,
Ut tenera fundat ſpicula certa manu?
Ut face nunc juvenes, face nunc petat ille puellas,
Aſperaque invicto fœdere corda domet?
Qua Dea progreditur fragrant per compita flores,
Et media placidum frondet in urbe nemus.
Qua Deus ingreditur feſti per compita plauſus,
Et vox lætitiæ teſtis in aſtra volat.
Applauditque Deæ ſtratis mare leniter undis,
Lætaque laſcivis ſquamea turba choris.
Applauduntque Deo pueri innuptæque puellæ,
Queis rudis in vacuo pectore flamma calet.
Plaudit utrique Deo quicquid creat humidus aër,
Quicquid alit tellus, æquora quicquid alunt.
Rara procelloſæ fugiunt in vellera nubes,
Mollior arboreis ſibilat aura comis.
Purior auratis Pyroeis ſplendeſcit habenis,
Phœbus ab æquoreis purior exit aquis.
Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus arbor,
Luxuriat lætum læta per arva pecus.
Carcere liber equus ſpatiis laſcivit apertis,
Jactat & undantes per fera colla jubas.
Tondet ovis pratum, petulans ſalit agnus in herba,
Pro nivea taurus conjuge bella gerit.
Rupis inacceſſæ ſcandunt dumeta capellæ,
Hœdus & infirma prælia fronte movet.
Interea paſtor geniali ſtratus in umbra
Diſcutit incomtis tædia lenta modis:
Nunc & odorata ſomnos invitat in herba,
Nunc ſtrepitum captat prætereuntis aquæ.
Intentuſque ſedet liquidas piſcator ad undas,
Dum tremulum fallax linea ſentit onus:

Forſan & eluſos quærit quibus inſtruat hamos,
Explicat aut cauta retia longa manu.
Pampinus appoſitæ complexus brachia ſilvæ
Veſtit adoptivis robora nuda comis.
Poma nemus pingunt, meditatur vinea botros,
Proventu ſegetis dives inundat ager.
Tityrus in calathis tibi lilia, Theſtyli, cana
Servat, & in calathis aurea mala ſuis;
Cumque ſuis nidis Prognen, Progneſque ſororem,
Et te cum nidis, blanda columba, tuis.
Garrula per virides ludunt examina ramos,
Et tenui ſilvas gutture mulcet avis.
Baſia Chaoniæ jungunt laſciva columbæ,
Ingemit exſtinctum tinnula mater Ityn.
Hanc juvat ad nitidum pennas extendere ſolem,
Hæc querulam pleno convolat ore domum:
Hæc luteum ſuſpendit opus, fugit illa per auras,
Et liquidas alis ſtringere gaudet aquas.
Ridet [1] ager, rident ſilvæ, micat igneus axis,
Et placidum ſternit lenior aura fretum.
Hinc procul ergo abeant cruciantes pectora curæ,
Vanaque quærendæ ſollicitudo rei.
Pone ſupercilium capulo vicina ſenectus,
De tetrica rigidas excute fronte minas.
Utque novus, poſito veteri ſqualore ſenectæ,
Pandit odoriferas fertilis annus opes;
Poſtque pruinoſæ languentia frigora brumæ
Rura novat veris floridioris honos;
Vos quoque paulliſper placidos diffundite vultus,
Aſpera cum duris ponite juſſa minis:
Carpite, dum fas eſt, fugitivæ gaudia vitæ,
Credite vos juvenes eſſe, fuiſſe ſenes.
Ut ſua munifico diffundit præmia vultu
Omniferos pandens copia larga ſinus!
Ut vetat ignavæ reparans incommoda brumæ
Turpia ſollicitæ damna timere famis!
Pandite ſepoſitas quas [2] celant horrea fruges,
Parcaque congeſtas arca refundat opes.
Nec tenebris claudat generoſum cella Lyæum,
Quem dat arenoſo Vaſconis uva ſolo:
Qui, niſi depromis, acri langueſcit aceto,

Teque

1 *Ridet ager, rident ſilvæ*] Hart, *frondent ſilvæ.*
2 *Celant*] And. Hart, *ſervant.*

Teque monet vitæ commoditate frui.
Vos quoque turba feri pueris inviſa magiſtri,
Qui geritis dura lenta flagella manu,
Ponite difficiles in idonea tempora vultus,
Incutiant nullos verbera ſecta metus:
Parcite plagoſis ferulis, virgæque ſonoræ,
Nec ſcuticæ teneras lædat habena manus:
Candida nec mœſtis ſuffundite fletibus ora,
Nec fœdet niveam puſtula rupta cutem.
Poſt ſua Pieriis ſuccedent otia Muſis,
Largaque Caſtalius fœnora reddet ager.
Interea, juvenes, molles celebrate choreas,
Et genium feſtis exhilarate jocis.
Læta fugent lites, ludis concedite luctus,
Pro rixa riſus, crimine carmen eat.
Nec tetrici nuptas cuſtodia dura mariti
Arceat, aut dura janua clauſa ſera:
Sollicitæ timidas nec matris cura puellas
Cogat in obſcura delituiſſe domo.
Pandite lacteolas (juſſit Cytherea) papillas,
Excipiant flavas lactea colla comas.
Luceat igniferis Sidonia palla pyropis,
Pulchra verecundus purpuret ora pudor.
Hæc ſunt militiæ Mavortia tela potentis,
Tela triumphatis imperioſa Deis:
Tela, quibus fuſis juvenilis millia turbæ
Plurima cum pereant, plura periſſe petunt.
Dum choreas ætas, dum blandi gratia veris,
Libera dum feſtus gaudia Majus habet,
Carpe roſas, &, ni carpas, peritura liguſtra,
Et vitæ credas hæc ſimulacra tuæ.
Horrifer ut Boreas agri genialis honorem
Exuit, [1] ut canas fundit in arva nives:
Frondibus ut ſpoliat ſilvas, ut floribus hortos,
Pigraque concretis flumina frenat aquis:
Sic tibi deformes mutabunt tempora cani,
Contrahet & vultus arida ruga tuos:
Pendebit laxata cutis, rubigine dentes
Squalebunt, oculos inficietque rubor:
Mellea deficiet facundæ gratia linguæ,
Imminet en vitæ frigida bruma tuæ.

1 *Ut canas*] And. Hart, *& canas.*

Dum nos ergo ſinunt fata invidioſa, [1] ſenecta
Temporis utatur vere, juventa ſuo.

III. *Ad Briandum Vallium, Senatorem Burdegal. pro Lena apologia.*

POSSE putet quiſquam fieri, [2] doctiſſime Valli,
In famulas Veneris durus ut eſſe queas?
Idem poſſe ſuos in fontes flumina labi
Credat, [3] & averſis aſtra redire rotis.
Et tamen in fontes ut flumina lapſa recurrant,
Et retro averſis aſtra ferantur equis:
Non erit in Veneris, Valli, cenſura miniſtras
Aſpera, nec rigidis contrahet ora minis.
Non ea ruſticitas, rigor eſt nec tetricus illi,
Cordaque montanis aſperiora feris:
Sed facilis candor, doctiſque exculta Camœnis
Pectora, quæ ſævæ nil feritatis habent:
Quæ jocus & ſalibus capiat condita venuſtas,
Quæque juvent riſus, gratia blanda, lepos.
Adde quod eſt levibus non impenetrabile telis
Cor tibi: ſenſiſti tu quoque quid ſit amor.
Inter & ingenuas, præſtas quibus omnibus, artes,
Materiam flammis repperit ille ſuis.
Cum tibi jucundo pectus premeretur amaro,
Serperet in curas & nova cura tuas,
Quæ tibi mens, [4] quæ vita, animi miſerande, fuiſſet
Tum tibi, ſi fidam lena negaſſet opem?
Olim tu quod eras, alios nunc eſſe putato:
Quæque tibi fuerant, iis modo grata puta.
Aut potius, juvenes ceu ſis revolutus in annos,
Ante tuum hanc cauſſam finge tribunal agi.
Finge ream lenam, juveni quod morte ſub ipſa
Officii fuerit fida miniſtra ſui:
Quod medico certam nullo ſpondente ſalutem,

1 *Senecta Temporis utatur*] *i. e.* Senes genio indulgeant verno tempore, utpote totius anni amœniſſimo atque ad voluptates aptiſſimo; juvenes vero *ſuo vere* utantur, *i. e.* juventute vel adoleſcentia, quæ ætatis quaſi ver eſt.

2 *Doctiſſime Valli*] Vide Menagium Anti-Baillet Tom. I. § 70. adverſus Bailletum de hujus nomine & patria diſputantem.

3 *Et averſis*] Ita legendum cum antiquioribus Editt. monſtrat diſtichon ſequens, non, quod recentiores libros occupavit, *adverſis*.

4 *Quæ vita, animi miſerande*] Dubitari poteſt an *animi* ad *vita* referendum ſit, an vero ad *miſerande*: mihi vero poſterius magis arridet, eodem pacto quo *felix* vel *anxius animi* dicitur.

Spem miſero vitæ fecit, opemque tulit:
Quod natum patri, civem ſervaverit urbi:
  Hæc, age, quo pœnæ nomine digna putes?
At vos majorum requieſcite molliter umbræ,
  Veſtraque purpureo floreat urna croco,
Qui bene ſervati ſtatuiſtis præmia civis,
  Ut premeret fortes querna corona comas.
Illo debuerat mulier tam ſtrenua naſci
  Tempore, virtuti cum ſuus eſſet honos.
Clarior haud eſſet Latiis Laurentia faſtis,
  Aut Dea, quæ nuda vult meretrice coli.
At nunc invidiæ eſt virtus: contemtus honeſti,
  Neglecto recti pondere, regna tenet.
Quæ fora tot caperent ſtatuas, ſi digna fuiſſent
  Reddita virtuti dona, virago, tuæ?
Quæ nunc, me miſerum, es rea criminis, id modo crimen
  Si ſit, quo demto vivere nemo poteſt.
Officium ſi crimen erit, ſi nocte dieque
  Aſpera blandiloqua frangere corda prece:
Vincula ſi Veneris ſunt noxia, legibus arce:
  Nulla dehinc ornet limina feſtus Hymen.
Ne liceat gravibus medicos arceſſere morbis,
  Si nullum, medicos qui vocet, eſſe licet.
Sin & blanda Venus [1] gerantum ſecla propaget,
  Et medicam morbis addere fas ſit opem:
Poſcere ſin fas eſt, [2] quæ fas feciſſe, rogare
  Et medicum, & Venerem conciliare licet.
Quod ſi parva licet magnis componere, lenæ
  Munere comperies quot placuiſſe Deos?
Anne aliud quam lena Venus, quam leno Cupido?
  Quæque præeſt primis pronuba Juno toris?
[3] Quique domas duras Domiti, & Domiduce puellæ
  Ductor ad externos cum venit illa Lares?
[4] Anne Jugatinum tibi, Pilumnumque, Premamque,
  Pertundam, & Subigum, teque Hymenææ canam?
Cumque Libentina Manturnam, Volupiamque,

Et

1 *Generantum ſecla propaget*] Quidam forte *generatim* hic legerint, propter illud Lucretii lib. I.

Efficis ut cupide generatim ſecla propagent.

At nulla, me judice, id neceſſitas cogit.

2 *Quæ fas feciſſe*] Rob. Steph. anni 1567, & Mam. Patiſſon. 1579, *Quod fas feciſſe.*

3 *Quique domas duras Domiti*] De Diis Deabuſque hiſce nuptialibus vide Lil. Gyraldum Syntag. I.

4 *Anne Jugatinum*] Ita legendum, non quod pluribus libris irrepſit *Jugatinum.* *Jugatinus* autem vocabatur quod conjuges conjungeret, Auguſt. civ. Dei, lib. IV.

Et quæ de timida virgine nomen habet?
Sedula multorum, Valli, ſi lena Deorum
Implevit partes, [1] crimen id eſſe putas?
Dedecus eſt homini, quod numinis æquat honores?
Res erit huic pœnæ quæ dedit aſtra Deis?
Sed neque connubiis præſunt hæc numina ſolis,
Et ſine connubio eſt non inamœna Venus.
Reſpice Pieridas, Valli, tua numina, Muſas,
Virgo in virgineo vix erit ulla choro.
Orphea mulcentem ſilvas agnoſcit & amnes
Calliope genitrix, Uranieque Linum.
Furta tegens uterus reliquas facit eſſe pudicas:
Quæ caſta eſt? ſterilis, vel ſine teſte parens.
Nec tædis ſuper aſtra fides ſervata maritis,
Nec patrem appellas ipſe Gradive Jovem.
Forte pudicitiæ ſeclis fuit ampla vetuſtis
Gloria: ſed titulo gloria ſola tenus.
Quam nunc utilitas, mos, conſenſuſque recuſat
Publicus, haud falſo ſi licet ore loqui.
Cum mare, cum tellus homines populetur, & ignis,
Tot pereant morbo, tot fera bella necent:
Cumque hominum in pejus ſolertia callida ſemper
Inveniat cauſſas in ſua fata novas:
Tun' prohibere potes Veneris commercia? lenas
Si tollis, Veneris commoda quanta vetas?
Tun' prohibere audes Veneris commercia? ſola
Humanum poterunt quæ reparare genus?
[2] Nam neque Partheniis nunc quercubus editur Arcas,
Curetes pluvio nec geniti imbre cadunt:
Nec gravida fratres funduntur nube bimembres,
Nec vivunt Pyrrhæ ſaxa animata manu:
Myrmidonas nuſquam gignit formica, nec uſquam
Ficta Prometheo ſpirat imago luto.
Una quidem ſupereſt, ſupereſt ars unica, Valli,
Quæ reparat noſtrum continuatque genus.
[3] Huic quota pars reſtat detracto munere lenæ,

Sive

1 *Crimen id eſſe putas*] Steph. & Patiſſon. *putes* & forte melius.

2 *Nam neque Partheniis*] De Arcadibus quercubus editis, vide Statium Theb. IV. 275. De Curetibus Ovid. Met. IV. 282. De centauris nubigenis Virg. Æneid. VIII. 293. De hominibus a Deucalione & Pyrrha, jactis poſt terga lapidibus, reparatis Ovid. Met. I. 399. De formicis in Myrmidonas converſis Met. VII. 654. De homine a Prometheo ex luto ficto Met. I. 82.

3 *Huic quota pars reſtat*] Steph. & Patiſſon. *Hinc quota.*

Digitized by Google

Sive torus, Veneris ſeu vaga furta placent?
Lena toros auget fœcunda prole maritos,
Ne ſerie ſoboles deficiente cadat.
At ſi legitimi ſerventur fœdera lecti,
Opprimet illuſtres quanta ruina domos?
Juppiter & Bacchus ſuccurret munere lenæ,
Atque geret partes Mars & Apollo viri.
Gignet Alexandrum ſerpens, qui Perſida vincat,
Perniciem Libyes Scipiademque draco:
Aut perſonatus juvenis ſub nomine amicæ
[1] Sacra Bonæ intrabit non temeranda Deæ.
Sed neque conjugium conjux caſtum expetet ullus,
Si quicquam ſano in pectore mentis habet.
Quæ caſta eſt, tetrica eſt eadem triſtiſque, nec octo
Diducit riſu menſibus ora quater:
Oſcula dat veluti pulla cum ſindone mater,
Funera quæ nati luget acerba ſui.
Prætereo prudens quos nox thalamuſque toruſque
Continet occultos & ſine teſte jocos:
Quos mihi ſi tollis, nec caſta Lucretia conjux
Hac placeat lecto conditione meo.
At quæ furtivæ Veneris commercia novit,
Mille virum triſtem leniet illa modis.
Si peregre it, plorat: redeuntem amplectitur, ulnis
Comprimit, exanimis deficit inque ſinu:
Accuſatque moras, & verbis oſcula jungit:
Oſcula dum jungit, fletibus ora rigat.
Et queritur ceu læſa prior ſuſpiria ducens,
Percurſatque agili ſedulitate domum.
Hæc bona ſi doctæ debent connubia lenæ,
Quantum illi cœlebs debeat ergo torus?
Debet ei cœlebs, gelido quod ſidere brumæ
Non cubet occluſus frigidus ante fores:
Fabula quod non ſit vulgi rumore ſiniſtro,
Apta quod officiis tempora liber agat.
Ipſe tibi es teſtis, (quid enim manifeſta negemus?)
Ars lenæ quantum commoditatis habet:
Quæ ſi opera quondam te deſtituiſſet amantem,
Veniſſet ſtudiis heu mora quanta tuis?

Pu-

[1] *Sacra Bonæ intrabit*] P. Clodium innuit, qui in ſacellum *Bonæ Deæ*, quod nulli viro intrare licebat, muliebri habitu penetravit, Pompejæ Cæſaris uxori ſtuprum illaturus. Vide Cicer. de Aruſp. cap. 18. pro Milone 31. Dion. lib. xxxvii.

Digitized by Google

Publica Burdegalæ prohibent decreta lupanar:
  Judicio lenæ nec licet eſſe tuo.
Quid facient inopes juvenes, peregrinaque turba?
  Quid miſeri myſtæ, Funigerique greges?
Quid Monachi reliqui? quorum tentigine nervos
  Aſſidue vexant vina, juventa, quies?
Claudere cum precibus poſſint Acheronta polumque,
  Et cœli, Stygias & reſerare fores,
Secure ut precibus poſſint intendere, apud te
  Illorum juſtas fac valuiſſe preces.
Adde quod e furto proles felicius exit,
  Quam cum legitimo vincula more ligant.
Nempe quod aſſuetæ Veneris faſtidia gignit
  Copia, nec gratum quod licet, eſſe ſolet.
Senſus hebes languet, torpetque ignava voluptas,
  Acrius ardeſcit ſæpe repulſus amor.
De Junone Jovi ſatus eſt modo Mulciber unus,
  Claudus ab Ætnæis ſqualidus uſque rogis.
Mars furto, & Pallas, Phœbus, Bacchuſque Venuſque,
  Et qui ſaxificæ Gorgonis ora tulit:
Quique tulit cœlum, quique extulit igne parentem,
  Quemque ſuum auctorem Martia Roma [1] vocat.
Quoſque foret longe numerare moleſtius, undæ
  Quam Libycæ fluctus ſi numerare velis.
[2] Nec tamen hîc metuit livor confingere crimen,
  Eſſe ubi par merito gratia nulla poteſt.
Nec ſatis hoc viſum eſt meritis non præmia reddi,
  Sed vitii officio nomina falſa damus.
Peccet ut hîc vulgus, queiſque ignorantia craſſa
  Obſita Cimmeria pectora nube premit;
Abſit ab ingenio, Valli, fœdiſſima labes,
  Barbaries mores nec notet iſta tuos;
Quod fuit officium quondam melioribus annis,
  Ut vitium, crimen nequitiamque putes.
Nam neque vim vertit, nativaque nomina rerum,
  Ut niveas tingit cana ſenecta comas.
Nec ſi mutarit tempus cum corpore formam,
  In vitium virtus degenerare poteſt.
Sola manet patiens ævi, ſecuraque damni,
  Nec metuit longas temporis una moras.
Virtutem appellem? quidni? quæ noxia nulli,

Eximia

1 *Vocat*] Baſil. *colit.*
2 *Nec tamen hic metuit*] Lond. 1686, Dan. Elzev. 1676. Wetſt. 1687. *hinc metuit.*

Eximia multis commoditate placet.
Ut tibi non proſit, ſeris neque ſerviat annis,
Utilis at nato [1] forte erit illa tuo.
Attamen haud Veneris tibi ſic deferbuit ardor,
Nullaque ſub docto pectore flamma calet,
Ut veteres penitus poſſis abdicere amores,
Nullaque Cyprigenæ gaudia noſſe Deæ.
Nulla quoque ut capias, nimium livoris iniqui eſt,
Queis careas, alios velle carere bonis.
Nam licet acer equus ſenio ſit fractus inerti,
Bellica cum raucæ ſigna dedere tubæ,
Mente furit, [2] terramque ferit pede, ſurrigit aures,
Robore adhuc retinens deficiente minas.
Ductor & emeritis Martem qui deſerit armis,
Et procul a caſtris otia lentus agit,
Inſtruit exemplis juvenes, hortatibus implet,
Nec ſibi calcatas obſtruit ille vias.
Abſit, ut invideas aliis tendentibus illuc,
Quo tibi, ſed lenæ munere, facta via eſt.
Per Charites, Muſaſque tuas, Valli optime, quarum
Funguntur lenæ carmina ſæpe vice;
Myſtica per Veneris, quarum eſt lena una ſacerdos,
Perque Cupidineas, tela timenda, faces;
Per Veneris comites Bacchum, riſuſque, ſaleſque,
Quæque hilarent genium, gaudia læta, tuum:
Vel mitte innocuam, vel lenam abſolve nocentem,
Si modo, quod lena eſt, lena ſit ulla nocens.
Finge tibi pariter cunctas procumbere lenas,
A quibus officium ſedulitatis habes:
Finge tibi pariter cunctas aſtare puellas,
Oreque blandiloquo talia verba queri:
Aut una damnato omnes, aut crimine ſolve,
Juncta etiam noſtris eſt tua [3] cauſſa malis.
Damna, ſi damnare potes, quæ noxia nulli,
Grata ſua multis ſedulitate fuit:
Quam nemo accuſat, quam nemo coarguit, idem
Quin teſtis culpam publicet ipſe ſuam.
Illa poteſt mores, populo [4] vel teſte, tueri:
Legitimus quæſtus nunc facit eſſe ream.

Si

1 *Forte*] Baſil. *fors.*
2 *Terramque ferit*] Lond. 1686. Elzev. 1628. aliæque illam ſecutæ Belgicæ Editt. *terramque terit.*
3 *Cauſſa*] Baſil. *culpa.*
4 *Vel*] Baſil. *quoque.*

Si vitium eſſe putes, poteris non credere factum:
Si factum credas, ne vitium eſſe putes.

IV. *Ad*[1] *Ptolemæum*[2] *Luxium Taſtæum*, *&*[3] *Jacobum Tevium*, [4] *cum articulari morbo laboraret*. M. D. XLIV.

O Animæ, Ptolemæe, meæ pars altera, tuque
Altera pars animæ, Tevi Jacobe, meæ,
Scire juvat quid agam? vivo modo, ſi modo vivit
Pondus iners, animæ corpus inane ſuæ.
Sed tamen ingratas ceu vivi ducimus auras,
Et trahit exanimem languida vita moram.
Ignea vis febris rapido ſic perfurit æſtu,
Ut minus Ætnæi ſæviat ira rogi.
Torrida concretis lapideſcunt viſcera grumis,
Et latebras renum calculus urit atrox.
Ut Cereris poſſint, ut Bacchi munera credi
Tacta Meduſæis obriguiſſe comis.
Sed tamen hæc noſtri levis eſt acceſſio morbi,
Et pars immenſi vix numeranda mali:
Humor enim cunctos late diffuſus in artus,
Qua jungunt flexus oſſibus oſſa ſuos,
Obſedit cæcas pigro marcore lacunas,
Cunctaque torpenti frigore membra ligat.
Ex humeris pendent ſine robore brachia laxa,
Nec fluidum cervix ſuſtinet ægra caput:
Genua labant, & crura tremunt, laſſique recuſant,
[5] Tam celeres nuper, me modo ferre pedes.
Sic ego defunctus jam vivo, mihique ſuperſtes,
Et, vitæ amiſſo munere, fata moror.
Quodque mihi ſupereſt fugitivæ lucis, id omne
Dividit in pœnas Parca ſevera meas.

Nam

1 *Ptolemæum*] [Quis hic fuerit Ptol. Luxius Taſtæus indagare nondum potui. Burdegalenſem fuiſſe docemur ex Sylvarum carmine II.]

2 *Luxium Taſtæum*] Rob. Steph. 1569, & Patiſſon. *Luxium Taſtæum Vaſconem*, *& Jacobum Tevium*, *cum laboraret articulari morbo.*

3 *Jacobum Tevium*] [Jacobus Tevius Bracarenſis, cum Lutetiæ docuiſſet literas, Burdegalam a Goveanis evocatus, poſtea in Conimbricam Academiam deductus fuit. vid. Schott. Biblioth. Hiſpan. tom. III. pag. 479. ubi enumerat ejus ſcripta. & Nicol. Ant. Biblioth. Hiſp. tom. I. pag. 245. Commentarium de rebus a Luſitanis in India apud Dium geſtis, eleganti & Latiniſſimo ſtilo ſcriptum, ornavit Buchananus Epigrammate, quod in prioribus editionibus omiſſum nunc poſt Pſalmos inſertum legitur.]

4 *Cum articulari morbo*] Baſil. *cum ex diſtillatione articulari morbo laboraret.*

5 *Tam celeres nuper*] Rob. Steph. & Patiſſon. *Tam ſtabiles.*

Digitized by Google

Nam dum lenta ſubit nervos pituita, caviſque
In latebris tabes viſcida membra coquit:
Tunc ego felicem Tityum atque Promethea clamo,
Una quibus tantum viſcera carpat avis.
Non ita diſtentis laxantur corpora nervis,
Cum petitur dubii criminis indicium:
Non ita vexatæ tenduntur vincula navis,
Cum notus inſano miſcuit aſtra freto.
Hic ubi deſævit, ſuccedit calculus: illum
Protinus enaſcens acrior hydra ſubit.
Aut cava tinnitu demurmurat auris acuto,
Aut facit arentem febris anhela ſitim:
Aut ſenſim illabens lentus pulmonibus humor
Vexatum tuſſi quaſſat utrumque latus.
Interea medicus decocti uligine ligni
Oppugnat lentam perſequiturque luem.
Hic cibus, hic potus tenuatos recreat artus,
Et cum vicina prælia morte gerit.
At macie informi ſuccum populante refugit
Et vigor & vultu qui fuit ante color.
Squalidus obſedit faciem ſitus, oſſaque præbent
Membra per arentem dinumeranda cutem.
Et velut in ſpeculo ſe lumina cernere nolint,
In latebras penitus retro abiere ſuas.
Denique vos animis talem me fingite, quales
Ad tumulos manes credit adeſſe timor.
Qualia pinguntur miſeris ſimulacra figuris
Terrificæ Mortis, mortiferæque Famis.
At neque Taſtæus, nec Tevius aſſidet, ore
Suaviloquo longum qui vetet eſſe diem:
Nec mihi delicias blandi facit oris [1] Alanus,
Nec lepida alludit garrulitate Petrus:
Nec recreant animum doctis ſermonibus ægrum
Cætera Vaſconicæ turba diſerta ſcholæ.
Sed nec amicitiæ mihi pectora cognita certæ
In mediis hîc me deſeruere malis.
Sæpe mihi medicas Groſcollius explicat herbas,
Et ſpe languentem conſilioque juvat:

¹ Sæ-

1 *Alanus*] [Forte intelligitur Nicolaus Alanus Medicus, cujus librum de Santonum Regione & illuſtribus familiis, editum a filio Joanne recenſet Le Long. in Bibl. Hiſt. Francica n. 145. Petrus vero v. 58. & Groſcollius v. 63. mihi adhuc ignoti latent.]

Digitized by Google

[1] Sæpe mihi Stephani ſolertia provida Carli
Ad mala præſentem triſtia portat opem.
Turnebus Aonii rariſſima gloria cœtus
Officiis vacuum non ſinit ire diem.
Cæteraque ut ceſſent, [2] Gelidæ [3] pia cura ſodalis
Et patris & patriæ ſuſtinet uſque vicem.
Iſta levant animum, cum tellus luce rececta eſt:
At cum ſol vitreis præcipitatur aquis,
Ingeminant mœſto pallentes agmine curæ,
Fingit & in formas ſomnia mille ſopor.
Illa mihi veſtros per cæca ſilentia vultus,
Oraque per tenebras conſpicienda ferunt.
Alloquiiſque levant animum fallacibus ægrum,
Et prohibent longas noctibus eſſe moras.
Sit licet hæc nimium levis & fugitiva voluptas,
Dulce tamen caris ſic quoque poſſe frui.
Fors & nocte iſthuc etiam me ſomnia portant,
Et ſtatuor veſtrum pallidus ante torum:
Et tenui fundens ſuſpiria mœſta querela
Commiſeror vitæ fata ſiniſtra meæ.
Hoc vetet illa mihi ſors hactenus aſpera, ſurda
Nec ſaltem hic noſtras abnuat aure preces.
Et vos obſcuræ ſuaviſſima pignora noctis
Somnia, pennato concita turba gradu,
Efficite abſentes dolor hic ne tangat amicos,
Solus & e noſtris ſim miſer ipſe malis.
Quod ſi Parcarum non exorabile numen
Ruperit ante ſuum ſtamina noſtra diem,
Sera mei fidos accedas fama ſodales
Funeris, & longa quam pote falle mora.
Et, vos unanimes lacrymis abſiſtite amici,
Neu gemitu manes ſollicitate meos.
Si quis erit ſenſus ſupera quid agatur in aula,
Libera cum vinclis corporis umbra fugit,
Veſter erit luctus noſtræ quoque lugubris umbræ,
Nec mihi mors longi meta doloris erit.

V. *Ad*

1 *Sæpe mihi Stephani*] Ex hoc Buchanani diſticho recte colligit Menagius Carolum Stephanum Roberti primi fratrem Medicum fuiſſe, Anti-Baillet Tom. I. §. 58.

2 *Gelidæ*] Ita Steph. & Pariſſ. alii autem omnes, — *ut ceſſent gelidæ, pia* —: elegat Lector.

3 *Gelidæ pia cura ſodalis*] Vide quæ nos ad Buchanani vitam, ad annum 1542.

V. *Ad Franciſ. Olivarium, Franciæ Cancellarium, nomine ſcholæ Burdegalenſis.*

[1] SI pudor audaces ſineret ſuus eſſe Camœnas,
  Et qui virginibus purpurat ora metus;
Omnis Aquitani properaret turba Lycæi
  Ante tuas ſupplex mane rubente fores.
Quod tamen ingenuus fari pudor impedit illas,
  Promtus & in ſexu debiliore rubor;
Una jubet, teneris tibi cognita ſcilicet annis,
  Pauca quidem hæc verbis nos memorare ſuis.
Pene ſuum rediit circumfluus annus ad ortum,
  Et prope defeſſis Phœbus anhelat equis,
Ex quo pauperies inopes miſerabilis urget
  Pieridas, juveni numina nota tibi.
Si fera barbaries trepidos [2] vaſtaret agreſtes,
  Et quateret bello mœnia durus Iber;
Publica privatas lenirent damna querelas,
  Junctaque cum populi ſollicitudo metu.
Nunc mala tempeſtas belli deſæviit, urbes
  Pax fovet, & pleno copia larga ſinu.
Rura quies ſecura colit, mercator inermis
  Impavido tutas remige ſulcat aquas.
Cætera tranquillæ ſenſerunt commoda pacis,
  Cum mala nos bellis aſperiora premant.
Quid modo ſqualentes turpi rubigine mores
  Profuerit ſtudiis excoluiſſe bonis?
Quid modo barbariem juvet expugnaſſe rebellem,
  Inque triumphato figere caſtra ſolo:
Si tamen incolumi Franciſco & prole, ſecundum
  Te quoque poſt regum ſceptra tenente locum,
Nos tenet obſeſſos miſere crudelis egeſtas,
  Nec ſinit Aoniis credere ſemen agris?
Hæc quoque non noſtræ pars eſt poſtrema querelæ,
  Si tibi neglectæ deſtituamur ope.
Cum tamen ad ſummos per nos ſis vectus honores,
  (Ingenuo verum ſi licet ore loqui,)
Quis neget inſontes tali ſub clade Camœnas,
  Et non horrendi criminis eſſe reas?

Si

1 *Si pudor audaces*] Non irritos fuiſſe hos Buchanani Elegos, oſtendit Ode εὐχαριστικὴ (Miſcell. IV.) ad eundem F. Olivarium ſcripta.

2 *Vaſtaret agreſtes*] Rob. Steph. & Patiſſon. *vexaret.*

Si nec, Olivari, ſaltem tibi credita cauſſa eſt
  Noſtra, patrocinii digna favore tui:
Si mala non puris [1] vitiemus pocula ſuccis,
  Miſtaque cum liquidis toxica demus aquis;
Non petimus velum deprenſæ obtendere culpæ:
  Plectantur pœnis crimina quæque ſuis.
Aut ſi per ſteriles comites fruſtremur arenas,
  Non habeat faciles noſtra querela Deos.
Sed neque per ſteriles comites fruſtramur arenas,
  Enecat injectum nec ſibi ſemen ager.
Conveniant quamvis Latiæ Francæque Camœnæ,
  Quaſque colit vaſto Teutonis ora ſolo:
Non ſumus indecores Latiis Franciſque Camœnis,
  Quaſque [2] colit vaſto Teutonis ora ſolo.
Sin piget, & tanti non ſunt commercia noſtra,
  Et nimio ſumtu credimur eſſe graves:
Id quoque ne pigeat cito ſpem præcidere vanam,
  Vulnera [3] nec lenta noſtra fovere mora.
Hæc ubi ſpes aberit, vicinos [4] altera Iberos,
  Aut petet aurifero littora flava Tago:
Aut modo pacatos trans æquora lata Britannos,
  Aut juga Sithonia ſemper operta nive.
Quælibet excipient Muſas loca: nam neque deerit
  Inter inhumanos hoſpita terra Getas.
Tu modo per ſi quid juveni indulſere Camœnæ,
  Cum numeris aures detinuere tuas:
Aut ope præſenti miſeras ſolare & egenas,
  Aut ſaltem auxilii ſpem cito tolle tui.

VI. *Ad Aliſam e morbo pallidam & macilentam.*

VERANE te facies miſeranda oſtendit Aliſa,
  Anne oculos fallax decipit [5] umbra meos?
Sed neque decipiunt oculos modus oris & artuum,
  Et Charitum quales vix rear eſſe pedes:
Et tua qui ſemper ſequitur veſtigia, ſive

Diſcere

1 *Vitiemus pocula*] Iidem, *vitiemus pabula.*

2 *Quaſque colit vaſto Teutonis ora ſolo.*] And. Hart, Steph. & Mam. Patiſſ. 1579. *Teutonis aut vaſto quas colit ora ſolo.*

3 *Nec lenta*] Baſil. *nec longa.*

4 *Altera Iberos*] Ex Camœnis *ſcil.* quas hic loquentes inducit. Videtur autem hoc diſticho And. Goveanum Scholæ Burdegalenſis tum Gymnaſiarcham, ſequente ſe ipſum indicare, minarique, ni ampliore præmio muneratos, utrumque ad ſuos, ſe ad Scotos, Goveanum ad Hiſpanos, reverſuros.

5 *Umbra meos*] Rob. Steph. & Patiſſon. *umbra tuos:* male.

Diſcere vult geſtus, ſive docere, decor.
Sed quota, me miſerum, pars hæc illius Aliſæ eſt,
Inter Hamadryadas quæ modo prima fuit?
Heu color, & vultus ſine ruſticitate modeſti,
Et lepor, & blandis ira proterva minis!
Heu ubi lethiferas ſpirantia lumina flammas,
Et matutinis æmula labra roſis!
An tibi Theſſalici vis pernicioſa veneni
Torret ad arcanos cerea membra focos?
Æmulus an livor te perdidit? & Venus ipſa
Indoluit formæ dicta ſecunda tuæ?
At tibi ego infelix ſenium deforme timebam,
Et cum rugoſis pallida labra genis,
Et quæcunque olim longinqui temporis ætas
Invida formoſis damna parare ſolet.
Sed tenero ſecurus eram de flore, nec unquam
Credideram tantum fata ego poſſe nefas.
Vos o, quas penes eſt vitæque necíſque poteſtas,
Sortitæ nimium regna ſuperba Deæ,
Quale decus primo fraudatis flore juventæ?
Debuit hoc veſtris non licuiſſe colis.
Si vos forte juvant fletus prope buſta recentes,
Et ſemper lacrymis [1] tincta favilla novis:
Carpite maturoſque ſenes, vetulaſque rigentes,
Sparſaque vix raris tempora cana comis:
Carpite quos inopis [2] torquent faſtidia vitæ,
Quique velint annos præcipitare ſuos.
Parcite formoſis, breve ver dum tranſvolet ævi,
Parva mora haud parvi muneris inſtar erit.
O fera Perſephone, [3] nimium dilecta tyranno,
Quem luctus miſeri, [4] vinclaque ſæva juvant,
Non ego te facie credo placuiſſe marito,
Sævitia captus palluit ille tua.
Tune potes virides annos fraudare juventa?
Et modo naſcentem præſecuiſſe comam?
Totque animas anima perdes crudelis in una?
Heu fruſtra votis ſæpe vocata piis!
At puto non longum lætabere, ſi modo verum eſt
Ditis inhumani pectus amore capi.
Sit licet & ferro, ſit durior ære rigenti,

Aſpe-

1 *Tincta*] And. Hart, *ſparſa.*
2 *Torquent faſtidia*] Rob. Steph. & Patiſſon. *capiant faſtidia.*
3 *Nimium dilecta*] Baſil. *merito dilecta*
4 *Vinclaque ſæva*] Rob. Steph. & Patiſſon. *ſævaque vincla.*

Aſperior furiis ſit licet ille ſuis:
Hanc ſemel adſpiciat, feritas placata quieſcet,
Atque hunc, qui vincit omnia, vincet Amor.
Tum tibi prælatam neglecta dolebis Aliſam,
Et viduum flebis frigida ſero torum.
Quin animum noſtris frange exorata querelis,
Victuræque brevem temporis adde moram.
Quod tibi das, nobis poteris tribuiſſe videri:
Et lacrymas nobis, & tibi deme metum.

VII. *De* [1] *Leonora* [2] *Pieridis lenæ filia.*

QUALITER, ut Phrygii crepuit tinnitus aheni,
Cymbala mellificas rauca morantur apes:
Sic mea ſe ſiſtit, placide & Leonora renidet.
Æra ſimul curva concrepuere manu.
Hoc amat, hoc ſequitur, [3] ſtupidis hic vultibus hæret,
Hos avida ſolos combibit aure ſonos.
Non ferus argutas ſonipes ſic arrigit aures,
Et furit, ut triſtes concinuere tubæ:
Non ita, Mæonias matres ſtimulante Lyæo,
Thyades effuſis exſiliere comis:
Non ita ſemimares Berecynthia tibia myſtas
Cogit ad inſanos membra [4] ſecare modos:
Ut furit [5] audito crepitu Leonora metalli,
Geſtit & aſſuetis obſtupefacta ſonis.
Cor ſalit, os ridet, lætis nitet ardor ocellis,
Palpitat & trepido ſanguine vena micans. [6]
Conferat huc magicos Circe Perſeia cantus,
Conferat Ææis gramina lecta jugis.
Æs Leonora modo audierit, nec carmina vires,
Lecta nec Ææis obtinet herba jugis.

Nec

1 *De Leonora*] Baſil. *Ad Leonoram*, abſuntque hæ voces, *Pieridis lenæ filia*. Harum autem *de Leonora* Elegiarum in Baſileenſi codice ordo eſt inverſus, quæ enim in hoc priorem, in aliis omnibus poſteriorem obtinet locum: utrique vero præmittitur *De Neæra* carmen, quæ aliis Editt. Elegiarum ultima eſt.

2 *Pieridis*] Rob. Steph. Patiſſon. & Genev. 1584, *Peiridis*, quod & rectius videtur; ita enim eam nominat Miſcell. VII.

3 *Stupidis*] Editio Mam. Patiſſonii anni 1579, *ſtupidiſque*.

4 *Secare*] Patiſſon. *movere*.

5 *Audito*] Ita Mam. Patiſſon. & Hart: alii autem, *auditi*.

6 In editione Mam. Patiſſonii interſeruntur hic quatuor verſus, quos utpote obſcœnos codices alii omnes omiſiſſe videntur.

Linguaque blanditiis teneris luctantia miſcet
Baſia, complexus brachia ſponte ferunt.
Turpis & in partes ſerpit prurigo repoſtas,
Et movet argutas viva libido nates.

Digitized by Google

Nec tamen ære capi nymphæ præcordia miror,
  Æra movent magnos ſæpe minuta Deos.
Eſt Dea, Theſſalicis ſed cum rubet icta ſuſurris
  Luna, laboranti fert ſonus æris opem.
Quid rear? an cæcis rerum contagia cauſſis
  Naturæ certa corpora lege trahunt?
Ferro adamas, fulvo gaudet Leonora metallo,
  Scilicet ingenio paret uterque ſuo.
Audiit Aonio ductos ubi pectine montes,
  Et nemora Orpheis capta fuiſſe modis,
Et citharam auratam contendit, & aurea plectra,
  Aureaque [1] Orpheæ fila fuiſſe lyræ:
Et Danaën pluvio felicem prædicat auro,
  Aureaque hac merito judice dicta Venus.
Hinc licet Æacides precibus contendat Achilles,
  Forma, [2] annis, factis, nobilitate [3] potens,
Si pretium accedat, pretio concedet Achillis
  Cum precibus virtus, forma, juventa, genus.
Hoc videt, hoc audit ſentitque, ad cætera ſurdam
  Nec credas oculos hanc, nec habere manus.
Nec coram ſtatuis procumbit ad oſcula ſacris,
  Lamina ni primos integat alba pedes:
Pulſaque templorum cum turribus æra reſultant,
  Tum canere ad Veneris prælia ſigna putat.
Hoc facit ut [4] pigros ſenio tardoſque podagra
  Illa ſacerdotes impatienter amet.
Suſtinet amplexu demortua membra fovere,
  Molliaque ad canas oſcula ferre comas:
Et fluere in vultus ſpumantis fila ſalivæ,
  Et gelido naſi rore madere ſinus.
Eque oculis putrem ſtillantibus ebibit imbrem,
  Et ſcabri dentis læta venena vorat:
Frigenteſque novat juvenilibus ignibus artus,
  Excitat & nivea languida membra manu.
Tantum in amore valet ſperati amor improbus æris,
  Tot juvenum pallens vota cadaver habet.
Sed neque carnificis dextram fugit [5] illa cruenti,

Mu-

1 *Aureaque*] Patiſſon. *Æneaque*.

2 *Forma*, *annis*] Baſil. & Hart, *animus*, nullo fere ſenſu, niſi *animis* legatur: verum ſincera omnino lectio eſt *annis*, cui altero poſt verſu reſpondet *juventa*, quemadmodum *genus* idem eſt cum *nobilitate*, non *mobilitate*, quod inſulſe exhibet Editio Baſil.

3 *Potens*] Baſil. *virens*.

4 *Pigros ſenio*] Rob. Steph. & Patiſſon. *ſenio pigros*.

5 *Illa cruenti*] Iidem *cruentam*: Et mox

Si modo carnificis munera dextra ferat.

Munera carnificis ſi modo dextra ferat.
Nec ſimul infremuit venis furioſa libido,
Subjicere ærato membra recuſet equo.
At vos, o myſtæ, Veneris juſtiſſima cura,
Queis florem ætatis devovet illa ſuæ,
Hoc pro tot meritis ſaltem præſtate, ſenecta
Cum tumulo ingeſti pulveris oſſa teget;
Ænea ne querulos dent tintinnabula pulſus,
Nec trepidis manes ſollicitate ſonis:
Nam ſemel arguti murmur ſi clanxerit æris,
Umbra etiam cœlum linquet, ut æra petat.

VIII. *In eandem.*

ERGO mihi nunquam niſi perſonata videnda es?
Cernere nec faciem fas, Leonora, tuam?
[1] Alloquar abſentem præſens? in luce ſerena
Tanquam ſint tenebræ, non videam quid amem?
Oſculer, amplectar, tractem quod cernere non eſt?
Et tecum veluti te ſine ſemper ero?
Non ego Penelopen, [2] ſi non videatur, amabo:
Gorgona ſi videam, Gorgona forſan amem.
[3] Illa vel OEdipodas, vel Phineas urat amicos,
Quæ faciem metuit ne tueare ſuam.
Per te, per verum, quicunque eſt ille, colorem,
Perque oculos, oculos qui rapuere meos:
Quiſquis is eſt, verum vultum permitte videri,
Te volo, perſonam nolo videre tuam.
Dummodo certus amem, quidvis patienter amabo:
Cum tegitur virtus, creditur eſſe nefas.
Dum cutis exiguas viſcato polline mendas
Illinis, ingentes ſuſpicione facis.
Nam cum vera latent vero majora timentur,
Et mens quid paveat neſcia, cuncta pavet.
At tibi nec labris vultum deformis equinis
Æthiopum calido venit ab axe pater:

Deco-

1 *Alloquar abſentem*] Recentiores libri *Alloquor.*

2 *Si non videatur*] Rob. Steph. & Patiſſon. *quæ non videatur.*

3 *Illa vel OEdipodas*] *i. e.* cœcos amatores nanciſcatur, quales fuere OEdipus & Phineus, quorum ille, quod patrem interfeciſſet, & matrem uxorem duxiſſet, præ dolore ſibi oculos eruit; hic, quod duos filios novercæ ſuperinductæ conſiliis oculis privaſſet, a Diis eodem ſupplicio eſt affectus. Vide Statium Theb. I. 47. Ovid. Met. VII. 2. *Phineas* autem eſt Accuſativus pluralis Græcus; nec eſt quod quiſpiam hic *Phineos* putet legendum.

Decolor aut fuſci genuit te filia Mauri,
Candida ſed patriæ nympha colore ſuæ.
Utque fores nigro nigra Æthiopiſſa parente,
Ne metuas nigram ne tamen ullus amet:
Candida mens fuſci penſabit damna coloris,
Quæ facie ingrata eſt, ſimplicitate placet.
Nec ſapor eſt unus cunctis jucundus, odorque,
Nec facies oculis omnibus una placet.
Simplicitas me nuda juvat; mihi baſia pura,
Servabis Monachis oſcula picta tuis.
Illos [1] picta juvent, quibus eſt ſub tegmine duro
Relligio mores diſſimulare ſuos.

IX. *De Neæra.*

SERVITII juga dura & iniquum exoſus amorem,
Eripui dominæ me, rapuique fugam:
Senſit Amor, pedibus celerem [2] velocior alis
Urget, &, A nobis ſic fugitivus abis?
Dumque facem rotat, [3] ut languentes colligat ignes,
Exſtinctam lacrymis hanc videt eſſe meis.
Ergo avidus pœnæ, tædæque iratus inermi
Omnia de pharetra ſpicula fundit humi:
Omnia me contra jaculatur, & omnia fruſtra,
Pectoribuſque hærent ſpicula mille meis.
Cor, jecur & pulmo tot ſaucia facta ſagittis,
Quo [4] facerent jaculis non habuere moram.
Non tot in Actæa patuere foramina cera,
Tecta novo populo cum nova fingit apis:
Non ita pro foribus ſtamen tralucet, Arachne
Hoſtibus aligeris præmeditante dolos.
Fervida tot telis [5] non proficientibus ira
Fugit ad auxilium dia Neæra tuum:
Et capiti aſſiſtens te dormitante capillum
Aureolum flavæ tollit ab orbe comæ.
Et mihi ridenti (quis enim non talia vincla
Rideat?) arridens brachia vinxit Amor:
Luctantemque diu (ſed fruſtra) evadere, traxit

Capti-

1 *Picta*] Mam. Patiſſ. *ficta.*
2 *Velocior*] Idem: alii omnes *velocius.*
3 *Ut languentes colligat ignes*] Baſil. *& languentes colligit ignes.* And. Hart, *& languentes colligat.*
4 *Quo facerent jaculis*] Baſil. *Quo jaculis facerent.*
5 *Non proficientibus*] Patiſſon. *nil proficientibus.*

Digitized by Google

Captivum, dominæ reſtituitque meæ.
Et nunc ille ferox, ipſique rebellis Amori,
(Ah! pudet) & ſolitus fortia verba loqui,
Juſſa fero ſtimuli patiens, nec iniquus habenis,
Et trahor iratæ præda relictus heræ.
At vos, quos oculis melior Venus adſpicit æquis,
Cunctaque non durus vota ſecundat amor:
Ne gaudete, meis nec læti illudite damnis,
Quæ mea ſors hodie eſt, cras fore veſtra poteſt.

GEORGII BUCHANANI SCOTI
SILVÆ.

I. *Ad* CAROLUM V. *Imperatorem*, *Burdegalæ hoſpitio publico ſuſceptum*, *nomine Scholæ Burdegalenſis*, *anno* M. D. XXXIX.

VASCONIDIS [1] regnator aquæ, generoſe Garumna,
Cui toties Latios faſces, totieſque curule
Fas ebur, & veteres, ingentia nomina, patres
Cœruleo excepiſſe ſinu, non contigit unquam
Hoſpitii tibi major honos, licet uſque vetuſti
Temporis æterno ſeries repetatur ab ævo:
Roma atavos quamvis, magnæ licet æmula Romæ
Proferat antiquos tellus Byzantia patres.
Auſoniæ regalis honos, decus orbis Iberi
Carolus, Arctoi ſoboles Mavortia Rheni
Vaſconicam ſubit hoſpes humum, quem publica poſcunt
Vota orbis, famulas cui porrigit obvius ulnas
Albula, nativi quem tentat turbidus auri
Deliciis revocare Tagus, quem jure paterno
Cœrulei repetunt prima incunabula Rheni,
Cernere quem cupiunt gemino ſub ſole ſuperbi

1 *Vaſconidis*] Edinburg. And. Hart, *Vaſconicæ*.

Digitized by Google

Barbaricis ambo exuviis, hinc Iſter, & illinc
[1] Bagrada Marmaricæ lentus ſulcator arenæ.
Burdegalam tamen ille tuam, tua tecta, Garumna,
Ingens hoſpes init: tibi majeſtate remiſſa
Imperii decreſcit apex, tectoque minori
Cæſareus ſuccedit honos, privata ſubire
Culmina dignantur Latii diademata regni.
[2] Sic Hecale Ægiden, ſic te Tyrinthia proles
Ceperunt rigidi mapalia nuda Molorchi:
Sic poſita quondam ſceptri gravitate peruſtos
Juppiter Æthiopas, canamque reviſere Tethyn
Gaudet, & alternis interſerit otia curis.
Ergo hoſpes poſitiſque minis, ventiſque, Garumna,
Compoſitis, Borea non obluctante vel Auſtro,
Tranquillus mitiſque adſis, vultuque ſereno
Criſpentur tremulæ Zephyris felicibus undæ:
Depoſitum tibi grande orbis, tibi publica vota
Spemque ſuam credit, rectorem gentis Iberæ,
Auſoniæ dominum, Boreæ pugnacis alumnum,
Victorem Libycæ terræ, Scythiæque timorem:
Quem colit occaſus, Boreas amat, ultimus horret
Ortus, & infidi metuit ſolertia Mauri.
Cernis ut effractis popularia flumina clauſtris
Accurrant, properentque tuis ſe jungere Nymphæ
Fluctibus, Oceanus refluis ut plenior undis
Majores convolvat aquas, cupidæque videndi
Nereides, Nereuſque pater, Tritonque canorus,
Et ſenior Glaucus, viridiſque examina Phorci
Diſcurſent tremula per ſtagna liquentia cauda?
Tu quoque magnanimum quamvis ſtirps, Carole, avorum
Magnanimis ſis major avis, te Gallia quamvis
Obvia ſollicitet, quamvis cunabula pandat
Rhenus, & Auſtriaci revocent molimina ſceptri;
Burdegalæ exiguos ne dedignere penates
Hoſpitio ſancire tuo: quæ diſpare quamvis
Fortunæ ſplendore tuo, parvoque paratu

Te

1 *Bagrada*] Hæc verior, atque meliorum auctorum, Lucani, Statii, Plinii, Ptolemæi, Procopii, Sidonii, Oroſii & Æthici (uti notat magnus Bochartus Geogr. ſac. I. 24.) exemplo confirmata, hujus vocis ſcriptura, pro quo in Pomponio, Silio & Floro, omnibuſque Buchanani Editt. *Bragada* legitur: reſpexiſſe autem noſter videtur illud Lucani Pharſ. IV. 588.

——— *Qua ſe*
Bagrada lentus agit ſiccæ ſulcator arenæ.

2 *Sic Hecale Ægiden*] *Hecale* anus paupercula Theſeum, Molorchus ſenex paſtor Herculem hoſpitio ſuſcepiſſe a Poetis feruntur.

Te capit hoſpitio, ſtudio in te forte fideli
Atque animo Regum ingentes æquaverit aulas.
At famæ ſi danda fides, ſubiere minores
Numina ſæpe caſas, ac non ingrata voluntas
Hoſpitis & magnum cepit mens grata Tonantem.
Obſequiis concede piis, concede favori
Burdegalæ, totam tibi quæ cum civibus urbem
Devovet: ut ſeri poſſint meminiſſe nepotes
Quæ loca tu quondam, quæ tecta impleveris ingens
Hoſpes, & externis veniens peregrinus ab oris
Diſcere magnanimi cupiat veſtigia Carli.
  Si locus hic ſupereſt, inter ſi nomina tanta
Admittunt tenues communia gaudia Muſas,
Verſibus incultis Aquitanis turba Camœnis
Dedita te ſtudiis patronum, & pacis adorat
Auctorem, facileſque vias, facileſque recurſus
Exoptat, Pylios & cum ſuperaveris annos,
Jam tibi promiſſam ſuper aurea ſidera vitam.

II. *Deſiderium* [1] *Ptolemæi Luxii Taſtæi.*

USQUE adeo patrii ſordet tibi ripa Garumnæ,
  Pictones ut ſcopulos, atque horrida teſqua frutetis
Durus ames? nec te ſocium pecoriſque lariſque
Cura tenet, nec quam ſociis pecorique larique
Prætuleras, cui ſæpe roſas, cui ſæpe ſolebas
Pallida cum niveis vaccinia ferre liguſtris:
Quam tu ſideribus, quam tu componere ſoli
Auſus eras: [2] cujus nitidis radiantia [3] gemmis
Sola tibi purum fundebant lumina lumen.
Nunc tamen (heu nunquam conſtans in amore voluptas!)
Tu procul hinc ſteriles rupes colis immemor [4] Agrii
Vaſconicique gregis, Nymphæque oblitus amatæ:
Forſitan & ſtupidas bona carmina perdis ad aures.
Interea noſtris paſtoria fiſtula ſilvis
Muta ſilet, mutæ pecudes, mutæque volucres,
Nec ſtrepit aſſueto Zephyri levis aura ſuſurro.
Noctua ſucceſſit philomelæ, & acanthidi bubo,

Strix-

1 *Deſiderium Ptolemæi*] In Editt. Baſil. & H. Steph. alio ordine quam in reliquis hoc & ſequentia carmina diſponuntur.

2 *Cujus nitidis radiantia*] Editio anni 1594, Commelin. & And. Hart, *cui nitidis.*

3 *Gemmis*] And. Hart, *flammis.*

4 *Agris*] Baſil. *agri*, ſed melius *Agrii*, nam *Agrius* poſt nominatur.

Strixque nocens pueris, & [1] triſtis ad omina cornix,
Raucaque flumineæ recinunt [2] convicia ranæ.
Sicubi [3] fauſta ſedet volucris, non gutture læto
Mulcet agros, non in tractus laſciva volatu
Emicat aërios, triſti ſed murmure mœſtum
Et lugubre ſonans ſedet in dumis deſertis
Abdita, turbatis deformis & horrida pennis.
Ipſe ego cum calamos mœſti ſolatia luctus
Sumere tentarem, crudumque levare dolorem
Carmine, vix primis admoram labra cicutis,
Sive fuit caſus, ſeu (quod magis auguror) omen,
Et mala quæ mentem nunquam præſagia fallunt,
Flebile raucisonæ reſponſavere cicutæ.
Ipſæ etiam in tumidis Nymphæ Oceanitides undis,
Ipſæ etiam [4] in placidis Nymphæ [5] Dordonides antris,
Ipſi etiam montes, ipſæ etiam convalles
Auditæ longas per noctem iterare querelas.
Sed neque te tantum, quanquam te flumina lugent,
Nec tantum Nymphæ, ſilvæ, volucreſque feræque,
Quantum te in ſolis ſolus gemit Agrius antris.
Illum ego congreſſuſque hominum & conſortia tecta
Vitantem, tacitæ per muta ſilentia ſilvæ
Dum ſequor, & voces capto, & veſtigia ſervo,
Hæc memini mœſta convicia fundere lingua.
  Pictones o ſcopuli, & nudis impervia ſaxis
Culmina, & exiguæ male pinguia culta Crotellæ,
Quæque paris raras tantum ſilva horrida glandes,

Ah!

1 *Triſtis ad omina*] Commelin. Elzev. 1621 & 1628. Edin. 1677. Lond. 1686. *triſtis ad omnia*: male, quemadmodum ſupra animadverſum ad Baptiſt. pag. 34.

2 *Convicia*] Vide Phædri fab. VI. 5.

3 *Sicubi*] Vir doctus, qui notas illas conſcripſit, quæ ad calcem Elzevirianæ 1621, aliarumque deinceps Editionum ſunt adjectæ, legendum monet conjunctim *Sicubi*, quanquam omnes aliæ habeant diviſim *Sic ubi*. Verum non videtur ille conſpexiſſe Edit. Mam. Patiſſonii 1579, in qua etiam *Sicubi* conjunctim legitur.

4 *In placidis*] Utrique Elzev. Edimb. 1677. Lond. 1686, omnibuſque Belg. Editt. abeſt *in*.

5 *Dordonides*] Baſil. Steph. Commelin. & Editio anni 1594, *Dardonides*, ſed male, a *Dordonia* enim (vulgo *Dordonne*) fluvio Galliæ Aquitanicæ, ex montibus Arvernorum, & ex *Dor* & *Donia* fontibus ſcatente, ac in Garumnam apud Liburnam oppidum influente, id nominis illis eſt inditum. [Ita vulgus Geographorum nos ſolet docere, ſequi amans Aimoinum. vid. Papir. Maſſon. deſcript. Franciæ per Flumina. in Garumna. ſed omnes errare & Dordoniam, ſive, ut olim dicebatur, Duranium ex uno fonte, ex monte Dor oriri, & inde Decum Doranum, Dorononiam, Dornoniam, & circa A. Ch. DCC. Dordoniam & Dordonam docet egregie Hadr. Valeſius in notitia Galliæ pag. 179.]

Ah! quibus infames magicis in collibus herbas
Gignitis? Ææi quæ vis occulta veneni
Hinc procul in veſtris Ptolemæum detinet oris?
Certe ibi purpureis non lotos aquatica baccis,
Quæ tenuit ſocios tarde redeuntis Ulyſſei,
Non Cereri luſtratus ager, non commoda bubus
Paſcua, non virides generoſo palmite colles,
Qualia Vaſconicæ felicia jugera glebæ.
Cæteraque ut conſtent, non quæ dedit ubera primum
Hic genitrix, non quod tua primum infantia cœlum
Hauſit, & infirmis pulſus vagitibus aër,
Reptatumque ſolum puero: non falce notata
Silva ſub hirſuto ſervat tua carmina libro,
Carmina nequicquam memorem ſpondentia mentem.
Quid tamen hoc prodeſt, patrii quod ripa Garumnæ
Et viridis frondes, & amœnam in frondibus umbram
[Præbeat, [1] & primas meditanti carmina cannas]
Prima tibi dederit, ſi tu non tangeris iſtis?
At te ſi capiunt inamœno robore colles,
Quodque per incultas areſcit gramen arenas,
Raraque quæ canis languet vindemia ſaxis,
Ipſe ſuas vites, ſua pinguia culta Garumna
Oderit, & nulla redimitus arundine frontem
In mare per ſteriles lente prorepet arenas.
Quid precer, o ſilvæ, vobis, quid ſaxa, quid undæ?
Quid campis precer, & pecori, pecoriſque magiſtris,
Quos mihi, quos patriæ Ptolemæus prætulit oræ?
Silva neget glandes, & Bacchi munera colles,
Torreat arva ſitis, ſcabies pecus, atra magiſtros
Peſtis & inſani perimant contagia morbi,
Soſpite Taſtæo patriæque mihique ſibique,
Immemor ut viſat memores invitus amicos.
Hei mihi! [2] quid ſilvæ & campi, quid ſaxa, quid undæ?
Quid pecus, & pecoris quid commeruere magiſtri?
Hæc ego devoveam, patriis quæ prætulit arvis
Paſcua Taſtæus? piget, & mea vota [3] retracto:
Rurſus & iratæ linguæ maledicta recanto.
  Glande nemus, fœtu pecus, uva vitis abundet,
Puraque perſpicuis manet de fontibus unda,

Pa-

1 *Præbeat*] Hunc verſum in ſola editione And. Hart invenio.

2 *Quid ſilvæ*] Alii codices univerſi, *quid ſilvæ & campi meruere? quid undæ?* melius autem lectio And. Hart, quam nos ſecuti ſumus, prioribus reſpondere videtur.

3 *Retracto*] [Vide ad Jephthen. p. 204.]

Pabula dent campi, ſilvæ paſtoribus umbras,
Sub quibus arguta carmen modulentur avena.
Quæ te cunque tenet tellus, quæcunque tenebit;
Sive per æſtiferas Libyæ ſitientis arenas
Paſtor ages pecudes, Boreæ ſeu juncta nivali
Rura coles, Libycum Boreas riget imbribus axem,
Et rigor Arctous tepido miteſcat ab Auſtro;
Et quacunque feres greſſus, tibi balſama ſudet
Quercus, mella rubis, tribuliſque legatur amomum:
Dum neque terra ferax mellis, neque dives amomo
Eſſe tibi patrio videatur amicior arvo.
Me miſerum! quid vana queror? procul ille remotis
Saltibus externos forſan ſuſpirat amores.
At vos o venti, tuque o pulſata querelis
Aura meis toties, & amari conſcia luctus
Partem aliquam duras Ptolemæi perfer ad aures.
Ille licet ſcopulis (quod non puto) durior ipſis
Fiat, & antiqui (quod nolim) oblitus amici,
Cum tamen audierit gemitus, moturaque rupes
Verba mei luctus, noſtro ingemet ille dolori,
Dicet &, Hic noſtræ fuit admirator avenæ.
Plura locuturo vultum ſub nube recondens
Triſtior occiduas Phœbus deſcendit in undas.

III. *Deſiderium Lutetiæ.*

O Formoſa Amarylli, tuo jam ſeptima bruma
Me procul aſpectu, jam ſeptima detinet æſtas:
Sed neque ſeptima bruma nivalibus horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens fervoribus æſtas
Exſtinxit vigiles noſtro ſub pectore curas.
Tu mihi mane novo carmen, dum roſcida tondet
Arva pecus, medio tu carmen ſolis in æſtu,
Et cum jam longas præceps nox porrigit umbras:
Nec mihi quæ tenebris condit nox omnia vultus
Eſt potis occultare tuos, te nocte ſub atra
Alloquor, amplector, falſaque in imagine ſomni
Gaudia ſollicitam palpant evanida mentem.
At cum ſomnus abit, curis cum luce renatis
Tecta miſer fugio, tanquam mihi tecta doloris
Semina ſubjiciant, & ſolis mœſtus in agris,
Qua vagus error agit feror, & deſerta querelis
Antra meis, ſilvaſque & conſcia ſaxa fatigo.
Sola meos planctus Echo miſerata gementi

Digitized by Google

Adgemit, & quoties ſuſpiria pectore duco,
Hæc quoque vicino toties ſuſpirat ab antro.
Sæpe ſuper celſæ prærupta cacumina rupis
In mare proſpiciens, ſpumantia cœrula demens
Alloquor, & ſurdis jacto irrita vota procellis:
O mare! quæque maris vitreas, Nereides, undas
Finditis, [1] in veſtros placidæ me admittite portus:
Aut hoc ſi nimium eſt, nec naufragus ire recuſo,
Dummodo dilectas teneam vel naufragus oras.
O quoties dixi Zephyris properantibus illuc,
Felices pulchram viſuri Amaryllida venti,
Sic neque Pyrene duris in cotibus alas
Atterat, & veſtros non rumpant nubila curſus,
Dicite veſanos Amaryllidi Daphnidos ignes.
O quoties Euro, levibus cum raderet alis
Æquora, dicebam, Felix Amaryllide viſa,
Dic mihi, Num meminit noſtri? num mutua ſentit
Vulnera? num veteris vivunt veſtigia flammæ?
Ille ferox contra rauco cum murmure ſtridens
Avolat irato ſimilis, mihi frigore pectus
Congelat, exanimes torpor gravis alligat artus.
Nec me paſtorum recreant ſolamina, nec me
Fiſtula, Nympharumque leves per prata choreæ,
Nec quæ capripedes modulantur carmina Panes:
Una meos ſic eſt prædata Amaryllis amores.
Et me tympana docta ciere canora Lyciſca,
Et me blanda Melænis amavit, Iberides ambæ,
Ambæ florentes annis, opibuſque ſuperbæ:
Et mihi dotales centum cum matribus agnos
Ipſi promiſere patres, mihi munera matres
Spondebant clam multa: meum nec munera pectus,
Nec nivei movere ſuis cum matribus agni,
Nec quas blanditias teneræ dixere puellæ,
Nec quas delicias teneræ fecere puellæ.
Quantum ver hyemem, victum puer integer ævi,
Ter viduam thalamis virgo matura parentem,
Quam ſuperat Durium Rhodanus, quam Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formoſus Iberum,
Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes:
Tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.
Sæpe ſuos vultus ſpeculata Melænis in unda

Com-

1 *Finditis, in veſtros*] Poſt hunc. additur in Editione Edinburgenſi hic verſus. *Et date Celtarum incolumi contingere portus.*

Compoſuit, pinxitque oculos, finxitque capillum,
Et voluit, ſimul & meruit formoſa videri.
Sæpe mihi dixit, Animi male perdite Daphni,
Cur tibi longinquos libet inſanire furores?
Et quod ames dare noſtra poteſt tibi terra, racemos
Collige purpureos, & ſpes ne concipe lentas.
Sæpe choros feſtos me prætereunte, Lyciſca
Cernere diſſimulans, vultuſque averſa canebat
Hæc, pedibus terram, & manibus cava tympana pulſans:
Et Nemeſis gravis ira, atque irritabile numen,
Et Nemeſis [1] læſos etiam punitur amores.
Vidi ego, dum leporem venator captat, echinum
Spernere, poſt vanos redeuntem deinde labores,
Veſpere nec retuliſſe domum leporem nec echinum.
Vidi ego, qui mullum peteret piſcator, & arctis
Retibus implicitam tincam ſpreviſſet opimam,
Veſpere nec retuliſſe domum mullum neque tincam.
Vidi ego, qui calamos creſcentes ordine riſit
Paſtor arundineos, dum torno raſile buxum
Fruſtra amat, (interea calamos quos riſerat, alter
Paſtor habet,) fragiles contentum inflare cicutas.
Sic ſolet immodicos Nemeſis contundere faſtus.
Hæc & plura Melænis, & hæc & plura Lyciſca
Cantabant ſurdas fruſtra mihi ſemper ad aures.
Sed canis ante lupas, & taurus diliget urſas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leænas,
Quam vel tympana docta ciere canora Lyciſca
Mutabit noſtros vel blanda Melænis amores.
Et prius æquoribus piſces, & montibus umbræ,
Et volucres deerunt ſilvis, & murmura ventis,
Quam mihi diſcedent formoſæ Amaryllidos ignes:
[2] Illa [3] mihi rudibus ſuccendit pectora flammis,
Finiet illa meos moriens morientis amores.

IV. *Fran-*

1 *Læſos etiam punitur amores*] *Punitur* hic active adhibuit, ad exemplum Cic. de Offic. lib. I. *Neque ad ejus qui punitur aliquem, aut verbis caſtigat, ad reipub. utilitatem referri:* & Tuſcul. I. *Quo multi inimicos etiam mortuos puniuntur.*

2 *Illa mihi rudibus*] Ita in unica Editione Edinburgenſi Andreæ Hart; in aliis vero omnibus turpiſſimo errore legitur, *Illa meum rudibus ſuccendit pectora flammis.*

3 *Illa mihi rudibus*] Alibi monuimus omnibus libris (præter unum And. Hart.) *Illa meum rudibus* legi, quem ſolœciſmum Menagius Anti-Baillet part. I. §. 1. Buchanani ipſius, ego librarii potius oſcitantiæ imputandum exiſtimo.

IV. *Franciſci Valeſii & Mariæ Stuartæ, Regum Franciæ & Scotiæ, Epithalamium.*

UNDE repentino fremuerunt viſcera motu?
Cur Phœbum deſueta pati præcordia anhelus
Fervor agit, mutæque diu Parnaſſidos umbræ
Turba iterum arcanis renovat Pæana ſub antris?
Nuper enim, memini, ſqualebat marcida laurus,
Muta chelys, triſtis Phœbus, citharæque repertor
Arcas, & ad ſurdas fundebam vota ſorores.
Nunc Phœbi delubra patent, nunc Delphica rupes
Panditur, & ſacro cortina remugit ab antro.
Nunc lauro meliore comas innexa ſororum
Turba venit, nunc Aoniæ non invida lymphæ
Irrigat æternos Pimplei ruris honores,
Lætaque Pieriæ revireſcit gloria ſilvæ.
Fallimur? an nitidæ tibi ſe, Franciſce, Camœnæ
Exornant? tibi ſerta parant, [1] tibi flore recenti
Templa novant? mutumque diu formidine Martis
Gaudent inſolitis celebrare Helicona choreis?
Scilicet haud alius nemoris decerpere fructus
Dignior Aonii, ſeu quem numerare triumphos
Forte juvat patrios, ſeu conſecrata Camœnis
Otia: ſic certe eſt. Hinc læto compita plauſu
Cuncta fremunt: legumque exuta licentia frenos
Ludit: Hymen, Hymenæus adeſt: lux illa pudicis
Exoptata diu votis, lux aurea venit:
Venit. Habes tandem toties quod mente petiſti,
[2] O decus Hectoridum juvenis: jam pone querelas,
Deſine ſpes nimium lentas, jam deſine longas
Incuſare moras, dum tardum ſignifer annum
Torqueat, ignavos peragat dum Cynthia menſes.
Grande moræ pretium fers: quod ſi priſca tuliſſent
Secula, non raptos fleſſet Menelaus amores,
Et ſine vi, ſine cæde Phrygum Cytherea probatæ
Solvere Priamidæ potuiſſet præmia formæ.
Digna quidem facies, quam vel trans æquoris æſtus
Claſſe Paris rapiat, vel conjurata repoſcat
Græcia: nec minus eſt animi tibi, nec minor ardor

Quam

1 *Tibi flore recenti*] And. Hart, *fronde recenti.*

2 *O decus Hectoridum*] Gallos, ſive Francos, Hectoridas poetarum more appellat, quod eorum nonnulli ſcriptores ſe Franco vel Francione quodam Hectoris Trojani filio ortos fabulantur.

Digitized by Google

Quam Phrygio Grajove duci, ſi poſtulet arma
Conjugii tutela tui. Sed mitior in te
Et Venus, & teneri fuit indulgentia nati,
Qui quod ames tribuere domi: puerilibus annis
Cœptus amor tecum crevit: quantumque juventæ
Viribus acceſſit, tanto ſe flamma per artus
Acrius [1] inſinuans tenerum paſcebat amorem.
Non tibi cura fuit, quæ ſæpius anxia Regum
Pectora ſollicitat, longinquæ obnoxia flammæ:
Nec metus is torſit, veri prænuntia fama
Ne vero majora [2] ferat, dum ſecula priſca
Elevat, & primum formæ tibi ſpondet honorem:
Cera nec in varias docilis tranſire figuras
Suſpendit trepidam dubia formidine mentem:
Nec tua commiſti tacitis ſuſpiria chartis,
Rumoriſque vagam timuiſti pallidus umbram.
Ipſe tibi explorator eras, formæque probator,
Et morum teſtis. Nec conciliavit amorem
Hunc tibi luxuries, legum indignata teneri
Imperio, aut primis temerarius ardor ab annis:
Sed ſexu virtus, annis prudentia major,
Et decori pudor, & conjuncta modeſtia ſceptris,
Atque hæc cuncta ligans arcano gratia nexu.
Spes igitur dubiæ, lentæque faceſſite curæ,
Ipſe tuis oculis tua vota tuere, probaſque:
Speratoſque leges ſine ſollicitudine fructus,
Nullaque fallacis deluſus imagine ſomni
Irrita mendaci facies convicia nocti.
Exſpectatus Hymen jam junget fœdere dextras,
Mox etiam amplecti, mox & geminare licebit
Baſia, mox etiam non tantum baſia: ſed tu,
Quamlibet approperes, animo moderare: beatum
Nobiſcum partire diem, tu gaudia noctis
Solus tota feres: quanquam neque gaudia noctis
Solus tota feres: & nos communiter æquum eſt
Lætitiam gaudere tuam: communia vota
Fecimus, & ſacras pariter placavimus aras,
Miſcuimuſque preces, & ſpeſque metuſque tuoſque
Senſimus affectus: [3] ægre tecum hauſimus una
Tædia longa moræ. Superi nunc plena ſecundi

Gaudia

1 *Acrius inſinuans*] Baſil. *accendens*.
2 *Ferat*] Ita Hart & recentiores omnes, antiquiores vero *ferat*.
3 *Ægre tecum*] Rob. Steph. & Pariſon. *ægræ*.

Gaudia cum referant, ſenſus pervenit ad omnes
Lætitiæ, mentemque ciens renovata voluptas
Creſcit, & exſultant trepidis præcordia fibris.
Qualis ubi Eois Phœbus caput extulit undis
Purus, & auratum non turbidus extulit axem,
Cuſpide jucundæ lucis percuſſa renident
Arva, micat tremulo criſpatus lumine pontus,
Lenibus aſpirat flabris innubilus aër,
Blanda ſerenati ridet clementia cœli:
At ſi nubiferos effuderit Æolus Auſtros,
Et pluviis gravidam cœlo ſubtexuit umbram,
Mœſta horret rerum facies, deformia lugent
Arva, tument fluctus, campis gravis incubat aër,
Torpet & obductum picea caligine cœlum:
Sic ex te populus ſuſpenſus, gaudia, curas,
Mœroreſque trahit: roſea nec ſola juventa
Florida, nec ſpatiis quæ te propioribus ætas
Inſequitur, genio indulgent, vultuque ſoluto
Luſibus exhilarant aptos juvenilibus annos;
Hunc poſita vultus gravitate ſeverior ætas
Lætatur celebrare diem, matreſque verendæ
Non tacito hunc, tacitoque optat virguncula voto.
Quid loquar humanas admittere gaudia mentes?
Ipſa parens rerum totos renovata per artus
Geſtit, & in veſtros penitus conſpirat honores.
Aſpice jam primum radiati luminis orbem
[1] Semper inexhauſta luſtrantem lampade terras,
Ut niteat, blanda ut flagrantes mitiget ignes
Temperie, ut [2] cupidos ſpectacula veſtra tueri
Purpureo vultus maturior exſerat ortu,
Serius occiduas currus demittat in undas,
Ut gelidos repetens flamma propiore triones
Contrahat æſtivas anguſta luce tenebras.
Ipſa etiam tellus virides renovatur amictus,
Et modo pampineas meditatur collibus umbras,
Et modo meſſe agros, modo pingit floribus hortos:
Horrida nec tenero ceſſant manſueſcere fœtu
Teſqua, nec armati ſpina ſua brachia vepres,
Nec curvare feros pomis aviaria ramos:
Inque omnes frugum facies bona copia cornu
Solvit, & omniferum beat indulgentior annum,

Pigno-

1 *Semper inexhauſta*] Omnes præter And. Hart. & Lond. 1686, *inexhauſto*.

2 *Cupidos*] Ia Steph. alii vero omnes, *cupido*.

Digitized by Google

Pignoris hoc ſpondens felices omine tædas.
Fortunati ambo, & felici tempore nati,
Et thalamis juncti! veſtram concordia mundi
Spem fovet, aſpirat votis, indulget honori:
Atque utinam nullis unquam labefacta querelis
Conjugium hoc canos concordia ſervet in annos.
Et (mihi ni vano fallax præcordia Phœbus
Impulit augurio) quem jungit ſanguinis ortus,
Et commune genus proavûm, ſerieque perenni
Fœdus amicitiæ ſolidum, quem more vetuſto
Sancta verendarum committunt fœdera legum,
Nulla dies unquam veſtrum divellet amorem.
Vos quoque felici lucent quibus omine tædæ,
Quo ſtudium, populique favor, quo publica regni
Vota preceſque vocant, alacres accedite: tuque
Tu prior, o Reges non ementite parentes,
Hectoride juvenis, tota complectere mente
Quam dedit uxorem tibi lex, natura ſororem,
Parentem imperio ſexus, dominamque voluntas,
Quam ſociam vitæ tibi conjunxere parentes,
Et genus, & virtus, & forma, & nubilis ætas,
Et promiſſa fides, & qui tot vincula nectens
Firmius arctat amor totidem per vincula nexus.
Si tibi communi aſſenſu connubia Divæ
Annuerent, Paris umbroſa quas vidit in Ida,
Permittantque tuo ſocias tibi jungere tædas
Arbitrio, quid jam, voti licet improbus, optes
Amplius? Eximiæ delectat gratia formæ?
Aſpice quantus honos frontis, quæ gratia blandis
Interfuſa genis, quam mitis flamma decoris
Fulguret ex oculis, quam conſpirarit amico
Fœdere cum tenera gravitas matura juventa,
Lenis & auguſta cum majeſtate venuſtas.
Pectora nec formæ cedunt exercita curis
Palladiis, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos Sophia ſub [1] judice mores.
Si ſeries generis longuſque propaginis ordo
Quæritur: hæc una centum de ſtirpe nepotes
Sceptriferos numerare poteſt, hæc regia ſola eſt,
Quæ bis dena ſuis includat ſecula faſtis;
Unica vicinis toties pulſata procellis,
Externi immunis domini: quodcunque vetuſtum

Gen-

1 *Judice*] Hart, *præſide*.

Gentibus in reliquis vel narrat fama, vel audet
Fabula, longævis vel credunt ſecula faſtis,
Huc compone, novum eſt. Ampla ſi dote moveris,
Accipe dotales Mavortia pectora Scotos.
Nec tibi frugiferæ memorabo hic jugera glebæ,
[Aut [1] ſaltus pecore, aut fœcundas piſcibus undas,]
Aut æris gravidos & plumbi pondere ſulcos,
Et nitidos auro montes, ferroque rigentes,
Deque metalliferis manantia flumina venis,
Quæque beant alias communia commoda gentes.
Hæc vulgus miretur iners, quique omnia ſpernunt
Præter opes, quibus aſſidue ſitis [2] acris habendi
Tabifico oblimat præcordia craſſa veneno.
Illa pharetratis eſt propria gloria Scotis,
Cingere venatu ſaltus, ſuperare natando,
Flumina, ferre famem, contemnere frigora & æſtus;
Nec foſſa & muris patriam, ſed Marte tueri,
Et ſpreta incolumem vita defendere famam;
Polliciti ſervare fidem, ſanctumque vereri
Numen amicitiæ, mores, non munus amare.
Artibus his, totum fremerent cum bella per orbem,
Nullaque non leges tellus mutaret avitas
Externo ſubjecta jugo, gens una vetuſtis
Sedibus antiqua ſub libertate reſedit.
Subſtitit hic Gothi furor, hic gravis impetus hæſit
Saxonis, hic Cimber ſuperato Saxone, & acri
Perdomito Neuſter Cimbro. Si volvere priſcos
Non piget annales, hic & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum: quem non gravis Auſter
Reppulit, incultis non ſqualens Parthia campis,
Non æſtu Meroë, non frigore Rhenus & Albis
Tardavit, Latium remorata eſt Scotia curſum:
Solaque gens mundi eſt, [3] cum qua non culmine montis,

Non

1 *Aut ſaltus*] Hunc verſum, in aliis omnibus deſideratum, ex Editione And. Hart ſupplevimus.

2 *Acris*] Ita habent antiquiores & Hart, recentiores vero, *æris*.

3 *Cum qua non culmine montis*] Quidam arbitrantur fœdam hic, ſive typographi, ſive exſcriptoris vitio, maculam admiſſam: quis enim (ajunt) veterum ſic locutus eſt, *Scotia eſt ſola gens mundi, cum qua* (*i. e.* ut illi interpretantur, *adverſus quam*) *Romani munierunt limites ſui imperii, non culmine montis*, &c. *ſed muris & foſſa?* ac proinde pro [*cum qua,*] legendum contendunt [*in quam.*]. At non eſt, mea ſententia, quod conſtantem omnium librorum ſcripturam ſollicitemus: quin potius, ſi rem accuratius intueamur, omnia non recte modo ac Latine, ſed belle ac venuſte dici comperiemus; non enim (quod illi volunt) hæ voces [*cum qua*] ad verbum [*munivit*] referendæ ſunt,
ſed

Non rapidi ripis amnis, non objice ſilvæ,
Non vaſti ſpatiis campi Romana poteſtas,
Sed muris foſſaque ſui confinia regni
Munivit: genteſque alias cum pelleret armis
Sedibus, aut victas vilem ſervaret in uſum
Servitii, hîc contenta ſuos defendere fines
Roma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis:
Hîc ſpe progreſſus poſita, Carronis ad undam
Terminus Auſonii ſignat divortia regni.
Neve putes duri ſtudiis aſſueta Gradivi
Pectora manſuetas non emolleſcere ad artes,
Hæc quoque, cum Latium quateret Mars barbarus orbem,
Sola prope expulſis fuit hoſpita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Grajæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoreſque rudis formatoreſque juventæ
Carolus ad Celtas traduxit: Carolus idem,
Qui Francis Latios faſces, trabeamque Quirini
Ferre dedit Francis, conjunxit fœdere Scotos:
Fœdere, quod neque Mars ferro, nec turbida poſſit
Solvere ſeditio, aut dominandi inſana cupido,
Nec ſeries ævi, nec vis ulla altera, præter
Sanctius & vinclis fœdus propioribus arctans.
Tu licet ex illa numeres ætate triumphos,
Et conjuratum cunctis e partibus orbem
Nominis ad Franci exitium, ſine milite Scoto
Nulla unquam Francis fulſit victoria caſtris,
Nulla unquam Hectoridas ſine Scoto ſanguine clades
Sævior oppreſſit: tulit hæc communiter omnes
Fortunæ gens una vices: Franciſque minantes
Sæpe in ſe vertit gladios. Scit belliger Anglus,
Scit ferus hoc Batavus, teſtis Phaëthontias unda,
Nec ſemel infauſtis repetita Neapolis armis.
Hanc tibi dat conjux dotem, tot ſecula fidam
Conjunctamque tuis ſociali fœdere gentem,
Auſpicium felix thalamis concordibus, armis

Inde-

ſed ad [*confinia:*] ut hic ſit verborum ordo, *Solaque g. m. eſt confinia regni ſui cum qua Romana poteſtas munivit non culmine montis*, &c. *ſed muris foſſaque*. Romanos autem ſic interdum loqui locupletiſſimum teſtem habemus Ovid. Met. IV. 399.

Jamque dies exactus erat, tempuſque ſubibat,
Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.

Et Met. XIII. 592.

Tum cum luce nova noctis confinia ſervo.

i. e. *confinia diei & noctis*, ſive *medium inter diem & noctem ſpatium*. Sic confinia provinciæ Romanæ (in Britannia) cum Scotia ſunt limites inter provinciam Romanam & Scotiam, vel, qua provincia Romana Scotiæ erat confinis.

Indomitos populos per tot diſcrimina, felix
Auſpicium bellis, venturæque omina palmæ.
At tu conjugio, Nymphe, dignata ſuperbo,
Te licet & Juno, & bellis metuenda virago,
Et Venus, & Charitum larga indulgentia certet
Muneribus decorare ſuis, licet ille ſecundus
Spes votiſque hominum Francæ moderator habenæ,
Et ſolo genitore minor, tibi Regia ſceptra
Submittat, blando & dominam te prædicet ore,
Sexum agnoſce tamen, dominæque immunis habenæ
Hactenus imperio jam nunc aſſueſce jugali:
Diſce jugum, ſed cum dilecto conjuge, ferre:
Diſce pati imperium, victrix patiendo futura.
Aſpicis Oceanum ſaxa indignatus ut undis
Verberet, & cautes tumida circumfremat ira:
Rupibus incurſat, demoliturque procellis
Fundamenta terens, ſcopuliſque aſſultat adeſis:
Aſt ubi ſe tellus molli ſubſtravit arena,
Hoſpitioque Deum blande invitavit amœno,
Ipſe domat vires, placiduſque & ſe minor ire
In thalamos gaudet non torvo turbidus ore,
Non ſpumis fremituque minax, ſed fronte ſerena
Littus inoffenſum lambit, ſenſimque relabens
Arrepit facilis cerni, &, [1] ceu mollia captet
Oſcula, ludentes in littore lubricat undas.
Cernis ut infirmis hedera enitatur in altum
Frondibus, & molli ſerpens in robora flexu
Paullatim inſinuet ſeſe, & complexibus hærens
Emicet, & mediis pariter caput inſerat aſtris.
Flectitur obſequio rigor, obſequioque paratur
Et retinetur amor. Neu te jactura relictæ
Sollicitet patriæ, deſideriumque parentis:
Hæc quoque terra tibi patria eſt, hic ſtirpe propinqui,
Hic generis pars magna tui, multoſque per annos
Fortunatorum ſeries longiſſima Regum,
Unde genus ducis, rerum moderatur habenas.
Quoquo oculos vertes, quoquo veſtigia flectes,
Cognatis pars nulla vacat, locus exhibet omnis
Aut generis ſocios, aut faſtis inclyta gentis
Oſtentat monumenta tuæ. Jam ut cætera mittam,
Hîc te, qui cunctis merito præponderat unus,
Exſpectat longe pulcherrimus Hectoridarum,

Pe-

1 *Ceu mollia captet*] Baſil. *ceu millia captet.*

Pene tibi ſtirpis communis origine frater:
Mox etiam fratrem quod vincat amore futurus,
Et matrem, & quicquid conſanguinitate verendum
Lex facit, &, legum quam juſſa valentior ulla,
Naturæ arcanos pulſans reverentia ſenſus.
Hîc quoque (ni juſtis obſiſtent numina votis,
Falſaque credulitas fruſtra ſpem nutrit inanem)
Filius ore patrem referens, & filia matrem
Sanguine communi vinclum communis amoris
Firmabunt, brevibuſque amplexi colla lacertis
Diſcutient blando curarum nubila riſu.
Hunc vitæ mihi fata modum concedite, donec
Juncta Caledoniæ tot ſeclis Gallia genti
Officiis, pactiſque, & legum compede, fratrum
Subdita dehinc ſceptris animo coaleſcat: & undis
Quos mare, quos vaſtis cœlum ſpatiiſque ſolumque
Dividit, hos populum concordia nectat in unum,
Æquæva æternis cœli concordia flammis.

V. *Deploratio ſtatus rei Gallicæ, ſub mortem Franciſci Secundi Regis.*

O Dea, quæ nimiis ſucceſſibus invida faſtus
[1] Speſque premis tumidas, ſi Gallia forte ſecundis
Non moderata animum rebus, ſi prodiga linguæ,
Improba ſi voti tua numina læſerit, iræ
Pone modum, & feſſis propius bona conſule rebus.
Quicquid enim pœnæ meruit vel noxa, vel error,
Cladibus eluimus: quos non infecimus amnes
Sanguine? naufragiis mare teximus, oſſibus agros:
Oppida quot ſpoliata! ſuis viduata colonis
Rura quot incultis horrent ſqualentia dumis!
Pax quoque non fido vultum fucata veneno
Sævior incubuit bello. Dum thura litamus
Ignibus, & ſuperis læti inſtauramus honores,
Ipſe gubernator fortunæ victima ad aram
Immatura ſuo turbavit gaudia luctu,
Concuſſitque una pariter labefacta ruina
Omnia: finito vix tandem eluximus anno:
Jam lacrymæ rediere novæ: cumulata feruntur
Funera funeribus, & clades clade: novoque

Vul-

1 *Speſque premis tumidas*] Ita & rectius, me judice, habent Hen. Stephanus anno 1569, & Patiſſon. 1579: alii quos viderim omnes *timidas*.

Vulnere crudeſcit prope jam coitura cicatrix.
Ipſa etiam tetro Diſcordia fœta veneno
His majus meditata nefas, de ſede ſilentum
Evocat infernas ſupera ad convexa ſorores,
Inque animos odii fundens mala ſemina & iræ,
Et procerum mentes privata ad commoda torquens
In commune vetat ſocias extendere curas.
Quæ jam dedecoris, quæ damni exempla ſuperſunt?
Quæ non pertulimus, vel mox ventura timemus?
Cladibus infeſtos etiam ſatiavimus hoſtes,
Invidiæ arbitrio pœnas expendimus: iſta
Sint ſatis erroris culpæve piacula noſtræ.
Accipite hæc ſuperi: fractæ ſerieque malorum
Aſſidua afflictæ faciles ſuccurrite genti,
Inque feros belli clades convertite Turcas.

VI. *De equo elogium.*

CÆTERA rerum opifex animalia finxit ad uſus
Quæque ſuos, equus ad cunctos ſe accommodat unus:
Plauſtra trahit, fert clitellas, fert eſſeda, terram
Vomere proſcindit, dominum fert, ſive natatu
Flumina, ſeu foſſam ſaltu, ſeu vincere curſu
Eſt ſalebras opus, aut canibus circundare ſaltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera ſeu vacuis ludat laſcivia campis.
Quod ſi bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & ſocias vomit ore & naribus iras,
Vulneribuſque offert generoſum pectus, & una
[1] Gaudia, mœrores ſumit ponitque viciſſim
Cum domino: fortem ſic officioſus in omnem,
Ut veteres nobis tam certo fœdere junctum
Crediderint mixta coaleſcere poſſe figura,
Inque Pelethroniis Centauros edere ſilvis.

VII. *Genethliacon Jacobi Sexti Regis Scotorum.*

CRESCE puer patriæ auſpiciis felicibus orte,
Exſpectate puer, cui vatum oracla priorum
Aurea compoſitis promittunt ſecula bellis:
Tuque peregrinis toties pulſata procellis,

Pene

1 *Gaudia, mœrores*] Ita Hart. alii vero omnes *mœrorem.*

Pene [1] tuo toties exciſa Britannia ferro;
Exſere læta caput, cohibe pacalis olivæ
Fronde comam, repara flammis fœdata, ruinis
Convulſa, & pulſo cole ſqualida tecta colono:
Pone metum, æternam ſpondent tibi ſidera pacem.
Jam neque Saxonidæ Scotos, nec Saxona Scotus
Infeſtus premet, & cognato ſanguine ferrum
Polluet, & miſeras prædando exhauriet urbes.
Sed quibus ante feri tractabant arma Gradivi,
Jam dehinc pacatis conjungent fœdera dextris.
Vos quoque felices felici prole parentes,
Jam tenerum teneris puerum conſueſcite ab annis
Juſtitiæ, ſanctumque bibat virtutis amorem
Cum lacte; & primis pietas comes addita cunis
Conformetque animum, & pariter cum corpore creſcat.
Non ita converſi puppis moderamine clavi
Flectitur, ut populi pendent a Principe mores.
Non carcer, legumque minæ, torvæque ſecures
Sic animos terrent trepidos formidine pœnæ,
Ut veræ virtutis honos, moreſque modeſti
Regis, & innocui decus & reverentia ſceptri
Convertunt mentes ad honeſta exempla ſequaces.
Sic ubi de patrio redivivus funere phœnix
Auroræ [2] ad populos redit, & cunabula ſecum
Ipſe ſua, & cineres patris inferiaſque decoris
Fert humeris, quacunque citis adremigat alis,
Indigenæ comitantur aves, celebrantque canoro
Agmine: non [3] illas ſpecies incognita tantum,
Aut picturatæ capiunt ſpectacula pennæ,
Quam pietas, pietas etiam intellecta volucrum
Senſibus: uſque adeo recti natura per omnes
Diffudit rerum vivacia ſemina partes,
Sic in Regem oculos populus defigit, & unum
Admirantur, amant, imitantur, ſeque ſuoſque
Ex hoc, ceu ſpeculo, tentant effingere mores.
Quod non ſanguinei metuenda potentia ferri
Exprimet, & nitido florentes ære phalanges,
Hoc præſtabit amor: certat cum Principe vulgus
Officiis, & amat, cum ſe deprendit amari,

Et

1 *Pene tuo*] Ita codices omnes antiqui, at recentiores hunc verſum ſequenti ſubjiciunt.

2 *Auroræ ad populos redit*] And. Hart, *Memphin ab Aurora petit.*

3 *Illas*] Ita Steph. & Mam. Patiſſ. meliuſque quam *illa*, prout in aliis omnibus legitur.

Et domino ſervit, quia non ſervire neceſſe eſt:
Quaſque bonus Princeps laxat ſponte, arctat habenas,
Depoſcitque jugum, quod vi cogente metuque
Rejecturus erat: contra indulgentior ille
Rexque paterque ſuis adimit, ſubit ipſe labores,
Quæque jubet primus præit, & legum aſpera juſſa
Mollia parendo facit, erratiſque ſuorum
Parcere non durus, ſibi inexorabilis uni.
Ille nec in cultu ſuperet menſaque domoque,
Quem poſuit natura, modum, nec more ferarum
In Venerem præceps, ſed certo fine pudoris
Caſta colat ſancti genialia fœdera lecti.
Quis bombyce auſit cultus fœdare viriles,
Si ferat indigenam majeſtas regia veſtem?
Quis de lege tori, tanquam ſit dura, queratur,
Cum teneat Regem? cui non temulentia turpis
Principe ſub ſicco? patrios quis frangere mores
Audeat, ignavoque animum corrumpere luxu,
Ipſe voluptatum cum Princeps frena coërcet,
Et nimium lætam vitiorum [1] comprimit herbam?
Talem Romulidæ tranquilla pace fruentem
Sacrificum videre Numam, Solomonta potentem
Palmifer Euphrates: non illis lethifer enſis,
Non bellator equus firmavit regna, nec axis
Falcifer, aut denſis [2] legio conſerta maniplis,
Sed pietatis amor, ſed nulli noxia virtus,
Fretaque præſidio majeſtas juris inermi.
At qui gemmiferos victor penetravit ad Indos
Dux [3] Macedum, quique Auſoniam tenuere ſuperbo
Imperio Reges, aut ferro aut tabe veneni
Effudere animas, & cædem cæde piarunt.
Scilicet humano generi natura benigni
Nil dedit, aut tribuet moderato Principe majus,
In quo vera Dei vivenſque elucet imago.
Hanc ſeu Rex vitiis contaminet ipſe pudendis,
Sive alius ferro violet vel fraude, ſeveras
Sacrilego Deus ipſe petet de ſanguine pœnas,
Contemtumque ſui ſimulacri haud linquet inultum.

Sic

1 *Comprimit herbam*] Sic legendum monſtrat priore verſu *coërcet*: libris tamen omnibus *comprimat* ſcriptum eſt.

2 *Legio conſerta maniplis*] Ita unus And. Hart, alii autem omnes *conſerta maniplis*.

3 *Macedum*] [*Macetum* dicendum fuit: vide Heinſ. ad Claud. I I. in Rufin. 279. & quos ibi laudat, idem commiſſum Epigram. XLV.]

Sic Nero crudelis, ſic Flavius ultimus, & qui
Imperio Siculas urbes [1] tenuere cruento,
Effigiem fœdare Dei exitialibus auſi
Flagitiis, ipſa periere a ſtirpe reciſi.
Sic qui ſe juſti macularunt ſanguine Servî,
Et qui legitimos ferro flammaque petivit
Rectores patriæ Catilina nefarius, acti
In furias miſero vix tandem funere vitam
Inviſam poſuere, ignominiaque perenni
Fœdavere ſuam ventura in ſecula gentem.
  Hæc [2] tenero addiſcat, maturo exerceat ævo,
Et regnare putet multo ſe latius, oræ
Heſperiæ fuſcos quam ſi conjunxerit Indos,
Si [3] poterit rex eſſe ſui. [Dum firmior artus
Vis reget atque animum, puerilia murmura dulces
Interea Charites atque eluctantia verba
Component, Muſiſque dabunt rude pectus alendum:
Inde notas diſcet, per quas abſentibus abſens
Quid juvet aut doleat caris exponat amicis:
Quæ dirimant verum a falſo diſcrimina certa:
Quæ quibus aut pugnent, aut non invita ſequantur:
Quod genus eloquii flammatas leniat iras,
Quod reſides acuat: quæ vis regat ætheris orbes:
An ſponte æternos volvat natura meatus.
Tum de Socraticis ſeſe cognoſcere chartis
Incipiet, ſi Socraticæ modo pandere chartæ
Vera queant: mox cœligenis ſe firmior ætas
Conformet Muſis, dignoſcere ſacra profanis
Apta quid interſint: ſumet præcepta rebelles
Hinc domitura animos; & bello & pace regendi
Imperii veram ſacris de fontibus artem
Diſcet. Ad hanc omnes normam ſi ſedulus actus
Finxerit, in patrias felix ſuccedet habenas.]

GEOR-

1 *Tenuere cruento*] In omnibus libris legitur *tenuere ſuperbo*, præter unum And. Hart, qui habet *cruento*, quod magis arrider, quia paucis ante verſibus *tenuere ſuperbo* dixerat.

2 *Tenero*] Baſil. Steph. Patiſſon. *tener*, Commelin. Editio anni 1594, & Hart, *tenera*, alii omnes *tenero*.

3 *Si poterit Rex eſſe ſui*] Hoc poëma in libris omnibus hoc verſu clauditur,

Si poterit Rex eſſe ſui, Rex eſſe ſuorum.

præter unicam Editionem Edinburgenſem Andreæ Hart, quæ, omiſſo hemiſtichio *Rex eſſe ſuorum*, ſequentes ad finem uſque verſus habet adjectos.

GEORGII BUCHANANI SCOTI
HENDECASYLLABON
L I B E R.

I. *In Neæram.*

CUM primum mihi candidæ Neæræ
Illos ſideribus pares ocellos
Oſtendiſtis, ocelluli miſelli,
Illa principium fuit malorum,
Illa lux animi ruina noſtri.
Sic primis radiis repente tactus
Totus intremui cohorruique,
Ut leves nemorum comæ virentum
Primis flatibus intremunt Favoni:
Et cor jam meditans ad illam abire
Per pectus trepidanſque palpitanſque
Jamque evadere jamque geſtiebat:
Ceu ſolet puer artubus tenellis,
Quem nutrix gremio fovet, parentem
Affectare oculis & ore, parva
Jactans brachia: ceu ſolent volucres
Adhuc involucres volandi inani
Infirmas ſtudio movere pennas.
[1] Tum mens provida, virium ſuarum
Quippe conſcia, ne locus doloſis
Eſſet inſidiis, miſelli ocelli,
Vos ad pectoris excubare portas
Inſomni ſtatione juſſit. At vos,
Sive blanditiis doliſve capti,
Seu ſomno ſuperante, ſive ſponte
Conſenſiſtis, herumque prodidiſtis,
Fugit corque animuſque, me relicto
Excorde, exanimo. Quod ergo fletu
Nunc ſatisfacere arbitremini vos,
Nil eſt: quem lacrymis movere vultis
Non adeſt animuſve corve: ad illam
Ite: orateque & impetrate ab illa.
Ni exoraritis, impetraritiſque,
Faxo illam aſpiciatis uſque & uſque,
Donec vos ita luce reddat orbos,
Ut me corde animoque fecit orbum.

II. *Ad*

1 *Tum mens provida*] Genev. 1594. Commel. Hart. Elzev. 1628. Weſt. & alii nonnulli, *Tu mens provida.*

II. *Ad eandem.*

SEU procacibus annuas ocellis,
Seu minacibus abnuas ocellis,
Juxta me miſerum, Neæra, perdis:
Spe torques modo credula [1] timentem,
Nunc formidine maceras dolentem.
Spes, ſi lumine reſpicis benigno,
Lentis ignibus uſtulat medullas:
Timor, lumine ſi aſpicis maligno,
Pigro frigore congelat medullas.
Sic jactor miſer huc & huc, timores
Speſque inter dubiæ patens procellæ:
Nec unquam vigili quieta cura
Vitæ noxve dieſve mî refulſit.
O ſæviſſime numinum Cupido,
Si infenſus pariter faventque perdis,
Quis portus mihi ſpem feret ſalutis?

III. *Ad eandem.*

QUANTUM delicias tuas amabam,
Odi deterius duplo ampliuſque
Tuam nequitiam & procacitatem,
Poſtquam te propius, Neæra, novi.
At tu ſi penitus perire me vis,
Si vis perdite amem, & magis magiſque
Totis artubus imbibam furorem,
Sis nequam magis, & magis proterva.
Nam quo nequior es, proterviorque,
Tanto impenſius uror inquieto
Ventilante odio faces amoris,
Et lentas iterum ciente flammas.
Quod ſi ſis melior, modeſtiorque,
Odero minus, & minus te amabo.

IV. *Ad eandem.*

RISUS, blanditiæ, procacitates,
Luſus, nequitiæ, facetiæque,
Joci, deliciæque, & illecebræ,
Et ſuſpiria, & oſcula, & ſuſurri,
Et quicquid maleſana corda amantum
Blandis ebria faſcinat venenis,
Hinc faceſſite. Jam vale Neæra.
At tu mens bona, ſanitas, ſaluſque,
Continentia, caſtitas, pudorque,
Et modeſtia, veritaſque ſimplex
Fraudes acribus intuens ocellis,
Et quiſquis maleſana corda amantum
Funeſtis Deus eximis venenis,
Adſis: adſere me mihi, impotentis
Vix tandem dominæ jugo ſolutum.
Fruſtra blanditiæ appuliſtis ad me,
Fruſtra nequitiæ [2] venitis ad me,
Fruſtra deliciæ obſidebitis me:
Fruſtra me illecebræ, & procacitates,

Et

1 *Timentem*] An *tumentem?* Vid. ſupra Silv. VI. ℣. 2. [Nihil hic mutandum. nulla enim ſpes ſine timore, nullus timor ſine ſpe, unde hæc duo ſæpe alternantia jungunt Poetæ. vid. Ciofan. ad Ovid. Epiſt. Heroid. IX. 42. & Epiſt. XVI. 379. *Spe modo non timida*, &c.]

2 *Venitis ad me*] Editio Mam. Patiſſ. anni 1579, *veniſtis*.

Et ſuſpiria, & oſcula, & ſuſurri,
Et [1] quicquid maleſana corda amantum
Blandis ebria faſcinat venenis,
Fruſtra jam aggrediemini dehinc me.
Quid me mollibus implicas lacertis?
Quid procacibus intuere ocellis?
Quid fallacibus oſculis ineſcas?
Ne labris labra, inepta, pectorive
Pectus confere, machinis nec iſtis
Ullus jam ſupereſt locus, nec arti:
Non ſum ſtultus ut ante.. Jam Neæra
Vale: dum bona, dum pudica, nobis
Caris carior æſtimata ocellis:
At poſtquam es mala & impudica, nobis
Vili vilior æſtimata cœno.
Eheu me miſerum! ſtatim voluta
Unda lucida per genas ſinuſque
Inſultat tremulo fugax rotatu,
Et per turgidulas fluens papillas,
Senſim gemmeus intumeſcit imber,
Molles agglomerans decenter orbes.
Ergo hæc poſſum ego lentus intueri?
Cernam ferreus ergo ſaxeuſque
Corrumpi male tam bonos ocellos?
Hæc ſi poſſum ego lentus intueri,
Poſſum & ferreus eſſe ſaxeuſque.
Quin vos, mens bona, ſanitas, ſaluſque,
Continentia, caſtitas, pudorque
Et modeſtia, veritaſque ſimplex
Fraudes acribus intuens [2] ocellis,
Et quiſquis maleſana corda amantum
Funeſtis Deus eximis venenis,
Hinc faceſſite: vos adeſte rurſus
Riſus, blanditiæ, procacitates,
Luſus, nequitiæ, facetiæque,
Joci, deliciæque, & illecebræ,
Et ſuſpiria, & oſcula, & ſuſurri,
Et quicquid maleſana corda amantum
Blandis ebria faſcinat venenis:
Sic me vivere, ſic mori ſuave eſt.

V. *Ad Antonium Goveanum.*

SI quicquam, Goveane, fas mihi eſſet
Invidere tibive, Teviove,
Et te noſtro ego Tevio inviderem,
Et noſtrum tibi Tevium inviderem.
Sed cum me nihil invidere ſit fas,
Vel tibi, Goveane, Teviove,
Si fas eſt quod amor dolorque cogit,
Vobis imprecor uſque & imprecabor,
Uterque ut mihi, ſed cito, rependat
Hoc pravum ob facinus malumque pœnas:
Te mî Tevius invidere poſſit,
Tu poſſis mihi Tevium invidere.
Ambobus mihi ſi frui licebit,
Cœlum Diis ego non ſuum invidebo,
Sed ſortem mihi Dii meam invidebunt.

VI. *Ad*

1 *Et quicquid*] Pariſſ. & Baſil. *Et quiſquis maleſana corda amantum Blandis ebria faſcinat venenis.*

2 *Ocellis*] Ita omnino legendum, ut in verſu 11, non *venenis*, quod in omnes Editiones irrepſit.

Digitized by Google

VI. *Ad Neæram.*

CUM ¹ das baſia, nectaris, Neæra,
Das mî pocula, das dapes Deorum:
Ut factus videar mihi repente
Unus e numero Deûm, Deiſve
Si quid altius eſt beatiuſve.
Sed nectar mihi dulce baſiorum
Sic fallacibus imbuis venenis,
Ut qui nunc fueram Deus, Deiſve
Si quid altius eſt beatiuſve,
Præceps in Stygium datus barathrum
Degam Erinnyas inter, aut barathrum
Si quid ſit Stygium infra Erinnyaſve.
Sic ſtatim mihi cor, jecur, medullas
Et venas tacite malum pererrat;
Sic corpus mihi tabe colliqueſcit,
Ardet ignibus, æſtuat venenis;
Sic mentem mala peſtis occupavit;
Ut ſit nectare ſuavius venenum,
Vita mors potior, labor quiete,
Sanitate furor, ſalute morbus.

VII. *In Beleagonem.*

JUDÆUM, Beleago, quod negas te,
Et vis teſtibus id probare magnis:
Erras, teſtibus iſta non probatur
Res, (ut ſcis, puto) mentulâ probatur.

VIII. *In Gelliam.*

CUM conchis gravis æquoris Britanni,
Et rubri maris Indicique onuſta
Incedis ſpoliis, niteſque Serum
Molli ſtamine, mille cum venenis,
Fuco, polline, lacte, purpuriſſa,
Ceruſſa, marathro, œſypo, hordeoque,
Oris Gorgona nudam adulteraſti,
Orbemque ad ſpeculi diu refinxti:
Cum tectoria coaluere prima,
Cruſta cum patitur coacta ſolem;
Prodis Gellia, ceu recens Promethei
In fornace recocta, flagitaſque
Ecquid tum videare: Picta belle.

IX. *Ad Gulielmum Lurium Longanum Senatorem Burdegalenſem*

ORABAM modo blandius Camœnas,
Ut dignum mihi carmen explicarent
Longani auribus, eruditione
Dignum, & judicio politiore:
Cum mî talia reddit una; Ad illum
Nec

1 *Cum das baſia*] And. Hart,
Cum das baſia, ambroſiæ, Neæra,
Das mi pabula, nectariſque ſuccos.
ſed iſta lectio prioris verſus (quod obſervavit vir doctus) repugnat legibus hendecaſyllaborum: Editio anni 1594,
Das mi pocula, dapes Deorum.
metro (ut idem notat) claudicante. Commelin. denique,
Da mi pocula, da dapes Deorum.
parum commodo ſibique conſtante ſenſu. Vera omnino lectio eſt, quam præferunt Baſil Pariſſon. Elzev. &c. quamque & nos ſecuti ſumus.

Digitized by Google

Nec tuis precibus locuſve opuſve eſt:
Nos ſic diligit, excolit, fovetque,
Ut non diligat amplius Minerva.
At ſaltem mihi Diva carmen, inquam,
Commendatior illi ut eſſe poſſim,
Qui ſic diligit unice Camœnas,
Qui ſic diligitur ſacris Camœnis.
Concede. Illa refert; Inepte, tantum
Te noſtri comitem chori eſſe dicas,
Et communibus in ſacris miniſtrum:
Hoc illi ſatis eſt, ſacris Camœnis
Qui ſic diligitur, ſacras Camœnas
Qui ſic unice amat, colit, fovetque, ut
Probetque omnia, quæ probent Camœnæ,
Probentque omnia, quæ probet, Camœnæ.

X. *Ad Theodorum Bezam.*

PRÆSUL optime, ſacra Chriſtiana
Qui caſte colis & facis, caniſque,
Ad te carmina mitto, nec Latino
Nec Grajo ſale tincta, ſed Britannis
Nata in montibus horrida ſub Arcto,
Nec cœlo neque ſeculo erudito.
Quæ ſi judicio tuo probentur,
Ut claſſis modo in ultimæ referri
Poſſint centurias, nihil timebo
Cenſuram invidiæ, nihil morabor
[1] Senatus critici ſeveritatem,
Nihil grammaticas tribus, mihi unus
Beza eſt curia, cenſor & Quirites.

XI. *Adamas in cordis effigiem ſculptus, annuloque inſertus, quem Maria Scotorum Regina ad Elizabetham Anglorum Reginam miſit anno* M. D. LXIV.

NON me materies facit ſuperbum,
Quod ferro inſuperabilis, quod igni,
Non candor macula carens, nitoris
Non lux perſpicui, nec ars magiſtri,
Qui formam dedit hanc, datam loquaci
Circumveſtiit eleganter auro:
Sed quod cor Dominæ meæ figura
Tam certa exprimo, pectore ut recluſo
Cor ſi luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderent.
Sic conſtantia firma cordi utrique,
Sic candor macula carens, nitoris
Sic lux perſpicui, nihil doli intus
Celans: omnia denique æqua præter
Unam duritiem. Dein ſecundus
Hic gradus mihi fortis eſt faventis,
Talem Heroida quod videre ſperem,
Qualem ſpes mihi nulla erat videndi,
Antiqua Domina ſemel relicta.
[2] O ſi fors mihi faxit, utriuſque
Nectam ut corda adamantina catena,
Quam nec ſuſpicio, æmulatiove,
Livorve, aut odium, aut ſenecta ſolvat:
Tam beatior omnibus lapillis,
Tam ſim clarior omnibus lapillis,
Tam ſim carior omnibus lapillis,
Quam ſum durior omnibus lapillis.

GEOR-

1 *Senatus critici*] Hart. *Senati.*
2 *O ſi fors*] Uterque Steph. & Patiſſon. *O ſi fort.*

GEORGII BUCHANANI SCOTI
IAMBON LIBER.

I. *D. Gualtero Haddono Magiſtro libellorum ſupplicum Sereniſſimæ Angliæ Reginæ.*

FRUSTRA ſenectam, Haddone, provocas meam
Læta ad juventæ munia
Muſaſque longo deſides ſilentio
Arenam in antiquam vocas.
Ætas choreis cum vigebat aptior,
Et luſibus decentior,
Vix me in Britannis montibus natum, & ſolo
Inerudito & ſeculo,
Raræ audiebant, raræ adibant fontium
Deæ ſacrorum præſides:
Nunc, cum capillis ſparſerit canentibus
Declivis ætas tempora,
Cum pulſet annus pene ſexageſimus,
Animique langueat vigor,
Surdus roganti Phœbus aurem denegat,
Muſæ vocantem negligunt.
Nec Phyllidis me nunc juvat flavam comam
Præferre Bacchi crinibus,
Nec in Neæræ perfidam ſuperbiam
Sævos Iambos ſtringere.
Nec ſi quis olim ſtimulus ingenio additus
Animum excitabat languidum.
Sed, miſſionem cum ſenecta flagitet
Juſtam, valetudo imperet,
Libens quieſco, & acquieſco legibus
Pejoris ævi aheneis:
Tibique, cui ſors liberali dextera
Opes, honores, otium,
Natura mentem vegeto adhuc in corpore
Diviniorem indulſerit,
Applaudo, ſolum quod queo, magno gradu
Parnaſſi ad alta culmina
Feliciore ætate eunti & alite,
Et enthea vi pectoris.
Nam ſi quid olim effœta mens felicius
Nunc temere fundat, id Deæ,
Cui noſtra Muſa dedicata eſt, debeo,
Non viribus mei ingeni.
Hæc eſt Thalia noſtra, noſtri pectinis
Hæc eſt magiſtra & arbitra,
Quæ ſola Phœbo digna cantat, & cani
Eſt digna Phœbi barbito,
Aut alia, ſi qua barbito Phœbi parem
Noſtræ Deæ æquat barbiton.
Quod ſi Dearum utrinque mentes copulet
Amica vis concordiæ,
Sermone qui nunc vix pedeſtri repo humi,

Digitized by Google

Plebeia fingens carmina,
Arcana rupis Delphicæ ſilentia,
Situque longo ſqualidos
Tripodas movebo, & maſculo dicam ſono
Jucunda pacis otia:
Dicam Gradivum vinculis coërcitum,
Legum coactam injuriam
Parere frenis, vim repreſſam & aurei
Beata ſecli commoda.
Et noſtra ſi quid audiendum vox dabit,
Laudi Dearum ſerviet,
Virtute quarum pax agros Britanniæ,
Urbes fides, fora æquitas,
Et templa pietas, impiis erroribus
Procul relegatis, colet.

II. *In Leonoram.*

MATRE impudica filia impudicior,
Et lena mater filiæ,
Vos me putaſtis eſſe ludumque & jocum,
O ſcorta triobolaria,
Sacrificulorum pauperum faſtidia
Relicta mendicabulis?
Vos ne videret gurgites, ne paſceret,
Vir filiæ uſque ad ultimos
Profugit Indos: nec viæ longinquitas,
Nec nota feritas gentium,
[1] Nec belluoſi rapida ſævities freti
Ab inſtituto terruit:
Nullum periclum, nulla monſtri eſt vaſtitas
Quam perpeti non maluit,
Quam vos videre duplices voragines
Famæ reique prodigas:
Externa potius arma, quam domeſticam
Vult ferre turpitudinem.
Ergo ſolutis liberata vinculis
Libido & helluatio
Cœpere paribus arma ferre viribus,
Invicta pariter utraque;
Pariter voraces, pariter inſatiabiles,
Peſteſque morum compares.
Nec alba ſparſis ſaxa Sirenum oſſibus
Tot perdidere naufragos,
Nec quæ Sicanas obſident anguſtias
Scylla & Charybdis, quot bonis
Vos exuiſtis, vos Conimbricæ ſcholæ
Scopuli, juventutis lues,
Barathrum populi, buſta famæ, opprobrium
Et dedecus viciniæ.
[2] Qua ſpe ſuperbæ furitis aut fiducia,
Proſtibula plebis infimæ?
Quas nunc egeſtas, mox egeſtatis malis
Urgebit acrior fames:
Cum pretia veſtri, ætate quamvis integra,
Ventrem voracem non alant:
Cum corporis totius infamis labor
Unam gulam non expleat:
Nec compararit digna quæ ſaltem foret
Vili ſupellex fornice.

Ergo

1 *Nec belluoſi*] Horat. IV. Od. XIV.
——— *Belluoſus qui remotis*
Obſtrepit Oceanus Britannis.

2 *Qua ſpe ſuperbæ*] Recentiores *ſuperbe*.

Digitized by Google

Ergo ruentem quæ refulciat domum
Neptem parentis artibus
Inſtruite, & aviæ, quæ brevi cadavera
Effœta quæſtu vos alat.
Lucro tenello adſueſcat ævo. Lubrica,
Leonora, fugiunt tempora.
Jam jam ſenectus verticem tinget comis
Canis, rubebunt lumina:
Rugoſa facies reſpuet tectoria
Hiulca ſulcis grandibus:
Declivis ætas pendulas ſolvet genas,
Rubigo dentes atteret.
Quæ nunc miſella ætatis in flexu jaces,
Inopique Monacho nauſeæ es,
Pertuſa nautis, & coquis, & ſervulis,
Ad omnium uſque tædium:
Cui [1] in tegete vili vilius quod vendere
Quam te queas, nil ſuppetit:
Quo nuditatem, quo famem pelles modo,
Et ſolis æſtum, & frigora?
Cum te coquorum turba jam ſpernat ſalax,
Cum ſervuli faſtidiant.
Nempe unde quæſtum es auſpicata improſperum,
Eo revertendum eſt tibi.
Mendica Fratrum amica mendicantium
Te adſcribe rurſus in gregem.

III. *Ad Eandem.*

UTriuſque juris carniumque & piſcium
Leonora docta, dic rogo,
Quo jure ſeſe condiit noſter coquus?
Ut unus, e tot millibus
Juvenum unus, inquam, placeat & ſapiat tibi?
Non ille genere nobilis,
Formave gratus, aut dicax facetiis,
Cultuſve doctis artibus:
Sed qui ſubulcus melior eſſet, quam coquus,
Aut nauta certe, aut bajulus.
Quod ſi coquus te caperet unus, id tamen
Ferrem, licet cum nauſea:
Sed quod coquorum cunque per viciniam eſt
Inſano amore deperis.
Præfers juventæ nobili obſcurum coquum,
Diti anteponis pauperem:
Fœdum decoris, ſordidum lautis, hero
Servum, facetis ruſticum:
Ut & parentem filiæ credam tuæ
Coquum fuiſſe Fratribus.
Quo te veneno lixa, coquus, aquarius
Cepere? quæ juri ſuo
Admiſcuere philtra? quæve Theſſalis
Collecta ſilvis gramina?
Ut hunc furorem nulla tollant pharmaca,
Nec ulla matris carmina,
Matris peritæ detrahere Lunam polo,
Diem tenebris condere,
Et e ſepulchris oſſa legere, & funera
Truncare vixdum frigida.
Quid hoc veneni eſt? cujus iram numinis

Hanc

1 *Cui in tegete*] Commelin. & Edit. 1594 deeſt *Cui.*

Hanc eſſe læſi exiſtimem?
Niſi forte jure quicquid emerit coquus
Te jure credis vendere.

IV. *In Eandem.*

MINIATA labra, ſordidæ creta genæ,
Hiatus oris indecens
Rictu canino, putridi dentes, pares
Mammæ caprinis utribus,
Lacinioſi gutturis deformitas,
Sulcique laterum pinguium,
Craſſoque venter extumens abdomine,
Ego vos amavi? brachiis
Fovi, refovique, & fatigavi meis
Viſcata labra baſiis?
Plebi lupanar proſtitutum ſordidæ
Vocare amores pertuli?
O fraus, amorque, & mentis emotæ furor,
Et impotentes impetus
Quo me abſtuliſtis? vindices Erinnyes,
Quo vapulavi crimine
Veſtrum ad tribunal? non enim Cupidinis
Dolui ſagitta ſaucius:
Sed veſtra aduſtus, veſtra aduſtus lampade,
Furore veſtro inſanii.
Ergo pudendis liberatus vinculis,
Meique juris redditus,
Sanctæ Saluti ſoſpitatrici meæ
[1] Et has catellas ferreas,
Monumenta duri ſerviti, & tabellulam
Hanc ſanitatis indicem
Per eam receptæ, & memoris animi pignora
Dono, libenſque dedico.

V. *In Eandem.*

VIndemiales feriæ claudunt Scholas,
Juvenes penates patrios
Repetunt: per urbem ſolitudo: in ædibus
Mœſtum ſilentium: fores
Rarus cucullus obſidet tuas: ſonat
Stridore raro janua.
Quid ages miſella? ſævientis inguinis
Pruriginem quis leniet?
Fruſtra angiportus, viculos, forum gravis
Lenone calatho dexteram
Perambulabis: clauſa fruſtra ad oſtia
Spectans trahes ſuſpiria,
Cum fervor imis æſtuabit artubus,
Libidinoſum cum jecur
Vis ulcerabit acris, impatiens moræ
Cum flamma viva concitam
Aget per urbem: qualis altis montibus
Matres equorum agit furor
Per ſaxa, & aſpris invium rubis nemus,
Et imbre fluctus turgidos:
Qualis per Idam mugientem adulterum
Secuta Solis filia.
Cum te furoris vis, pudore fortior,

Leo-

1 *Et has catellas ferreas*] i. e. *catenulas.* Vide Horat. I. Epiſt. XVII. 55.

Leonora, ſic raptaverit,
Tunc ego viciſſim lætus adſpiciam tuam
Securus animi inſaniam,
Duræque Amori vindici ſuperbiæ
Nemeſique ſolvam victimam.

VI. *Ad Rectorem Scholæ Conimbricæ Murſam.*

O Domine Rector, Rex Scholæ Conimbricæ,
Miramur omnes hîc tuam potentiam.
Beleago regni quantula eſt bellua tui,
Ut nil ſub ejus ſubditum non ſit pedes?
Nil ille manibus non avaris inquinet?
Capros, & hircos, ſuculas, oves, boves,
Et univerſa pecora mactat, venditat:
Volucreſque cœli vendit, & piſces maris
Quicunque ponti ſemitas perambulant:
Pepones, cucumeres, pruna, porros, & nuces,
Coſellianos quæ per hortos germinant,
Coriandra, cepas, allium, naſturtium,
Samarcianos quæ per hortos pullulant.
O Domine Rector, Rex Scholæ Conimbricæ,
Deſideramus hîc tuam prudentiam.

VII. *In Beleagonem.*

HUIC, quem parentis colere debueras loco,
Beleago, vivo ſpolia detrahere cupis,
Quod tu capellæ non facis, niſi mortuæ:
Lanium ſciebant eſſe te cuncti, gradum,
Ut carnifex ſis, inde paullatim facis:
Ne quæſtus ullus non ferat lucrum tibi.
Ut carnifex ſis, artis auſpicium tuæ
Aliunde malim feceris. Viſne ut tibi
Dicam unde poſſis optime? ut ſi etiam parum
Ex arte facias, nil tamen peccaveris:
Suſpende teipſum: & ſi inepte id feceris,
Omnes probabunt, ceu foret factum optime.

VIII. *In Eandem.*

BELEAGO, ut ipſe teſtis eſt, ſi quid tamen
Firmum eſt, quod ille teſtis affirmaverit,
De gente nullam contrahit Judæ notam.
Idem libellos, lectulos, & lintea,
Scabella, ſcamna, ſtragula, & tapetia
Vendit, revendit, quin & e medio luto
Collecta ſcruta vendit, atque interpolat.
Lac, ova, pullos, allia, & cucurbitas,
Pe-

Pepones, cucumeres, braſſicam, lactuculas,
Poſitis ad omnes viculos cuſtodiis,
Domi ut revendat carius, præoccupat.
Forique ſolus arbiter boarii eſt:
Forique ſolus arbiter piſcarii eſt:
Forique ſolus arbiter olitorii eſt:
Forique ſolus arbiter cupedinis:
Forumque cunctis publicum magis foris
Res contrahentum conſpicit ſemper domi.
Piſcator, olitor, lanius, auceps, & coquus
Illo abſque nullum contrahunt commercium,
Nec mula ſenio fracta, nec mulus tripes,
Nec aſinus æger, nec caballus morbidus
Venum ſine illo poterit ire interprete.
Cuncta unde poſſit confici pecunia
Vendit, revendit, præſtinat, habet quæſtui.
Nec ullus opifex, emtor eſt, aut venditor,
Merx, ars, negotium, unde levis odor lucri
Spirat, quod ille non ſagax præſentiat,
Non antevortat, occupetque & devoret:
Aut ſi id negatur, portiunculam tamen
Prærodat aliquam, ſolus & magnarius
Mercator, idem ſolus & ſcrutarius.
Si quis tot artes tractat unus ſordidas,
Hoc axe natus, gente nec Judæus eſt;
Beleago, dicam, has tractat artes ſordidas,
Hoc axe natus, gente nec Judæus eſt.

IX. *In Eundem.*

BELEAGO cunctas novit artes unice,
Has præter unas, quas docet.
Beleago cunctas tractat artes commode,
Has præter unas, quas docet.
Nec fœnerator alter illo doctior,
Nec caupo quiſquam argutior:
Mango nec ullus morbidos peritius
Servos equoſque adulterat:
Nec in macello ponderum minutias
Sic lanius ullus exigit,
Lancem doloſam deprimitve cautius
Fractis adaugens oſſibus:
Seplaſianæ nec tabernæ lucrio
Interpolare aſtutior:
Nec publicanus e propinquis quiſpiam
Ad omne lucrum acutior.
Et inter artes ſordidas monopolium
(Nam id laudo quod librarius)
Exercet, unus & veteramentarius,
Et unus eſt ſcrutarius,
Negotiator unus eſt magnarius,
Et, ſi Laverna faverit,
Ni fallor, unus eſſe volet aquarius,
Unuſque latrinarius:
Sector, coactor, quadruplator, inſtitor,
Textorque, pictorque, & coquus.
Has tractat artes ille non incommode,
Has nempe didicit, & tenet:
Quas eſt profeſſus ſe tenere non tenet,

Nec

Nec tractat artes, nec docet,
Nec ſcit docere, ſcire nec penitus ſtudet.
Sed olida convictoribus
Ut ponit hirci latera pro vervecibus,
Corvoſque pro caponibus,
Picaſque caveæ mortuas in carcere
Pro phaſianis ſuggerit:
Sic ille miſero credit auditorio
Se facile poſſe imponere?
Veterum Sophorum ſic novis mendaciis
Adulterare dogmata.
Cum ſyllogiſmi implicitus hæret retibus,
Nutatque, ſudatque, & ſtupet.
Dein ceu ſolutum ſit probe impudentia,
Quod peccat ignorantia,
Et ridet ipſe, & cæteris eſt riſui.
Cur ergo quæ neſcit, docet?
Quæ ſcit docere, non docet? mendacium,
Quod prima ei ſit artium.
Adverſus artis ejus ut θεωρήματα
[1] Ne peccet imprudentia,
Quæ neſcit, illa ſcire profitetur palam
Se: ſcire, quæ ſcit, pernegat.

X. *E [2] Græco Simonidis.*

PRIMUM ſeorſum a fœmina mentem Deus
Creavit: illam ex hiſpida ſetis ſue,
Cui cuncta cœno fœda ſordido domi
Humi ſupellex turpiter provolvitur.
Illota & ipſa veſte turpis, ſqualida
Pingueſcit alto deſidens in ſtercore.
Aliam e ſceleſta vulpe formavit Deus,
Quæ cuncta novit, nec boni quicquam aut mali
Ignorat: hoc in genere plurimum boni
Ineſt, malique plurimum: ac ſæpe temere
Modo huc, modo illuc flectit ira mobilis.
Alia parentem moribus refert canem,
Maledica, cuncta audire, cuncta cernere
Intenta, & acri cuncta figens lumine,
Paſſim errat: & ſi neminem conſpexerit,
Oblatrat: hanc vir nec minis compeſcere
Queat, nec ira turgidus ſi excuſſerit
Ei [3] ſilice dentes, nec ſuavi blandiens
Sermone, nec ſi ſedeat inter hoſpites:
Sed pertinaci jurgio incaſſum furit.
Hanc fabricarunt terream Dii, inutile

Onus

1 *Ne peccet imprudentia*] Recentiores fere, *Nec peccet.*

2 *E Græco*] Baſil. *Simonidis Iambi*, ex Stobæi miſcellaneis de mulierum vituperio, Georg. Buchanano Interprete.

3 *Ei*] [Hic contrahi debet in unam ſyllabam, ne metrum Claudicet; quod tamen vox probo.

Onus marito, nec boni quicquam aut mali
Quæ norit: unum id docta tantum, gnaviter
Comeſſe, & algens bruma cum induxit nives,
Horrens ſedile propius ad focum admovet.
 Nunc animum ad illam verte, quæ nata eſt mari:
Modo læta totum gaudet ac ridet diem,
Ut hoſpes illam laudet intuens domi,
Nullamque juret fœminam uſquam gentium
Bonis honeſtiſque hac priorem moribus.
Alias nec ulli facilis adſpici, neque
Patiens adiri propius, [1] indomitum furit,
Ceu fœta catulis accubans teneris canis,
Inſuavis, aſpra, triſtis, ex æquo hoſtibus
Eadem atque amicis: inſtar inſtabilis freti,
Quod nunc per æſtum leniter ſtratum jacet
Fluctu quieto, & gaudium nautis parit;
Plerumque vaſto ſæviens cum murmure
Attollit undas. Illius plane refert,
Quæ nata ponto fœmina eſt, imaginem,
Ingenio, & ira, ceu fretum, mutabili.
 E cinere & aſina exercita moleſtiis
Effecta, tandem vix coacta vi & minis,
In officio erit, deſidens in angulo
Noctem diemque ſe cibis ingurgitat,
Focumque ſeſe propter etiam ingurgitat.
Ad Veneris autem furta amicum quemlibet
Adventitantem ſuſcipit promiſcue.
 Muſtela genuit aliud infelix genus
Miſerumque, formæ nulla cui ſit gratia,
Nil ſuave, nulla illecebra, nil amabile,
Inane amoris atque manſuetudinis:
Et conjugalis negligens tori, viro
Præſente, acerbo nauſeat faſtidio:
Furtiſque multis noxia eſt viciniæ,
Necdum immolatis veſcitur etiam ſacris.
 Aliam equa molli genuit exſultans juba:
Fugitans laboris & operum hæc ſervilium eſt;
Nec admovebit aut molæ manum, aut cribrum
Tollet, domo nec efferet ſordes, neque
Furno aſſidebit, verita ne fuligine
Contaminetur: ſe coacta conjugi
Simulat amicam: bis quotidie, interim
Ter abluit ſe, & ſpargit unguentis comam,
Denſam per humeros fuſa, flore verticem
Umbrata, pulchrum cæteris ſpectaculum,
Miſerum marito: ni tyrannus quiſpiam
Sit, rexve, gaudens apparatu hujuſmodi.

Hæc

1 *Indomitum furit*] Libri omnes *indomitumque* habent, quod metrum non patitur.

Hæc e parente ſimia eſt: qua Juppiter
Non tribuit homini peſtilentius malum.
Huic ſingularis oris eſt deformitas.
Gradiens per urbem riſui eſt paſſim omnibus:
Cervice circum vix caput flectit brevi,
Depygis, arens oſſeis crura artubus.
O, tale monſtrum quiſquis amplexu fovet,
Miſerum maritum! callet inſtar ſimiæ
Menteſque moreſque omnium: nec ſolvere
Riſu ora curat, nec ſtudet quicquam boni
Facere: ſed unum id cogitat totum diem
Secumque verſat, arte qua tandem ſcelus
Deſignet aliquod maxime nefarium.
Ex ape creatæ conjugis felix vir eſt,
Quæ ſola nulli crimini eſt obnoxia,
Vitamque longam & floridam facit viro,
Caroque cara conſeneſcit conjugi,
Fœcunda pulchræ & ſplendidæ propaginis,
Interque cunctas fœminas ſpectabilem
Decore circum gratia ambit undique
Divina: ſegnes nec frequentat circulos,
Ubi de Venereis fabulantur fœminæ.
Tales mulieres Juppiter longe optimas,
Et ſingulari præditas prudentia,
Præbet benignus & favens mortalibus.
At reliqua genera callido Jovis dolo
Creata cuncta ſunt, & apud homines manent:
Has nempe peſtem Juppiter graviſſimam
Produxit, etiam ut ferre ſi quid commodi
Videantur, ipſum id ſit marito incommodum.
Nec integrum unquam tranſigit lætus diem,
Qui cum muliere degit una: nec famem
Diram a familia contubernalem Deumque
Hoſtem repellet facile. Cum vir maxime.
Animo videtur lætus, aut fato Deûm,
Aut hominis ergo, tum reperta criminis
Occaſione comparat ſe prælio.
Nam ſicubi ædes uxor ullas incolit,
Nunquam hoſpes hilare poterit illic excipi.
Quod ſi qua frugi exiſtimetur maxime,
Longe ſupra omnes illa damnoſiſſima eſt,
Nempe oſcitante conjuge: at vicinia
Lætatur errore ejus, & nuptam ad ſuam
Animum retorquens quiſque laudat propriam,
Culpat alienam conjugem: cum cæteris
Nec eſſe parili ſorte nos cognoſcimus.

Nam maximum iſtud Juppiter genuit malum,
Vinclumque nodo ſtrinxit inſolubili,
Unde explicavit Pluto morte plurimos,
Mulieris ergo conferentes dexteras.

XI. *E Græco ejuſdem.*

PENES tonantem eſt exitus rerum Jovem,
Fili, arbitratu cuncta qui gerit ſuo.
At mens hominibus nulla momentaneis
Eſt, in diemque vivitur mortalibus,
Prout quidque numen ſingulis finiverit.
Divina blandis interim ſpes ſomniis
Fovet univerſos vana volventes: diem
Exſpectat iſte craſtinum, ille plurimas
Meſſes: nec ullus non ſibi mortalium
Promittit hilaremque & opulentum proximum
Annum: ſed alium triſtis ante terminum
Mors occupavit: morbus alium lugubris
Exſtinguit: alios Martio in certamine
Domitos nigrantes Pluto mittit ad domos:
Aliis procellis æſtuantis æquoris
Jactans ſupremum claudit unda ſpiritum:
Quos vita curis triſtis exercet malis,
Hi lacrymoſa ad fata [1] rete nexili
Solis relinquunt ſponte lumen. Sic mali
Immune nihil eſt, mille ſed mortalibus
Parcæ minantur, ac inexplicabilis
Dolor & calamitas. Si mihi tribuant fidem,
Se nullus ultro cruciet indulgens malis,
Animum tenaci nec dolore exerceat.

1 *Rete nexili*] Ita exhibent omnes libri: multo tamen rectius ab H. Stephano, in ſua Poët. Græc. Lyric. Editione 1566. legitur *reſte nexili*.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI SCOTI
EPIGRAMMATUM
L I B E R I.

I. *In Aulum.*

MNAM mihi promiſſam jubeo numerare Calenum:
Abnuit ille: Aulum conſulo cauſſidicum.
Is mihi judicio ſuadet contendere: cauſſam
Suſcipit: hac quicquam juſtius eſſe negat.
Quam mihi dum peragit decimumque extendit in annum,
Pene decem decies jam periere minæ.
Ne lis quod ſupereſt exhauriat æris & ævi,
Vito reum pariter cauſſidicumque meum.
Certum eſt nil poſthac promittentive Caleno,
Hortanti aut Aulo credere. Cauſſa vale.
Quæris utrum fugiam magis? Aulum: namque Calenus
Verba dare, aſt Aulus vendere verba ſolet.

II. *Ad Joannem Bellaium Cardinalem.*

CUM ſcelus admiſſis orbem popularet habenis,
Et premeret dirum ſub pede jura nefas:
Impietas nullo volvente elementa magiſtro
Credebat numen nomen inane Dei.
At tibi, Bellai, paſtoria credita cura
Abſolvit, ſi fas dicere vera, Jovem.
Eſſe putant homines cœlo mortalia curæ,
Quod curæ videant credita ſacra tuæ.

III. *Ad Carolum Marillacum Viennæ Allobrogum Epiſcopum.*

REBUS in anguſtis [1] tibi, Carole, cultus amice,
Atque tuus merito [2] tempus in omne cliens

Tam

1 *Tibi, Carole, cultus amice*] Ita And. Hart: alii autem omnes, *exceptus amice.*

2 *Tempus in omne*] Recentiores fere, *tibi quondam tempore in omne*, male.

Tam tibi ſucceſſum fortunæ gaudet amicæ,
Quam tu inopem quondam commiſeratus eras.

IV. *In Poſthumum.*

NESCIO an inſpexti Narciſſi, Poſthume, fontem:
Hoc ſcio, deliras, Poſthume, amore tui.
Ille tamen merito: nam quod maleſanus amabat
Ante quidem id multis cauſſa furoris erat.
At tua non paullo eſt major veſania, qui te,
Sed ſine rivali, Poſthume, ſolus ames.

V. *De Codro & Cæſare.*

PRO patria in ſtrictos Codrus ruit impiger enſes:
In patriam flammas Cæſar & arma tulit.
Ille ſuo patrias firmavit ſanguine leges:
At patriæ peperit ſanguine Cæſar opes.
Nemo tamen Regum jactat ſe nomine Codri:
Cæſareum nemo non ſibi nomen avet.
Quæ ratio? in promtu eſt, nam qui nunc ſceptra tuentur,
Illius oderunt, iſtius acta probant.

VI. *Ad Amicum difficilem.*

ODiſti Selium: teneris mihi ſemper ab annis
Carus, & illæſa perſtitit ille fide.
Hîc mihi tu Pyladen, & inanem mentis Oreſtem,
Et Samiæ jactas pectora fida ſcholæ:
Meque vocas ficti fucatum nomen amici,
Quod nec amemus idem, nec fugiamus idem.
Ergo tibi jus eſt noſtros odiſſe ſodales,
Nec mihi fas hoſtem fiet amare tuum?
Scilicet haud æqua jamdudum lege coimus,
Nec ferimus parili conditione jugum:
Cum per me tibi ſint vel iniqui frena doloris
Libera, tu noſter vis famuletur amor.
Nil igitur, dices, veteri tribuetur amico?
Do: ſed amicitiæ jure repoſco vicem.
Odero, ſi jubeas, Selium tibi ſcilicet hoſtem,
Si, mihi tu Selium, quod ſit amicus, ames.

Digitized by Google

VII. *In Pinum pro foribus ſcholarum Calend. Maji erectam.*

LAURUS erat Phœbo, nunc eſt ſacra pinea ſilva:
    Ambiguo geminum certat honore nemus.
Montibus in celſis ſilvarum gloria pinus:
    Irriguas laurus gloria propter aquas.
Utraque perpetua eſt ſemper formoſa juventa,
    Et nunquam poſitis ſuſpicienda comis.
Hæc formoſus erat puer, hæc formoſa puella:
    Hæc ſucco, hæc ſacræ frondis odore placet.
Si conferre juvat fructus, victoria certa eſt,
    Laurus [1] enim baccas, carmina pinus habet.

VIII. *In Eandem.*

CREDITE carminibus deductas montibus ornos,
    Credite Threiciam ſaxa ſecuta chelyn.
Res nova priſcorum ſuperat miracula vatum:
    Carminis illa comes ſilva erat, iſta parens.

IX. *In Codrum.*

ULTIMUS Actæa Codrus regnavit in aula:
    Rex Italo primus Cæſar in orbe fuit.
Nempe imitatores invenit dira tyrannis:
    Æmulus in patriam rarus amoris erat.

X. *E Græco.*

EBIBAT undoſum caſtris Germania Rhenum,
    Deucalionæis æquor abundet aquis:
Non tamen æternæ divina potentia Romæ
    Incolumi nobis Cæſare fracta cadet.
Sic Jovis aëriæ quercus radicibus hærent,
    Cum Borea frondes diſcutiente [2] cadant.

XI. *Ad Margaritam Valeſiam Navarræ Reginam.*

SI qua fides famæ, ſuper aurea ſidera Juno
    Magnanimo pariter cum Jove ſceptra tenet.
Ingenio pollet Cyllenius, arte Minerva,

Elo-

1 *Laurus enim baccas*] Editio anni 1594, & Commel. *Laurea nam baccas*.

2 *Cadant.*] Hart. *fluant.*

Eloquio Peitho eſt grata, [1] decora Venus.
Jura Themis præbet, vigilant ad plectra Camœnæ,
Temperat hic terras, temperat alter aquas.
Omnia non auſa eſt uni tribuiſſe vetuſtas,
Omnibus eſſe parem nec rata poſſe Jovem.
At tu cum regni molimina tanta gubernes,
Et cedant formæ tempora priſca tuæ,
Carmine contendis Muſis, atque arte Minervæ,
Eloquio dubium eſt, ingenione prior:
Quæque tuis paret tellus latiſſima ſceptris,
Formidat faſces, juſtitiamque colit.
Jure igitur præſtas homines, quando omnia præſtas,
Singula quæ magni vix potuere Dei.

XII. *In Zoilum*

FRUSTRA ego te laudo, fruſtra me, Zoile, lædis:
Nemo mihi credit, Zoile, nemo tibi.

XIII. [2] *Ad Amicum quendam.*

AD cœnam ſeſe dixit tuus affore vates.
Dixit: ſed vates dicere falſa ſolent.

XIV. *Ad Ludovicum Regium.*

QUUM tibi Pieridum large ſint dona, nec ulli
Sit datus Aoniæ purior hauſtus aquæ,
Tu tamen altrices vincis pietate Camœnas,
Quas inopes opera conſilioque foves.
Regia de cunctis res eſt bene velle mereri,
Et genus erga hominum, qua licet, eſſe pium.
Regia res ſane: ſed plus quam regia res eſt,
Officiis hominem vincere poſſe Deas.

1 *Decora Venus*] Forte *decore*. Vide Epig. L.

2 *Ad Amicum quendam*] Baſil. pag. 134. *Ad Car. Utenhov. cui cum cœnam condixiſſet non venit.* Et

Ad cœnam tecum vates tuus affore dixit.

Et mox,

Ad. G. M. B. Car. Utenhov. qui cum ſe ei ad cœnam affore negaſſet, venit.

Quæris an ad cœnam tibi ſim conviva futurus.
Non ego: convivam te quoque nolo mihi.

XV. *Ad Leonoram.*

ECQUID ſis formoſa rogas, Leonora, frequenter:
Nec niſi jurato vis [1] adhibere fidem.
Sic mihi nunquam Helene, ſic nunquam Leda ſit uxor,
Ut nec par Helene, nec tibi Leda fuit.
Dî ſimul heroëſque has, ſed patienter, amarunt:
Verum quiſquis amat te, Leonora, furit.

XVI. *Ad Eandem.*

QUUM bene texiſti ſexcentis Gorgona vultus
Fraudibus, artifici ſæpe refićta manu,
Pulchra tibi, ſpeculoque tuo, Leonora, videris:
Me ſpeculo teſtem, ſi libet, adde, licet.
Sed qua pulchra quidem facta es ratione, Megæram
Formoſam fieri ſic ego poſſe puto.

XVII. *In Eandem.*

OMNIA quod, Leonora, putant te vendere, falſum eſt:
Nam faciem, tibi quæ cætera vendit, emis.

XVIII. *In Beleagonem.*

GENS duplex, Beleago, tuo de ſtemmate certat,
Nititur & cauſſam quæque probare ſuam.
Nulla tuis dictis quod ſit conſtantia, Maurus
Indicium Libyci ſanguinis eſſe putat.
Signa ſui generis credit Judæus acumen,
Quodque tibi eſt lucri tam furioſus amor.
Tu Luſitano genitum te ſanguine jactas;
Nec tamen hoc aliter, te niſi teſte, probas.
O utinam indiciis, aliove id teſte probares:
Aut te certa foret teſtificante fides!
Sed mihi ſi credas, teſtis potes eſſe tibi ipſi
Utilis: hac una ſed ratione potes:
Quæ tibi pro fictis vis credi, ficta negato:
Et quæ vera cupis credi, ea vera nega.

XIX. *In*

1 *Adhibere fidem*] Vide Keri Obſerv. Jephthen, verſ. 141. pag. 184. ſelect. [Adde quæ notavimus ſupra, ad

Digitized by Google

XIX. *In Conventum Epiſcoporum.*

CUM mihi linigeræ ſpecies eſt viſa cohortis,
Majus & humano frontis honore decus:
Anxia mens dubiis pulſabat pectora curis,
Secum agitans homines crederet, anne Deos.
Sermo, oculi, vultus, geſtus, cultuſque, animuſque,
Omnia divini plena ſtuporis erant.
Is nitor in vultu, geſtu decor, ore venuſtas,
Vis oculis, verbis gratia, mente vigor.
Dum loca, dum comites, dum membra ſimillima noſtris
Adſpicio, rurſus mens negat eſſe Deos.
Dum negat, affirmat, dubitat mens anxia, Phœbus
Perplexo involvit talia verba ſono:
DISSIMILES ſimileſque vides hominique Deoque:
Non Dî, non homines ſunt, & utrumque vides.
Qui pote? divina: hempe hoc te dicere velle
Auguror, eſſe homines corpore, mente Deos.

XX. *In Amicum quendam.*

UNUS eras, memini, quondam de plebe; nec alter
Te minus in tota turgidus urbe fuit.
Nunc te alium credis, veteremque haud noſcis amicum,
Splendidus in Tyria quod ſpatiere toga.
Falleris: hanc & ovis, qua tu nunc veſte ſuperbis,
Ante tulit, nec adhuc eſt aliud, niſi ovis.

XXI. *E Græco.*

NUPER Achæmenidæ fuimus, nunc arva Menippi,
Ac dominis erimus præda ſubinde novis.
Hic ſua nunc credit, quondam ſua credidit ille:
At ſua Sors vere dicere ſola poteſt.

XXII. *In Leonoram.*

MENTITUR veros facies tibi picta colores,
Et ſpeculi mendax te tibi imago refert:
In digito annellus mentitur aheneus aurum,
Mentitur gemmam vitrea gemma probam.
Quicquid [a] contigerit te cum mendacia diſcat,
Miremur linguam dicere falſa tuam?

a *Contigerit te cum*]. Quidam libri *tecum*.

XXIII. *In*

XXIII. *In Eandem.*

LENA parens, Leonora, tibi eſt, & filia lena eſt,
Lena eſt quæ faciem viſcida creta tegit:
Et quot habet vetulas vicinia ſunt tibi lenæ,
Et lena eſt toto fiſcina nota foro.
Quam bene vix tandem tot poſſunt vendere lenæ,
Haud equidem mercem ſuſpicor eſſe bonam.

XXIV. *In Midam.*

SORS tibi nominibus nocuit male grata duobus,
Quod dederit ſophiæ ſtultitiæque parum.
Si tibi ſtultitiæ plus eſſet, ſtultus haberi
Poſſes; ſi ſophiæ plus foret, eſſe ſophos.
At tu μωρόσοφος ſapiens es morio, ſtultus
[a] Et ſapiens, & nec morio, nec ſapiens.
Nunc tamen ut Curius præſentia ſecula damnas,
Nunc ſtolida fingis garrulitate jocos:
At ſophiam ſimulans per longas proderis aures:
Diſſimulans ſophiam, diſſimulare nequis.
Unde igitur vives nulla, Mida, præditus arte,
Si tibi nec ſtulto, nec licet eſſe ſopho?

XXV. *In Nævolum.*

NÆVOLE, dum clamas, ut Stentora vincere poſſis,
Omnis homo eſt animal nocte dieque boans,
Jam tibi dilapſa eſt prope nonageſima meſſis,
Jam tremit invalido curva ſenecta gradu:
Vertice jam lævi vix tres hæſere capilli,
Et cernis quantum noctua mane videt:
Semper & e gelido diſtillat ſtiria naſo,
Et fluit in madidos longa ſaliva ſinus:
Nec tibi gingiva dens unus & alter inermi eſt:
Nec plus rugarum ſimia ſcalpit anus:
Jam capulum ſpectas, jam Ditis limina pulſas,
Exſpectatque tuas jam Libitina faces.
Nævole, ſi pudor eſt, nugarum deſine tandem,
Omnis homo clamans, Nævole, nullus homo es.

XXVI. *Ad*

[a] *Et ſapiens*] Genev. 1584 & 1594, Commel. Hart. & Elzev. 1628, *Et ſapiens.*

XXVI. *Ad Neæram.*

QUALITER ad ſolem foliis morientibus arent
    Candida virginea lilia ſecta manu:
Paullatim lento ſic maceror igne, Neæra,
    Ut primum radii me tetigere tui.
At mihi dum roſeis tractim das oſcula labris,
    Sentit & attactus debilis umbra tuos,
Mens redit, & vigor igneſcit, velut herba reſurgit,
    Cum levis arentem recreat imber humum.
Ergo quando oculis pereuntem me oſcula ſanant,
    Et mea in arbitrio vitaque morſque tuo eſt:
Perde, neca, ut viſum eſt; ſed dum pereo, oſcula junge:
    Sæpe ut ſic vivam, ſic volo ſæpe mori.

XXVII. *Ad Eandem.*

NE fugitivum animum noſtrum ad te perde, Neæra,
    Seu domino dura es, ſive benigna ſuo.
Si mihi dura manes, [1] fugitivum at ſuſpice noſtrum:
    Si facilis mihi ſis, hunc facilis quoque ama.

XXVIII. *In Leonoram.*

PICTA tibi eſt facies, mendax eſt lingua, manuque
    Æneus annellus, vitrea gemma nitet.
Quis tibi vel verum credet, Leonora, loquenti,
    Quando tui nunquam pars caret ulla dolo?

XXIX. *In Eandem.*

PUTRIS odor ſpurco ſtomachi qui manat ab antro,
    Ne lædat, laurum cum, Leonora, voras,
Amnigena ignigenæ facis ut jungatur Iaccho,
    Et nunquam ſicco ſobria Nympha Deo.
Quæque ſuum vivens ſervavit morte pudorem,
    Mortua nunc per te damna pudoris habet:
Nec potuit, quamvis contectis cortice membris,
    A lenocinio tuta manere tuo.
Quid tibi non credam de te, Leonora, licere,
    Tam male cui concors conciliatur amor?

XXX. E

1 *Fugitivum at ſuſpice noſtrum*] Forte *ſuſcipe.*

XXX. *E Græco Ruf.*

QUI te videt beatus eſt,
Beatior qui te audiet,
Qui baſiat ſemideus eſt,
Qui te potitur eſt Deus.

XXXI. *De Neæra.*

ILLA mihi ſemper præſenti dura Neæra,
Me, quoties abſum, ſemper abeſſe dolet.
Non deſiderio noſtri, non mœret amore,
Sed ſe non noſtro poſſe dolore frui.

XXXII. *Ad Ponticum.*

ARIDA torreret tibi cum præcordia febris,
Pontice, nec vitæ ſpes foret ulla tuæ:
Munera ſpondebas, cœlumque in vota fatigans
Fundebas miſeras ore tremente preces.
Audit vota Deus, febrim tibi pellit, & aſſem
Oblatum facilis pro nebulone capit.
At tu ideo ſanctus vis & Dîs carus haberi,
Teque virum credi ſcilicet eſſe pium.
Vir bonus eſſe potes, cujus caput aſſe redemtum eſt,
Judicioque tuo, judicioque Dei?

XXXIII. [1] *Præpoſtera pietas.*

CUM patre nil vivo tibi conveniebat: iniquis
Litibus exſtinxti diſſidiiſque ſenem:
Defunctum nunc thure colis, [2] tumulumque coronas
Floribus, & magna mole ſepulchra locas.
[3] Quamlibet his tumeas, pietas præpoſtera certe eſt
In patre nil præter funus amare patris.

XXXIV. [4] *E Græco.*

[5] NEMO meas cumulet violis fragrantibus umbras,
Nec mihi Pyramidum mole ſepulchra locet.
Si quis amat, vivo largum ſe præſtet amico,

Tali-

1 *Præpoſtera pietas*] Iſ. Taurin. 1590. *In præpoſtere pium.*
2 *Tumulumque coronas*] Idem *buſtumque coronas.*
3 *Quamlibet his tumeas*] Idem *hic timeas.*
4 *E Græco*] Iſ. Taurin. *E Græco Theognidis.*
5 *Nemo meas*] Idem, *Nemo meam cumulet v. ſ. unam.*

Talibus officiis dum locus eſſe poteſt.
Verum ubi conſumtos Lacheſis mihi finiet annos,
Vel fracta incultis horreat urna rubis.

XXXV. *In Phyllidem.*

PHylli, omnes deamas, redamat te, Phylli, nec ullus:
Miraris fieri id qua ratione queat?
Nempe ideo cunctos quod ames diſcrimine nullo,
Hæc ratio eſt cur te nullus amator amet.
Odero vis igitur cunctos? male colligis iſthuc,
Nec te odiſſe velim: ſed nec amare veto.
Quidnam igitur ſuades ut amer? ſic ſuadeo, Nullum
Oderis: aſt unum, Phylli, ut ameris, ama.

XXXVI. *E Græco Philodemi, lib. ſeptimo.*

DIves eras, & amator eras: nunc pauper, amore
Es [1] liber, præſens o medicina fames.
Quæ te delicias dulcemque vocabat Adonin,
Menophile, nomen nunc rogat illa tuum,
Qui genus? unde domo? jam te docet uſus, opinor,
Quod cui res deerit, nullus amicus erit.

XXXVII. *E Græco Poſidippi, ſeu Cratetis.*

QUOD vitæ ingrediaris iter? ſi rura labore,
Si domus eſt curis anxia, lite forum:
Si mare ſollicitat terror, metus urget habentem
Rem peregre; aſt inopem cura moleſta coquit.
Sollicitudo toris genialibus adſtat: es expers
Conjugis, id ſævæ eſt degere more feræ:
Proli ærumna comes: quaſi manca eſt orba ſenecta:
Robore canities, mente juventa caret.
Primum ergo optandum eſt non naſci, proxima vota
Ærumnas fato præveniente mori.

XXXVIII. *Contraria ſententia veriſimilis, ex Metrodoro.*

QUODVIS vitæ iter inſiſtas: ſi rura voluptas,
Tecta quies habitet, fama decuſque forum:
Rem mare ſuppeditat, comitatur gloria ditem
Si peregre it, nemo conſcius eſt inopi:

Felix

1 *Es liber*] Hart *Et liber*.

Felix vita toris genialibus adſtat: es expers
Conjugis, & curæ pondere liber eris:
Deliciæ patrum ſoboles, minus angeris orbus;
Robuſta eſt ætas prima, ſecunda pia.
Commoda quum vitæ tot ſint, vota utraque damna:
Non naſci, aut hauſta luce repente mori.

XXXIX. *Ad Rogerum Aſchamum Anglum, qui librum cum honorifico elogio, & ſui amoris ſignificatione miſerat.*

Amplector, Rogere, tuum vehementer amorem,
Et nimii doctum pignus amoris amo:
Nec minus eſt animus genitor mihi gratus amoris,
Quæque animum virtus ornat amatque tuum:
Nec minus eſt gratus magni comes error amoris,
Et nimio cæcum pectus amore mei.
Et cum cuncta probem, virtutem, munus, amorem,
Et nimio fœtum pectus amore mei:
Abſque errore meo vellem fas eſſet amare
Errorem de me, dulcis amice, tuum.

XL. *In Gelliam.*

POSSE negem in varias ſe vertere Protea formas?
Vertumnum vultus ſumere poſſe novos?
Quæque pia pavit ſceleratum fraude parentem,
Quique tuos petiit Deianira toros?
Cum toties juvenes vultus de pixide ſumas,
Quottidie in faciem Gellia verſa novam?
Poſſe negem e puero juvenes Jolaon in annos
Mutari ſubito, Calliroëſque genus?
Æſonaque in viridem ſucco rediiſſe juventam,
Et quæ Nyſeis Bacchum aluere jugis?
Nulla dies non te cum ſpectet mane puellam,
Nulla dies non te veſpere cernat anum?

XLI. *Ad Leonoram.*

NUPTA [1] prius mater fuerat: dein debilis ætas
Efficit hanc lenam nunc, Leonora, tuam.
At meretrix quam nupta prius tu filia, matrem
Vincis, mox natæ lena futura tuæ.

Quid

1 *Nupta prius mater fuerat*] Hart, *prius mater meretrix.*

Quid lenæ neptis, meretricis filia, patre
Ex Monacho tantis laudibus adjiciet?
Adjicit, & primis hanc atque hanc vincit in annis,
Pene infans matris jam quoque lena ſuæ.
Scilicet ante annos generoſi ſeminis arbor
Protinus in fructus luxuriare ſolet.

XLII. *Ad Peiridem.*

CARNEM ut emas, [1] Peiris, venalis filia proſtat,
Et pretium cœnæ ſit Leonora tuæ.
Crede mihi hoc facinus ſuperat feritate Cyclopas,
Et Læſtrigoniæ facta cruenta gulæ.
Nam neque Cyclopum Cyclops in corpora ſævit,
Antiphates ſocios nec laniavit atrox.
Hoſtis eis, tumidiſve hoſpes ejectus ab undis,
Fluctibus aut laceræ præda fuere rates.
Tu referre putas nihil an ſit civis, an hoſpes;
Dumque vores, curæ eſt nil tibi quale vores.
Utque vores alios, truculentior iſta ferarum
Sævitia eſt, natam poſſe vorare ſuam.

XLIII. *Cœna Gavini Archiepiſcopi Glaſcuenſis.*

PRÆSULIS accubui poſtquam conviva Gavini,
Dîs non invideo nectar & ambroſiam.
Splendida cœna, epulæ lautæ ambitione remota,
Tetrica Cecropio ſeria tincta ſale:
Cœtus erat Muſis numero par, nec ſibi diſpar
Doctrina, ingenio, ſimplicitate, fide.
Ipſe alios ſupra facundo prominet ore,
Qualis Caſtalii præſes Apollo chori.
Sermo erat ætherii de majeſtate tonantis,
Ut tulerit noſtræ conditionis onus:
Ut neque concretam Divina potentia labem
Hauſerit in fragili corpore tecta hominis:
Nec licet in ſervi Dominus deſcenderit artus,
Naturam exuerint membra caduca ſuam.
Quiſquis adeſt dubitat ſcholane immigrarit in aulam,
An magis in mediam venerit aula ſcholam.
Juppiter Æthiopum convivia ſolus habeto,
Dum mihi concedas Præſulis ore frui.

XLIV. E

1 *Peiris*] An potius *Peiri.*

Digitized by Google

XLIV. *E Græco.*

LIBER eram, vacuo mihi cum ſub corde Neæra
Ex oculis fixit ſpicula miſſa ſuis:
Deinde unum evellens ex auricomante capillum
Vertice, captivis vincla dedit manibus.
Riſi equidem, fateor, vani ludibria nexus,
Hoc laqueo facilem dum mihi ſpero fugam:
Aſt ubi tentanti ſpes irrita ceſſit, ahenis
Non ſecus ac manicis implicitus, gemui.
Et modo membra pilo vinctus miſer abſtrahor uno,
Quo dominæ nutus me violentus agit.

XLV. *E Græco.*

ROBORA ſi linguæ Demoſthenis æqua fuiſſent,
Non [1] Macedûm Grajas Mars populaſſet opes.

XLVI. *In hominem vanum.*

[2] DUM blitea inſani compilas ſcripta Doleti,
Et blateras nullo jurgia tincta ſale,
Quicquid agunt alii præ te contemnis, & uni
Se tibi dat Phœbus, Pierideſque favent.
Solus agas recte per me licet omnia; ſed dum
Omnia te ſolo judice ſolus agas.

XLVII. *Ad Leonoram.*

NESCIO tot mœchi tibi cum, Leonora, fuiſſent,
Cur Monachum natæ dixeris eſſe patrem:
Ni grege de tanto, qui nocte dieque ruebant,
Nemo minus Monacho forte pudendus erat.

XLVIII. *Ad Leonem.*

CUM ſtrepis aſſidue fulgentibus arduus armis,
Horrida cum jaculo eſt dextera, & enſe latus;
Cum ſeges impexæ tibi prominet arida barbæ,
Cum riget in triſtes frons caperata minas:
Te timidum dici vulgo indignaris, & eſſe

In-

1 *Non Macedûm*] [Vide ad Silv. VII. verſ. 72]

2 *Dum blitea*] Iſ. Taurin. *Putida veſani referas cum ſcripta Doleti, Et blateres* ———

Indicia [1] hæc quenquam non metuentis ais.
Qui timet aſſidue, eſt timidus, timidus Leo es ergo,
Semper enim a nullo ne timeare, times.

XLIX. *Ad Julium Cæſarem Scaligerum.*

DUM nunc nivalis Aquilo conſtringit gelu
Lapſus rapaces fluminum,
Nunc denſus Auſter vallium declivia
Nimiis inundat imbribus,
Pedeſque glacie vel vacillant lubrica,
Vel in profundo hærent luto,
Cunctos levabat ſpes labores unica
Doctum videndi Julium.
Hac ſpe ferebat pes viæ moleſtias
Omnes libenter, & oculis
Jam tum imputabat gaudium: lætus animus,
Bonis [2] futuris ebrius,
Prægeſtiebat, jam velut voti ſui
Fructu beato perfruens
Sed lux Agini quinta nunc [3] agitur mihi,
Faſtidioſa dum mora
Cumulat viarum incommoda, & mens anxia
Spes pendet inter & metus.
Quamvis laboris omnia ingratiſſimi
Sint plena, res mihi unica
Magis moleſta eſt cæteris moleſtiis,
Non intueri Julium.

L. *Ad Reginam Navarræ, Margaritam Borboniam.*

NOBILIS Aſcræis facta eſt Pandora Camœnis,
Nobile Lemniacæ ſcilicet artis opus.
Et decor & nitidos finxit reverentia vultus,
Blandaque virgineus pinxerat ora pudor:
Addidit ingenii volucer Tegeæus acumen,
Egregias artes ſcire Minerva dedit:
Læta Venus lætum capiti aſpiravit honorem,
Adjecit lepidos mellea Suada ſonos.
At bona ni ſpernat præſentia livor iniquus,
Et ſua vix laudet ſecula lentus honos;
Non minor eſt doctæ tibi, Margari, gratia lingua
Nec minor eximio fulgurat ore decor:
Nec genitus Maja, nec Pallas amicior illi,
Quam tibi, nec Pitho, nec magis æqua Venu
Cætera Dî pariter vobis tribuere benigni,
Plus tamen hoc æqua parte dedere tibi:

Illa

1 *Ind.cia hæc quenquam*] And. Hart, *Indicia hæc nullum quod vereare putes.*

2 *Futuru*] Commelin. Editio anni 1594, Elzev. 1621, & And. Hart, *futurus.*

3 *Agitur*] Ita And. Hart: alii autem omnes *agitat*, male.

Illa novas peſtes mortalibus intulit ægris,
At tibi jus faſque eſt cum pietate comes.

L I. *In Joannem ſolo cognomento Majorem, ut ipſe in fronte libri ſui ſcripſit.*

CUM ſcateat nugis ſolo cognomine Major,
Nec ſit in immenſo pagina ſana libro:
Non mirum titulis quod ſe veracibus ornat:
Nec ſemper mendax fingere Creta ſolet.

L I I. *Ad Leonoram.*

ET ſcio te pictam, ſcio te, Leonora, voracem,
Et ſcio inexpletæ gurgitem avaritiæ:
Et ſcio te pueris carnem pro carne dediſſe,
Nec tibi fumoſos diſplicuiſſe coquos:
Et ſcio te Monachis mendicis claudere limen,
Inguine nec limen triſtius eſſe tuo:
Et plus quam vellem, plus quam me ſcire neceſſe eſt
Et plus quam deceat, denique cuncta ſcio.
Et cum cuncta ſciam, videor fore ſanus: at unum
Neſcio, cuncta ſciens, [1] cur male ſanus amem.

L I I I. [2] *Nomine Henrici Kilgræi Angli ad Antonii Cocci doctiſſimi filiam egregie doctam, quæ poſtea Kilgræo nupſit.*

ET decor & facies cum ſimplicitate venuſta,
Inſidioſa oculis, imperioſa animis:
Et motura feras docti vox pectoris index,
Pene parem ſuperis te facit eſſe Deis.
Si par eximiam decoret conſtantia formam,
[3] Efficiet ſuperos hæc tibi pene pares.

L I V. *Ad Mortem, eidem Henrico ſcriptum.*

SPES fallax, vanæque preces, & inania vota,
Et lacrymæ, & damno læta Erycina meo,

Par-

1 *Cur*] In omnibus libris legitur *cui*, nullo, ut mihi videtur, ſenſu.

2 *Nomine Henrici Kilgræi*] Baſil. *Ad Camillam Morellidem* G. B. C. V. (i. e. Geo. Buchan. Car. Utenhovii) *nomine*.

3 *Efficiet ſuperos*] Idem. *Hæc faciet ſuperis ut ſint tibi pene pares.*

Parcite, ſopitis & me mihi reddite curis,
    Sit mora tormento, ſuppliciiſque modus.
Quod ſi nulla ægram relevent oblivia mentem,
    Nec contenta ferus vincula laxet amor:
Tu ſaltem miſerere animæ non digna ferentis,
    Mors, medicina meis una relicta malis.

LV. *Eidem ſcriptum.*

IN me conſumſit vires fortuna maligna,
    Quæque ferunt hominum fata, reguntque vices:
In me conſumſit ſic tela faceſque Cupido,
    Ut ſpatium plagæ non ſit inane novæ.
Quique patet miſeris ad cuncta pericula portus,
    Non recipit feſſam mors mihi ſæva ratem.
Ambiguoque viæ ſtanti ad confinia vitæ
    Lumina mors claudit, vita manere negat.
Cogor ad hoc tantum ingratas producere luces,
    Sufficiat pœnis ut mea vita novis.
Quæ mea conditio eſt, cui tam præpoſtera lex eſt
    Fatorum, ut ſit mors vivere, vita mori?

LVI. *Eidem ad Dominam navigaturam.*

UNDE meo ſperem requiem, mea vita, dolori,
    Si fortuna meis non ſatiata malis
Perſtat adhuc ſævire, odiiſque tenaciter urgens
    Armat in exitium cuncta elementa meum?
Spes & vota ferunt rapidi per inania venti:
    Unde prius ſolita eſt flamma alimenta trahit:
Unda rapit, raptum id ſpatiis terra invida longis
    Dividit, unde animæ vita erat una meæ.
Te quoque forte etiam capient oblivia noſtri,
    Certe animum hæc uret ſollicitudo meum.
Hac ego ſi merui torqueri pectora cura,
    Ut metuam noſtri ne memor eſſe velis,
Non querar, aut lacrymis crudum exſaturabo dolorem,
    Ne lacrymæ noſtro ſint medicina malo.
Dignus enim eſt tales pœnas expendere, quiſquis
    Suſtinet a vultu vivus abeſſe tuo.

LVII. *De Mellino Sangelaſio.*

MELLINUM [1] patrio ſale carmina tingere juſſit,
  Parceret [2] ut famæ Muſa, Catulle, tuæ.

LVIII. *In Divitem avarum.*

DAS inopi dives, ſed qualia reddere poſſit,
  Munera. Nonne hoc eſt dicere? Redde mihi.

LIX. *De Adamante miſſo a Regina Scotiæ ad Reginam Angliæ.*

HOC tibi quæ miſit cor, nil quod poſſet, habebat,
  Carius eſſe ſibi, gratius eſſe tibi.
Quod ſi forte tuum ipſa remiſeris, illa putabit
  Carius eſſe ſibi, quam fuit ante tibi.

LX. *E Græco.*

PAUPER eram juvenis, ſenio confectus inerti
  Sum locuples, miſere ſorte in utraque miſer.
Quando frui poteram rebus, mihi copia deerat:
  Copia nunc ſupereſt, fructus & uſus abeſt.

LXI. *E Græco.*

FATA ferunt, fer fata, ferent: ſin forte repugnas,
  Et te ipſum crucias, nec minus illa ferent.

LXII. *Aliter.*

SI te fata [3] ferunt, fer fata: ferere. Ferentes
  Fata ferunt: rapiunt, ſi minus illa feras.

LXIII. *E Græco.*

MORS velut immineat, præſentibus utere rebus:
  Parce, velut fati ſera ſit hora tui.
Vere etenim ſapiens eſt is, qui certum adhibere
  Novit avaritiæ luxuriæque modum.

LXIV. *In*

1 *Patrio*] Ita edidit Iſraël Taurinus anno 1590, & Henr. Wetſten. 1687, alii vero omnes *patri.*

2 *Parceret ut famæ*] Apud Taurinum legitur, *Dum parcit famæ.*

3 *Ferunt*] Ita And. Hart. Commelin. & Editio 1594: alii autem *ferent.*

Digitized by Google

LXIV. *In Doletum.*

CARMINA quod ſenſu careant, mirare, Doleti?
Quando qui ſcripſit carmina, mente caret.

LXV. *E Græco Anacreontis.*

ET terra ſicca potat,
Terraſque ſilva, & aura
Silvas, & æquor auras,
Et ſol repotat æquor,
Et luna ſolem. Inique
Inceſſitis ſodales
Me, quod bibam libenter.

[1] LXVI. *E Græco.*

NON agros cupio mihi feraces,
Non aurum veluti Gyges: ſed illum
Qui mî ſufficiat, Macrine, victum.
Illud Nil nimium nimis juvat me.

LXVII. *In St. Doletum.*

VERBA Doletus habet (quis neſcit?) ſplendida: verum
Splendida nil præter verba Doletus habet.

LXVIII. *E Græco Simonidis.*

NEC ullus expers criminis, nec mortis eſt.

1 Hæc tria Epigrammata, in aliis omnibus libris omiſſa, quaſi jure poſtliminii Buchanano reſtituimus, ex ſelectis Carminibus doctiſſimorum Poetarum editis ab Iſraële Taurino anno 1590, ubi inter multa alia Buchanano diſertim adſcribuntur: poſtremum etiam in Baſileenſi Editione habetur.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI SCOTI
JUSTA ET ICONES,
EPIGRAMMATUM LIBER II.

J U S T A.

I. *Jacobo IV. Regi Scotorum.*

FAMA orbem replet, mortem ſors occulit: at tu
  Deſine ſcrutari quod tegat oſſa ſolum.
Si mihi dent animo non impar fata ſepulchrum,
  Auguſta eſt tumulo terra Britanna meo.

II. *Magdalenæ Valeſiæ Reginæ Scotorum*, XVI. *ætatis anno exſtinctæ.*

REGIA eram conjux, & Regia filia, neptis
  Regia, ſpe & votis Regia mater eram.
Sed ne tranſgrederer mortalis culmen honoris,
  Invida mors hîc me condidit ante diem.

III. *Eidem.*

IN me certarunt totas expromere vires
  Natura, & virtus, gloria, morſque ſuas.
Eſſe bonam tribuit virtus, natura decoram,
  Eſſe brevis vitæ mors inimica dedit:
Vivida perpetuum ſed gloria floret in ævum,
  Ut penſet vitam perpete laude brevem.

IV. *Eidem.*

NATA bis octonos Valeſia Magdalis annos
  Hîc immaturo funere rapta jacet.

Digitized by Google

Quam rapta invitis, lacrymis miſerabile vulgus,
Mœſtitia proceres, vir pietate probat.

V. *Briando Vallio.*

DIGNUS erat Pylio caneſcere Vallius ævo,
Hoſpite ſi tanto digna fuiſſet humus.
Ergo ſeni, quo nil melius, nec doctius orbe
Permenſo vidit ſol, Deus aſtra dedit.

VI. *Crittoni.*

CRITTO ſuo cupiens aliquid ſupereſſe ſepulchro,
[1] Nec ſimul in Stygios totus abire lacus,
Omnibus appingit faſtoſa inſignia vitris,
Nec titulis vacua eſt ulla feneſtra novis.
O ſpes fluxa, brevis famæ fiducia, mendax
Gloria cum primo deperitura Noto.

VII. *Gulielmo Budæo.*

GALLIA quod Græca eſt, quod Græcia barbara non eſt,
Utraque Budæo debet utrumque ſuo.

VIII. *Eidem.*

SUNT univerſi ſplendor orbis Galliæ,
Et Galliarum ſplendor eſt Lutetia,
Splendor Camœnæ ſunt ſacræ Lutetiæ:
Budæus ornat unus innocentia,
Splendore vitæ, litteris, ſolertia,
Orbem, Camœnas, Galliam, Lutetiam.

IX. *Gilberto Kennedo Comiti Caſſiliſſæ.*

HIC ſitus eſt heros humili Gilbertus in urna
Kennedus, antiquæ nobilitatis honos:
Muſarum Martiſque decus, paciſque miniſter,
Et columen patriæ conſiliumque ſuæ.
Occidit inſidiis fallaci exceptus ab hoſte,
Bis tria poſt vitæ luſtra peracta ſuæ.
Parce, hoſpes, lacrymis, & inanem comprime luctum,
Non miſere quiſquam, qui bene vixit, obit.

X. *Ja-*

1 *Nec ſimul*] Omnes libri, *Nec ſemel.* Vide ad Pſal. CIX. v. 30.

Digitized by Google

X. *Jacobo Silvio.*

SILVIUS [1] hic ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquam:
Mortuus & gratis quod legis iſta, dolet.

XI. *Jacobo Fabro.*

QUI ſtudiis primus lucem intulit omnibus, artes
Edoctum cunctas hæc tegit urna Fabrum.
Heu! tenebræ tantum potuere exſtinguere lumen?
Si non in tenebris lux tamen iſta micet.

XII. *Florentio Voluſeno Scoto.*

HIC Muſis, Voluſene, jaces cariſſime, ripam
Ad Rhodani, terra quam procul a patria?
Hoc meruit virtus tua, tellus quæ foret altrix
Virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

XIII. *In Robertum [2] Carnicrucium Sanctæ Crucis Abbatem.*

DAT titulos, dat opes, dat Crux mihi nomina gentis,
Addictuſque cruci cum patre frater erat.
Crux fueram cunctis: mihi ne crux undique deſit,
Membra mea en moriens do crucianda cruci.

XIV. *In Eundem.*

CORPORE cum fœdo ſpecies ſit fœdior oris,
Fœdum pectus habet, fœdius ingenium:
A cruce Parca dedit nomen præſaga futuri,
Haud alia hoc dignum morte cadaver erat.

XV. *Joanni*

1 *Silvius*] [Intelligit *Jacobum Sylvium* Ambianum, medicum, qui Lutetiæ Anatomiam profeſſus eſt: hoc vero Buchanani epigramma inter funeris exſequias ipſis templi valvis adfixum ab auditorum quibuſdam narrat *Sc. Sammarthanus* lib. I. Elogiorum, ubi doctrinam ejus laudat, ſed ſordes non tacet.]

2 *Carnicrucium*] Ita omnino legendum, quemadmodum in ſua Hiſtoria [lib. XIV. 34 & 35.] a Buchanano nominatur, vulgo *cairncroſs*,) quanquam in libris omnibus *Carnicrucium* legatur.

XV. *Joanni Diguallo, argumento ſumto ex Adami Otterburni Equitis [1] clariſſimi Hexametris.*

NOMINE Joannes, Diguallus origine, flamen
 Flamine natus erat, quem tegit iſte lapis:
E patrio cenſu nec nummo ditior uno;
 Scriptura primas accumulavit opes.
Sedulus hinc Petri coluit menſarius urbem,
 Hinc tumor, hinc res, hinc gloria, luxus, opes:
Et velut hinc etiam traxiſſet ſtemmata gentis,
 Ornatur titulis parma ſuperba novis.

XVI. *Ad Adamum Otterburnum.*

LANA mea eſt, (inquis) tua tela eſt, cum tibi reddo
 Hæc de carminibus carmina facta tuis.
Syntheſin e propria textam ſi dem tibi lana,
 Gloria Palladiæ non minor artis erit:
Nec minus inſigni Lyſippus laude feretur,
 Ære licet fingat ſigna animoſa tuo.
Tolle, ais, hinc artem, lanam mihi redde, quid autem
 Ars tua, materia deficiente, poteſt?
At mihi furtivæ ſi reddas vellera lanæ,
 Nuda tamen pretium merx feret iſta ſuum.
Hac vos de tabula pictores lege colores
 Tollite: [2] Dædalia ceſſet in arte labor.
Nulla Tarentino liveſcat lana veneno,
 Nec rubeant Tyriis vellera cocta focis.
Deſerat algentem dehinc pauper Mulciber Ætnam:
 [3] Mendicet Steropes, algeat Acmonides.
Subtrahe materiam, nihil artem poſſe fatemur:

Sed

1 *Clariſſimi Hexametris*] Recentiores libri, *clariſſimis*

2 *Dædalia ceſſet*] An potius *Dædalea*, ut Propert. II. El. 14.
 Dædaleum lino cum duce rexit iter.

3 *Mendicet Steropes*] Ita omnino legendum, non *Mendicent*, quod habent omnes libri: eſt enim *Steropes* unus e Cyclopibus, quos Jovi fulmina fabricaſſe Poetæ fabulantur. Virg Æneid. VIII. 425.
 Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
 Bronteſque, Steropeſque & nudus membra Pyracmon.
 Claud. III. Conf. Honor. 191.
 ---- Vobis jam Mulciber arma
 Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat:
 Brontes innumeris exaſperat ægida ſignis;
 Altum fulminea criſpare in caſſide conum
 Feſtinat Steropes; nectit thoraca Pyracmon.
Qui vero Virgilio & Claudiano *Pyracmon* appellatur, Ovidio Faſt. IV. 286, *Acmonides* dicitur;
 Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
 Brontes, & Steropes Acmonideſque ſolent.

Digitized by Google

Sed pretium gemmis majus ab arte venit.
At mea ſedulitas fumos non colligit iſtos:
Si non culpabor, ſat mihi laudis erit.

XVII. *Franciſco Belcierio ſupremo in Senatu Burdegalenſi Præſidi.*

FRanciſcus hic eſt Belcierius ſitus,
Virtute honores adſecutus maximos,
Princeps virorum in principum cœtu diu
Præſes, notatus labe nulla, ſplendida
Fama, modeſtis opibus, ingenti omnium
Mœrore raptus ordinum, quamvis ſenex
Felice felix prole fato ceſſerit.
Quicunque tranſis parce lacrymis, & tibi
[1] Tuiſque talem poſce vitam & exitum.

XVIII. *Andreæ Goveano.*

ALITE non fauſta genti dum rurſus Iberæ
Reſtituis Muſas, hîc Goveane jaces.
Cura tui Muſis fuerit ſi mutua, nulla
Incolet Elyſium clarior umbra nemus.

XIX. *Innocentio Fontano Burdegalenſi Poëtæ & Cauſſidico.*

A Fonte nactus nomen Innocentius,
Dieque natus Innocentibus ſacro,
Legatus a Republica Lutetiam
Miſſus, parœciæ hoſpes Innocentium,
Vivos reliquit Innocentibus die
Sacro: Innocentum corpus in Fano jacet,
Fontem ſepultum propter Innocentium.
Vitæ peractæ propter Innocentiam
Cœlum Innocentes inter animus incolit.

XX. *Petro Plancio Pariſienſi.*

FESSUS Atlantiades toties tranſmittere nubes,
Tænariam toties ire, redire viam:
Ante Jovem ſupplex ſtetit, & finire labores
Poſtulat, aut ſocium qui relevaret onus.
Æqua petis, (ait ille) petiſque in tempore, nam te
Qui juvet, aut nemo, aut Plancius unus erit.
Sæpe ego per tenebras vidi cum ſcanderet Alpes
Concretæ gelidum findere marmor aquæ:

Vidi

1 *Tuiſque talem*] Cairns 1677. Lond. 1686. Elzev. 1628. aliæque recentiores apud Belgas Editt. *Quiſque talem.*

Vidi cum feſſos curſu præverteret Euros,
  Et Zephyri lentos antevolaret equos.
Non labor inſomnis, non ſævæ injuria brumæ,
  Non ſitis æſtiferi cum furit ira canis:
Non ſalebris colles, non cœno undante paludes,
  Non ſcopulis torrens impediebat iter.
Quid referam ingenium, magnæque capacia curæ
  Pectora, cuſtodem depoſitique fidem?
Eloquiumque potens mandatis addere pondus,
  Comere res tenues, promere difficiles?
Et facilem quamvis ad cætera munia mentem,
  Difficilem falli muneribuſque capi?
[1] Hunc age: quam primum volat ille, & mole relicta
  Corporis, Eridanus qua Ligus urget aquas,
Aſtra, Deum plaudente choro, novus incola ſcandit
  Plancius, & ſuperûm juſſa miniſter obit.
[2] Sis felix licet, uſque tuis decus, & dolor ingens,
  Ultima nos donec mittet in aſtra dies.

XXI. *Eidem.*

CURA, fides, labor, ingenium, vigilantia, Planci,
  Fecerunt carum civibus eſſe tuis.
Jam virtus, hominumque favor ſpondebat honores,
  Et meritis regum conciliatus honor.
Sed vulgaris honos meritis minor: ergo abiiſti
  Illo, ubi virtuti verus habetur honos.

XXII. *Henrico Borbonio ſummæ ſpei adoleſcenti.*

BOrboniæ ſpes illa domus, patriæque patriſque;
  Nunc patris & patriæ, Borbonidumque dolor,
Heic ſitus Henricus, violas adſperge viator:
  Neu bona quæ fuerat vita, reare brevem.
Sat vixit, bene qui vixit: ſpatium brevis ævi
  Ignavi numerent tempore, laude boni.

XXIII. *Pa-*

1 *Hunc age: quam primum*] Sic diſtinguendam exiſtimavimus ſententiam: libris autem fere omnibus nulla interpunctione legitur, *Hunc age quamprimum* v. 1. Senſus autem videtur, *Hunc age*, ſupple *tua vice ſubſtitue*, aut *laboris ſocium adjunge.*

2 *Sis felix licet, uſque tuis*] An potius ſic diſpungendum,
Sis felix licet uſque, tuis decus -----
Cæterum Commel. Genev. 1584 & 1594, & Hart. deeſt *Sis.*

XXIII. *Patricio Buchanano fratri.*

SI mihi privato fas indulgere dolori,
  Ereptum, frater, te mihi jure fleam:
Noſtra bonis raros cui protulit artibus ætas,
  Et nivea morum ſimplicitate pares.
At ſi gratandum lætis eſt rebus amici,
  Gratulor immenſis quod potiare bonis.
Omnia quippe [1] piæ vitæ & ſinceriter actæ
  Præmia ſecurus non peritura tenes.

XXIV. *Joanni Ransforto Equiti Anglo.*

HUnc, Ransforte, tuo cineri Buchananus honorem
  Dat meritum, duro [2] cultus in exſilio.
Mens generoſa atavos non eſt mentita vetuſtos:
  Pace tua eſt pietas cognita, Marte manus.
Cultus erat ſimplex, ſine luxu ſplendida menſa,
  Ara domus miſeris, arca benigna bonis.
Non libertatem fandi peregrina tyrannis,
  Non animum fregit patria ſerva tuum.
Mens invicta malis feſſo de corpore ceſſit,
  Jam [3] pulſo exitii ſervitiique metu.

XXV. *Carolo Coſſæo Brixiaci Comiti.*

CAROLUS hic ſitus eſt modica Coſſæus in urna,
  Pyramidum dignus cui tegat oſſa labor.
Patria Brixiacum, genus alto e ſanguine Coſſi,
  Nec proavûm inferior nobilitate torus.
Ingenium felix, facies gratiſſima, vicit
  Nemo manu juvenem, conſilioque ſenem.
Quæcunque armiferis inimica eſt natio Francis,
  Auxit eum titulis Marte coacta novis.
Cum Batavo Germanus, Iber, Ligur, Inſuber, Anglus,
  Laudavere fidem, ceu tremuere manum.
Quod mortale fuit, rapuit mors: [4] fama vireſcit,
  Dum domus Hectoridum regia ſceptra geret.

XXVI. *A-*

1 *Piæ vitæ*] Forte *pie*.

2 *Cultus*] Libri omnes habent *cuſtos*, repugnante & metro & ſenſu: *cultus* igitur videtur legendum, eodem ſenſu quo in prioris libri Epig. 3.

3 *Jam pulſo*] Ita habent Commelin. & Editio anni 1594, alii autem omnes *Impulſo*.

4 *Fama vireſcit*] Forte *vireſcet*.

XXVI. *Alexandro Coburno.*

OMNIA quæ longa indulget mortalibus ætas,
  Hæc tibi, Alexander, prima juventa dedit.
Cum genere & forma generoſo ſtemmate digna,
  Ingenium velox, ingenuumque animum.
Excoluit virtus animum, ingeniumque Camœnæ
  Succeſſu, ſtudio, conſilioque pari.
His ducibus primum peragrata Britannia, deinde
  Gallia ad armiferos qua patet Helvetios:
Doctus ibi linguas, quas Roma, Sion & Athenæ,
  Quas cum Germano Gallia docta ſonat.
Te licet in prima rapuerunt fata juventa,
  Non immaturo funere raptus obis.
Omnibus officiis vitæ qui functus obivit,
  Non fas eſt vitæ de brevitate queri.

XXVII. *Rogero Aſchamo Anglo.*

ASchamum exſtinctum patriæ, Grajæque Camœnæ,
  Et Latiæ vera cum pietate dolent.
Principibus vixit carus, jucundus amicis,
  Re modica, in mores dicere fama nequit.

XXVIII. *Dianæ.*

VEnatrix Regum jacet hac ſub mole Diana,
  Fracta annis, nec tum ſponte pudica fuit.
Omnia quæ rapuit, tandem [1] nil amplius optat:
  Sed quod nunc ſatura eſt, gratia Parca tibi.

XXIX. *Jacobo Stuarto Scotorum Proregi.*

QUamvis flere nefas te cœlo, Jacobe, receptum,
  Tot populis nunquam mors fuit una dolor:
Nullo unquam tantam ſe ingeſſit pectore virtus,
  Signa nec oſtendit tam manifeſta ſui.
Nullo unquam impietas gaviſa eſt funere tantum,
  Nec ſibi plus juris credidit eſſe nefas.
Icta licet tanto genitrix ſit Scotia luctu,
  Tam genitum gaudet, quam periiſſe dolet.

XXX. *Joan-*

1 *Nil amplius*] An legendum *nihil amplius*, ut Horat. I. Ep. II. 46?

Digitized by Google

XXX [1] *Joanni Hamiltono Fani Andreæ Archiepiſcopo.*

PRoſtibulum plebis miſeræ, lupa publica mater,
  Fecit ut incerto de genitore fores.
Vix tandem inventus prolis cupiduſque & egenus,
  Qui te progeniem diceret eſſe ſuam:
Sed generis manſere notæ, mens ſubdola, fallax
  Lingua, animus gaudens ſanguine, dextra rapax,
Luxuries parti male pejus prodiga, fornix
  Pro thalamo, nummus numinis inſtar erat.
Adjunxti his vitiis naturæ plurima ſponte,
  Dignus Hamiltona dum cupis eſſe domo.
Stemmate ſed falſo nihil a te dignius actum eſt,
  In cruce quam laqueo quod tua colla dares.

XXXI. *Eidem.*

CORPUS Hamiltoni jacet hac Antiſtitis urna:
  Impurus laſſat ſpiritus Eumenidas.
Prodigio tandem reſpirat libera tellus,
  Ad Stygium gaudet noxia turba lacum:
Dum totus ruit in pœnas unius Avernus,
  Stat rota, nec Phlegyas flagra faceſque timet.
Siſyphus in ſaxo ſedet, haurit Tantalus undam,
  Et Tityi, laſſo vulture, fibra jacet.
Quæ multis cæſo quæſita eſt gloria monſtro,
  Jure ſuo hanc propriam crux laqueuſque tulit.
Exitus ut juſtus, ſic juſta injuſta fuerunt,
  Corpore ſacrilego quod caruere canes.

XXXII. *Joanni Juello.*

REGINÆ geminæ pari labori,
Verum non animo pari, Juelle,
Fecerunt, pietas ut eſſet orbi
Illuſtris tua. Sæviendo ferro
Et igne altera id egit, ut niteret
Virtus temporibus probata duris,
Ut aurum ſolet ignibus recoctum.
Juſto te altera proſequens honore
Produxit patriæ in theatrum: & oris
Tot dotes animique adhuc latentes
Oſtendit populo: ſed eruditis
Et plenis pietatis, entheoque
Fervore ingenii libris, nepotum
Famam in ſecula dum tuam propagas,
Illiuſque odio, iſtiuſque amore
Majorem ipſe tibi celebritatem
Famæ in tempora cuncta comparaſti.

XXXIII. *Ei-*

1 *Joanni Hamiltono*] Abeſt hoc & ſequens Epig. ab Editione Edimb. And. Hart.

XXXIII. *Eidem.*

JUELLE, mater quem tulit Devonia,
Nutrixque fovit erudita Oxonia,
Quem Maria ferro & igne patria expulit,
Virtus reduxit, Præſulem fecit parens
Eliſabetha docta doctarum artium:
Pulvis puſillus te ſepulchri hîc contegit:
Quam parva tellus nomen ingens occulit!

ICONES.

I. *SATURNUS.*

AUREA ſecla olim me paupere Rege fuerunt:
Lis, vis, fraus aberant, omnia pacis erant.
At nunc juſtitiam mentita injuria dives,
Lis, vis, fraus, auri ſecula nuda premunt.

II. *JUPITER.*

Largus opis, nec avarus opum, dum regna tenebam:
Inde mihi cœlum fama benigna dedit.
Hæc æquat virtus humili de plebe Quiritem
Regibus, hæc homines efficit una Deos.

III. *MARS.*

Magna quod evortam Mavors ſum jure vocatus,
Quam validus dextra, tam rationis inops.
Vis, furor, ira, pavor, comites ſunt, & mihi teſtes,
Quantum conſilii vis ferat orba mali.

IV. *SOL.*

SOL oculus mundi, longum mortalibus annum,
Inque vicem noctes metior, atque dies.
Luminis & vitæ fons, per quem fructus & uſus
Utilibus, pulchris gratia rebus adeſt.

Digitized by Google

V. *VENUS.*

ALMA Venus, rerum genitrix, hominumque voluptas,
Curarum requies, publicus orbis amor.
Hi quoque, qui tetricis invadunt crimina verbis,
Vultu diſſimulant, diſſimulant & amant.

VI. *MERCURIUS.*

QUot Protei vultus, tot ſunt mihi nomina & artes,
Nulla eſt ingenio fraus male nota meo.
Tam catus & mendax, vafreque impoſtor, ut eſſe
Poſſim chemiſtes, augur, & aſtrologus.

VII. *LUNA.*

QUOD maculas vultus alieno lumine fuco,
Muto cuncta, marem nunc peto, nunc fugio.
Quod vaga, quod nunquam conſtans, vis diſcere cauſſam?
Fœmina ſum, uxoris forſan imago tuæ.

VIII. *TEMPUS.*

SUM genitor veri, domitor livoris, operti
Index, aſtrorum filius atque comes.
Me ſequor, & fugio mea per veſtigia, nunquam
Cum ſim, quottidie naſcor & intereo.

IX. *VICTORIA.*

SI tam conſilio firmet Victoria mentem,
Quam palpat ſenſus lætitiaque capit:
Anteferenda aliis cunctis foret unica: verum
Fortunæ raro eſt mens bona juncta bonæ.

X. *ALCYONE.*

SOlvere quæ vitæ potuerunt ſtamina Parcæ,
Solvere conjugii non potuere fidem.
Alcyone unus amor Ceyx vivus fuit, idem
Alcyone Ceyx mortuus unus amor.

XI. *HELENA.*

VIX fieri, ſi ſint gignentum in ſemine vires,
Non, Jovis & Ledæ filia, pulchra potes.
Vix fieri, ſi ſint gignentum in ſemine vires,
Et Jovis & Ledæ filia, caſta potes.

XII. *EADEM.*

MILLE petita procis, totidem repetita carinis,
Mille poëtarum fama laborque fui.
O ſi nota minus, minus & formoſa fuiſſem!
Maxima matronæ eſt laus latuiſſe probæ.

XIII. *PENELOPE.*

FOrmoſam, viduam, ditemque, in flore juventæ,
Inter tot juvenes, Penelopea, procos,
Qui te ſervatam bis denos credidit annos,
Non oculis tantum captus, opinor, erat.

XIV. *DIDO.*

CASTA, decens, generoſa animi, Phœniſſa peregrī
Fœmina, magnanimis vix imitanda viris.
At tu ſacratam, Maro, labe adſpergere famam
Conaris, famæ non ſine labe tuæ.

XV. *SOPHONISBA.*

VIvere poſt victam patriam, patremque, domumque,
Non potero dominis mancipium Auſoniis.
Morte manumittar: poteram felicius ante
Non iterum tædis conciliata novis.

XVI. *ALEXANDER MACEDO.*

FAMÆ dira fames, ſitis & veſana cruoris,
Rex Macedo, vitæ carnificina tuæ:
Non ſine exſtingui potuerunt juſtius ullo,
Quam potando ſitis, quam comedendo fames.

Digitized by Google

XVII. *IDEM.*

MAGNUS Alexander, prædo clariſſimus, orbis
Exitio vivens, ludibrio moriens.
Perdere quem nequiit Mars armis, Bacchus inermis
Perdidit, immiſto cum Stygis amne mero.
Famæ dira fames exſtingui hoc fine, cruoris
Hoc fine exſtingui debuit atra ſitis.

XVIII. *LAURENTIUS VALLA.*

QUID celebras Marios, Curios, fortemque Camillum,
Miratrix veterum, Martia Roma, ducum?
Omnibus iis egit potiorem Valla triumphum:
Unde tuus cuncta in ſecula vivet honos.

XIX. *IDEM.*

MOnſtra animi domuere ſophi: quæ terra vel Orcus
[1] Protulit, Herculea ſunt ſuperata manu.
Portentis Latium ſermonem Valla levavit,
Invicto expugnans pectore barbariem.

XX. *Maria Regina Scotiæ puella.*

UT Mariam finxit natura, ars pinxit: utrumque
Rarum & ſolertis ſummum opus artificis.
Ipſa animum ſibi dum pingit, ſic vicit utrumque,
Ut natura rudis, ars videatur iners.

XXI. [2] *Eadem adulta.*

NI mihi tam fœdus, tam dirus avunculus eſſet,
Secli hujus Marie fœmina prima forem.
Sed vitiis, quibus evertit regna omnia, famam
Polluit ille ſuam, polluit ille meam.

XXII. *Carolus Lotharingius Cardinalis.*

JAM furor humanus Furias laſſarat, inermes
Torpuerant angues, torpuerantque faces:

Cum

1 *Protulit*] Recentiores fere *Pertulit*. Epig. ab And. Hart.
2 *Eadem adulta*] Omiſſum eſt hoc

Cum te vis inimica bonis, Carle, edidit, unus
Pro Furiis poſſis qui [1] ſatis eſſe tribus.

XXIII. *Margarita Regina Navarræ.*

ESSE aliis videor felix patre Rege, viroque,
Et nato, & proavis edita ſceptrigeris.
Aſt ego felicem, ſi ſum, me judico, rerum
Quod Dominus famulam me velit eſſe ſuam.

XXIV. *Maria Regina Angliæ.*

SUM Marie, male grata patri, male grata marito:
Cœlo inviſa, meæ peſtis atrox patriæ.
Nulla aberat labes: niſi quod fuit addita cuſtos
Fida pudicitiæ forma maligna meæ.

XXV. *In Elizabetham Angliæ Reginam.*

CUJUS imago Deæ, facie cui lucet in una,
Temperie mixta, Juno, Minerva, Venus?
Eſt Dea: quid dubitem? cui ſic conſpirat amice
Maſcula vis, hilaris gratia, celſus honos:
Aut Dea ſi non eſt, Diva eſt quæ præſidet Anglis,
Ingenio, vultu, moribus æqua Deis.

XXVI. *In Eandem.*

QUÆ manus artificis tria ſic confundit, ut uno
Gratia, majeſtas, & decor ore micent?
Non pictoris opus fuit hoc, ſed pectoris, unde
Divinæ in tabulam mentis imago fluit.

XXVII. *Ad Thomam Randolphum Anglum.*

SÆPE tibi, Randolphe, jubes me pingere Regem,
Qualem optem, tribuat ſi mihi vota Deus.
Accipe. SIT primum veræ pietatis amator:
Effigiem ſummi ſe putet eſſe Dei.
Pacem amet: &, ſi res poſcat, ſit ad arma paratus:
Exuat in victos arma, odiumque ſimul.
Nolo nimis parcus, nimium ſit nolo benignus:

Utra-

1 *Satis*] And. Hart, *ſatus.*

Utraque regno æque eſt exitioſa lues.
Non ſibi ſed populo ſeſe putet eſſe creatum,
Et ſe communem civibus eſſe patrem.
Puniat invitus, cum res jubet eſſe ſeverum:
Publica cum poſcent commoda, lenis erit.
Vivat, ut exemplar populo ſit recta ſequendi:
Sit vultus pravis terror, amorque bonis.
Excolat impenſe ingenium, corpuſque modeſte:
Luxuriem frenet cum ratione pudor.
[1] Jam tacitus tecum, Tentas me fallere, tanquam
In tabula noſtram qui mihi pingis heram.

XXVIII. *In Syllam.*

NULLA cadaveribus quod crux vacet, aut cruce campus,
Quod lacera in portis omnibus ora patent:
Quod ſonat attrita feralis compede carcer,
Squalet & humanis oſſibus albet ager:
Artibus his Regem dici te, Sylla, ſeverum,
Et patriæ affectas ut videare pater.
Sic mihi ſe medicus doctum per funera jactet:
Sic fracto laudes Automedonta jugo:
Navita naufragiis celebretur: perdere cives
Sit laus egregii ſæva per arma ducis.
Perdere non populum generoſi eſt gloria Regis:
Pro populo Regem eſt gloria vera mori.

XXIX. *Amor.*

QUIS puer ales? Amor. Genitor quis? Blandus ocelli
Ardor. Quo natus tempore? Vere novo.
Quis locus excepit? Generoſi pectoris aula.
Quæ nutrix? Primo flore juventa decens.
Quo nutrit victu? Illecebris, vultuque [2] venuſto.

Qui

1 *Jam tacitus tecum, Tentas me fallere*] Omnes quos viderim libri (præter Genev. 1584.) hunc verſum, nulla adjecta poſt *tecum* diſtinctione, ſic exhibent, *Jam tacitus tecum tentas me fallere*: quo pacto vix ullus huic loco ſenſus conciliari poſſe videtur: interpoſita autem pauſa, facile ſe prodit ſententia, hæc nimirum; *Jam tu, Randolphe, tacitus tecum muſſas; Tentas, at fruſtra, me fallere, Buchanane. Quamvis enim boni Regis in genere imaginem a te depingi expetebam, tu tamen (quod me haud animadverſurum putabas) heram meam Elizabetham Anglorum Reginam in tabula quaſi vivis coloribus delineatam mihi exhibuiſti: quæ enim de bono Rege a te generaliter ſunt dicta, in illam omnia atque unice conveniunt.*

2 *Venuſto*] Editio anni 1594, & Commel. *modeſto*.

Qui comites? Levitas, otia, luxus, opes.
Cur puero belli ſemper furioſa cupido?
Impellunt avidæ ſpes, trepidique metus.
Non metuit mortem? Non. Quare? Sæpe renaſci,
Sæpe mori decies hunc brevis hora videt.

XXX. *Chryſalus.*

DIves opum, pauperque animi, plus poſſidet auri
Chryſalus, in fulva quam vehit Hermus aqua.
Poſſidet incluſum ſed cæci carceris umbris:
Nec procul infernis, ut reor, a tenebris.
Et decies una, vel ſæpius, inſpicit hora,
Et numerans miſeras uſque fatigat opes.
Nec ſatis hoc: centum ferratis limina portis
Addita, centenis ferrea clauſtra ſeris.
Cuſtodeſque canes, atque horridus ære ſatelles
Excubat ad clauſas pervigilatque fores.
Non miſer uxori, non audet credere natis:
Frigida non pictis quos habet ara Deis.
Formidat, ſi vermis humo, mus exeat antro,
Si luteum Progne ſub trabe figat opus:
Si trabibus laxum ſuſpendit aranea caſſem,
Eſſe putat nummis retia tenſa ſuis.
[1] Si ſol rimoſas penetret vel luna feneſtras,
[2] Et tenuem fudit lux inopina diem:
Oblinit extemplo rimas, ne ſcilicet auro
Inficiat [3] radios ille vel illa ſuos.
Nec minus obſcuras formidat luce tenebras,
Et latebras promtas ad ſcelus omne duces.
Ipſe ſuam, veluti furem, luctatur in umbram:
Gypſatas metuunt credula corda manus.
Huc labor, huc miſeri ſpectat veſania voti,
Et trepidi ſemper corde micante metus.
Poſt inopis curas & inania tædia vitæ,
Dives ut ad Stygias iſſe feratur aquas:
Atque opibus mortem ceu placaturus avaram,
Semper inops vivit, ne moriatur inops.

XXXI. *Joan-*

1 *Si Sol rimoſas*] Recentiores libri, repugnante ſenſu & metro, *Si Sol remotas.*
2 *Et tenuem fudit*] Commel. *fundit*, forte *fundat* legendum.
3 *Inficiat*] And. Hart, *Intingat.*

XXXI. *Joannes Sturmius.*

ORA vides Sturmi, ſed & hæc Germania ſumit,
Hæc pietas, Latio cum lubet ore loqui:
Hæc Hermes, alio citius nec ſe putat ore
Flectere poſſe homines, flectere poſſe Deos.

XXXII. *Idem.*

ORA hæc ſunt Sturmi: picturæ verba darentur
Si ſua, de Phœbi pectore miſſa putes.
Nec falſo: expulſus jamdudum Phocidos antro
In Sturmi ſedem pectore Phœbus habet.

XXXIII. *Idem.*

NIL refert, Sturmi hæc, an Phœbi dixeris ora:
Hoc Phœbus ſolet, hoc Sturmius ore loqui.

GEORGII BUCHANANI SCOTI

STRENÆ, POMPÆ, VALENTINIANA,

EPIGRAMMATUM LIBER III.

S T R E N Æ.

I. *Ad Regem Scotiæ Henricum.*

TURBA frequens Jani fundit pia vota Kalendis,
Ut novus exacto fauſtior annus eat.
Hic, ager ut multo ſementem fœnore reddat,
[1] Poſtulat, hic pecori proſpicit, ille gregi.
Bellum miles avet, requiem mercator ab armis,

Divi-

1 *Poſtulat*] Editio anni 1594, & Commelin. *Proſpicit.*

Divitias alter poſcit, & alter opes.
Sunt quibus in voto eſt ventoſi gloria vulgi:
Sunt quibus & damnis eſt caruiſſe ſatis.
Aſt ego, ne laſſem [1] tibi vanis æthera votis,
Optime [2] Rex, opto, ſit tibi certa ſalus.
Hoc ſatis eſt unum: quoniam te ſoſpite nobis,
Succedent regno proſpera cuncta tuo.

II. *Ad Mariam Reginam Scotiæ.*

UT mihi magna tuæ fortunæ munera reddas,
Accipe fortunæ munera parva meæ.

III. *Ad Eandem.*

INVIDA ne veterem tollant oblivia morem,
Hæc tibi pro xenio carmina pauca damus.
Sunt mala: ſed ſi vis, poterunt divina videri:
Nam nunc quod magno venditur ære, bonum eſt.

IV. *Ad Diſcipulos.*

MOS vetus eſt Jani dare mutua dona Kalendis,
Annus ut auſpicio proſperiore fluat.
Et mihi quæ poſſim dare tantum verba ſuperſunt:
Sed noſtrum nemo vult ſibi verba dari.
Nil dare non fas eſt, vanum eſt dare verba. Quid ergo
Reſtat? Verba dari qui ſibi nolit, emat.

V. *Ad Epiſcopum indoctum.*

CArmina portanti, Præſul, tua janua clauſa eſt:
Munera portanti janua tota patet.
Præſulis ergo tenes perfecti munera ſolus:
Quippe animo cujus munera ſola placent.

VI. *Ad*

1 *Tibi vanis æthera votis*] Ita reſtituendum duximus hunc verſum; neque enim aliter conſtare poſſe videtur aut verborum ſenſus, aut Latini ſermonis ſtructura, in quorum utrumque peccant omnes libri, in quibus legitur, *Aſt ego ne laſſem tua vanus æthera votis:* atque adeo in eundem fere incidere errorem, quem ad *verſum penult. carminis* 3. *Silvarum* ſupra adnotavimus.

2 *Optime Rex*] And. Hart, *Unum opto id, Princeps, ſit* ——

VI. *Ad Mariam Scotiæ Reginam.*

DO quod adeſt: opto quod abeſt tibi: dona darentur
Aurea, ſors animo ſi foret æqua meo.
Hoc leve ſi credis, paribus me ulciſcere donis:
Et quod abeſt, opta tu mihi: da quod adeſt.

VII. *Ad Jacobum Stuartum Moraviæ Comitem.*

SEra, Jacobe, quidem ſunt, parvaque munera noſtra:
Hac in re vitium ſi quod ineſſe putas,
Ne ſectare meam, ſed contra corrige culpam,
Et cito, ſed larga munera redde manu.

VIII. *Loquitur Adamas in cordis effigiem ſculptus, quem Maria Elizabethæ Angliæ miſit.*

QUod te jampridem fruitur, videt, ac amat abſens,
Hæc pignus cordis gemma, & imago mei eſt.
Non eſt candidior, non eſt hæc purior illo,
Quamvis dura magis, non mage firma tamen.

IX. *Ad Jacobum Moraviæ Comitem.*

QUOD tibi parva damus, multi te ducere parvi,
Atque ea non hilari ſumere fronte putant.
Falle malas linguas, maledicta, Jacobe, refuta;
Magnaque munifica dona repende manu.

X. *Ad Elizabetham Angliæ Reginam Kal. Jan. anno* M. D. LXVIII. *Buchananus Janum alloquitur.*

JANE pater, ſolus partes qui verſus in omnes
Quicquid habet tellus ante retroque vides:
Proſpice quæ poſſim non dedignanda Kalendis
Saxonidum dominæ mittere dona tuis.
J. Me, puto, ſcis inopem, de Dis non ditibus unum,
Et veteri tantum ſimplicitate rudem.
Poſce Deos alios: dat opes Saturnia, formam
Pulchra Venus, cultum flava Minerva animi.
B. At Dea nil iſtis eget hæc, cui dona parantur;
Juno opibus, ſtudiis Pallas, & ore Venus.
J. Poſce tuas Muſas: ſunt & ſua dona Camœnis;
Parva licet, magnis non male grata Deis.

B. Quæ dent Pïerides tenues modo verba ſuperſunt:
  Nemo, reor, ſanus vult ſibi verba dari.
J. Pacem adeas igitur: nam Pax, ditiſſima Divûm,
  Commoda quæ cupiant Crœſus & Irus, habet.
B. Hæc quoque Saxonidæ jam Pax dedit Heroinæ,
  Atque omne in regno jus dat habere ſuo.
J. At tibi res quamvis deſit, puto, vota ſuperſunt:
  His opibus diti par potes eſſe Midæ.
B. Dicis opes inopes: ſed & hinc vix munera ſpero,
  Cum videam votis vix ſupereſſe locum
Ecquid enim huic optem, [1] cui ſors virtuſque benigne
  Et natura ſuas accumularit opes?
J. Cuncta licet ſuperent, ſupereſt quod ditibus optes,
  Perpetuus vitæ perſtet ut iſte tenor.
B. Hac ſequar: a votis, quibus unis eſſe benigno
  Sors mihi dat, xenium auſpiciumque petam.
Sit tibi qui nunc eſt animus, Regina, perennis,
  Cæteraque haud animo deteriora tuo.
Annuit, & Janus mihi vultu arriſit utroque,
  Et mea dicta ratam juſſit habere fidem.

XI. *Ad Joannam Havartam.*

SI niſi pro genere & meritis, Havarta, dabuntur
  Munera, rarus erit qui tibi dona feret.
At ſi mente Dei pura ſine munere læti
  Placentur, ſalſa vel ſine thure mola:
Proxima Dîs, etiam cur non te, virgo, reamur
  Poſſe animi pura ſimplicitate capi?
Hac ego ſpe fretus, quamvis exilia dona,
  Ingenii fœtus carmina mitto mei.
Quod ſi ruſticulum non dedignabere vatem,
  Promta erit obſequio noſtra Thalia tuo.

XII. *Ad Mildredam Gulielmi Cæcilii uxorem, matronam virtute & eruditione præſtantem.*

MUNERA quæ tibi do Jani, Mildreda, Kalendis,
  Ditia ſi non ſint, commoda forſan erunt.
Non Arabum meſſes, gemmaſve Oriente petitas,
  Sed tibi do, noſter qualia reddit ager.
Quæ neque latrones poſſint, neque tollere fures
  Clam, nec, ſi cupias, perdere, perdideris.

Non

1 *Cui ſors virtuſque*] Hart. *Fors virtuſque.*

Non tibi [1] ſi donet quicquid Tagus egerit auri,
  Muneribus noſtris uberiora dabit.
Quod ſi magna putes, nullo ſumtu atque labore
  Maxima de ſimili reddere meſſe potes.
Parva licet credas, ſunt & ſua commoda parvis:
  Parva quod exſpectet qui tibi parva dedit.
Denique qualia ſint, bona, parva, exilia, magna,
  Ipſa jube, arbitrii res erit iſta tui.
Nec mihi, ſi cupias non æqua rependere, fas eſt;
  Reddere nec melius deteriuſve potes.
Nulla tamen magici latet hîc inſania cantus,
  Nec mala fraus: animo ſint procul iſta meo.
[2] Scire cupis quo tanta cadant promiſſa? Libenter
  Quodcunque optaris tu mihi, id opto tibi.

XIII. *Ad Eandem.*

QUOD, Mildreda, mihi carmen pretioſius auro
  Miſeris, ingenio gratulor uſque tuo.
Atque etiam grates agerem quod miſeris aurum,
  Id niſi dixiſſes deſipientis opes.
Si tamen hunc morbum tibi ſenſeris eſſe moleſtum,
  Nemo tibi medicus credo negabit opem.
At ſi quem ſcabies, rabieſve poëtica vexet,
  Sanari epota vix queat Anticyra.
Quid, quod & hanc rabiem gravius ſymptoma ſequatur,
  Addita pauperies vatibus uſque comes?
Quod niſi vitaris peſtis contagia, donis
  Carmina ſi certes vincere noſtra tuis,
Proſpice ne morbum mutes, & garrula egeſtas
  Sit tibi, dum fatuas das mihi divitias.

XIV. *Ad Eandem.*

NI, Mildreda, tui viri, patriſque
Moverer reverentia, haud abiret
Impune hoc facinus, meas Camœnas
Quod corrumpere nixa ſis, & auro
Caſtas

1 *Si donet*] Editio anni 1594, & Commelin, *quæ donet*

2 *Scire cupis. q. t. c. promiſſa? Libenter*] Ita diſtinguendam arbitror ſententiam; Genev. tamen 1584 & 1594. Commel. & Hart. *Scire c. q. t. c. promiſſa libenter, Quodcunque*, &c. Elzev. vero 1621 & Edimb. 1677, eodem modo, niſi quod pro *libenter libenter* præferant; reliqui autem *S. c. q. t. c. promiſſa*, *libenter Quodcunque*, &c.

Caſtas proſtituas prius puellas,
Contentas nemorum antea virentum
Umbris, frigore fontium ſacrorum,
Rivi & murmure leniter ſtrepentis:
At nunc barbarico ſuperbientes
Luxu, & divitiis tuis, priorem
Vix norunt comitem, moraſque nectunt,
Et me ſegnius audiunt vocantem.
At tu, ſi ſapies, dehinc cavebis
Iſta me ratione provocare.
Quod ni feceris, hanc benignitatem
Pœnitentia protinus ſequetur.
Sic te carminibus moleſte habebo,
Sic canam tibi, & obſtrepam uſque & uſque,
Donec percipias, nec abſque damno,
Quanto carmina lætius refundat
Noſtra hæc area, quam tua arca nummos.
Exemplumque dabo tibi tuiſque,
Ne nimis facili benignitate
Quis certare meæ loquacitati
Vicino monitus velit periclo.

XV. *Ad Eandem.*

VULGUS me vocat, & putat poëtam.
Aula non putat, & vocat poëtam.
Nam ſi crederet eſſe me poëtam,
Avarum, puto, non putaret eſſe.
Aut ſi crederet eſſe non avarum,
Non pro carminibus malis, ineptis,
Incomtis, mihi reddidiſſet aurum.
Quid cauſſæ rear eſſe cur rependat
Probo ruſticulum aula carmen auro;
Aula tam ſapiens, & erudita,
Nec naris, neque judicandi egena?
At at, jam videor tenere cauſſam,
Quæ pro carmine dat malo bonum aurum,
Non dat carminis æſtimationem:
Nec ſuum ſtudium indicat legendi,
Sed faſtidia vitat audiendi,
Nec me ſcribere, ſed monet ſilere.
Et recte monet illa, ſi poëtis
Loquendi modus eſſet, & ſilendi.

XVI. *Ad Agnetem Cæcilii filiam.*

QUOD tibi vis tacito voto, quod mater aperto,
Hoc tibi fors cito det, filia Cæcilii.

XVII. *Ad Antonium Cucum Equitem Anglum, & filias doctiſſimas.*

CUCIDES, Antoni ſoboles generoſa parentis,
Et ſobolis doctæ doctior ipſe parens,
Non ego Pieridas, [1] vobis in vota benignis,
Nec precibus Clarium ſollicitabo Deum.
Cucides Aonidæ mihi erunt, pater alter Apollo,
Ingenio vires ſufficietque meo.

Inde

1 *Vobis in vota benignis*] Quidam *benignas* legendum malint: at nihil mutandum; ſententia enim eſt, *Si vos benigne votis meis annuatis.*

Inde mihi ſurget xeniorum maxima merces,
  Largaque de veſtra munera fruge dabo.
Ludere me forſan perfricta fronte putetis:
  Quod fieri alterius merce benignus amem.
Non ita: nam cum det Deus omnibus omnia, lætus
  Accipit e donis munera parva ſuis.
Vos quoque germanæ Dîs tot virtutibus æquæ,
  Et ſtudiis docti docta propago patris,
Eſte Dei ſimiles, nec munere [1] pendite mentem:
  Muneribus pretium mens generoſa facit.

XVIII. *Ad Jacobum Moraviæ Comitem.*

SI magis eſt, ut Chriſtus ait, donare beatum,
  Quam de munifica dona referre manu:
Aſpice quam faveam tibi: ſis ut dando beatus,
  Non renuo fieri, te tribuente, miſer.

XIX. *Ad Matthæum Leviniæ Comitem, Scotiæ Proregem.*

CUM mihi quod donem nil ſit, tibi reſque ſuperſit;
  Accipe, cui dones officioſus opes.
Non ego ſum nimius voti: ex tanto æris acervo
  Sufficient animo [2] millia pauca meo.
Denique da quidvis, podagram modo deprecor unam:
  Munus erit medicis aptius illa ſuis.

POMPÆ.

I. [3] *APOLLO & MUSÆ EXULES.*

SEDIBUS extorres bello, ad te fugimus, una
  Muſarum caſte quæ pia ſacra colis.
Non querimur: magna exilium mercede levatur,
  Si fruimur vultu nocte dieque tuo.
Eſt mihi carmen Hymen, luſus, convivia, cantus,
  Materia ætati non aliena tuæ.
Sit procul a tragico ſemper tua vita cothurno:
  Et mihi fas hoſtes ſit celebrare tuos.

Digna

1 *Pendite mentem*] Ita utraque Genev. Commel. & Hart. alii autem omnes, *pandite mentem.*

2 *Millia pauca*] Commel. Genev. 1594. & Hart. *mollia pauca.*

3 *Apollo & Muſæ exules*] Hoc carmen, quemadmodum & ſequentia, in nuptiis Mariæ ſcriptum videtur.

Digna Dea tibi ſunt facies, virtuſque genuſque:
  Concinet ergo inter te lyra noſtra Deos.
Sufficis æternum mihi ſola in carmina: nulla eſt
  [1] Sanguinis heroi tam numeroſa domus.
Ni Dea nata fores, mihi tanta potentia fandi eſt,
  Protinus ut faceret te mea lingua Deam.
Cura mihi hiſtoria eſt, ut per me mortua vivant,
  Stent ſua virtuti præmia, pœna malis.
Cætera conſequerer numeris facile omnia, tantum
  Virtutes poſſem ſi numerare tuas.
Digna coli cœlo, terras cole: ſidera noſſe
  Si juvet, hîc duce me, ſidera noſſe potes.
Metior hoc radio terras, mare, ſidera: monſtro
  Quam parvo humanus ludat in orbe labor.

II. Pompa Deorum in nuptiis Mariæ.

1. *DIANA.*

QUinque mihi fuerant Mariæ, pater alme, miniſtræ,
  Et decus, & noſtri gloria prima chori.
Hoc numero comitum cœlo caput alta ferebam:
  Sumque aliis nimium viſa beata Deis.
Nam Venus & Juno ſucceſſibus invida noſtris,
  Unum de numero ſurripuere meo:
Et nunc orba cohors numero ſibi diſplicet, uno
  Pleiadum languet ceu minor igne chorus.
Audeat hoc deinceps exuta licentia frenos:
  Objiciar ſævis incomitata feris.

2. *JUNO.*

SIT tibi venatus, mihi ſint connubia curæ:
  Contenta officio ſit Dea quæque ſuo.

3. *VENUS.*

CESSET amor, pariter ceſſabunt fœdera rerum:
  In chaos antiquum cuncta elementa ruent.

4. *CERES.*

SI [2] parili cunctæ fugiant connubia voto,
  Rara tui fiet, Delia, turba chori.

5. *PAL-*

1 *Sanguinis heroi*] i. e. *heroici.*
2 *Si parili cunctæ*] Uterque Genev. Commel. & Hart. *Si parili cinctæ.*

Digitized by Google

5. *PALLAS.*

SI pariter fugiant omnes connubia nymphæ,
Nullus erit poſthac virginitatis honos.

6. *SATURNUS.*

SI tibi fas fuerit tædis arcere puellas,
Cur mihi fas non ſit præſecuiſſe mares?

7. *MARS.*

UNDE mihi miles, ſi totum tranſigat ævum
Fœmineum in ſterili virginitate genus?

8. *MERCURIUS.*

FRUSTRA & ego doceam eloquium, liquidamque palæſtram,
Et celerem Eoa merce onerare ratem.

9. *APOLLO.*

DELIA parce metu, meaque hæc ſimul accipe dicta,
Quæ tibi veridico præſcius ore cano.
Juno vocat, Mariaſque tuas jubet eſſe maritas,
Caſtaque legitimi jura ſubire tori.
Multipliceſque tibi Marios Mariaſque rependent,
Accreſcetque tuis longior ordo choris.
Semper prima novæ ſobolis tibi ſerviet ætas:
Proxima Junoni: cætera fata vetant.

10. *JUPITER.*

QUinque tibi Mariæ fuerant, ſed quinque Dearum
Inſtar erant forma, moribus, ingenio.
Quinque Deûm dignæ thalamis, ſi jungere tædas
Mortali ſuperos ferrea fata ſinant.
At nunc florentis cum pars jucundior ævi
Tota ſit in caſtris pene peracta tuis,
Altera militia eſt, atque altera caſtra ſequenda;
Jamque viris ætas ſerviat apta viro.
Sic vicibus variis rerum immutabilis ordo
Permanet, & conſtat mutuus orbis amor.

11. *TAL-*

Digitized by Google

II. [1] TALTHYBIUS.

ALTER Hymen lætis jam vocibus æthera pulſet;
Sit Maria ut tædis altera juncta novis.
Connubio quantum ſociat Venus aurea, tantum
Detrahitur numero, caſta Diana, tuo.
Unaque jam ſupereſt Mariis de quinque Dianæ:
Hæc quoque jam ſocios reſpicit una toros.
At vos quas comites dignata eſt candida nuper
Delia virgineis aſſociare choris,
Sic Veneri lætæ lætam [2] exercete juventam,
Augeat ut choreas caſta Diana ſuas:
Proque una Marias multas donate Dianæ,
Ut Veneri ſponſas fœneret illa novas.
Ut chorus alterius floreſcat uterque, viciſſim
Sentiat alterius ſemper ut alter opem.
Sic mutant elementa vices contraria, ſeſe
Aſſidue perimunt, & perimendo novant.

III. Pompæ Equeſtres.

I. *Turma Æthiopum.*

FAMA tuæ virtutis ad hæc nos littora traxit,
Unde venit calidi mollior aura Noti.
Fama tui Reges tanto ſuper altior omnes,
Quam tuus a noſtro diſſidet ore color.
Ergo ubicunque lubet devotis utere dextris,
Sive magis ratibus, ſive placebit equis.
Experiare fidem bello vel pace licebit,
Serviet imperio vitaque morſque tuo.

2. *Turma Septentrionalium Equitum.*

NEC minus Arctoas ſparſa eſt tua fama per oras,
Nec minus Eoas, occiduaſque domos,
Quam per inacceſſas Libyæ ſqualentis arenas,
Nec minus hoc cœlo pectora tangis honos.
Sunt animi, ſunt dextræ animis ſervire paratæ,
Et mens imperium promta ſubire tuum.

Si

1 *Talthybius*] Is præco erat in Græcorum exercitu. Homer. Iliad. α. 320. Ovid. Epiſt. III. 9.

2 *Exercete juventam*] Recentiores male, *exercere*.

Digitized by Google

Si fortuna animis fuerit, ſi viribus æqua,
Officiis in te non prior ullus erit.

3. *A Neptuno miſſa turma.*

NYmpha inter pulchras pulcherrima Neptuninas,
Nympha Caledoniæ gloria magna tuæ:
Sola opibus digna Oceani, cum murice gemmis,
Quæque arbor [1] tacta eſt Gorgone facta lapis:
Nos tibi cæruleis Triton ſubmiſit ab undis,
Juſſit & hæc domini nomine ferre ſui.
Utere Neptuno, ſeu viribus eſt opus undæ,
Sive ratis, celeris ſive erit uſus equi.
Si minus hi placeant, ſic cogita, in æquore natos
Aſſuetos ſolido non ſatis eſſe ſolo.

4. *Equites verſicolores.*

HÆC acies equitum ſub verſicoloribus armis,
Fortunæ faciem fulget amicta ſuæ.
Tu modo ſi faveas, etiam fortuna favebit:
Virtuti comes eſt ſcilicet illa tuæ.

5. *Equites qui in galeis ferebant Palladem adverſus eos qui Cupidinem ferebant.*

URE, ſed imbelles, puer, ignibus ure puellas:
Bellica belligeræ tela relinque Deæ.

6. *Alius.*

PALLAS adeſt, haſta metuenda & Gorgone ſæva:
Qui locus hîc jaculis, parve Cupido, tuis?

7. *Alius.*

CÆCUS Amor, ſapiens Pallas: temerarius illi
Impetus, huic ratio tela manumque regit.
Exitus in dubio non eſt, ſi caſus inermis
Conſerat armata cum ratione manum.

IV. Pom-

[1] *Tacta*] *Facta* habent omnes libri, nullo fere ſenſu: ejus loco repoſuimus *tacta*. V. Ovid. Met. 4. v. 744.

IV. Pompæ Deorum Ruſticorum dona ferentium Jacobo VI. & Mariæ matri ejus, Scotorum Regibus, in cœna quæ Regis baptiſma eſt conſecuta.

1. *Satyri Regi.*

SIlveſtres tibi Satyri dona
Damus agreſtia, ruris alumni
Volucres læti ruris alumnos;
Et prævertere ſolitos ventos
Male confiſos pedibus cervos.
At cum veniet robur ab annis
Capies acribus ipſe Moloſſis
Capreas; claudes retibus apros:
Diſces ſtrepitu ſæpe quod urbis
Jure antoferat rura voluptas.

2. *Nereides Reginæ matri.*

VIS dura ferri marmoris
Magneſii contagio
Imbuta vertit algidam
Ad Arcton acrem cuſpidem.
Cuicunque virtus imbuit
Potenti vi præcordia,
Te ſpectat unam, cardini
Cuicunque cœli ſubjacet.
Arcana vis hæc Indico
Nos traxit huc a littore,
Ut non trahat potentius
Ferrum ſilex Heraclia:
Virtutis ut propius tuæ
Claro fruamur lumine,
Et patriis munuſculis
Teſtemur obſervantiam.

3. *Najades Regi.*

NON ſic luciferi viator ortu
Gaudet, navita non ſerenitate;
Felix, puſio, nuncius tui ortus
Noſtra ut pectora mœſta recreavit.
Quare munera Najades puſilla
Hæc damus tibi: nec tamen puſilla,
Si non munere pectus æſtimetur,
Verum e pectore munus æſtimetur.

4. *Fauni Reginæ.*

VIRTUTE, ingenio, Regina, & munere formæ
Felicibus felicior majoribus,
Conjugii fructu ſed feliciſſima, cujus
Legati honorant exteri cunabula:
Ruſtica quem donis reverentur numina, ſilvis
Satyri relictis, Najadeſque fontibus.
Faunos in melius properantis pignora ſecli
Reſponſa ferre cœlitum Rex hæc jubet:

Omnis

Omnis in hunc rerum conſenſit machina Regem;
Non ſorte lectum aut lege, ſed fato datum.
Non aliter quam natura novere magiſtra,
Monſtrante nullo, apiculæ ſuum ducem.

5. *Oreades Regi.*

MONTANA dona montium colentes
Secreta [1] Oreades nunc damus tenellos
Catulos ferarum: firmius vigebit
Cum corpus annis, acribus Moloſſis
Sequeris ipſe capreas fugaces,
Aproſque claudes nexibus plagarum:
Ni forte malis avios per anfractus
Nemorum, relictis capreis, Napæas
Captare capreis non minus fugaces,
Sed capreis capi minus paventes:
Cupiſque ſilvarum horridos receſſus
Præferre forſan oppidis ſuperbis.

VALENTINIANA.

1.

FESTA Valentino rediit lux: frigora languent,
Et liquat horrentes mitior aura nives.
Jam propior propiorque novo ſe lumine veſtit
Phœbus, & aurato purior axe micat.
Findere jam tenero meditatur cuſpide terram,
Gramen & in virides luxuriare comas.
Cortice laxato gemmas jam parturit arbos:
Mitis init regnum jam Cytherea ſuum.
Pabula perſultant lætæ pecudeſque feræque,
Quiſque ſibi ſociam jam legit ales avem.
Inde ſibi dominam per ſortes quærere in annum
Manſit ab antiquis mos repetitus avis.
Quiſque legit dominam quam caſto obſervet amore,
Quam nitidis ſertis obſequioque colat:
Mittere cui poſſit blandi munuſcula veris,
Pallentes violas, purpureamve roſam:
Quæque ſuis vicibus naſcentia ſufficit annus
Munera, temporibus non aliena ſuis.
Nos quibus & jam flos melioris decidit ævi,
Nec niteant horti, nec renovetur ager;
Serta tamen dominæ noſtro ex Helicone petamus,

Frigo-

1 Ita omnino legendum, leviſſima mutatione, *Oreades*, non *Orcades*, prout in omnibus libris habetur, quod non modo metri legibus & communi horum carminum inſcriptioni repugnat, ſed etiam ſententiam aut nullam aut abſurdiſſimam reddit.

Digitized by Google

Frigoribus nullam depoſitura comam:
Et Veneri caſtæ caſtum libemus honorem,
Et veteres repetat ſobria Muſa jocos.

2. *Ad Mariam Flaminiam ſorte Reginam.*

REGIA, Flaminia, jamdudum ſceptra teneres,
Si genus aut virtus regia ſceptra daret.
Si det ſceptra decus, dominæque potentia formæ,
Non decor aut forma eſt dignior ulla tua.
Si ſtudiis hominumque favent bona numina votis,
Jam tibi regna hominum vota preceſque dabant.
Si Dea non ſtabilis rerum moderatur habenas,
Surda aures, cæco lumine, mentis inops,
Heic neque ſurda fuit, nec cæca, aut mentis egena,
Cum tribuit dextræ ſceptra tenenda tuæ:
At ſi cæca fuit; ſi ſurda, aut mentis egena,
Virtutem cæcæ credo fuiſſe ducem.

3. *Ad Eandem.*

CUNCTA tuo cum colla jugo det ſponte juventus,
O poſt ſceptrigeram forma ſecunda Deam:
Eſſe tamen cæcam Sortem ne crede, quod ævo
Me tibi mancipium deteriore dedit.
Commendent juvenes aut forma, aut gratior ætas:
At ſolet in ſenibus certior eſſe fides.
Ut ſua dant animos illis bona cognita, ſic me
Sors tenuis dominam demeruiſſe jubet.
Ergo mei quanto minor eſt fiducia, tanto
Major erit certam cura probare fidem.

4. *Ad Eandem.*

ACCIPE quos fœtus tibi fertilis educat annus,
Flaminia, o ævi floſque decuſque tui:
Non capiti ornatum; neque enim ſplendeſcere pulcher
Externi cultus munere vultus eget:
Sed magis ut noſcas, ubi ver aſpexeris anni,
Quam cedant veri tempora verna tuo.

5. *Ad Eandem.*

FLORET ager, florent horti, ſe floribus arbor
Induit: honori cuncta ſerviunt tuo.

Sed

Digitized by Google

Sed tamen alterno lapſu natura recurrens
  Variare poterat temporum credi vices,
Ni noſtri ingenii, quod jam defloruit, ævum
  Sterili in ſenecta parturiret carmina;
Carmina naturæ non edita ſponte, ſed auræ
  Tui favoris ſpiritum debentia.

6. *Ad Mariam Betonam pridie Regalium Reginam ſorte ductam.*

REGNO animus tibi dignus erat: tibi regia virtus:
  Et poterant formam ſceptra decere tuam.
Fortuna erubuit ſua munera ſola deeſſe:
  Quæ tibi nunc plena dat cumulata manu.
Cumque tibi immunem dederit livoris honorem,
  Non ſatis eſt tardam viſa luiſſe moram:
Ni Regina, orbis longe digniſſima ſceptro,
  Gauderet regno læta ſubeſſe tuo.

7. *Ad Eandem.*

AN querar? an potius fortunæ munera laudem,
  Quæ me Betonæ mancipat imperio?
Quo mihi forma decens hoc tempore? cum mihi nulla
  Spes ſupereſt, quod ſit mutua cura mei.
Si fortuna mihi melior, melioribus annis
  In me munifica ſic foret uſa manu:
In cinerem ſubito cecidiſſem verſus, eratque,
  Quod mihi vita brevis, pœna futura levis.
Nunc face ſors lenta torret, nec dat mihi vitæ
  Gaudia, nec ſubitam dat mihi mortis opem.
Sed ſeu vita manet, vel mors, hoc gratulor unum,
  Sub dominæ arbitrio eſt vitaque morſque mea.

8. *Ad Eandem.*

QUÆ melior meritis mihi ſors, Betona, dedit te,
  Hæc cito ſed meritis det precor æqua tuis.

9. *Ad Eandem.*

HORRET hiems, nec prata nitent, neque floribus horti,
  Unde queam dominæ ſerta parare meæ
Quique fuit cultu Muſarum fertilis hortus
  Ingenii, ætatis frigore ſtringit hiems.
Si tamen adſpiret Zephyrus Betonidos auræ,
  Hic etiam in vernas luxuriabit opes.

GEOR-

GEORGII BUCHANANI SCOTI
MISCELLANEORUM
LIBER.

I. [1] *Ad invictiſſimum Franciæ Regem Henricum II. poſt victos Caletes.*

NON Parca fati conſcia, lubricæ
Non ſortis axis ſiſtere neſcius,
Non ſiderum lapſus, ſed unus
Rerum opifex moderatur orbem:
Qui terram inertem ſtare loco jubet,
Æquor perennes volvere vortices,
Cœlumque nunc lucem tenebris
Nunc tenebras variare luce:
Qui temperatæ ſceptra modeſtiæ
Dat, & protervæ frena ſuperbiæ:
Qui lacrymis fœdat triumphos,
Et lacrymas hilarat triumphis.
Exempla longe ne repetam: en jacet
Fractuſque & exſpes, quem gremio ſuo
Fortuna fotum, nuper omnes
Per populos tumidum ferebat.
Nec tu, ſecundo flamine quem ſuper
Felicitatis vexerat æquora,
Henrice, virtus, neſciiſti
Imbriferæ fremitum procellæ.
Sed pertinax hunc faſtus adhuc premit,
Urgetque preſſum: & progeniem ſui,
Fiducia pari tumentem
Clade pari exagitat Philippum.
Te, qui minorem te ſuperis geris,
Culpamque fletu diluis agnitam,
Mitis parens placatus audit,
Et ſolitum cumulat favorem:
Redintegratæ nec tibi gratiæ
Obſcura promit ſigna. Sub algido
Nox Capricorno longa terras
Perpetuis tenebris premebat;
Rigebat auris bruma nivalibus,
Amnes acuto conſtiterant gelu,
Deformis horror incubabat
Jugeribus viduis colono:
At ſigna caſtris Francus ut extulit
Ductorque Franci Guiſius agminis,
Arriſit algenti ſub Arcto
Temperies melioris auræ.
Hiems retuſo languida ſpiculo
Vim mitigavit frigoris aſperi:
Siccis per hibernum ſerenum
Nube cava ſtetit imber arvis.
Stravit quietis æquora fluctibus
Neptunus, antris condidit Æolus
Ventos, niſi Francas ſecundo
Flamine qui veherent carinas.
Per arva nuper ſqualida, & ignibus

Ad-

[1] *Ad invictiſſimum Franciæ Regem*] Edit. Rob. Stephani 1558, *De Caleto nuper ab Henrico II. Francorum Rege invictiſſ. recepta.*

[1] Adhuc BRITANNIS pene calentia,
Cornu benigno commeatus
Copia luxurians profudit.
Idem ut reductas abdidit oppidis
Francus cohortes, mitis hiems modo
Se rurſus armavit procellis,
Et poſitas renovavit iras.
Stant lenta pigro flumina marmore,
Caniſque campi ſub nivibus latent,
Diverberatum ſævit æquor
Horriferis Aquilonis alis.
Ergo nec altis tuta paludibus
Tulere vires mœnia Gallicas,
Nec arcibus tutæ paludes
Præcipitem tenuere curſum.
Loræne princeps, præcipuo DEI
Favore felix, præcipuas DEUS
Cui tradidit partes, ſuperbos
Ut premeres domitrice dextra.
Unius anni curriculo, ſequens
Vix credet ætas promeritas tibi
Tot laureas, nec ſi per auras
Pegaſea veherere penna.
Ceſſere ſaltus ninguidi, & Alpium
Inſerta cœlo culmina, cum pater
Romanus oraret, propinquæ ut
Subjiceres humeros ruinæ.
Defenſa Roma, & capta Valentia,
Coacta pacem Parthenope pati,
Fama tui Seguſianus
Barbarica face liberatus.
Æquor procellis, terra paludibus,
Armis BRITANNUS, mœnia ſeculis
Invicta longis, inſolentes
Munierant animos Caletum:
Loræna virtus, ſueta per invia
Non uſitatum carpere tramitem,
Invicta devincendo, famam
Laude nova veterem refellit.
Ferox BRITANNUS viribus antehac,
Galliſque ſemper cladibus imminens,
Vix ſe putat ſecurum ab hoſte
Fluctibus Oceani diremtus.
Regina, pacem neſcia perpeti,
Jam ſpreta mœret fœdera, jam Dei
Iram timet ſibi imminentem,
Vindicis & furiæ flagellum.
Cives & hoſtes jam pariter ſuos
Odit pavetque, & civium & hoſtium
Hirudo communis, cruorem
Æque avide ſitiens utrumque.
Huic luce terror Martius aſſonat,
Diræque cædis mens ſibi conſcia,
Umbræque nocturnæ quietem
Terrificis agitant figuris.
[2] Sic læſa pœnas Juſtitia expetit,
Faſtus ſuperbos ſic Nemeſis premit,
Sic mitibus juſtiſque præbet
Mitis opem Deus atque juſtus.

II. [3] *In Caſtitatem.*

CASTITAS blandi domitrix amoris,
Caſtitas vitæ ſpecimen prioris,
Labe cum puras ſoboles colebat
Aurea terras.

Caſti-

1 *Adhuc Britannis pene calentia*] Ibid. *Adhuc Britanni pene calentibus.*

2 *Sic læſa pœnas*] Abeſt ab Editione Rob. Stephani poſtremum hoc tetraſtichon.

3 *In Caſtitatem* Narrat Tho. Randolphus, Elizabethæ Angliæ ad Mariam Scotam tum legatus (Epiſt. ad Gul. Cæcilium 27 Feb. 1564. Bibl. Cotton. Calig. B. 10.) ſe lautiſſimo convivio Edimburgi fuiſſe ſuſceptum, in quo ad majorem celebritatem variæ larvæ erant excogi-

Caſtitas [1] vitæ ſpecimen futuræ,
Morte cum victa, ſociata membris
Pura mens puris radiantis aulam
Incolet æthræ.
Una nec certam Veneris ſagittam,
Jura nec fati metuis ſeveri,
Quippe quæ rurſus moriente major
Morte reſurges.
Pura cum puris agites ut ævum
Angelis, quorum ſtudium ſecuta
Colliges fructus ſocios ſecundæ
Reddita vitæ.

III. *De amore Coſſæi & Aretes.*

QUO te ſub antro, [2] quo nemorum avio,
Æſtus levantem frigore [3] languido
Coſſæus aſpexit, profanis
Cerni oculis, Arete, inſolentem?
Tu cura es illi, ſeu roſeo dies
Arridet [4] ortu, ſeu medio dies
Incandet æſtu, ſive cœlum
Nox tacitis operit tenebris.
Tu ſi vocaris, per juga Caucaſi
Te belluoſi, torrida ſolibus
Per teſqua Maurorum, per æquor
Puppibus indomitum ſequetur.
Non tecta tectis, prædia prædiis,
Aurumve ſtratis cogere montibus,
Non [5] certat Eoum decoris
Oceanum ſpoliare gemmis:
Non otioſa lentus inertia
Vitæ fugacis ver breve carpere,
Somnoque jucundo moleſtas
Ægri animi relevare curas.
Unam [6] irretorto lumine te videt,
Unam inquieta ſollicitudine
Te ſpectat abſentem, invocatque,
Te dominam veneratur unam.
Non ille comta molle nitens coma
Te, nec Sabæis ambit odoribus;
Non [7] improbus captat doloſis
Illecebris animum rebellem.
Sed luce ferri luctifica minax,
Pectuſque ſquamis aſper aheneis,
Aut ſpumeos frenos fatigans
Quadrupedis præeuntis Euros:
Qualis virentem Mars prope Strymona
Exercet acrem quadrijugum fugam,
Seu Parthiæ cladem feroci,
Seu gelido meditatur Iſtro.
Nec tu labores deſpicis anxios,
Te nacta dignam ſcilicet indolem,
Nec credulum paſcens amorem
Spe ſterili crucias amicum.
Seu per procellis fœta nivalibus
Prærupta, & Alpes agmen agit feras,
Seu per tumentes imbre fluctus,
Seu validas labefactat arces:
Tu dux per Alpes pandis iter feras,

Amnes

cogitatæ. Primum enim miſſum præferebat Cupido, carmen Italicum decantans Secundum comitabatur virgo venuſtiſſima, quæ Caſtitatis perſonam gerens hos verſus *Caſtitas blandi*, &c. modulabatur. Tertiæ denique menſæ apparuit puer, Temporis faciem mentitus, miniſtris carmen illud accinentibus quod habetur Miſcel. XVI. *Armata telis dexteram*, &c.

1 *Vitæ ſpecimen futuræ*] Prædict. Epiſt. *vitæ ſpecimen ſecunda.*

2 *Quo nemorum avio*] Editio Iſr. Taurini anno 1590, *quo nemore avio.*

3 *Languido*] Iſr. Taurinus, *languidos.*

4 *Arridet*] Ita Taurinus, alii autem omnes, *Arriſit.*

5 *Certat*] Taurin. *curat.*

6 *Irretorto lumine*] Vide quæ nos ſupra ad Pſal. XXXIII. 59.

7 *Improbus captat doloſis*] Taurin. alii vero, *improbis captat doloſus.*

Digitized by Google

Amnes frementes pontibus alligas:
Tu clauſtra portarum revellis,
Et peragis ſine cæde [1] bella.
Quacunque [2] juſtas, te duce, verterit
Coſſæus iras, [3] luridus anteit
Pallor, tremor, terror, pavorque
Depoſitis male fortis armis.
Tu dura Rheni pignora, & aſperos
Lari colonos, tu Ligurem levem
Et [4] Cantabrum exarmas, doceſque
Indocili juga ferre collo.
Quacunque amicos, te duce, verterit
Vultus, per agros pax nitet aurea,
Pax læta ſecuras per urbes
Fundit opes facilemque ſomnum:
Hoſtes quietis, fraus male callida
Et vis [5] faceſſunt; cana iterum Fides
Terras reviſit Veritaſque,
Juſtitiæ reducis ſorores.
O Diva, cuſtos pacis amabilis,
Bellique formidabilis arbitra,
Quæ jura fatorum ſuperba
Non metuis dominaſque Parcas:
Fac ne maligni injuria temporis
Tot veſtri amoris pignora deleat,
Aut obruat cæcæ ſepulta
Sub tenebris taciturnitatis.

IV. *Ad Franciſcum Olivarium Franciæ Cancellarium*, Εὐχαριστικόν.

SI quod ſub antro Caſtalio latet
Carmen repoſtum, quod fera robora,
Quod ſaxa ducat, fluminumque
Præcipites remoretur undas?
Nunc prome ſacri, Calliope, chori
Regina, Olivari & memora piam
Mentem Camœnarum erga alumnos,
Et memori refer ore grates:
Qui, quamquam ab alto culmine Gallicæ
Rei gubernet munia publicæ, &
A Rege permiſſas habenas
Imperio moderetur æquo,
Nec faſci iniquo ſubditus ingemit,
Nec re ſecunda turgidus intumet,
Utraque fortuna peræque
Infragiliſque animique rectus.
Interque curæ pondera publicæ
Martiſque vixdum [6] compoſitas minas,
Non negligit ceu ſe minores
Vulgi humiles tenuis querelas.
Et quanquam honoris contigit hunc gradum,
Quo celſius nil ambitio impotens
Sperare poſſit, pectoriſve
Compoſiti moderamen optet:
Olim in juventa Pieridum comes
Clarus per illas redditus, ac potens,
Agnoſcit acceptos honores,
Pieridum pater ac patronus.
Quod ſi ad Garumnæ littora Vaſconis
Abs te impetrato perſruar otio,
Liber-

1 *Bella*] Taurin. *regna.*
2 *Quacunque*] Taurin *Quocunque*: & ita etiam verſu poſt hunc octavo.
3 *Luridus*] Idem, *pallidus.*
4 *Et Cantabrum*] Idem, *Tu Cantabrum.*
5 *Faceſſunt*] Idem, *faceſſit.*
6 *Compoſitas minas*] Iſr. Taurin. *compoſiti minas.*

Liberque curis entheoque
Pieridum furiatus œſtro;
Si noſtra cultus indiga ſplendidi
Camœna, ſilvis aptior aſperis,
Aulæ reformidet nitorem
Et dociles melioris urbes,
Echo loquaci te ſcopulo latens,
Amniſque denſa cinctus arundine,
Fonteſque, Olivari, ſonabunt,
Et virides nemorum receſſus.

V. *In Polyonymum.*

LUſitanicus unus es mare ultra, & Citra Algarbicus, Indicuſque, Arabſque,
Perſicus, Guineuſque, & Africanus,
Conguſque, & Manicongus & Zalophus:
Nec tuis titulis abeſt ſuperbis
Æthiops nimio peruſtus æſtu,
Nec circum triplicem refuſus orbem
Cunctarum Oceanus parens aquarum:
Nec portus, neque merx, neque inſula ulla eſt,
Lucelli unde levis refulget aura,
Quæ te non titulo augeat. Tot ergo
Cui ſunt nomina, nonne jure Regem
Multis nominibus vocabo magnum?
Sed Rex nominibus tot ille magnus,
Si belli furor, aut mare æſtuoſum
Occludat piperariam tabernam,
Famam [1] fœnore pranſitabit emtam,
Verſuram faciet vel eſuribit.

VI. *In Leonoram.*

CUM faciem nimbo madidam, Leonora, viderem,
Et ceruſſatas arte nitere genas,
Pingere crediderам ſolum te ſcire: probavi
Ex facie doctam terque quaterque manum.
At ſimul aurato mihi fulſerat annulus ære,
Quæque nitet digitis vitrea gemma tuis;
Non animo tantum didici te fingere, verum
Certant cum vafris æmula ſigna dolis.
Fictum animum, pictamque cutem, fraudeſque latentes
Æs breve tam certis exprimit indiciis,
Ut te non melius potuiſſet pingere Apelles,
Fingere vel fuſo doctius ære Myron.

VII. *Ad Peiridem Lenam.*

LENA tibi eſt genitrix, tu matris filia pellex,
Et tua ſuſcipiet filia matris onus.
Cumque tibi fratrem prudens natura negaſſet,

In

1 *Famam fœnore*] Deeſt hic verſus in editione Taurini.

In Monachis fratrum tu quoque nomen amas.
Quam bene quod primis pater eſt tibi mortuus annis,
  Ne natæ jam plus quam pater ille foret.
Exulat extremos tibi vir depulſus ad Indos,
  Proque viro lixas diligis atque coquos.
Conſobrina ſuos tecum partitur amores,
  Et tibi criſſanti Æthiopiſſa tribas.
Neſcio quid monſtri celas, Leonora, recluſi,
  Quando tibi ſolum monſtra pudenda placent.
Impietas odiſſe ſuos eſt maxima, verum
  Impietas ſic eſt major amare ſuos.

VIII. *Ad Henricum II. Franciæ Regem de ſoluta urbis Mediomatricum obſidione.*

COELO vetuſtas intulit Herculem,
Mirata monſtris lethiferam manum:
  Flammiſque ſtellatus refulget
    Saxificæ domitor Meduſæ.
Si poſcat æquo nuda ſub arbitro
Virtus honores, impiger Hercules,
  Henrice, concedet priores
    Jure tibi volucerque Perſeus.
Nam multiformi tu numeroſius
Hydra, Meduſa peſtiferum magis
  Monſtrum repreſſiſti, impetuſque
    Prodigii retudiſti inanes.
Occaſum & Arcton jam comitem trahens,
Et arma Eoæ Carolus Auſtriæ,
  Torrentis hiberni petebat
    More furens populator urbes.
Sub Semimauro Cæſare, pro pudor!
Germana virtus ceſſerat, Italum
  Indocta libertas tyranni
    Ferre jugum tacite fremebat.
Spes inquietæ blanda cupidinis
Nutrix in orbem vota tetenderat,
  Rerumque faſtus ſomniabat
    Imperium, male certus augur.
Tu bellicoſæ dux bone Galliæ
Sperare promtam cuncta ſuperbiam
  Compeſcuiſti: tu dediſti
    Indomito laqueos furori.
Quis vultus illi? [1] qui dolor intimis
Arſit medullis? ſpiritus impotens
  Cum clauſtra ſpectaret Moſellæ
    Et juvenum intrepidam coronam.
Sic unda rupes ſævit in obvias,
Clauſus [2] caminis ignis inæſtuat,
  Hyrcana ſic tigris cruento
    Dente ſuas furit in catenas.
Sed nota Marti [3] dextra Bironii,

Mu-

1 *Qui dolor*] Iſr Taurinus, *quis dolor.*

2 *Clauſus caminis ignis*] Idem, *ignis caminis clauſus.*

3 *Dextra Bironii*] Vir genere & literis juxta ſpectabilis D. Jacobus Mackenzæus ſupremæ apud Scotos in rebus civilibus Curiæ Senator digniſſimus, hujus carminis exemplar, ad calcem Hiſtoriæ Hect. Boëthii adſcriptum, benigne mecum communicare dignatus eſt, cætera fere cum vulgatis editionibus conſentiens, præterquam quod hoc in loco, pro *dextra Bironii*, *dextra Guiſii* legatur: & ita quidem primum ſcripſiſſe crediderim Buchananum, poſtea vero *Guiſii* odio incitatum, ejus loco *Bironium* ſubſtituiſ-

ſe

Muriſque virtus impatiens tegi
Ut fulſit, & pulſi procella
Cornipedum tremuere campi;
Ceu nocte ſuetæ degeneres feræ
Vexare caulas in timidum pecus
Fortes, ad aſpectum leonem
In latebras pavidæ recurrunt:
Sic ille nuper ſpe inſatiabili
Complexus orbem, robora Galliæ
Spectare vix auſus, recurrit
Ad ſolitas male cautus artes.

IX. *Ad Juventutem Burdegalenſem.*

VASCONIS tellus, genitrix virorum
Fortium, blandi genitrix Lyæi,
Cui parens frugum favet, & relictis
Pallas Athenis.
Te licet claris decoret triumphis
Martius belli labor, & vetuſti
Nominis ſplendor, ſerieſque longum
Ducta per ævum:
Ni tamen doctas foveas Camœnas
Et bonas artes opera fideli,
Spes tuas vano ſtudio in futuros
Porrigis annos.
Non enim moles Pariæ columnæ,
Phidiæ aut vivax ebur, aut Myronis
Æra manſuræ poterunt ſacrare
Nomina famæ.
Obruet longos cita mors labores,
Obruet claros titulos opeſque;
Saxa findentur vitiata feræ
Dente ſenectæ.
Mulciber quamvis & iniqua Juno
Verterint urbem Priami ſuperbam,
Illa Smyrnæis inimica penſat
Fata Camœnis:
Nec ſuo mallet cineri ſuperſtes
Ilium Eois dare jura terris,
Qua patent [1] nigros Rhodope ab nivoſa
Uſque ſub Indos.
Sola doctorum monumenta vatum
Neſciunt fati imperium ſeveri,
Sola contemnunt Phlegethonta, & Orci
Jura [2] ſuperbi.

X. *Marco Antonio Monlucio.*

MONLUCI, armatæ regeres ut frena cohortis,
Supra annos virtus conſiliumque dedit.
Supra annos animi vis Martia perdidit auſum
Obvia fulmineo pectora ferre globo.
[3] Quem ſuper aſtantem muros prius horruit hoſtem,
Poſtea defuncti vindicis oſſa colit.

XI. *Ca-*

ſe. Cæterum, quamvis *Bironii* virtus hac in re egregie enituerit, præcipuam tamen gloriam penes *Guiſium* fuiſſe teſtatur Thuanus Hiſt. lib. XI.

1 *Nigros*] Iſr. Taur. *fuſcos.*

2 *Jura ſuperbi*] Idem, *Jura ſevera.*

3 *Quem ſuper aſtantem muros, &c.*] Fœdam hunc locum maculam inquinaſſe jam olim mihi perſuaſeram: at ea qua precipue parte lateret, quove demum pacto tolleretur, non ante quam ſchedæ prelo darentur, ulla arte deprehendere valens, coactus ſum rem pene deploratam tum intactam relinquere. Tandem vero cum hujus Monlucii genus & fortunam paullo accuratius cognoſſem, e veſtigio

XI. *Calendæ Majæ.*

SALVETE [1] ſacris deliciis ſacræ
Majæ Calendæ, lætitiæ, & mero,
Ludiſque dicatæ, jociſque,
Et teneris Charitum choreis.
Salve [2] voluptas, & nitidum decus
Anni recurrens perpetua vice,
Et flos renaſcentis juventæ
In ſenium properantis ævi.
Cum blanda veris temperies novo
Illuxit orbi, primaque ſecula
Fulſere [3] flaventi metallo
Sponte ſua ſine lege juſta:
Talis per omnes continuus [4] tenor
Annos tepenti rura Favonio
Mulcebat, & nullis feraces
Seminibus recreabat agros.
Talis beatis incubat inſulis
Felicis auræ perpetuus tepor,
Et neſciis campis ſenectæ
Difficilis, querulique morbi.
Talis ſilentum per tacitum nemus
Levi ſuſurrat murmure ſpiritus,
Lethenque juxta obliviosſam
Funereas agitat cupreſſos.
Forſan ſupremis cum Deus ignibus
Piabit orbem, lætaque ſecula
Mundo reducet, talis aura
Æthcrios animos fovebit.
Salve fugacis gloria ſeculi,
Salve ſecunda digna dies nota,
Salve vetuſtæ vitæ imago,
Et ſpecimen venientis ævi.

XII. *Alexandro Cocburno.*

INGRATIS vexata hominum Natura querelis,
Et ſterilis laſſis credita viſceribus,
Cocburnum in lucem dedit, & rude pignus alendum
Mnemoſynes natis tradidit & Sophiæ:

Sors

veſtigio loci vitium mihi indagaſſe ſum viſus. Res autem, referente nobiliſſimo ſcriptore Aug. Thuano Hiſt. lib. xvii. ita ſe habebat. M. Ant. Monlucius filius erat Blaſii Monlucii Ducis ac Mareſcalli Franciæ ſtrenuiſſimi. Is, ardente inter Philippum Hiſpanum & Paulum V. Pontificem Rom. bello, captaque a Duce Albano Oſtia anno 1556, ſtudio gloriæ provectus, cum in ſtatione eſſet, negotium in ſe ſuſcepit Oſtiæ, (quam Galli recuperare deſtinabant) ſitum foſſæque altitudinem cognoſcendi: verum loco diligenter conſiderato, dum redit, ſclopeti ictu in pectus accepto vulneratus eſt, vixque in Strozzii Ducis Galli hoſpitium illatus, & lecto impoſitus, ſatis temporis habuit antequam exſpiraret, quo vere ac plene Strozzium de re omni certiorem redderet. Ex his plane liquet [*Poſtea*] hic ab indiligente, aut rei geſtæ ignaro exſcriptore pro [*Oſtia*] ſubſtitutum: quo vocabulo ſuo demum loco reſtituto, facile ſibi conſtat totius Epigrammatis, aliter inexplicabilis, vis & ſententia. Rem vero ulterius confirmare videtur Joach. Bellaji in eundem Monlucium Epitaphium:

Littora Dardaniæ quondam ut contingere primus
Dum cupis, & primus, Proteſilae, cadis:
Sic cupidus pugnæ foſſa Monlucius hoſtem
Dum prohibet primus, primus ab hoſte cadit.
Hoſtia prima fuit Monlucius, Oſtia nempe
Haud alia poterat conditione capi.
At vos, ne hæc decimum, Galli, vos ducat in annum
Oſtia, Monluci pectora quiſque gerat.

1 *Sacris*] Iſr. Taur. *feſtis.*
2 *Voluptas*] Idem, *venuſtas.*
3 *Fulſere*] Iſr. Taurin. *Fluxere.*
4 *Tenor*] Idem, *decor.*

Digitized by Google

Sors, ubi maturis acceſſit robur ab annis,
  Addidit & dotes ambitioſa ſuas.
Sed ſibi præferri Virtutem irata, doloris
  Exegit pœnas vindice morte ſui.
Si numeres annos, cecidit florente juventa,
  Si ſtudia & mores & benefacta, ſenex.

XIII. *Ad Thomam Cromelium Anglum.*

PORTUS & afflictis ſtatio tutiſſima rebus,
  Et noſtro miſeris ſola ſub axe ſalus,
Vindice quo floret pietas rediviva parentum,
  Sanctaque cum nivea ſimplicitate fides:
Illius haud duro munuſcula ſuſcipe vultu,
  Mente tuus tota qui cupit eſſe cliens:
Qui vagus, exul, inops, terra jactatur & unda,
  Per mala quæ fallax omnia mundus habet,
Dum ferus [1] hinc ſævit veterani exercitus hoſtis,
  Dum tonat horrificas Principis aula minas,
Dum nivibus canent impervia culmina montes,
  Dum valles nimiis impediuntur aquis:
[2] Poſt mala tot feſſus velut Atthida ſtratus ad aram
  Ante tuos ſupplex offero dona pedes,
Ingenii ſterilis tenui de meſſe maniplos
  Quos dat non fallax, ſed male cultus ager.
Si placeant, librum, ſi non, amplectere mentem,
  Majus erit voto, ſi ſit utrumque, meo.

XIV. *Epi-*

1 *Hinc*] Ita Taurinus, at And. Hart, & alii omnes, *huic.*

2 *Poſt mala tot feſſus velut Atthida ſtratus ad aram*] Aram Miſericordiæ Athenis nobiliſſimam intelligit, quam luculentis verſibus deſcribit Statius Theb. XII. 481.

Urbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara Deum, mitis poſuit Clementia ſedem,
Et miſeri fecere ſacram: ſine ſupplice nunquam
Illa novo, nulla damnavit vota repulſa.
Audit quicunque rogant, noctesque dieſque
Ire datum, & ſolis numen placare querelis. &c.

Ejus etiam meminit Claudianus, Bell. Gild. 404.

——— *Si flentibus aram,*
Et proprium miſeris numen poſuiſtis Athenæ.

Indeque natum ſalſum illud Demonactis Cynici dicterium, qui cum videret Athenienſes hoc agere, ut Corinthiorum exemplo gladiatorum ſpectacula in urbem inducerent, *Ne prius*, inquit, *Athenienſes hæc decernatis, quam Miſericordiæ aram ſubvertatis.* Lucianus in ejus vita. *Atthida* autem *aram* dixit Buchananus, pro *Athenienſem* vel *Atticam*, pari modo quo Virgilius *Sicelides Muſæ* pro *Siculæ*, & *Libyſtidos urſæ* pro *Libycæ.*

Digitized by Google

XIV. *Epitaphium Nicolai Baconis Procancellarii Angliæ.*

HIC Nicolaum ne Baconem conditum
Exiſtima illum tamdiu Britannici
Regni ſecundum columen, exitium malis,
Bonis aſylum; cæca quem non extulit
Ad hunc honorem ſors, ſed æquitas, fides,
Doctrina, pietas, unica & prudentia.
Neu morte raptum crede, qui unica brevi
Vita perennes emerit duas: agit
Vitam ſecundam cœlites inter animus:
Fama implet orbem, vita quæ illi tertia eſt.
Hac [1] poſita in ara corpus animi olim domus,
Ara dicata ſempiternæ memoriæ.

XV. *Ad Henricum VIII. Angliæ Regem.*

FAMA levis (ſi certa [2] fides adhibenda poëtis)
Ex humili enaſcens paullatim aſſurgit, & alto
Vertice cæruleo ſeſe inſerit ardua cœlo.
Quippe velut tenui naſcens de fomite rivus
Per tacitas primum nullo cum murmure valles
Serpit, & ut patrii ſe ſenſim e margine fontis
Largius effudit, pluvios modo colligit imbres,
Nunc lacubus ſeſe pigriſque paludibus auget:
At poſtquam ſpatio vires accepit & undas,
Spumeus effractis prorumpit in æquora ſilvis.
Sic primo ſummiſſa metu vaga fama ſuſurrat;
Mox vulgo inſinuat ſe: poſtquam audacia crevit,
Torva oculos, vultuque minax, atque ore procaci,
Certa auget dubiis, miſcet mendacia veris.
Illa ſed in cunctos nimium Dea prodiga, facti
Infectique loquax, in te tamen invida laudis,
Parca fui, ſtudioque animi deprenſa maligno eſt.
Nam licet ingenti præconia fuderit ore,
Speque tui adventus animos implerit & aures,
Laudibus inferior tanto eſt virtute tuique
Dotibus ingenii, quanto ſe attollere vero

Altius

1 *Poſita*] Mallem *poſitum*.

2 *Fides adhibenda Poëtis*] *Adhibere fidem* hoc ſenſu a nullo purioris Latinitatis auctore dici ſupra annotavimus ad Epig. xv. v. 2. Cæterum Buchanano ob oculos fuiſſe videtur illud Auſonii Epiſt. x.
Si qua fides falſis unquam eſt adhibenda poëtis.
Rectius tamen *addenda* dixiſſet, ad exemplum Ovidii Met. xv. 361.
Si qua fides rebus tamen eſt addenda probatis.
Quamquam & ibi in nonnullis membranis *adhibenda* repererit Cl. Nic. Heinſius.

Altius & vano ſolita eſt ſplendeſcere fuco.
Illa quidem haud falſo mentis celebravit acumen,
Ingeniumque capax, & primis ſemper ab annis
Pectora Cecropiæ ſtudiis addicta Minervæ:
Nec tacuit recti memorem, ſanctæque tenacem
Juſtitiæ mentem, miſeriſque in rebus egenis
Præſidium, pœnamque malis, nulloque favore
Ancipites inter corda inclinantia lites.
Magna (nec inficior) ſunt hæc, ſed ſumma tuarum
Non ibi conſiſtit laudum nec terminus hæret.
Scilicet in tanto ſortis ſplendore ſecundæ
Noſſe modum, quantoque ſupra virtutibus omnes
Omnibus emineas, [1] tanto ſubmiſſius æquo
Te gerere in cunctis, tetrico nec honore ſeverum,
Nec fracta gravitate levem, non ore ſuperbum,
Non triſtem aſpectu, vultuſque horrore minacem;
Sed comem, placidumque bonis, placabilis iræ,
Quique magiſtratus largiſſima frena remittas
Sponte tua, ſalva quoad majeſtate liceret.
Hæc tua te virtus Diis immortalibus æquum
Efficit, atque hominum ſupra faſtigia tollit.

XVI. *Mutuus Amor.*

ARMATA [2] telis dexteram,
Lævam veneno ſæviat
Mors: cuncta tempus demetat
Falce, aut ſenecta deterat:
  Non mortis hoc propinquitas,
Non temporis longinquitas
Solvet, fides [3] quod nexuit
Intaminata vinculum.
  Mors & ſenectus obruit
Cum Scipione Lælium,
[4] Canam fidem non obruit,
Non pectorum conſtantiam.
  Durabit uſque poſteris
Intaminata ſeculis
Sincera quæ Britannidas
Nectit fides Heroidas.
  Rerum ſupremus terminus
Ut aſtra terris miſceat,
Regina Scota diliget
Anglam, Angla Scotam diliget.

XVII. *In*

1 *Tanto ſubmiſſius æquo*] Ita Hart. Cairns & Elzev. 1621. pro quo reliqui omnes *æquum*, inepte, mea ſententia, repoſuerunt.

2 *Armata telis*] Vide quæ nos ſupra ad Miſc. II.

3 *Quod nexuit Intaminata vinculum*] MS. in Bibl. Cotton. *quod vinculum Intaminata nexuit.*

4 *Canam fidem non obruit*] Prædict. MS. & rectius, opinor, *obruet,*

Digitized by Google

XVII. *In Leonoram.*

SICCINE de noſtra nunquam egrediere culina,
  Pinguibus & fies ſemper amica coquis?
Utque coquum coquus expellit, fit protinus hæres
  Succeſſorque tuo fit nova præda toro.
Jamque etiam heſternas deglubere cœptat ofellas,
  Creſcit & in mores filia parva tuos:
Lingit & algentes concreto jure patellas,
  Nudaque jejunæ præripit oſſa cani.
Sic tener, & firmis nondum ſatis unguibus urſus
  Magnanimo lambit vulnera facta patri.
Munus obire poteſt, Leonora, decentius iſtud
  Longæva ſenior cana parens Hecuba,
Efferat annoſos rabies cui ſpumea rictus,
  Et latrat, patulo dum cupit ore loqui:
Et ſtipis exiguæ ſi ſpes acceſſit, [1] adulat,
  Nec quicquam in dura fronte pudoris habet.
Illa analecta legat, dentes illi oſſa fatigent:
  Cum canibus certet de dape pene canis.
Tu juvenum potius validis obnitere nervis,
  Et facie atque annis concipe digna tuis.
Filia parva aviam ſpectet matremque, & utrinque
  Spem capiat vitæ conſiliumque ſuæ.

XVIII. *Ad Eandem.*

VIVE male, Monachique tui, lixæque, coquique,
  Mater edax, illex filia, nigra tribas.
Ne tamen interea veſtri immemor arguar eſſe,
  Vos penes hoc noſtri pignus amoris erit.

XIX. *In Leonoram.*

MENDICIS ætas Monachis tibi prima dicata eſt,
  Jam tibi maturæ ſola culina placet.
Divinare licet, ſed non libet, & pudet, ævo
  Excipies quales deteriore viros.

XX. *In*

1 *Adulat*) Ita Lucretius & Cicero loquuntur: longe tamen frequentius *adulari* quam *adulare* alii uſurpant.

Digitized by Google

XX. *In Neæram.*

CUM pulchram roſeus dies Neæram
Oſtendit mihi, ſic miſer furore
Inquietus agor, trahor, peruror,
Ut rurſus tacitas amem tenebras,
Ceu mali medicina ſint tenebræ.
At cum nox tenebris opaca cæcis
Jam ſolis jubar aureum fugavit,
Et ſolis jubare aureo refulgens
Jubar ſplendidiuſque, puriuſque,
Formoſam mihi ſuſtulit Neæram,
Jam rurſus tenebras malas peroſus,
Pulchram cernere quæ negant Neæram,
Noctem deprecor, & diem repoſco,
Quæ pulchram mihi referat Neæram,
Ceu mali mihi cauſſa ſint tenebræ.
Quis vitæ manet ordo me moduſque?
Cui vota ut tribuant Dei faventes,
Cum votis neque Dii dabunt faventes,
Ne miſerrimus eſſe perſeverem.
Hoc Venus probat, & probat Cupido
Diis votiſque potentior ſecundis.

XXI. *In Julium II. Pontificem.*

GENUA cui patrem, genitricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit, num bonus eſſe potes?
Fallaces Ligures, & mendax Græcia, ponto
Nulla fides. In te ſingula ſolus habes.

XXII. *De Nicotiana falſo nomine Medicæa appellata.*

DOCTUS ab Heſperiis rediens Nicotius oris,
Nicotianam rettulit,
Nempe ſalutiferam cunctis languoribus herbam,
Prodeſſe cupidus patriæ.
At Medice Catharina, κάθαρμα luesque ſuorum,
Medea ſeculi ſui,
Ambitione ardens, Medicææ nomine plantam
Nicotianam adulterat:
Utque bonis cives prius exuit, exuere herbæ
Honore vult Nicotium.
At vos auxilium membris qui quæritis ægris,
Abominandi nominis
A planta cohibete manus, [1] os claudite, & aures
A peſte tetra occludite:

Nectar

[1] *Os claudite, & aures A peſte tetra occludite.*] Quis Nicotianam auribus obeſſe aut prodeſſe unquam prodiderit? Quocirca meo periculo reſcribe, *Os claudite, nares A. p. t. o.*

Nectar enim virus fiet, Panacea venenum,
Medicæa ſi vocabitur.

XXIII. *Ad Carolum Coſſæum Brixiaci Dynaſtam, poſt captas Vercellas.*

QUIS me nivoſos Alpium trans [1] vertices
Curru volucri deferet?
Quis nube ſeptum me remotis Pegaſus
Siſtet jugis OEnotriæ?
Non ut parentum laude Romam, vel ſua
Virtute Venetum nobilem,
Fratriſve [2] flammis & ſororum lacrymis
Padum calentem conſpicer:
Sed te, beatæ lux beata Galliæ
Coſſæe, propius ut colam,
Te mirer Italûm, te Pelaſgûm gloriam,
Splendore fuſcantem novo:
Ceu Sol Dianam, ceu Diana cæteras
Obſcurat aſtrorum faces.
Nec pectus hac mi perculit cupidine
Florentis ævi gloria:
[3] Seu pertinacem cum Batavum impelleres,
Sæva tremendus cuſpide,
Qualis columbas ſpargit imbelles fuga
Ales miniſter fulminis:
Seu [4] cum decoro ſqualidum te pulvere
Mirata quondam eſt Ruſcino,
Solum feroces bellicoſæ Iberiæ
Parma morantem exercitus;
Tunc cum tuorum fida caſtrorum comes
Attonita Virtus par novum
Spectavit, hinc virum, inde bellum, & horruit
Quod fecerat ſpectaculum.
Vercella pectus una ſollicitat meum,
Vercella ſola macerat,
Vercella victa, Galliis, dum vincitur,
Felicior victricibus:
Virtute tanta cominus cui perfrui
Indulſit aſtrorum favor,
Inuſitato quam theatrum cœlites
Elegerint ſpectaculo:
Cum, te chorago, pace cum placida feram
Mars copulavit dexteram:
Bellona mitis frena legum pertulit,
Innoxioque fœdere
Vis æquitati juncta, jus licentiæ
Secura preſſit compita,
Salvoque recti & improbi diſcrimine
Caſtris forum ſe miſcuit.
Quem nuper inter arma foſſarum moræ,
Celſæque pinnarum minæ,
Tot ſtricta tela, plumbeæque grandinis
Procella non exterruit,
Idem, urbe capta, fronte non triſti ferox,
Non impotens victoria,
Non ira & odio ſævus implacabili,
Non efferatus cædibus,
Perambulavit liberas metu vias,
Ceu pace feſta, exercitus.

Non

[1] *Vertices*] Ita Taurinus, alii omnes *vortices.*

[2] *Fratriſve*] Ita Taur. alii vero *Fratriſque.*

[3] *Seu pertinacem*] Ita Hart. alii omnes *Ceu*, & plerique *interpellares* pro *impelleres.*

[4] *Seu*] Ita Taur. alii omnes, *Sed.*

Digitized by Google

Non inſolentis militis formidine
Matrona cultus exuit:
Non officina clauſa merces abdidit,
Non hoſpes aurum credidit
Solo refoſſo. Non pudori filiæ
Parens, maritus conjugi
Vim expavit ullam. Subitus oppreſſæ ſonus
Urbis, turbarum & cornuum
Clangor, virorum clamor, armorum fragor,
Vulgi inſidebant auribus.
Cædes ob oculos, & fuga, & ferrum madens
Cruore nondum frigido.
Volvebat animus quid facere victor, pati
Victus ſoleret: tot tamen
Inter timores vim timere, te duce,
Nemo ſibi permiſerat.
Cum tu tot animos militum, tot enſium
Sic temperares impetum:
Ceu verſat animus corpus unum, & corpore
Enata ab uno brachia.
Natura genitrix tam novam [1] diſcordium
Rerum videns concordiam,
Leges ſtupebat non minus vinci ſuas,
Quam vatis olim Thracii
Ad carmen amnes ſtare, ſilvas currere,
Cervo leonem, ovi lupum
Mitem accubare, & acribus lepuſculum
Latus Moloſſis jungere.
Ego [2] hunc triumphum, hac te decorum gloria,
Coſſæe, [3] malim cernere,
Quam ſpolia regum, dirutarumque urbium
Gazæque pompam barbaræ,
Victæque turbæ fletibus plaudentium
Contaminatum gaudium.
Sed quando tanto diſſitis cœlo & ſolo
Sors invida id præcluſerit,
Te proſequemur mente grata, qua licet
Et vota nuncupabimus;
Hauſtuſque dulcis Liberi libabimus
Heroas inter ſoſpites;
Canetque victor pariter & victus tuum
Hic robur, hic clementiam.

XXIV. *Joannis Calvini Epicedium.*

SI quis erit nullos ſupereſſe a funere manes
Qui putet, aut ſi forte putet, ſic vivit, ut Orcum
[4] Speret, & æternas Stygio ſub gurgite pœnas,
Is merito ſua fata fleat, ſua funera ploret
Vivus, & ad caros luctum tranſmittat amicos.
At nos, invitis quanquam ſis raptus amicis
Ante diem, magnis quamvis inviderit auſis
Mors, te flere nefas, Calvine, & funera vanæ

Ludi-

1 *Diſcordium*] Libri omnes, *diſcordiam*, nullo fere ſenſu.
2 *Ego*] Taurinus, *Ergo*.
3 *Malim*] Ita Taur. alii omnes, *mallui*, metro repugnante.
4 *Speret*] Forte *Spernat*.

Ludibrio pompæ, & miſeris onerare querelis.
Liber enim curis, terrenæ & pondere molis,
Aſtra tenes, propiuſque Deo, quem mente colebas,
Nunc frueris, puroque vides in lumine purum
Lumen, & infuſi ſatiatus Numinis [1] hauſtum
Exigis æternam ſine ſollicitudine vitam:
Quam neque dejiciunt luctus, nec tollit inani
Ebria lætitia ſpes, exanimantve timores,
Quæque animo offundit morbi contagia corpus.
Hanc ego quæ curis te lux exemit acerbis
Natalem jure appellem, qua raptus in aſtra
In patriam remeas, & poſt faſtidia duri
Exilii, mortis jam mens ſecura ſecundæ,
Fortunæ imperio major, primordia longæ
Ingreditur vitæ. Nam ceu per corporis artus
Quum ſubiit animus, pigræ vegetatque movetque
Molis onus, funditque agilem per membra vigorem;
Quum fugit, exanimum jacet immotumque cadaver,
Nec quicquam eſt luteæ niſi putris fabrica maſſæ:
Sic animi Deus eſt animus, quo ſi caret, atris
Obruitur tenebris, ſpecieque illuſus inani
Fallaces rectique bonique amplectitur umbras.
Aſt ubi divini concepit Numinis hauſtum,
Diffugiunt tenebræ, ſimulacraque vana faceſſunt,
Nudaque ſe veri facies in luce videndam
Exhibet æterna, quam nullo veſpere claudit
Septa caput furvis nox importuna tenebris.
Hunc ergo in portum cœlo plaudente receptus
Tu licet in placida tranquillus pace quieſcas,
Non tamen omnino potuit mors invida totum
Tollere Calvinum terris; æterna manebunt
Ingenii monumenta tui: & livoris iniqui
Languida paullatim cum flamma reſederit, omnes,
Relligio qua pura nitet, ſe fundet in oras
Fama tui. Ut nuper falſo te nomine Clemens,
Te Pauli duo, flagitiis & fraude gemelli,
Te Julî timuit rabies, te nobilis una
Fraterna impietate Pius: ſic nominis umbram
Ingeniique tui effigiem poſt fata timebit
Vana ſuperſtitio: quique olim in ſede Quirini
Triſte furens, flammaque minax ferroque tyrannus

Tranſtu-

1 *Hauſtum*] Legendum potius videtur, *hauſtu*. [Et cur non Græciſmus ſit, qui familiaris noſtro?]

Tranſtulit inferni cuncta in ſe [1] munia regni,
Imperio Pluto, fœdis Harpyia rapinis,
Eumenis igne, Charon naulo, triplicique corona
Cerberus, immiſſi ſtupefactus lumine veri,
Terrificoque tuæ dejectus fulmine linguæ,
Transferet infernas in ſe poſt funera pœnas:
Inter aquas ſitiens, referens revolubile ſaxum,
Vulturibus jecur exeſus, cava dolia lymphis
Fruſtra implens, Ixioneum diſtentus in orbem.

XXV. *Joanni Areskino, Comiti Marriæ, Scotorum Proregi.*

SI quis Areskinum memoret per bella ferocem,
  Pace gravem nulli, tempore utroque pium;
Si quis opes ſine faſtu, animum ſine fraude, carentem
  Rebus in ambiguis ſuſpicione fidem;
Si quod ob has dotes ſævis jactata procellis
  Fugit in illius patria feſſa ſinum;
Vera quidem memoret, ſed non & propria: laudes
  Qui pariter petet has unus & alter erit.
Illud ei proprium eſt, longo quod in ordine vitæ
  Nil odium aut livor quod reprehendat habet.

XXVI. *Matthæo Stuarto, Leviniæ Comiti, Scotorum Proregi.*

REGIS avus, Regis pater, alto e ſanguine Regum
  Imperio quorum terra Britanna ſubeſt,
Matthæus: genuit Levinia, Gallia fovit,
  Pulſo Anglus thalamum, remque decuſque dedit.
Cœpi invicta manu: famam virtute refelli,
  Arma armis vici, conſilioque dolos.
Gratus in ingratos, patriam juſteque pieque
  Cum regerem, hoſtili perfidia cecidi.
Care nepos, ſpes una domus, meliore ſenectam
  Attingas fato, cætera dignus avo.

XXVII. *Annæ Valſingamiæ Thomæ Randolphi uxori.*

ANNA [2] hic Randolphi jaceo cum prole ſepulta:
  Et genitrix, uno & mortua & orba die.
Et genus & facies populo ſunt nota: ſed uni
  Sat mihi ſit mores complacuiſſe viro:

Quos

1 *Munia*] Libri omnes habent *mania*, nullo, ut mihi videtur, ſenſu.

2 *Anna hic Randolphi*] Omnibus libris *Rodolphi*, perperam, vel ipſo titulo indicante, legitur.

Quos gemitu probat, & lacrymis, curaque fideli;
Nec patitur famam me moriente mori.

XXVIII. *Ad Camillam Morelliam.*

CAMILLA, multo me mihi carior,
Aut ſi quid ipſo eſt me mihi carius,
Camilla, doctorum parentum
Et patriæ decus & voluptas:
Ni Gratiæ te plus oculis ament,
Ni te Camœnæ plus oculis ament,
Nec Gratias gratas, nec ipſas
Eſſe rear lepidas Camœnas:
Quæ virgo nondum nubilis, artibus
Doctis Minervam, pectine Apollinem,
Cantu Camœnas, & lepore
Vel ſuperes Charites, vel æques.
Hos ferre fructus, Utenhovi, decet
Laurum, vireto quæ teneram comam
Nutrivit, & ramos refudit,
Caſtalio ſaturata rore.

XXIX. *In Ruſticum.*

RUSTICUS hem cunctos cum congeminaret ad ictus,
Hiberno properans findere ligna foco:
Syllaba quid toties juvet hem geminata, laborem,
Quærenti uxori, rettulit ille, juvat;
Nempe ſimul toto contentis corpore nervis
In rimam cuneum fortius ictus agit.
Illa memor Veneris media inter gaudia, telum
Ut penetret magis, hem congeminare jubet.
Nil opus eſt, inquit, nunc hoc conamine, conjux,
Findere te ſane nolo, forare volo.

XXX. *E Græco Simonidis.*

HOMO cum ſis, nihil aſſere ſtabile;
Nec ubi videris hominem, certa
Spatia ætatis promitte: etenim
Muſcæ volucris res in morem
Inconſtantia rotat humanas.

XXXI. *Ex Eodem.*

UT arma fugias, fata non fugies tamen.

XXXII. *Ex Eodem.*

DE luce caſſis cor memoriam non ſupra
Unum tenebit, ſi cor habeamus, diem.

XXXIII. *Ad Henricum Scotorum Regem.*

CALTHA ſuos nuſquam vultus a ſole reflectit,
  Illo oriente patens, illo abeunte latens:
Nos quoque pendemus de te, ſol noſter, ad omnes
  Expoſiti rerum te ſubeunte vices.

XXXIV. *Ad Carolum Utenhovium.*

MORTE carent ſuperi: ſuperis par cætera diva eſt,
  Saxonidas juſto quæ regit imperio.
At morte ut careat mortali ſtirpe creata,
  Non dare Lyſippus Praxitelesve poteſt:
Muſa poteſt fati domitrix, quæ pectora vatum
  Enthea fatidico [1] plena furore quatit.
Te manet, Utenhovi, decus hoc, decus hoc manet illam,
  Ut celebris numeris fiat uterque tuis:
Solus enim vates es tali Heroide dignus,
  Hæc ſola ingenio eſt area digna tuo.

XXXV. *Ad Salutem in nuptiis Reginæ.*

ALMA Salus, reduci tibi [2] Nymphæ hæc vota dedere
  Quattuor, ut dominæ conciliere ſuæ,
Ejus & æternam ſtatuas in pectore ſedem:
  Non alia poteris ſanctius æde coli.

XXXVI. *Hymnus in Chriſti aſcenſionem.*

IO triumphe, Eccleſia,
Jam victor hoſtium tuus
Dux templa ſcandit ætheris,
Adverſa patri vulnera
It & coronam oſtendere,
Qualis redit de prælio
Tabo decoro ſordidus.
Demiſſa nubes ſe explicat
Sub Imperatoris pedes:
Recluſa cœli janua
Invitat omnem exercitum:
Vox Angelorum cantibus
Venire Regem nunciat:
Æther niteſcit gaudio,
Timore pallent Tartara,
Mundus ſtupet ſpectaculo
Suſpenſus ante incognito:
Mors victa flet, ſpes præmii
Levat labores militum.
Cum Patre Proles unica,
Et ex utroque Spiritus,
Adeſte ſic pugnantibus,
Ut ſint triumphi compotes.

XXXVII. *E*

1 *Plena furore*] Baſil. *Muſa furore quatit*,
2 *Nymphæ hæc vota dedere Quattuor*] *Nymphas hic vocat quatuor Mariæ* Scotæ corporis miniſtras, quæ etiam omnes *Mariæ* nominabantur.

XXXVII. *E Græco Stobæi de brevitate vitæ.*

REBUS in humanis nulla eſt conſtantia certa:
  Veridico vates Chius ut ore canit.
Non minus eſt foliis hominum gens fluxa caducis:
  Pauci ubi ceperunt auribus iſta ſuis
Pectoribus fixere: animis namque indita quondam
  Spes teneris blande credula corda fovet.
Et dum læta viret jucundo flore juventa,
  Percurſant animos irrita multa leves:
Nec ſenium mortemve pavet: neque corpore ſano
  Provida venturi cura doloris adeſt.
O male ſtultorum mens credula, qui brevis ævi
  Tempora non norint quam fugitiva volent!
At tu præmonitus nigræ ad confinia mortis
  Lætus age, & genio gratificare tuo.

[1] XXXVIII. *Apud Clementem Alexandrinum, Strom. lib. 6.*

MULIERE nulla res viro præſtantior
  Bona evenire, nil mala pejus poteſt.

1 Hoc Epigramma in ſola Editione Baſileenſi reperitur.

GEORGII BUCHANANI SCOTI

* DE SPHÆRA

LIBER I.

QUAM variæ mundi partes, quo ſemina rerum
Fœdere conveniant diſcordia, lucis & umbræ
Tempora quis motus regat, æſtum frigore mutet,

Obſcu-

* Monendus eſt in anteceſſum lector, hos de Sphæra libros (in noſtra hac Editione) prius typis excuſos fuiſſe, quam optimi MS. Adami Regii & Editionis Genevenſis anno 1584, nobis facta eſſet copia.

Digitized by Google

Obſcuret Solis vultum Lunæque tenebris,
Pandere fert animus. Tu qui fulgentia puro
Lumine templa habitas, oculis impervia noſtris,
Rerum ſancte parens, audacibus annue cœptis:
Dum late in populos ferimus tua facta, polique
Immenſum reſeramus opus: gens neſcia veri
Ut reſidem longaque animum caligine merſum.
Attollat cœlo, &, flammantia mœnia mundi
Dum ſtupet, & vicibus remeantia tempora certis,
Auctorem agnoſcat, tantam qui robore molem
Fulciat, æternis legum moderetur habenis,
Conſilio [1] innumeroſque bonus conformet ad uſus.
Tu mihi, Timoleon, magni ſpes maxima patris,
Nec patriæ minor, Aonii novus incola montis,
Adde gradum comes, [2] & teneris aſſueſce ſub annis.
Caſtalidum nemora & ſacros accedere fontes,
Nympharumque choros, populoque ignota profano
Otia, [3] nec damno nec [4] avaræ obnoxia curæ.
Tempus erit, cum tu, veniat modo robur ab annis,
Spumantes verſabis equos in pulvere belli
Torvus, & in patriam [5] aſſurges non degener haſtam.
Interea genitor Ligurum [6] ſine fulminet arces,
Germanoſque feros, & amantes Martis Iberos
Conſiliis armiſque premat, [7] Franciſque tropæis
[8] Littora Phœbeas decoret teſtantia flammas.
Hoc quodcunque vides circumque infraque ſupraque
Volvere perpetuo labentia ſecula motu,
Omnia complexum gremio, longæva vetuſtas
Admirata decus varium, pictique nitorem
Ætheris, & puros radiati luminis orbes,
Uno appellari [9] conſenſit nomine mundum.
Et [10] quanquam moles omni ſibi parte cohærens
Una ſit, & nexis per mutua vincula membris

Con-

1 *Innumeroſque bonus*] Editio Edinburgenſis And. Hart, *noſtroſque bonus.*

2 *Et teneris aſſueſce ſub annis Caſtalidum nemora*] Deſunt hæc duo hemiſtichia in Editt. anni 1594. & Commelini.

3 *Nec damno*] MS. & Hart: *nec damnis.*

4 *Avaræ*] Gen. 1584, *amaræ.*

5 *Aſſurges*] MS. *aſſurgens.*

6 *Sine fulminet*] Ita MS. Gen. 1584. & And Hart: alii omnes *ſeu fulminet.*

7 *Franciſque*] And. Hart. alii omnes, *Francisve.*

8 *Littora Phœbeas*] MS. *Littora Phœbeos d. t. luctus.* Eridani ripas intelligit Phaëthontis caſu Poëtarum fabulis nobilitatas.

9 *Conſenſit*] Commelin. & Editio anni 1594, *conſentit.*

10 *Et quanquam*] Eædem Editt. *At quanquam.*

Digitized by Google

Conſpiret, poſitaſque ſemel rectore ſub uno
Obſervet leges; non eſt tamen omnibus unum
Partibus ingenium, non vis nativa: ſed orbes
Aſtriferi, & nitidi ſublimis regia cœli,
Immunis ſenii, & vultu immutabilis uno
Perpetuum ſervat ſolida & ſincera tenorem.
At quicquid gremio Lunæ complectitur orbis,
Permutat variatque vices, trepidoque tumultu
Æſtuat, & nunquam ſentit pars ulla quietem:
Sed [1] ruit in ſeſe, & civili vulnere ſemper
Aut cadit, aut perimit, alioque renaſcitur ore,
Rurſus ut intereat. Nam pars hæc infima mundi
Quattuor includit genitalia corpora: terram,
Et tenues undas, quique undis altior aër
Incubat, & volucrem campos ſuper aëris ignem.
Hæc ſua vel levitas, vel denſæ pondera molis,
Diſpoſuere locis: quoniam denſiſſima quæque
In maſſam coiëre, ſuoque impulſa deorſum
Pondere, telluris medium glomerantur in orbem.
Quem circum amplexus fudit ſe mobilis humor,
Pulvereumque globum terræ, ſiccoſque fluentem
In cineres vinxit: ſuper hunc ſe rarior aër
Explicuit, ſurſumque leves oneroſior ignes
Expulit, ut puri teneant confinia cœli.
[2] Hæc ita contigu's inter ſe finibus hærent,
Orbis ut exterior complexibus interiorem
Ambiat, & toto circum ſe corpore fundat:
Aëra ſic ignis, ſic undam amplectitur aër:
Sic levis unda gravem premeret ſub gurgite terram
Perpetuo, niſi cura Dei ſe attollere montes
Juſſiſſet, valleſque premi, terramque cavernis
Hiſcere, & ingentes humori aperire lacunas,
Et maris irati ſepſiſſet molibus [3] oras.
Scilicet humano generi pater optimus olim
Proſpiciens, certis compreſſit finibus undas,
Et terræ faciem cœlo patefecit apertam:
Unde animal cœleſte genus, [4] terræque colonus

Reſpi-

1 *Sed ruit*] Eædem Editt. *Nam ruit*.

2 *Hæc ita contiguis*]. Gen. *continuis*. [Ita in antiquis Poëtis librarii has voces inter ſe permutare ſoliti fuere. vide ad Ovid. IV. Metam. 57.]

3 *Oras*] Comm. & Edit. anni 1594 *iras*.

4 *Terræque colonus*] MS. Pincier. & Hart. *colonum*. Ovid. quidem *colona* dixit; nuſquam vero invenio *colonum* neut. Vocem quidem adjective uſurpat Cicero, ut *ager colonus*, at paſſivo ſignificatu, pro *agro in quem colonia eſt deducta*.

Reſpiceret patrii flammantia mœnia cœli,
Et, quanquam membris terrena mole gravatis,
Qua licet [1] infernæ fugiens contagia labis,
Mens erecta polum levibus [2] ſuperevolet alis.
Ergo ita præſcriptos elementa coërcita fines
Cætera conſervant: ſed tellus corpus in unum
Cum liquidis [3] coït ipſa undis, ceduntque viciſſim
Amplexuque fovent ſeſe, alterniſque fruuntur
Hoſpitiis, mixtæque unum coguntur in orbem:
Orbis enim ſpeciem gravitas ſua fecit utrique.
Nam quibus eſt pondus, proclivia corpora, mundi
In medium ſe ſponte ferunt: ſic humor [4] aquai
Ima petit, ſic ſaxa jugis [5] avulſa trahuntur
Silvarum cum ſtrage: omnes ſic undique partes,
Qua vis nulla vetat, medium nituntur in orbem.
Inde rotundari libratis undique maſſam
Ponderibus ratio [6] pervincit: ſin tibi ſenſus
Certior eſſe animo judex videatur, id ipſum
Non tibi difficile eſt certis cognoſcere ſignis.
Nam ſi [7] plana foret facies telluris ab Indo
Littore ad Herculeam Calpen, cum Phœbus Eoo
Cardine depromit radiatæ ſpicula flammæ,
Non citius Gangem, quam Gades tela diei
Lucida percuterent, & cum Sol condit Ibero
Æquore flammam, una cunctis mortalibus hora
Obſita nox tenebris fuſcas offunderet alas.
At nunc paullatim tenebris Aurora fugatis
Exſerit Oceano placidum caput: aurea cum fax
Evocat æſtiferos ſtratis e mollibus Indos,
Humida nox riguos per noſtra cubilia ſomnos
Fundit adhuc: Indos ubi nox involverit umbra,
Clara per Heſperios fundunt ſe lumina colles.
Nempe quod in modicum tellus erecta tumorem
Tardius his, illis citius [8] vaga lumina terris
Dividat, & clivo radios frangente ſupino
Occidat his, illis ſurgat Sol, paſſibus æquis
Quem fugit, & ſequitur cæcis nox atra tenebris.

Nec

1 *Infernæ*] MS. *innatæ*.

2 *Superevolet*] Commelin. & editio anni 1594, *ſupervolat*.

3 *Coït ipſa undis*] Edinb. And. Hart, *coïit undis*.

4 *Aquai*] Ita And. Hart: alii vero omnes, *aquarum*.

5 *Avulſa*] Commel. & Editio anni 1594, *evulſa*.

6 *Pervincit*] Ita And. Hart, alii omnes, *convincit*.

7 *Plana*] [Ita correximus: nam in editione nova erat *plena*.]

8 *Vaga lumina*] MS. & Gen. *ſua lumina*.

Digitized by Google

Nec minus id Lunæ poterunt monſtrare labores,
Cum procul a fratris radiis [1] ferrugine vultus
Induit oppoſitæ in medio telluris ab umbra:
Nam tenebris primis nobis cum Luna laborat,
Poſt mediam Perſes æra auxiliaria noctem
Perſonat, & magicos vetat exaudire ſuſurros.
Quid? quod ubi Lunæ pars altera lumine caſſa eſt,
Altera fraternis fulget pars æmula flammis,
Qua rubor infecit tenuem falcatur in arcum.
Corporis obſcuri nam mobilis umbra figuram
Exprimit, unde fluit: redduntque [2] trigona trigonam,
Quadratam faciem quadrata, rotunda rotundam.
Ergo orbis cum ſit tellus, coëuntia Solis
Lumina clivoſæ circum latera ardua terræ
Undique conſtringunt umbram, clauſamque rotundant.
Nam ſi plana foret facies telluris ab omni
Parte ſui, nunquam [3] tenebreſcens cornua Phœbe
Fingeret, aut faciem vaga ſumeret umbra rotundam.
Quin & Parrhaſia tellus declivis ab Arcto eſt
Uſque Noti algentem qua ſeſe exporrigit ortum.
Nam quo quiſque magis tepidos declinat ad Auſtros,
Hoc humilis Cynoſura magis ſe deprimit; at quo
In Boream properas magis, hoc ſeſe Parrhaſis urſa
Altius attollit: ſimilique tenore deinceps,
Quantum terra tumens dorſo conſurgit iniquo,
Tantum ſe nobis aperitque & [4] condit [5] Olympus.
Nec te commoveat, quod in altos edita montes
Pars [6] terræ aſſurgat quædam, depreſſa profundis
Vallibus hæc ſidat penitus, campoſque jacentes
Explicet, humanos dum ſe conformat ad uſus.
Iſta quidem noſtris diſcrimina magna videntur
Eſſe oculis, terramque negant plane eſſe rotundam.
Sin conferre ſolum juvet ad radiantia mundi
Mœnia, & immenſam, quæ continet omnia, molem:
Ille tumor terræ, quem nos miramur, inanis
Vaneſcit, [7] nullumque facit penitus momentum.

Non

1 *Ferrugine*] MS. & Gen. *caligine.*

2 *Trigona trigonam*] MS. & Gen. *trigona trigonas, Quadratas umbras quadrata, rotunda rotundas.*

3 *Tenebreſcens cornua Phœbe*] [Verbum veteribus ignotum, nec auctoritatem niſi a patribus eccleſiæ habens, ſed Poetis non uſurpandum.]

4 *Condit Olympus*] *Olympi* MS.

5 *Olympus.*] Ita Commel. & Edit. 1594, alii vero *Olympi.*

6 *Pars terræ*] And. Hart, *Pars mundi.*

7 *Nullùmque facit*] MS. & Gen. *nullum efficiens penitus.*

Non ſecus ac vitreum ſi muſca perambulet orbem,
Qui nobis penitus lævis videatur, & omni
Aſperitate carens, ſentit tamen illa tumorem,
Parvaque inæquali figit veſtigia clivo,
Non aliter fixura niſi ſulcata dehiſcat
Hîc rimis, [1] illic tumulis ſibi machina diſpar.
Nec minus in faciem ſe colligit unda rotundam
Pondere preſſa ſuo, qua per declivia terræ
Ire licet: certis potes id [2] cognoſcere ſignis.
Nam velut in terris, ſic & ſulcantibus æquor
Nunc polus aſſurgit, nunc ſe declinat, & undas
Pene ſubit, ponto in cumulum creſcente rotundum.
Aſpice cum plenis a littore concita velis
[3] Puppis abit, ſenſim ſe ſubducente carina,
Linteaque & ſummo apparent carcheſia malo.
[4] Nec minus e navi terram ſpectantibus unda
In medio aſſurgens, cum littus condidit, alta
E ſpecula mali (quamvis ea longius abſit
Quam laterum crates, & [5] pinea texta carinæ)
Littora tota patent. Quid? quod penetrabilis undæ
Corpus [6] ὁμοιομερὲς cum ſit, pars quæque minuta,
[7] Quantulacunque [8] tamen, magno cum corpore formam,
Nomen & ingenium ex æquo communicat: ignis
Non minus eſt [9] tepida latitans ſcintilla favilla,
Laomedontæas quam qui dejecerat arces;
Nec quicquam proprium eſt huic, quod non vindicet æquo
Jure ſibi exiguæ populatrix flamma lucernæ.
Nec laticis nomen ſibi verius æquoris unda
Vindicat, æſtiva quam ros glomeratus in herba.
Ergo velut tenui ſe ros argenteus orbe
Lubricat, & nitidis depingit gramina gemmis,
Et quæ de madidis dependet ſtiria tectis:
Sic late effuſus ponti remeabilis humor
In cumulum aſſurgit, formamque affectat eandem.
Sed quid ego hæc longis rationum ambagibus uſque
Proſequor, & claris conor lucem addere rebus?

Cum

1 *Illic tumulis*] MS. *tumulis illic.*
2 *Cognoſcere*] MS. *deprendere.*
3 *Puppis abit*] MS. *claſſis abit.*
4 *Nec minus*] MS. & Pincier. in marg. *Quin etiam terram e navi ſ. u.*
5 *Pinea texta*] Ita And. Hart; alii omnes, *tecta.*
6 *ὁμοιομερὲς*] Edit. Joan. Pincieri, Herbornæ 1587. Commel. & 1594, *ὁμοιογενὲς.*
7 *Quantulacunque*] Edinb. And. Hart. *Quantumcunque.*
8 *Quantulacunque tamen*] MS. & Gen. *Quantumcunque etiam.*
9 *Tepida latitans*] MS. *parva latitans.*

Cum neque qui fuſcos calidus vapor inficit Indos
Obſtet avaritiæ, nec Sol violentior arva
Æthiopum torrens, Boreæque inamabile frigus:
Omnia jam vaſti ratibus panduntur Iberis
Clauſtra orbis, rerum longis incognita ſeclis
Jam [1] ſecreta patent: namque inſatiabile monſtrum
Orcus Avaritiam Stygiis emiſit ab antris
Germanam Harpyis: facies inculta, ſituque
Triſtis, hiant rictus, tetricis frons aſpera rugis,
Ora fame pallent, corpus miſerabile curæ
Attenuant, virus promtam [2] ad perjuria linguam
Inficit, & trepidam exercent inſomnia mentem,
In vigiles ne blanda quies irrepat ocellos.
Illa olim luſtrans ſicco vix fertile ſparto
Lyſiadum littus, raraſque in collibus herbas
Qui [3] legerent genus acre virum, ſe in pectora ſenſim
Inſinuans [4] dedit, & ſtimulis præcordia cæcis
Impulit, & reſides animos, [5] durumque laborem,
Et male cum grata longum luctamen arena,
Et tenum victum, & tecto ſub paupere [6] triſtem
Objicit ante oculos vitam, & ſub nocte ſopora
Mentibus illudit varias mentita figuras.
Nunc nemora Æthiopum mollique aviaria lana
Induit, & dites alio ſub ſidere monſtrat
Silvarum exuviis Seras: nunc decolor Indus
Zinziber & piper accumulat, nunc cinnama dives
Cogit Arabs: nunc fœcundo de vulnere matris
Thus & myrrha fluunt, perque inſcia vomeris arva
Congerit in cæcas aurum formica cavernas.
His animum illuſi formis, duraque premente
Pauperie, & magnum magni ſpondente laboris
Spe pretium, linquunt patriamque thorumque laremque,
Grandævoſque patres, flenteſque in limine natos,
Præcipitantque animas in aperta pericula viles
Auſpice avaritia. Et quanquam furor omnibus idem,
Paullatim tamen ignoti formido coëgit
Oceani littus legere, & confidere ponto
Parcius: at poſtquam cum lucro audacia crevit,

Alta

1 *Jam*] Editio Commel. Jo. Pincieri, & 1594, *Quin —— pandantur.*
2 *Ad perjuria*] And. Hart, *in perjuria.* Pinc. in margine habet *convicia.*
3 *Qui legerent*] Commel. & Editio 1594, *Quas legeret.*
4 *Inſinuans dedit*] And. Hart. *Induit & ſtimulis agitans præcordia.*
5 *Durumque*] MS. *vanumque.*
6 *Triſtem*] MS. *duram.*

Alta [1] petunt, caraque procul tellure relicta
Velivolas verrunt roſtris ſpumantibus undas.
Jam ſordent ſpolia Æthiopum, pauperque [2] Zalophus,
Guineaque, & nimio Congus ſub ſole recoctus,
Et quicquid longis cumulaverat Africa ſeclis,
Aut nondum noſtris mentem labefacta venenis
Spreverat: una animos rapit India, ſola profundam
India dives opum ingluviem expletura videtur,
Et votis factura modum: qua ſignifer annum
Circulus obliquans vicibus diſcriminat æquis,
Frigoribuſque pares alternos temperat æſtus,
Lucri dira fames penetrat: non Seres & Indi,
Et quiſquis [3] primis tepefactus flatibus Euri
Mollia laniferis carpit velamina ſilvis,
Non quæ vincendo feſſum terra ultima Bacchum
Vidit pampineos moderantem tigride currus,
Quæque laboriferi finem dedit Herculis actis,
Et quæ Pellæas ſenſit poſtrema ſariſſas,
Sufficiunt avidis animis: qua panditur orbis
[4] Sub Noton Herculeæ fugiens compendia metæ,
Donec ad algentem trans Ægocerota Canopum
Ardua [5] devexi niteant faſtigia cœli,
Fregere ignotas remis audacibus undas.
Et quicquid tenebris longa ignorantia cæcis
Obruerat, qua nec Romana aut Barbara traxit
Arma odium, bellive furor, non prodiga vitæ
Gloria, non præceps audacia, non vagus error,
Quo neque [6] monſtrorum [7] fœcunda licentia vatum
Auſa inferre pedem eſt, auri ſcelerata cupido
Irrupit: quærenſque viam per devia mundi,
Dum nihil occultum, dum nil ſibi linquit inauſum,
Quod ratio longis [8] niſa eſt extundere ſeclis,
Illa oculis hominum oſtendit, terramque fretumque
Aëraque & gremio cœli verſatile templum
Cætera complexum tumidos ſe cogere in orbes:

Et

1 *Alta petunt*] Commelin. & 1594. carent hoc verſu.
2 *Zalophus*] Ibid. *Caliphus.*
3 *Primis*] And. Hart, *primi.*
4 *Sub Noton*] MS. *In Noton.*
5 *Ardua*] And. Hart, *Avia.*
6 *Monſtrorum*] Gen. 1584 & 1594, & Commelin. *noſtrorum.*
7 *Facunda*] Commel. & Editio anni 1594, *facunda.* [Hæc varietas ex diverſis lectionibus loci Ovidiani III. Amor. XII. 41. quem exprimit Buchananus, orta eſt.]
8 *Niſa eſt extundere ſeclis*] Ita And. Hart, & Elz. 1621: at Elz. 1628, Wetſt. 1687, Lond. 1686, & Jo. Cairns 1677, *viſa eſt extundere ſeclis.* Commel. autem & Editio anni 1594, *viſa eſt oſtendere ſeclis.*

Digitized by Google

Et mundi effigiem per ſingula membra rotundam,
Pendentemque ſuo & libratam pondere terram
In media mediam mundi regione locatam:
Et circumfuſos cunctis e partibus orbes
Ætheris, in medium toto procumbere niſu,
Inque globum cogi nitendo, in ſeque volutos
[1] Nectere perpetuis redeuntia ſecula ſeclis.
Una igitur cum ſit moles telluris & undæ,
In ſpeciem [2] cogens ſeſe omni parte rotundam;
Concavus hanc aër, qui circumvolvit, eandem
Ducat ut effigiem, ratione evincere promtum eſt.
Extima pars etiam, volucri quæ cingitur igni,
Ignis ab amplexu curvum ſinuatur in arcum.
At levitate ſua [3] vivacis ſemina flammæ
Alta petunt: donec Lunæ circumfluus orbis
Arceat, inque globum cogat coaleſcere fluxam
Materiam: rurſus flammæ [4] pars infera ſeſe
Lubricat orbe cavo, cum ſcilicet undique partes
Impellant ſeſe, & ſurſum levitate ferantur,
Poſtremæque premant, ſemperque prioribus inſtent,
Quaque licet, tentent puro ſe adjungere cœlo.
Sic medium fugiens mundi, ſe flammea moles
Contrahit, inque cavum inferne ſe [5] circinat orbem.
Quattuor hæc ſimili cum ſint elementa figura
Prædita, non uno pergunt tamen incita motu
Ire: ſed hæc ſurſum levitas rapit, illa deorſum
Pondus; & hunc unum dedit iis natura meatum.
At flammarum orbis, flammiſque propinquior aër,
Quod fluat in gyrum celeri vertigine raptus,
Indicat exitiale micans fax dira cometæ,
Multaque quæ liquidis flagrant incendia campis
Ætheris, Eoo cum nocte orientia cœli
Margine, & Heſperio cum nocte immerſa profundo,
Aut Phœbi cum luce parem ſervantia curſum,
Non tamen hæc circum terras per inane rotantur
Sponte ſua, volucri ſed torta volumine raptat
Secum cuncta trahens domini violentia cœli.
Aëris at vario terræ pars proxima motu
Volvitur incertis ſemper vexata procellis.
Nam cum Sol oriens radiorum ſpicula fundit,

Humen-

1 *Nectere*] MS. *Reddere.*
2 *Cogens ſeſe omni parte rotundam*] And. Hart, *ſeſe cogens unde unde rotundam.*
3 *Vivacis*] Commel. & 1594, *vivacia.*
4 *Pars infera*] MS. *pars infima.*
5 *Circinat orbem*] Commel. & 1594, *arcum.*

Humenteſque bibit rores, fumoſque volucres,
Nube polus denſa latet obrutus, humida molles
Vis abit in pluvias, aut grandine ruris honorem
Decutit, aut operit, niveo ceu vellere, montes,
Aut matutinis veſtit dumeta pruinis.
At tenues nebulæ & ſicci ſpiracula fumi
Cum glomerant campo ſeſe aëris, ilicet Auſter
Imbrifer, aut gelida Boreas effuſus ab Arcto
Nubila volvit agens, & turbine pulveris atri
Verrit humum, ſiccisque furens bacchatur arenis.
Æquora nec latis late circumſona terris
Non in ſe remeant rurſum, & tumefacta redundant
Perpetuo fluxu: terra una immobilis hæret
In ſeſe incumbens, nec ſurſum limite recto,
Nec fugit [1] in dextram, aut lævam, ſiditve deorſum,
Nec ſeſe ſua per veſtigia volvit in orbem.
Nam cum ſtelliferi ſurſum undique machina cœli
Aſſurgat, telluſque ſua gravitate deorſum
Preſſa fluat, recto quo limite cunque mearet,
Scanderet, & nitidis propius ſuccederet aſtris,
Et bene diſpoſiti turbaret fœdera mundi,
Quæ levibus ſurſum, gravibus dant ire deorſum,
Cumque ſuum tetigere locum, ſi nulla quietem
Vis peregre infeſtet, tranquilla pace potiri.
Terra igitur nec ſponte ſua ſecedere mundi
[2] E media regione poteſt, nec viribus ullis
In latus impelli potis eſt, tollive, premive:
Cum ſit nulla uſquam tantæ violentia molis,
Moliri quæ ſede ſua per vimque movere
Congeriem terræ poſſit. Nec rurſus in orbem
Se rotat, ut veterum falſo pars magna Sophorum
Crediderat, Samii jurata in verba magiſtri.
Quippe aſtrorum ignes ſpectantia lumina falli,
Quæ volucri circum torqueri turbine cœlum
Immota tellure putent: ceu littore puppis
Cum fugit, & vento radit vada ſalſa ſecundo,
Stare ratem pigroque putes hærere profundo,
Cum fugiant colles, ſilvæque urbeſque recedant:
Nox ita corporeos hebetat caligine ſenſus.
At tu, care puer, nunc mecum lumina mentis
Huc intende, animoque orbem percurre ſagaci,

Eque

1 *In dextram aut lævam*] Ita Genev. 1584 & 1594. Commel. Pincier. MS. & editi alii omnes *dextrum aut lævum*.

2 *E media*] MS. *A media*.

Digitized by Google

Eque ſuis tenebris [1] demerſum protrahe verum.
Finge animo, pigris immoto corpore flammis
Stare polum, terram ſe circumvolvere in orbem,
Perque ter octonas umbrarum & luminis horas
Claudere perpetuum ſua per veſtigia gyrum:
Hanc neque vim curſus celeres æquare ſagittæ,
Nec [2] volucrum poterunt alæ, nec flamina venti,
Nec quæ ſulfureæ impellit violentia flammæ
Saxa, cavo incluſus quoties furit æſtus aheno.
Nonne [3] vides parva pueri crepitacula dextra
Cum quatiunt? vel cum nervo ſtridente ſagitta
Miſſa volat? vel cum follis de fauce recluſus
Ventus anhelantem fovet in fornacibus ignem?
Nonne vides quanto cum murmure ſibilat aër,
[4] Seque gemit findi? ſi parvo igitur momento
Cum ſonitu impulſus fremat atque remugiat aër,
Quem fore ſperamus ſonitum? quæ murmura? tellus
Concita præcipitem dum ſe contorquet in orbem,
Totque ſimul ſilvæ præruptaque culmina montium
Auram indignantem [5] ſcindant, lacerentque ferentque?
Tam [6] celeri tellus igitur ſi concita motu
[7] Iret in occaſum, rurſuſque rediret in ortum,
Cuncta ſimul quateret ſecum, vaſtoque fragore
Templa, ædes, miſeriſque etiam cum civibus urbes
Opprimeret ſubitæ ſtrages inopina ruinæ.
Ipſæ etiam volucres tranantes aëra leni
Remigio alarum, celeri vertigine terræ
Abreptas gemerent ſilvas, nidoſque tenella
Cum ſobole, & cara forſan cum conjuge: nec ſe
Auderet Zephyro ſolus committere turtur,
[8] Ne procul ablatos terra fugiente Hymenæos,

Et

1 *Dimerſum*] MS. Pincier. & Hart. *demerſum*. [Quod nos repoſuimus, cum *dimergere* veteres dixiſſe ignorem, & cur non mox editor *dimerſam* etiam exhibuit, cum ita in MS. eſſe teſtetur?]

2 *Nec volucrum poterunt alæ*] Ita Hart, alii autem, *Nec poterunt alæ volucrum*.

3 *Nonne vides*] Hos 11 verſus, juxta Editionem Edinb. & quæ eam ſequuntur, hoc loco ponendos duximus; in prioribus autem Editt. proxime poſt *Præcipiti vanum*, &c. ponuntur.

4 *Seque gemit findi*] MS. & rectius, *Seque gemit ſindi*.

5 *Scindant, lacerentque ferentque*] MS. *ſcindunt, lacerantque, feruntque*.

6 *Tam celeri tellus igitur*] Ita And. Hart, alii omnes, *Ergo tam celeri tellus ſi* ———

7 *Iret in occaſum*] Imo vero (quod recte vir doctus obſervat) qui terram ajunt ſtante cœlo moveri, neceſſe habent dicere eam ab occaſu in ortum ire, indeque in occaſum redire, cum cœlum videatur movere ab ortu in occaſum: nam cum ripa in occaſum ferri videtur, navis fertur in ortum. Vide Copernicum.

8 *Ne procul*] MS. Pincier. Commel. & Genev. 1594. *Et procul*.

Et viduum longo luctu defleret amorem.
Quid? cum prima leves [1] ineunt certamina Perſæ;
Medorum & paribus ſtat contra exercitus armis;
Stante polo, fugiente ſolo, dum miſſile ferrum
Aëre ſuſpenſum vacuo volat, [2] altera telis
Occurrens pars ſe indueret, pars altera nunquam
Vulnera perferret, tela &, vertigine terræ
Hoſtibus ablatis, domini veſtigia propter
Irrita conciderent. Quid? cum ſe concita tellus
Semper in occaſum torquet, ſi cærula ponti
Æquora lenta jacent, pigriſque immota lacunis
Interea, nonne aut terræ pars magna neceſſe eſt
Innatat æquoribus, naturæ & fœdere rupto
Unda levis rupes oneroſas gurgite geſtans
[3] Non cedat, monteſque altos non perforet humor,
Ante quidem indocilis minimos geſtare lapillos?
[4] Aut ſi terra undis ſolida & non fracta reſiſtat,
Quottidie partem obrueret [5] vis humida ponti,
[6] Demerſamque freto quam Sol modo viderat, hanc nox
Squalentem informi ſemper ſpectaret arena.
Quod ſi terra pari contorta volumine ſecum
Æquora raptaret, quique æquora concita tollit
Spiritus impulſu ablatus traheretur eodem,
Hanc [7] neque vim contra ſemper labentis eodem
Æquoris, & verſi violenta in flumina ponti,
Navita vel verrens abiegnis æquora palmis,
Vel late expanſis [8] poſſit contendere velis,
Præcipiti vanum curſu vincente laborem.
Quid Solem loquar aut Lunam? [9] quid cætera cœli
Sidera, quæ peragunt non æquo tramite curſum,
Inque chori ludunt ſpeciem, & nunc lumine juncto

Mutua

1 *Ineunt certamina Perſæ*] Præ oculis habuiſſe noſter videtur illud Maronis Georg IV. 314.
Prima leves ineunt ſi quando prælia Parthi.
Nec tamen *Parthi* hic ſcribendum; exempli enim loco proponere videtur prælium inter Medos & Perſas pro ſummo Aſiæ imperio decertantes.

2 *Altera telis*] Editio And. Hart, *altera pugna Indueret telis ſe occurrens, altera nunquam Vulnera perferrent.*

3 *Non cedat*] MS. Pincier. Hart. *Non cedet monteſque alios jam perferet humor.*

4 *At ſi*] Legendum *Aut ſi*, cum MS. & melioribus libris.

5 *Vis humida*] Ita Hart, & Pincier. alii omnes *pars humida.*

6 *Demerſamque*] MS. *dimerſamque.*

7 *Hanc neque*] Deeſt hic verſus in omnibus ante Edinburgenſem Editionibus.

8 *Poſſit*] MS. *poſſet.*

9 *Quid cætera*] And. Hart, *quid cærula cœli Cætera, quæ peragunt non æquo ſidera curſu.*

Mutua conſpirant, ſpatiis nunc diſſita longis
Quæque ſuum ſervant diverſa lege tenorem?
Hæc ſi perpetua ſtatione [1] immota manerent,
Non procul a fratris radiis ferrugine vultum
Nunc Phœbe indueret, nunc fratrem admota ſubiret,
Et trepidum ſubitis tenebris confunderet orbem:
Nec Sol æſtiferi modo torrida brachia Cancri
Scanderet, imbriferos modo declinaret ad Auſtros,
Nunc medio auratas cum limite verſat habenas,
A tenebris paribus lucem ſecerneret horis:
Nec variis rerum vicibus, quæ terra pruinis
Obruta, quæ pigro torpebat frigore, lætis
Frugibus & blando florum venaret amictu,
Et coqueret mites in apricis collibus uvas:
Nec Veneris jubar Oceano modo mane decoros
Exſereret vultus, & prævia lumina Soli,
Nunc [2] præluceret veſpertinis Hymenæis,
Regia ſi cœli pigra atque immota maneret.
  Nec levior fuit in poſitu telluris & undæ
Error eorundem, qui mœnia celſa Crotonis
Incoluere Sophi Lacedæmoniumque Tarentum:
Quippe nihil toto naturæ in corpore claudi
Purius aut melius [3] vivaci ſemine flammæ;
Omnibus unde ortus naſcentibus, omnibus auctus
Progenitis, [4] vigiliſque ciens præcordia motus,
Qui meat in lentos diſcuſſo frigore nervos,
Inſinuanſque animam æternam per membra caduca,
Conciliat fluxis cœleſtia ſemina [5] rebus.
Huic igitur multo viſa eſt digniſſima ſedes
Arcanum penetrale orbis mediique receſſus:
Unde adyto e ſacro partes effundere in omnes
Se queat, ut (ſi fas parvis componere magna)
Quod vegetat pigros cunctis animantibus artus
Sanguinis & vitæ fons cor, de pectoris antro
Vitalem ſpargit per cætera membra calorem.
Proxima poſt ignem eſt illis ſita terra: nec unam
Hanc ſtatuere tamen, ſed & huic Antichthona terram
Adverſam æternos circum ignem volvere gyros.

Hæc

1 *Immota*] Editio 1594, & Commel. *unita*.
2 *Nunc*] And. Hart, *Nunc veſpertinis præluceret Hymenæis*.
3 *Vivaci*] MS. *vivacis*.
4 *Vigiliſque ciens*] *Vigilis* dixit pro *vigil*, quod ex *vigilis* contractum docet Voſſius Ariſt. lib. IV. cap. 33.
5 *Rebus*] Editio 1594, & Commel. *flammis*.

Hæc procul a vera quantum ratione recedant,
Percipe: nam gravibus cum ſit vis una movendi,
Sponte ſua ut fugiant cœli convexa, fluantque
In medium mundi centrum: ut terra infima ſidat
Sponte ſua, & media mundi in ſtatione neceſſe eſt
Aëre libratum vacuo ſe fingat in orbem.
Nec minus id certis facile eſt cognoſcere ſignis:
Si minus a porta tellus diſtaret Eoa,
Quam Tarteſſiaco, qui feſſos accipit axes,
Limite; jam Phœbus radiis [1] inſigne coruſcis
Cum caput exſereret, majorem oſtenderet orbem
Mane oriens, rurſus ventura nocte minorem.
Sidera quid memorem? vel quæ labuntur eodem
[2] Limite perpetuo, vel quæ non paſſibus æquis
Per liquidos cœli campos conſtanter oberrant?
Cum propiora meant, majori corporis aucti
Eſſe videbuntur nobis: [3] dum longius abſunt,
Pro ſpatii faciem oſtendent ratione minorem.
[[4] At nunc a terra pariter diſtantia ab omni
Parte, pari ſemper ſe dant ſpectanda figura.]
Quin Solem obſerva, cœli de culmine recta
Cum ferit Æthiopas radiorum cuſpide, nulla
Cum teneros fœtus defendit pampinus umbra:
Si propior terris lucis moderator Eois
Tunc [5] regeret currus, major peragranda peracta
Lucis parte foret, cœli & faſtigia paucis
Mane per adverſum clivum Sol ſcanderet horis,
Serus in occiduum ſpatio majore jugales
Conderet Oceanum. Contra ſi terra propinqua
Heſperiæ metæ, longe diſtaret Eoa,
Mane diu Titan ſcandens ſublime cacumen
Ætheris, Heſperias cito [6] præcipitaret in undas:
Tempora nec lucis ([7] ut nunc ſolet) ætheris alti

E

1 *Inſigne*] And. Hart, *illuſtre*.

2 *Limite*] MS. *Tramite* [Quod præferrem, quia *limite* modo præceſſit.]

3 *Dum longius abſunt*] And. Hart. *Sin longius*. MS. *ſin longius abſint*.

4 *At nunc*] In ſola editione Edinburgenſi reperiuntur hi duo verſus, quos omittendos cenſuit vir doctus: duriter enim illi dictum videtur *pari figura* pro *pari magnitudine*. Habentur iidem duo verſus etiam in MS.

5 *Tunc*] And. Hart. *Tum*.

6 *Præcipitaret*] MS. *feſtinaret*.

7 *Nunc ut ſolet*] And. Hart. *ut ſunt*. MS. *ut nunc ſolet*, ubi hæc annotat eruditiſſimus Regius, *Herbornana*, inquit, *editio ſæpe cæſuras has, ut hic, ſic alibi in Poeta autographo frequentes, invertit: omnis enim cæſura indifferens eſt, quia ſiſtitur in ea dimenſio: itaque in ſaltationibus ad cæſuras pede terram feriebant, quod recte annotavit Scaliger*. [Recte vir doctus: & uſus eſt Buchananus jure ſuo. vide ad Ovid. II. Metam. 743. & IX. 405.]

Digitized by Google

E ſolio ſpatiis medius ſecerneret æquis.
Præterea propior [1] ſi Sol ſeſe exſerat Indis,
Quam cadit Heſperiis, umbras oriendo minores
Horis [2] projiceret paribus, quam littora Calpes
Cum petit in noctem quatiens declivis habenas.
Corpus enim ad lumen ſi proponatur opacum,
Tam magis obſcuras in longum [3] porrigit umbras,
Quam magis a denſo removebis corpore lumen.
Nunc Sol æquales ſpatiis æqualibus umbras
Cum jaciat, ſpatiis [4] terram undique [5] deſpicit æquis,
Ex æquo occiduæ, portæque propinquus Eoæ.
Terræ orbis calidum ſed nec declivis in Auſtrum
Propendet, nec Mænaliam conſurgit in Urſam,
Sed medio inter utrumque polum diſcrimine pendens,
Circumfuſum æquo diſtinguit limite cœlum.
Nonne vides? blandi cum nuntia veris hirundo
Admonet æquales cum lucibus eſſe tenebras,
Aut cum Libra dies noctesque examine juſto
Temperat, & mites fovet æſtus mitior uvas,
Mane novo ſurgens roſeo cum Phœbus Eoo
Fundit in humentes radiorum ſpicula terras,
Turritæque domus, armataque mœnia pinnis,
Et quæ finitimis excludit jurgia limes
Arbor agri rectos ad ſera cubilia Phœbi
Projicit umbrarum mucrones: rurſus in undas
Veſpere diſcedens ſero, cum condit anhelus
Phœbus equos, roſeos umbrarum cuſpis in ortus
Tenditur: at cum Sol pluvios declivis in Auſtros
Ægocerota tenet, vel cum ſublimis in Arcton
Emicat, æquoreique accendit brachia Cancri,
Nunc Noton obliqua, Boream nunc appetit umbra.
Sed media mundi tellus ſtatione relicta,
Si ſe Parrhaſiam magis acclinaret ad Arcton,
Omnis in algentem ſeſe umbra extenderet Arcton:
Sin magis humentes ſeſe inclinaret in Auſtros,
Omnis in humentes ſeſe umbra extenderet Auſtros:
Et [6] tranſverſa fluens tum veſpertina ſecaret

Por-

1 *Si Sol ſeſe exſerat*] MS. *ſi ſe Sol exſerat.*

2 *Horis projiceret paribus*] And. Hart. *Projiceret paribus horis.*

3 *Porrigit*] MS. *porriget*, quod & magis arridet.

4 *Terram*] Editio 1594, & Commel. *ſpatiis cœlum undique reſpicit æquis*, Edinb. *terram undique diffugit æquis*, quod tolerari poteſt: nos cum viro docto legendum putamus *deſpicit*.

5 *Deſpicit*] MS. *diffugit.*

6 *Et tranſverſa*] Hi duo verſus in Editione Commel. & 1594, deſiderantur.

Porrectam Eois longe de montibus umbram.
  Sed neque ſi tellus medio non eſſet in axe
Inter utrumque polum, ſubtracto lumine fratris
Delia telluris ſubita palleret ab umbra,
Diviſo quoties æquali limite cœlo,
Objicit adverſum radiis ſolaribus orbem.
  Nunc age, telluris quæ ſit menſura, quis illam
Ambitus in gyrum remeans circundet: ab imo
Linea quæ ſummas mundi penetraret ad oras,
Quanta ſit: & veterum quænam ſolertia molem
Sit dimenſa, animo [1] attentus percurre ſagaci,
Oblituſque humiles curas, paullum erige mentem,
Et mecum ingentes cœli ſpatiare per [2] orbes.
  Chaldæi proceres (ſic fama eſt prodita) vaſti
Cum campi incolerent æquor, lateque pateret
Ætheris immenſi partes proſpectus in omnes,
In numeros primi ſtellas & nomina certa
Digeſſere, ſuis ſignantes aſtra figuris.
Illiciebat enim menteſque oculoſque benigna
Temperies, aër tranquilla luce ſerenus
Semper, & æſtivi facies innubila cœli.
Ergo propoſiti victrix induſtria, certis
Finibus & ſpatiis numerorum incluſit Olympum:
Et qui vectorem Phryxi Libramque pererrat
Circulus, in partes diviſit quattuor æquas.
Neve etiam exiguis ſpatiis menſura deeſſet,
In novies denas viſum eſt [3] diſcerpere partes
Quadrantem, & totidem partiri in [4] fragmina gyrum,
Qui ſpatiis utrumque polum diſcriminat æquis.
  Cumque foret terris homini jam notior æther,
Turpe videbatur, qui tam longinqua ſagaci
Ingenio eruerat, propriam non noſcere ſedem;
Quique velut patriam ipſum animo peragraſſet Olympum,
Degere natalis peregrinum in carcere glebæ,
Ignotum populis [5] ignorandumque propinquis.
Sed cum frigoribus torpens, aut torrida flammis,
Aut infeſta feris, ſqualeret maxima terræ
Portio, cum monſtris etiam crudelior ipſis

Bar-

1 *Attentus*] Ita And. Hart, alii autem omnes *tantum.*

2 *Orbes*] Editio Pincieri, & 1594, & Commel. *oras.*

3 *Diſcerpere*] *Diſpeſcere* legendum exiſtimat vir doctus.

4 *Fragmina*] MS. *ſegmina.*

5 *Ignorandumque propinquis*] MS. *ignorantemque propinquos.*

Barbara ſævities hominum loca culta teneret,
Prodiga nec vitæ ſitis inſatiabilis auri
Sævo auderet adhuc vitam committere ponto:
Ipſe animus velox, longum [1] renuente laborem
Corpore, menſuram (patrii velut hoſpes Olympi)
In cœlo [2] invenit terræ. Nam plana jacentis
Aſſyriæ peragrans decies cum ſena viator,
Ac bina adverſam tranſiſſet millia in Urſam,
In quadrante poli quadrantem menſus aheno,
(Quem ſpatia extremas per limbi ſectilis oras
In novies partitus erat dena inſtar Olympi)
Inde per anguſtæ cœlum ſublime dioptræ
Intuitus rimam, ſolito ſublimius una
Parte ſuper [3] terras [4] conſcendere repperit Arcton.
[5] At rediens totidem ſua per veſtigia retro
Millia, parte una deſcendere preſſius Arcton
Repperit, [6] in vetitas ceu ſe deflecteret undas.
Hoc aliis ſæpe atque aliis tentantibus, idem
Affuit eventus: ſic experientia longa
Edidicit decies ſex binaque millia paſſûm
Reſpondere uni cœleſti e corpore parti.
Hunc igitur ratio numerum per fragmina circi,
Qui per utrumque polum productus limite recto
Hinc atque hinc ſpatiis cœlum [7] diſterminat æquis,
Multiplicans quantus [8] terrai circulus orbem
Ambiat, invenit. Cum terræ deinde rotundæ
Circuitum inventum tres diſſecuiſſet in æquas
Particulas, inter ſummum telluris & imum
Quanta foret penetrans per centrum linea vidit.
Nil adeo inculti montes, nil concita ventis
Æquora, nil oculis denſi impenetrabilis orbis
Obſtiterat moles animo, quin devia rerum
Cerneret, & clara rationis lampade fretus,
Panderet infernas immiſſa luce tenebras.
Nec levior labor eſt cœlo componere terram:
Ut collata ſimul cum ſint ratione ſagaci,

Per-

1 *Renuente*] Ita And. Hart, alii omnes *vincente.*

2 *Invenit terræ*] MS. *terræ invenit.*

3 *Terras*] Editio anni 1594, Pincieri 1587, & Commel. *cœlos.*

4 *Conſcendere*] Ita And. Hart, alii ve. *tranſcendere.*

5 *At rediens*] MS. *Ac rediens.*

6 *In vetitas ceu ſe deflecteret undas*] Commel. & 1594, *a vetitis ceu ſe reflecteret undis.*

7 *Diſterminat*] MS. *diſcriminat.*

8 *Terras*] Ita And. Hart, alii omnes *terrarum.*

Percipias rerum ſit quantula portio, verbis
Quam nos magnificis in regna ſuperba ſecamus,
Partimur ferro, mercamur, ſanguine fuſo
Ducimus [1] exigua glebæ de parte triumphos.
Illa etenim moles per ſe ſpectata ſeorſum,
Magna quidem: ſi cum ſtellati tegmine cœli
Componas, puncti inſtar erit, vel ſeminis, unde
Condidit innumeros ſenior [2] Gargetius orbes.
Nam neque ſi terræ ſpatium vitreique profundi
Multiplices decies centena in millia paſſûm,
Atque iterum totidem, totidemque in millia ducas,
Menſus eris magno exiguam de corpore partem.
Nec labor & ratio poterit dependere terræ
Circuitum aſtriferi quota pars æquaverit orbis:
Non magis, Oceani quam ſi juvet edere quantam
Urna brevis magno capiat de gurgite partem.
Nec, [3] niſi terra foret puncti non ſectilis inſtar,
Dimidum cœli ſemper finiret Horizon,
Signaque ſex infra tenebris abſconderet atris,
Altera ſex æquo præcidens limite cœlum
Contemplanda oculis ſemper daret obvia noſtris.
Nec vaga cum pleno turgeſcit Cynthia cornu,
Surgeret Heſperium Phœbo ſubeunte profundum:
Aut prono Heſperiis curru ſe tingeret undis,
Phœbus ab Eois cum fluctibus exſerit axem:
Ni collata polo moles telluris & undæ
Pene atomi exiguæ ſpeciemque modumque [4] teneret:
Nec minus id geminæ poterunt oſtendere ſtellæ,
Omnia perſimiles, lucem, faciemque modumque,
Dividit in partes hæc [5] Taurum, hæc Scorpion æquas,
Has vigil obſervans caſtrorum ex aggere miles,
Aut dum nocturnas rate navita dividit undas,
Vidit ut Eois quoties caput exſerit undis
Altera, [6] ſub Mauris ſe fluctibus altera ſemper
Condat, [7] & æquali dirimentes limite cœlum
Dimidium retegant oculis ſpectabile noſtris,
Dimidium celent: ſic ut Finitor utramque

Hac

1 *Exigua*] MS. *exiguæ*.

2 *Gargetius*] MS. *Gargeticus* (*i. e.* Epicurus) rectius tamen *Gargettius*, quomodo eum Cicero lib. xv. Ep. 15. Et Statius Sylv. I. 3 94. appellant.

3 *Niſi terra*] Commel. Edit. 1594. & MS *ſi terra*: male.

4 *Teneret*] Pincier. Commel. & Editio anni 1594, *referret*.

5 *Taurum*] Ita Edin. And. Hart, alii autem omnes *Cancrum*, male.

6 *Sub Mauris*] And. Hart, *ſe Mauris ſub*.

7 *Et æquali*] Ita And. Hart, alii vero omnes, *ut æquali*.

Hâc atque hac mediam ſecet uno tempore ſtellam.
Hîc, ſi luminibus ſpatium telluris iniquæ
Officeret, cœli nobis ſpectanda pateret
Pars [1] minor: aut quoties [2] in opacos ardua montes,
Creſcit humus, ſi proſpectus quoque creſceret una,
Jam media plus parte poli de montibus altis
Cernere fas eſſet, tenebris occulta lateret.
Pars minor: at nunc ſeu ſpectes per plana jacentis
Aſſyriæ nitidum cœli remeabilis orbem;
Seu ſuper aërii montis ſublime cacumen,
Dimidio cœli non pluſve minuſve videbis:
Et Tarteſſiacis cum Taurus [3] mergitur undis,
Scorpius Eois oriens emergit ab undis,
Inque vicem ſemper remeantes paſſibus æquis
Hic premit adverſos, hic fluctibus exſerit ignes.
Nullum adeo montes ingeſtaque culmina celſis
Nubibus efficient momentum, totave terræ
Machina, cum magno ſi componatur Olympo.
Non magis ac radiis volitantia corpora Solis
Cum Tauri collata jugis, aut Alpibus, aut quæ
Saxa Prometheis famam meruere catenis:
Aut ſi componas late circumſona terræ
Æquora cum tenero, qui pingit gramina, rore.
Hunc etiam auricomum, qui proſpicit omnia, Solem
Adſpice: qui quanto major ſit corpore terræ,
Poſt tibi perſpicuis clarabimus argumentis.
Is tam mole ingens, tam claro lumine purus
Cum nitet, & nulla nubis caput occulit umbra,
Non multo apparet nobis pede longior uno.
Ergo is tantillum cum ſeſe oſtendat, in axem
Ipſe ſuum Phœbus ſi te ſuper æthera tollat,
Inque diem Phaëthonteas tibi cedat habenas,
Quantula de cœli ſpectanti vertice celſo
Terra videretur? [4] ſi cœli e vertice terra
Ulla videretur: jam quantula portio cœli
Ipſe ſui Sol eſt? Solem quoque qui vehit orbis
Quantulus eſt cum ſtelligero collatus Olympo?
Terra igitur cum ſit [5] multeſima portio Solis;

Pars

1 *Pars minor*] Quinto poſt verſu habes *pars minor*, omnia interjecta in Editt. Commel. & anni 1594, deſiderantur.

2 *In opacos ardua*] MS. *in ſummos ardua.*

3 *Mergitur*] Pincier. Commel. & 1594, *mergit in.*

4 *Si cœli e vertice terra Ulla videretur*] In prædictis Editt. hæc deſiderantur.

5 *Multeſima*] Ita And. Hart, at Pinc. Commel. & alii, *milleſima.*

Pars orbis Sol parva ſui; qui continet orbis
Solem, ſtelligeri exilis ſit portio cœli:
Stelligero [1] tellus ſi componatur Olympo;
Nulla queat numeris ratio comprendere, tellus
Pars quota ſit vaſti, qui continet omnia, mundi.
Hæc illa eſt hominum ſedes, hæc illa ferarum
Et volucrum domus: hoc anguſto e carcere quantum
Surripit Oceani terræ circumfluus humor?
Quique per Herculeæ irrumpens divortia metæ,
Europam Libycis late ſejungit ab oris?
Adde huc clauſtra Arabum, quæque arctant æquora campos
Hyrcanos: huc adde lacus laxaſque paludes,
Et quæ præcipiti labefactant flumina montes
Vortice, vel pigris ſtagnant immota lacunis.
Dumque hæc vi rapiunt, hæc orbem gurgite mergunt;
Conditur exiguæ ſub aquis pars maxima terræ.
Quod ſupereſt, magno velut inſula parva profundo
Innatat: [2] hæc etiam quantum vel ſqualet arenis?
Vel tumet in vaſtos ſine fruge, ſine arbore montes?
Vel nimiis ardet flammis? vel frigore torpet?
Vel jacet humano [3] indocilis manſueſcere cultu?
Vel fœcunda malis animantum in funera ſuccis?
O pudor! o ſtolidi præceps veſania voti!
Quantula pars rerum eſt, in qua ſe gloria [4] jactat;
Ira fremit, metus exanimat, dolor urit, egeſtas
Cogit opes; ferro, inſidiis, flamma atque veneno
Cernitur [5], & trepido fervent humana tumultu.

1 *Stelligero*] Editio Edinb. And. Hart, addit & hunc verſum,

Aut qui ſtelligero nitet altior orbis Olympo.

2 *Hæc etiam*] And. Hart, & MS. *huic etiam*, quod ægre cum ſequentibus congruit.

3 *Indocilis*] And. Hart, & MS. *indocile ah! manſueſcere cultu.* Vide notas viri docti vulgaribus libris ſubjectas.

4 *Jactat*] Ita Hart, alii omnes, *tollit.*

5 *Cernitur*] Pincier. Commel. & 1594. *Seditur.*

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI SCOTI
DE SPHÆRA
LIBER II.

JAM mihi, Timoleon, animo majora capaci
Concipe, [1] nec terras ſemper mirare jacentes:
Excute degeneres circum mortalia curas,
Et mecum ingentes cœli ſpatiare per oras.
Nec tibi Dædaliæ temeraria vincula [2] ceræ
Nectere opus, volucreſque [3] jugis frenare dracones,
Montibus aut [4] ſtructis cumulare ad ſidera montes:
Auctor ego, audendi dux, & per [5] trita viarum
Ante feram greſſus, qua primum cœlifer Atlas
Stravit iter, quaque Herculeæ veſtigia plantæ
Ire monent, [6] nec non Scythica de rupe Prometheus
Pendulus, & volucer Perſeus, & Latmius heros,
Et Cepheus tota pariter cum gente, feraſque
Qui ſectatur adhuc cœlo venator Orion.
Nonne vides ut nocte faces arx lucida cœli
Proferat, & tenebras flammarum lumine puro
Diſcutiat, pandatque viam, ſeſeque tuenti
Offerat, & quantum mortalia lumina fas eſt
Templa Deûm ſpectare, & cœlum immune ſenectæ,
Obvia ſeſe oculis dent ſidera cernere noſtris?
Nec tamen iis ducibus nimium confide: tenebris
Corporeis oculorum acies hebetata remotos
Non ſatis ad certam trutinam cœli exigit orbes.
At cognata polo [7] ſimul ac mens libera [8] frenis
Tollit humo ſeſe, & penetrans immane coruſcum,
Paullatim tardos abſterſa ærugine ſenſus
Ferre diem docet; abſcedunt caliginis umbræ,
Nudaque ſe nobis offert natura videndam.

Quod

1 *Nec terras*] And. Hart, & MS. *Neu terras.*
2 *Ceræ*] Pincier. anni 1587, Commel. & Editio anni 1594, *curæ.*
3 *Jugis*] MS. *jugo.*
4 *Structis*] MS. *ſtructos.*
5 *Trita viarum*] MS. *tuta viarum.*
6 *Nec non*] And. Hart, *nec jam.*
7 *Simul ac*] MS. *ſimul &.*
8 *Frenis*] Pincier. anni 1587. Commel. And. Hart, & Editio anni 1594. *curis.*

Quod ſi oculis fidas, rationis luce remota,
Corporeis; quicquid nos circum nocte dieque
Volvitur, eſſe unum credas improvidus orbem:
At ſi cœleſtes flammas ratione ſagaci
Obſerves, ut juncta meent nunc lumina, ut amplis
Diſſita nunc ſpatiis liquidum per inane ferantur,
Hæc terras propiora ſecent, illa ardua mundi
Templa procul teneant: merito dubitabis, an unus
Tam variis poſſit ſedem dare motibus orbis.
  Nam neque fas credi, ceu pinnis dividit undas
Squamigerum pecus, & volucris ſecat aëra pennis,
Sponte animata ſuo ſe ſidera volvere gyro.
Quicquid ſponte ſua atque anima vegetante cietur,
Se vario exercet motu: nunc dextra capeſſit,
Nunc abit in lævum: modo curvo limite in orbem
Circum agitur, modo progreditur, retroque recedit:
Denique quo velox animi rapit impetus, omnes
Effingit ſpecies motus facieſque, nec unum
Perpetuo ſervat certa ſub lege tenorem.
Sæpe etiam, alterna requie variante [1] laborem,
Otia ſuccedunt. At ſidera paſſibus æquis
Perpetuum circa terras volvuntur in orbem,
Otia nec durum renovant alterna laborem.
Non igitur ſtellas animæ vis vivida torquet,
Quæque ſuam motu impellens ſine fine perenni,
Æqualique tenore in partem ſemper eandem.
  Sed neque fortuna temere impellente feruntur
Sidera: nam ſortis quæ vis temeraria volvit
Cunque [2], nec æquali ſpatio, nec tempore certo
Conſtantes peragunt æterna in ſecula motus:
Sed ſæpe externis velocius incita cauſſis
Deproperant curſus; ſæpe indupedita quieſcunt,
Aut fingunt lentos magno molimine gyros.
Uſque adeo juncta eſt cæcæ inconſtantia ſorti.
  Præterea [3] proprium ſtellis natura meatum
Si daret, in [4] nullam has ageret progreſſio partem:
Quippe quibus natura dedit ſe impellere [5] prorſum,
Apta ad nativum tribuit quoque membra meatum,
Corporis & ſpeciem: ſtellarum [6] at corpora in orbem

Cum

1 *Laborem*] Prædictæ Editt. *labori*.
2 *Cunque*] Commel. & 1594, *cuncta*.
3 *Proprium*] Pincier. Commel & 1594, *primum*.
4 *Nullam*] Eædem Editt. *mediam*.
5 *Prorſum*] Ibid. *ſurſum*.
6 *At*] Deeſt hæc vox in Edit. And. Hart.

Cum [1] coëant, alios nequeunt effingere motus,
Quam ſe perpetuo ſua per veſtigia gyro
Volvere; corporibus quæ vis eſt una rotundis.
Eſſe globos porro cœleſtia corpora ſtellas,
Oſtendunt Lunæ facies: quæ ſeu nova cœlo
Cornua complexu meditatur libera fratris,
Æmula ſeu Phœbi primo ſe veſpere ponto
Exſerit Eoo, ſeu qua ſe cunque videndam
Dat ſpecie, teretem ſe fingere tentat in orbem.
Quando igitur nec ſponte ſua per inane rotari
Aſtra, nec incertos temeraria volvere lapſus
Deprendit ratio: ſupereſt ut fixa per orbes
Quæque ſuos (veluti per tympana ſumma rotarum
Clavus inhæreſcit, tabula vel nodus acerna)
Perpetuo maneant, & cum ſe verterit orbis,
Aſtra ſuum peragant cum cœlo tracta meatum.
Et quia non uno ſemper per inane feruntur
Ordine, nec cœlum tranſcurrunt paſſibus æquis:
Quam [2] foret aſtrorum vario diſcrimine motus,
Eſſe pares numero cum motibus ætheris orbes
Deprendit ſolers induſtria: ſemper ut imum
Ac propius terris Lunæ terat orbita cœlum,
Et minimum lento flexu volvatur in orbem.
Proximus huic, [3] parvo ſed proximus intervallo,
Mercurius, lætoque diem modo Lucifer aſtro
Præveniens, idem noctis prænuntius ignis
Heſperus, obſervant Solem prope paſſibus æquis:
Ut medius rerum Sol omnia lumine luſtret,
Educet & foveat flammis, nunc celſus in [4] Arcton
Emicet, humentes nunc ſe demittat in Auſtros;
Dumque his nunc propior, nunc illis admovet axem,
Et variis varium partitur lucibus annum,
Omnibus æquales faciat cum luce tenebras.
Altior hoc Mars ſanguineo rubet [5] igne: propinquus
Juppiter [6] huic hilarat nitidum fulgore ſalubri
Æthera: Saturnus liventi pallidus aſtro

Septi-

1 *Coëant*] Pinc. Commel. & 1594, *veniant.*

2 *Quam foret*] Deeſt hic verſus in Editione Pincieri, Commel. Edit. 1594. & MS. & ſane eo facile carere poſſit reliqua oratio.

3 *Parvo ſed*] Ita Hart. Commelin. Gen. 1594, omneſque recentiores; rectius tamen MS. & Pinciero *magno ſed* legi videtur. Vide Virg. Æneid. V 320.

4 *Arcton*] MS. *Arcto.*

5 *Igne: propinquus*] Pinc. Commel. & 1594, *igne cruentus.*

6 *Huic*] Prædictæ, *hinc.*

Digitized by Google

Septimus, obſcuras fuligine verſat habenas.
Hos [1] ſuper octavum celeri volat agmine cœlum,
Mille oculis, mille igniculis ſub nocte ſopora
Diſcutiens atras piceæ caliginis umbras;
Ne temere in tenebris erret per opaca viator,
Ne temere ignotis vagus erret navita in undis,
Ne vigil excubitor ſpatiis non dividat æquis
Tempora, ne famulas laſſent impenſius æquo
Penſa manus, durum cantu fallente laborem.
Hos orbes tantum veteres novere: nec ultra
Eſſe rati quicquam, præter ſecreta Deorum
Templa, ubi nec morbi, nec luctus & anxia cura
Sollicitant miſeras trepida formidine mentes:
Sed ſecura quies, & neſcia vita ſenectæ,
Et cum pace fides habitant, quæque ultima terras
Deſeruit noſtris vitiis offenſa nocentes.
Attamen aſſidua obſervans cœleſtia cura
Lumina poſteritas, cœlum non ſimplice motu
Credidit octavum celeres abſolvere gyros,
Quin modo Mænaliam paullatim vergere ad [2] Arcton,
Nunc regredi, pluvioſque magis deflectere ad Auſtros,
Sed lento & ſenſum prope decipiente receſſu,
Ut duo vix unam titubet per ſecula partem
E gradibus novies vicenis: quippe latentis
Tot gradibus mundi cardo eſt ſecretus ab Arcto.
Hæc, quibus indulſit cœlum majora benignum
Otia, & ingenii vires maturior ætas
Firmavit, quæſiſſe juvet, perque ardua montium
Ire juga, &, qua nulla hominum veſtigia ſignat
Orbita, ſecretos Muſarum accedere fontes:
Temporaque incedant velati frondis honore
Vatibus intactæ antiquis: nos propter amœnum
Eridanum Phaëthontea repetamus in umbra
Sparſa per aſtriferos late miracula campos,
Qua Peluſiaci cura eſt progreſſa magiſtri,
Contenti noviſſe polos, dum claſſica ceſſant,
Nec ferus Aoniis Mars invidet otia Muſis.
Octo igitur ſolos veterum ſolertia cœlos
Noverat: & varii quot erant diſcrimina motus,
Æthera cœleſtes totidem diviſit in orbes.
Nec tamen (hæc ratio quamvis monſtrarit aperte)

Ceſſat

1 *Hos ſuper*] And. Hart. & MS. *Hac ſuper.*

2 *Ad Arcton*] MS. *in Arcton.*

Ceſſat adhuc cæcis inſcitia merſa tenebris
Oblatrare palam, cœlum damnare quiete
Auſa, pigram celeri motu convertere terram.
Cum quibus indulſit ſenſum natura videndi,
Quottidie cernant, noctis cedentibus umbris,
Mane novo Phœbum paullatim [1] emergere ponto,
Aut velut enaſci longinquo ex æquore terræ:
Inde per adverſum cœli conſcendere clivum,
Donec propoſiti victor ſtetit arduus alto
Culmine, & in cunctas radiorum ſpicula terras
Direxit: mox æquoreas declivis in undas
Præcipitat celerem parili moderamine currum,
Donec equos feſſos Atlantide ferus in unda
Abluat, & furvæ cedat ſua tempora nocti.
Sic vaga rorifera conſurgit Delia biga:
Sic medii ſenſim potitur faſtigia cœli:
Sic cadit in fluctus. Hac ſidera [2] lege ſerena
Nocte per ætherios volvunt ſua lumina campos:
Primum humili, celſa mox lampade, rurſus ad imum
Uſque ſolum preſſa, mox [3] vel tellure vel unda
Abſorptum quærunt ſpectantia lumina lumen.
Deinde ubi dimenſo latuerunt tempore, rurſus
Deproperant ſolitos ſolito moderamine curſus,
Perque vias mundi liquidas ſine fine reverſa
Perpetuo monſtrant cœlum ſe volvere gyro.
Nec minus e fixis poteris cognoſcere ſtellis
Continuo cœlum circum ſe volvere flexu,
Quottidieque novos, dum [4] circumvertitur, orbes
Claudere. Conſpicuo Cynoſuram in vertice mundi
Adſpice ſublimem, junctamque Lycaonis Urſam,
Quique ſinu magno geminas complectitur Arctos,
Serpentem ingentes ingenti corpore flexus
Torquentem, & tota lucentem nocte Bootem.
Nonne vides, Cynoſura breves ut colligat orbes,
Circumeatque [5] ſuam lenta vertigine caudam?
Utque Helice quanto gelidis Aquilonis ab auris
Longius abſceſſit, tanto volet ocius, ut ſe
Circumagens ſulcet majoribus æthera ſpiris?

Laxius

1 *Emergere*] Pincier. Commel. & 1594, *aſſurgere*.

2 *Lege ſerena*] MS. *lege tenentur*.

3 *Vel tellure*] MS. Hart. & e recentioribus quidam, *ut tellure*. & mox verſ. ſeq. *quærant*.

4 *Circumvertitur*] Pincier. Commel. & 1594. ac MS. *circumvolvitur*.

5 *Circumeatque*] Pincier. Commel. & 1594, *circumdetque*.

Laxius hæc etiam comitatur plauſtra Bootes:
Et quo quæque magis ſeptem ſemota [1] trione eſt
Stella, magis laxos in cœlo circinat orbes:
Donec ad has ventum eſt, quæ ſero veſpere ponto
Lumina demergunt: ſed & hæ cœlum eſſe rotundum
Significant, longos flectentes luminis arcus.
Quoque polo propior quæque eſt, breviore recondit
Se ſpatio ſub aquis: quo vitat longius Arcton,
Hoc arcu breviore volans per cærula cœli
Cernitur, & longam indulget ſibi condita noctem.
Quando igitur totis qui lucent noctibus ignes
Perficiunt orbes totos, quæ merſa profundo
Sidera ſe condunt, arcu ſinuantur, ut orbes
Fingere conentur; certum eſt ſe volvere in orbem,
Cuncta ſuo motu quod torquet ſidera, cœlum.
  Nec mihi Democriti perſuaſerit acris acumen,
Leucippuſve, aut Cecropiis Epicurus in hortis,
Secretus turbæ ſtrepitu, naſcique morique
Quottidie ſtellas, Phœbeos fluctibus ignes
Exſtingui, aut udæ tactu marceſcere terræ,
Eque ſolo rurſus vel aquis emergere partu
Uſque novo. Nam fortuito quæ parturit ortu
Caſus, in iis nunquam manet invariabilis ordo,
Et modus & facies, numeruſque & tempora partus,
Et conceſſa locis ſemper cunabula certis.
Sed neque vis tanta eſt brutæ telluris, & undæ,
Ut ſubito immenſos educant luminis orbes,
Eductos perimant: nec, ſi foret illa poteſtas,
Parte ſui tellus vires proferret in una
Perpetuo, ut nobis progigneret India ſtellas
Mane, ſub æquoreis Atlas abſconderet undis
Veſpere: quæ tellus a [2] Calpe ſeparat Indos,
Luminis infelix partu viduata jaceret.
Præterea tenuem cur nunc in cornua Lunam
Surgere, nunc [3] plenam tumido ſplendeſcere vultu
Cernimus, & certos incerti luminis orbes
Nunc nitido monſtrare die, nunc nocte ſopora?

Cum-

1 *Trione*] MS. Hart. Pincier. librique omnes vetuſtiores, *trioni:* recte autem repoſuit vir doctus *trione*, ita enim Lucret. II. 18.
Corpore ſejunctus dolor abſit; menſque fruatur.
Jucundo ſenſu, cura ſemota metuque.

2 *Calpe*] Hart. Pincier. *Calpa.*

3 *Plenam tumido ſplendeſcere*] Pincier. Commel. Edit. 1594. ac MS. *pleno tumidam.* [Rectius meo judicio. Sic *plenum os* Petron. CXXVII.]

Cumque aliis ſemper facies maneat ſua ſtellis,
Cur unam inconſtans tenet hæc conſtantia Lunam?
Quid loquar Arctoo ſtellas in culmine mundi
Æquoris immunes? quæ vis hæc lumina ſervat,
Semper inocciduo decorantia lumine cœlum,
Cum neque contingant terras [1] aut humida regna
Nereos, unde queant hebetes accendere flammas?
Quid? quod & Arctophylax Ariadneæque coronæ
Sidera, quæ flavis tota ſe nocte BRITANNIS
Oſtendunt, Pharia ſub aquis merguntur in ora?
Ac, Rhodiis rara qui fulget luce, Canopum
Perpetua prope nocte Pharos videt, ultima tellus
Æthiopum, nulla ſidus condente latebra,
Spectat pervigiles præbentem noctibus ignes?
Quomodo, quas Phariæ perimit contagio terræ,
Cernit inexſtinctas lucere BRITANNIA flammas?
Aut Rhodiis eadem gignit perimitque Canopum
Hora, Pharo tarde [2] qui condit lumen, in oris
Æthiopum nunquam e cœli ſtatione recedit?
Eſſe etiam cœlum nulla non parte rotundum,
Oſtendunt celeres magnum per inane rotatus.
Nulla etenim molis facies diverſa citatos
Tam facili lapſu potis eſt abſolvere gyros:
Nulla capax magis eſt cuncta inter corpora forma,
Ambitus æqualis omni quæ parte coërcet,
Quam globus: hac igitur non forma decentior ulla eſt
(Cætera complecti quod debuit omnia) cœlo.
Hoc etiam [3] Aſſyrii ſcrutati ſidera cura
Agnovere ſenes, quod, cum deprendere motus,
Fluxaque momentis diſtinguere tempora certis
Tentarent, ſpatiiſque polum metirier æquis,
Nulla foret ſtudio huic diverſæ machina formæ
Apta, niſi ad ſpeciem penitus tornata rotundam.
Quo minus id dubites, animo tibi finge ſupremi
Diverſam cœli faciem, ſive eſſe trigonam,
Sive æquo laterum ductu quadrare libebit.
Cum liquidi per plana poli terriſque propinquus

[1] Cur-

1 *Aut humida regna*] Pincier. Commel. & 1594 *neque regna profundi*, aliæ *neque humida*, And. Hart, & MS. *aut regna profundi.*

2 *Qui condit*] Ita Pincier. Genev. 1594. & Commel. recte; de Canopo enim loquitur, ut notat vir doctus; MS. tamen & Hart. *quæ* legitur.

3 *Aſſyrii*] Ita videtur legendum (monente viro docto) Edinb. And. Hart, & MS. *Aſſyria*, Pincier. Commel. & 1594. *aſſidua.*

[1] Currum ageret celerem Phœbus, germanave Phœbi,
Major eis moles, atque ingens corporis auctus
Eſſe videretur: rurſus cum flexus in alti
Angulus ablatos raperet faſtigia cœli,
Contrahere anguſtos ſpatiis brevioribus ignes
Aſpiceres, lucemque ſolo præbere malignam:
Qui nunc æquali diſcreti limite terris
Monſtrant æquales (abſint modo nubila) vultus.
Nam quod ab Eoæ Phœbus cum limine portæ
Exit mane novo, vel cum ſe veſpere fero
Tethyos in thalamos recipit, majore videtur
Orbe [2] ſuis propius terras accendere flammis:
Non longi in cauſſa eſt ſpatii diſtantia major.
Cum neque plus diſtet Phœbus, ſua ſpicula ſummo
Cum jacit e cœlo, propior nec luceat imo
Margine, mane oriens, [3] vel nocte urgente recedens:
Sed [4] tenues fumos & mane & veſpere terræ
Exhalant vapidæ, veram qui luminis augent
Longinqui ſpeciem, & ſpectantia lumina fallunt.
Non ſecus ac altis [5] quæ lucent cunque ſub undis
Corpora, decipiunt viſus, majoraque veris
Apparent, poſitæ in medio quod denſior undæ
Humor inoffenſos nequeat tranſmittere viſus.
Nec mihi non aliqua niti ratione videntur
Propterea mundum qui credunt eſſe rotundum,
Quod Pater omnipotens [6] cum rerum prima creavit
Semina, & in varias ea juſſit abire figuras,
Omnibus in rebus (quantum mortalia poſſunt
Æquari æternis, & non peritura caducis)
Ipſe ſui [7] voluit quædam ut remaneret imago,
Atque aliqua patrem ſoboles ex parte referret.
Sic quæ feminibus coëuntes quattuor omnes
Finguntur ſpecies nitidi ſub tegmine cœli,
Quanquam [8] mutatis pereant redeantque figuris
Quottidie, tamen æterna ſe lege propagant:
Et cum morte gerit bellum natura, peremtum

Reſti-

1 *Currum*] MS. Pincier. Commel. Gen. 1594, Elzev. 1621, *Curſum.*

2 *Suis*] Edinb. And. Hart, *ſuas, terris, flammas.*

3 *Vel nocte urgente recedens*] Pinc. Commel. & 1594, *vel cum ſe veſpere condit.*

4 *Sed tenues*] Prædictæ Edit. *ſed fumos & mane novos & veſpere terræ.*

5 *Quæ lucent cunque*] MS. *lucent quæcunque.*

6 *Cum rerum*] Pinc. Commel. & 1594, *qui rerum prima.*

7 *Voluit*] Pinc. Commel. & 1594, *velit.*

8 *Quanquam*] Ibid. & MS. *Quamvis.*

Digitized by Google

Reſtituens ſimili redivivum [1] in prole parentem.
Sic homines fragili quamvis e ſtirpe, perennant
Qua licet: & ſobole æterni, compage caduci,
Æmula divinis peragunt ſua ſecula ſeclis.
Utque in iis propior divinæ ſtirpis imago
Luceret, cœlo data mens, quæ corporis artus
Non ſolum vegetet tardos, ſed carcere cæco
Clauſa [2] licet, pigræque coërcita pondere molis,
Evolet immenſi ſupra faſtigia cœli
Cum libuit, penetretque imæ cava viſcera terræ.
Non illi obſiſtit ſolidæ impenetrabile maſſæ
Corpus, & obſcuris Acherontia regna tenebris
Obſita, non atris obſeſſus nubibus aër,
Infirmaſque acies oculorum hebetantia Solis
Lumina, non ſpatio vaſto ſemotus Olympus
In ſe præcipiti ſemper revolubilis orbe,
Omnia quin oculis [3] peragraret pectoris: ut quæ
Abdidit, aut ſpatiis longis natura removit,
Educta e tenebris propiuſque admota videret.
Illa igitur purum cœli cum cerneret orbem
Damnatum nulla per ſecula longa ſenecta,
Nobiliore ortu quam obnoxia corpora morti
Credidit eſſe ſatum, propiuſque referre parentem.
Utque Dei nullis natura coërcita metis,
Principio medioque caret, nec finibus ullis
Clauditur, aut ſpatiis ævi, ſed totus ubique eſt,
Integer [4], immenſus, inviſilis, incomprenſus:
Sic mundi in teretem facies coit undique formam.
Undique par ſimiliſque ſui, ſine fine, ſine ullo
Principio, nullis per tot labentia ſecla
Deterior damnis, aut auctior incrementis,
Et rediens in ſe lapſu ſine fine perenni,
Nec motus medium, aut finem, aut exordia novit.
Totus & in ſeſe incumbens per inane profundum,
Non eget externis ut pendeat undique cauſſis.
Hæc mundi forma eſt, ſerieſque æterna movendi,
Semper ad occaſum ſeſe ut convertat ab ortu,
Quaque abiit redeat, totieſque abiens redienſque
Obſervet ſedem veluti non mobilis unam.

At

1 *In prole*] Pinc. Commel. & 1594. *in morte.*

2 *Clauſa licet*] Commel. & 1594, *Clauſa micet, penetretque imæ cava viſcera terræ,* duobus verſibus deſideratis.

3 *Peragraret*] MS. *peragrarit pectoris; & quæ.*

4 *Integer*] Deeſt hic verſus in toties memoratis codicibus.

At vero quinque errones Titaniaque aſtra
Quamvis perpetua luſtrent vertigine terras,
Semper & in partem quam ſtellifer orbis eandem
Nitantur, tamen haud æquis ſua paſſibus urgent
Lumina; ſed lento magis itque reditque recurſu,
[1] Quo magis ad terram quiſque inclinatur inertem.
Scilicet ingentes cum fingeret ætheris orbes
Cœlituum pater, atque hominum formaret ad uſus:
Proxima quæ noſtros incurrunt lumina viſus
Si tam præcipiti vertigine [2] torta mearent,
Quam gremio quæ cuncta ſuo ſuprema coërcet
Machina, tam celeres ſpectantia lumina motus
Deficerent, hebeteſque oculos caligo repente
Conderet, ad nulloſque uſus properatio motus
Apta foret: paucis Phœbea recurreret horis
Et fugeret lampas, nec tempora commoda ſomno
Nox brevis, aut præceps lux opportuna labori
Divideret, toties reduces cum Sole tenebræ
Omnia turbarent operum momenta, nec æſtas
Concoqueret fruges, nec dulces pallor in uvas
Serperet, & lente miteſceret [3] acris amaror:
Gleba nec exiguo putreſcens frigore venis
Imbiberet cupidis genitales ætheris imbres:
Nec breve ver blandos florum ſpiraret odores,
Sed properata æſtas veris ſpoliaret honorem:
Pelleret æſtatem autumnus; dum meſſis in herba
Turgeret, deformis hiems infirma necaret
Semina, ſolliciti ſpem deceptura coloni.
Ergo ille ætherii clemens moderator Olympi,
Ad varios hominum dum ſeſe accommodat uſus,
Orbibus extremis celeres abſolvere motus
Poſſe dedit, ſed quos viſus non ſentit acumen,
Diſſita tam longo ſpatio dum ſidera ſpectat.
[4] Ac dein paullatim motu interiore repreſſus
Impetus, & tardo flexu quæ citima fulgent
Lumina quæque ſuos tali diſcrimine curſus
Deproperant, oculis ut nec ſpectantibus obſint,
Nec turbent noſtros nimium properata labores.

[1] Sic

1 *Quo magis*] MS. *Qua magis*.
2 *Torta*] Notat ex MS. ſuo vir doctus, *tota*.
3 *Acris amaror*] Ita MS & Hart. alii vero omnes *acer*. [Solebant veteres talia adjectiva utroque modo efferre vid. Donat. ad Terent. Eunuch. II. III. 13. vid. Not. ad Petron. cap. 113.]
4 *Ac dein*] MS. *At dein*, & mox *meta interiore* habet MS. viri docti.

[1] Sic ſpatium novies ternis quod Luna diebus
Conficit, [2] hoc uno peragit Sol aureus anno,
Aſſequiturque iterum germanam, iterumque relinquit,
Lunaremque ſuis claudit congreſſibus annum.
Menſibus octonis ter Mars velocior orbem
Aſſequitur Solis, duodenis Juppiter annis,
Saturnus [3] totidem, ſi ter ſex inſuper addas,
[4] Circumagit [5] flexum qualem Sol aureus unum.
Quo magis hoc animo poſſis comprendere, finge
Eſſe ſimul cunctos Tauri ſub fronte planetas,
Molirique ſuos non æquo tramite greſſus.
Quo lenta ſe quiſque magis vertigine torquet,
Longius a Tauro ſpatio breviore recedet:
Ac citius rurſum occurret ter Luna novenis
Lucibus, & clara Tauri ſub fronte micabit,
Quo vix perveniet longo Sol aureus anno,
Mars geminis, brumas poſt bis ſex Juppiter, [6] ignes
Falciferi quo bruma Dei triceſima ducet.
Quod ſi oculis juvet iſtius ſpecimen tibi motus
Subjicere, in bibula labor eſt non magnus arena,
Per ſeriem octonos ut ducat circinus orbes,
Semper ut exterior ſpatiis brevioribus [7] arctum
Ambiat internum; extremas cujuſque per oras
[8] Nominibus numeroque æqualia pone planetis
Robora curſorum, lentiſque perambulet orbem
Paſſibus internum interior, ſemperque deinceps
Quiſque gradu paullo properet majore: ſupremus
Ambitus, atque idem longiſſimus, orbis imago
Signiferi, raptim pedibus peragretur anheli

Cur-

1 *Sic ſpatium*] Hos verſus ſic emendat Ad. Regius,

Sic ſpatium novies ternis quod Luna diebus
Conficit, hoc uno Phœbus decurrit in anno:
Quem fugit ac ſequitur germana, iterumque relinquit.
Lunaremque ſuis claudit congreſſibus annum.
Menſibus octonis ter Mars bis tardior orbem
Regreſſus peragit: duodenis Juppiter annis:
Quem decies ternis Saturni ſidus oberrat.

2 *Conficit hoc*] Ita exhibent Editiones Pincieri, Commel. & 1594, at And. Hart, aliæque,

Conficit, hoc una prope luce minus peragit Sol,
Aſſequiturque iterum, &c.

3 *Saturnus*] Deeſt hic verſus in recentioribus.

4 *Circumagit*] Deſideratur hic verſus in editionibus vetuſtioribus.

5 *Flexum qualem*] MS. *flexum poſtquam.*

6 *Ignes*] Editt. Pincieri, Commel. & 1594.

Mars geminis brumis, poſt bis ſex Juppiter æſtus,
Altiferum quo bruma Deum triceſima ducet.

7 *Arctum*] Prædictæ Editt. & MS. *arcum.*

8 *Nominibus*] Ita omnes & ſcripti & typis cuſi: mihi vero vix dubium eſt quin *Mominibus* Buchananus ſcripſerit; ita enim Pincierus pag. 155. ver. 2. & pag. 160. v. 33.

Curſoris, qui tardigrados fugiatque prematque
Anguſto lentos ſignantes limite gyros.
Sic ubi veloces emiſit carcere currus
Prætor, &in magno fervent certamina circo,
Hic Veneto favet, hic Praſino, & clamore ſecundo
Quiſque ſuos animans ſtudiis ardentibus urget,
Dum teretem calidus metam circumvolat axis.
Interea ſi laſſus equus defecerit, aut ſi
Non ſatis increpuit lentis auriga flagellis,
Injecitve moram fracto rota debilis orbe:
Dum reduci curru ſperatæ præmia palmæ
Victor habet, quintum gyrum vix ultimus implet
Præteritus toties, toties prior urget & inſtat.
  Nec me adeo fallit veterum ſententia multis
Credita jam ſeclis, penituſque in mentibus hærens,
Orbis ad occaſum quod ſeſe ſemper ab ortu
Torqueat extremus, motu invariabilis uno,
Ac reliquos orbes celeri vertigine ſecum
Corripiat, ſeſeque ſequi prope paſſibus æquis
Cuncta ſuis cogat famulantia legibus aſtra,
Quocunque incubuit: ſeptem tamen uſque reſiſtunt,
Qua licet, errones, tentantque [1] accedere ad ortum:
Illa igitur proprio motu cum ſemper ad [2] ortum
Confugiant, pugnentque adverſos volvere gyros,
Adverſos quoque Signiferi urgent ignibus ignes,
Inque dies paullum effugiunt, retroque recedunt,
Nec ſemper cum ſupremo veſtigia cœlo
Juncta ferunt, peraguntque ſuos æqualiter orbes:
Sed quo citerior quiſque eſt, minus impetus illum
Longinqui vincit cœli: quo quiſque recedit
Longius a terris, propiuſque admotus Olympo eſt,
Hoc magis obſequitur, violentique ætheris audit
Imperium, vique obnitens licet uſque repugnet,
At lapſu ſenſum prope decipiente recurrit.
Sic quod tricenis ſpatium Saturnius annis
Regreditur cœlo contra obluctante propinquo,
Lucibus hoc ipſum peragit ter Luna novenis:
Tanto quippe minus longinquo obnoxia cœlo,
Quam magis a domino ſemota eſt imperioſo.
  Neve uno geminos mirere in corpore motus
Adverſos, ſpectare jubent, cum concita remis

It

1 *Accedere ad ortum*] And. Hart, *recedere ab ortu.*

2 *Ad ortum Confugiant*] Idem, *ab ortu Defugiant.*

Digitized by Google

It ratis, aut vento radit vada ſalſa ſecundo,
Illa quidem properat, qua vis agit acta lacertis,
Aut vento impulſa, aut ablata rapacibus undis:
Interea vector per pinea [1] texta carinæ
Ingrediens, lentoque urgens veſtigia paſſu
Pergit in occaſum, dum navis currit in ortum,
Et pariter geminos fert uno in tempore motus,
Sponte ſua hac properans, illac rapiente carina.
Obſervant exempla alii: vel muſca per haſtam
Cum ſubit adverſam, vel cum ſubrepit in orbem
Se contra vertente rota, & vertigine rapta
Tentat in obliquum ſenſim [2] ſuccedere clivum.
Sic momenta duo contraria corpore in uno
Poſſe putant fieri; naturæ [3] hoc ſponte, ſed illud
Vi peragi externæ debens exordia cauſſæ.
At mihi diverſos in corpore ſimplice motus,
Sive repugnantes, ſive in contraria verſos
Naturæ ingenio nemo perſuaſerit auctor:
Sive ille Aſſyriis cœli obſervator in oris,
Sive Pharon propter, celſæ aut Carthaginis arces,
Seu fuerit doctis ſophiæ ſcrutator Athenis.
Unus enim eſt uno ſimplex in corpore motus
Simplice, nec rurſus credam cœlum obice cœlo
Aut tardare ſuos aut retro flectere curſus.
Nempe ea corporibus ſolis conceſſa poteſtas
Eſt, ut ſe impediant, aut indupedita quieſcant,
Aut alio remeent, quam quo fert impetus illa
Naturæ, [4] quibus eventis contraria conſtent
Eventa, ut flammæ gelidis, humentia ſiccis.
At quibus hæc inſunt, pereunt, perimuntque viciſſim,
Et faciem immutant, minuuntque, augentque, nec unquam
Inconcuſſa manent, æterna exercita pugna,
Sed cœli nulla facies vertente ſenecta
Permanet, eventis nullis obnoxia, nulli
In ſe propterea civili obnoxia bello.
Forſitan & quæras, quæ ſit fine fine rotati

Mate-

1 *Texta*] Pincier. Commel. & 1594. *tecta*.

2 *Succedere*] MS. *ſubrepere*.

3 *Hoc ſponte ſed illud —— debens*] Sic legendum, monente viro docto, quanquam ſine auctoritate codicum: Pincier. Commel. & 1594, legunt *hunc illum* & *debentem*: ſed *hunc illum & debentem* non reſpondent antecedenti *momenta*.

4 *Quibus eventis*] Pincier. &c. *quorum eventis contraria pugnent*.

Materies cœli, nullam [1] quæ feſſa quietem
Accipiat, nullis per tot labentia ſecla
Deterior damnis, nullo pollentior auctu,
Solaque tot claudens fluxarum ſemina rerum
Nulla ſeneſcentis diſcrimina ſentiat ævi.
Primum corporibus non eſt vis illa quaternis
Quæ renovânt omnes genitali e ſemine fœtus,
Congreſſu vario permixta, abeuntia rurſus
Interimunt, & perpetuis exercita pugnis
Mutant innumeras varie coëuntia formas.
Nam ſi terra forent cœleſtia templa, vel humor,
In medium ruerent mundi collapſa deorſum,
Quem ſortita unum ſunt omnia pondera motum.
Sin foret [2] ætheriæ compages extima ſphæræ
Aurarum [3] e levibus flabris, tenuive vapore
Ædificata ignis, recta per inane mearet
Materies ſurſum nulloque coërcita vallo
Exterius [4], nullis offenſibus indupedita,
Diffluerct per inane vagum, & diſperſa periret,
[5] Et nuſquam in certa ſtatione coacta maneret,
Et nuſquam inteſtina ſe vi glomeraret in orbem,
Clauderet & ſolido fluitantia corpora vallo,
Et ſeſe fugiens nullo eum fine ſequenſque
Flecteret innumeros ſua per veſtigia gyros.
Nam quæ [6] naturæ propriæ non ſponte feruntur
Corpora, perpetuo nequeunt [7] æquoque tenore
Volvere ſe motu: at naturæ non minus ignis
Pugnat, ut in gyrum [8] remeet, quam limite recto
Si ruat in præceps, terramque peteſſat inertem.
Ergo eum deorſum tellus moveatur & humor,
Surſum aër, ſurſum fugiat vegetabilis ignis,
Cœlum in ſe rediens æternos circinet orbes;
Diverſam cœli vim materiamque fatendum eſt.
Quo minus id dubites, ſie accipe: eorpora cuncta

Na-

1 *Quæ*] Pincier. Commel. & 1594. *quod.*

2 *Ætheriæ*] MS. *extremæ.*

3 *Aurarum e*] Ita legit vir doctus ex MS. cum in aliis ſine *e* legeretur.

4 *Exterius*] Ita legit ex MS. ſuo vir doctus: at Edinb. eaque priores, *Externis.* MS. *Externis nullis.*

5 *Et nuſquam*] MS. *Et nunquam*: & mox *in certa.* Elzev. 1621. Waesberge 1660. Cairns 1677 *incerta* unica vocabulo: male.

6 *Natura propriæ non ſponte*] Pinc. Commel. & 1594, *Natura non impellente feruntur.*

7 *Æquoque tenore*] Prædictæ Editt. *æquique tenoris.*

8 *Remeet*] Eædem, *redeat.*

Digitized by Google

Naturalia ſponte ſua per ſeque moventur,
Permutantque locum, vis propria [1] ſcilicet ollis
Inteſtina ciens motum Natura vocatur.
Omne autem corpus vel ſimplex ſimplice motu
Deproperat curſum, vel mixtum mobilitate
Incerta nunc huc agitur, nunc pellitur illuc
[2] Semper, conſilii quo pars violentior urget.
At [3] duo cum pura pollentia ſimplicitate
Corpora ſint, vel quæ coëunt contracta rotundam
In faciem, vel quæ recto ſe limite tendunt;
Simplicibus totidem formas natura meandi
Corporibus tribuit: quædam volvuntur in orbem,
Et circa medium punctum indefeſſa recurrunt:
At centrum fugiunt alia, aut ſe limite recto
Præcipitant mediam properantia tangere metam,
Ni vetet & celerem ſiſtat vis obvia curſum.
Quantum in ſe eſt igitur, cum nunquam Elementa rotundos
Efficiant [4] gyros, corpus quintum eſſe neceſſe eſt
Hæc præter, quod perpetuos ſinuetur in orbes
Sponte ſua, tanto divinius omnibus illis,
Quanto ſit formis præſtantior omnibus orbis.
Quod ſi naturæ vi cœli cærula templa
In ſeſe remeent ſemper, peragantque perennes
Circuitus, etiam pars quantulacunque revulſa
Corpore de cœli motu rapietur eodem,
Et globuli [5] finget faciem [6] omni ex parte rotundi.
Sic cum ſe nubis gravidæ profudit ab alvo
Agmen aquæ pluviæ, magnum per inane rotatæ
Se glomerant guttæ, & qua vis fert ponderis illas,
Ima petunt, & ſeu frondis, [7] viridive potitæ
Graminis hoſpitio pendent, coguntur in orbem:
Lubrica paullatim donec per ſaxa, per herbas,
Perque cavas [8] valles, declivi tramite, matris

Cæru-

1 *Scilicet ollis*] MS. & vetuſtiores editi, *ſcilicet illis.*

2 *Semper conſilii*] MS. *Semper & inſequitur quos pars.*

3 *At duo*] Pincier. Commel. & Editio anni 1594, pro hoc verſu & duobus ſequentibus habent quinque,

Duplicia aſt pura cum prædita ſimplicitate
Corpora ſint, vel quæ nullis obnoxia damnis
Conſtituunt cœli firmis compagibus aulam:
Vel variis vicibus varias ſubeuntia formas
Noctivagæ Phœbes gremio comprenſa tenentur.

4 *Efficiant gyros.*] Iidem libri, *In gyros currant.*

5 *Finget*] MS. *effinget.*

6 *Omni ex parte*] Pincier. Commel. & Editio anni 1594. *faciem de parte.*

7 *Viridive*] Iidem, *viridiſve.*

8 *Valles*] And. Hart & recentiores, *foſſas.*

Digitized by Google

Cæruleum in gremium inſinuatæ ſponte [1] quieſcant.
Nam cum ſit cœlum, velut humor, & ignis, & aër,
Corpus ὁμοιομερὲς, ſi quid natura [2] benigna
Indulſit toti cœlo communiter, uni-
Cuique dedit parti ingenio ut frueretur eodem.
Ergo, cum cœli vis ſit nativa rotari,
Continuo pars nulla ejus de corpore magno
Avulſa in terras caderet, ſurſumve volaret,
Sed ſervaret eum, ſibi quem natura meatum
Primigena eeſſit (ſe circum ut volveret) hora.
Quod ſi nec (levibus quæ vis primæva movendi eſt
Addita corporibus) ſurſum ſe limite recto
Tolleret, aut (gravibus quæ vis eſt una) deorſum
Sideret, haud illi levitatem aut pondus ineſſe
Certum eſt, rectivagi quæ ſunt primordia curſus.
Nec procul a vera, reor, is ratione recedet,
Qui neget, aut gigni naturæ viribus aſtra
Poſſe, vel affectum ſenio tabeſcere cœlum,
Aut [3] abitu minui, cognati aut corporis auctu
Creſcere: materiam nam vis contraria mutans,
Ex aliis alias mutat reparatque figuras.
Frigida enim calor interimit, ſtringentia corpus
Frigora vitalem poſtquam pepulere calorem,
Mors ſubit, in tenues vaneſcit ſpiritus auras,
Aridaque [4] uveſcunt nimium, & jejunia longa
Paullatim extenuant, atque humida corpora ſolvunt.
Nec naſci eſt aliud, quam formæ acceſſio; fingens
Materiam, faciemque novans; mortemque vocamus,
Expulit aſſuetam cum vis contraria formam.
At neque [5] vis [6] motu eſt ulli contraria, nuſquam
Eventa eventis cœli [7] pugnantia certant,
Quæ varient ejus faciem, [8] mutentque, vel ævi
Dentibus attritum cogant ſuccumbere fato.
Congeries nuſquam eſt cognati corporis, unde
Augmina ſuſcipiant, vel quo detracta recurrant
Corpora ſiderei molem attenuantia, templi.
Quin & naturæ non expugnabile cœlum
Viribus, æternis longa obſervatio ſeclis

Sen-

1 *Quieſcant*] MS. *quieſcunt.*
2 *Benigna*] Pincier. &c. ac MS. *benigne.*
3 *Abitu*] Commel & 1594, *obitu.*
4 *Aridaque uveſcunt*] Pincier. Commel. & 1594. *Aridaque humor alit, ſitis & jejunia.*
5 *Vis motu eſt ulli*] MS. *vis illa eſt cœlo contraria.*
6 *Motu*] Pincier. &c. *cœli.*
7 *Pugnantia*] Pinc. Commel. & 1594. alii vero, *contraria.*
8 *Mutentque*] MS. *mutentve.*

Senſibus oſtendit. Quæcunque obnoxia fati
Legibus occaſus vicibus mutantur & ortus,
Senſus in iis diverſa notat tria tempora, vel cum
Creſcendo augeſcunt, ſimul & cum tempore vires
Et molem accipiunt: vel mole & viribus aucta,
Quantum naturæ ſinit [1] inviolabilis ordo,
Creſcendo ad ſummum jam pervenere cacumen:
Vel cum victa ſitu, & defecta ſenilibus annis,
Sponte retro redeunt, ævoque ſoluta fatiſcunt.
Hæc data creſcendi fato lex omnibus, aut quæ
Nata ſolo, ſed fixa ſolo radice tenentur,
Aut quæ flexibiles animati corporis artus
Sponte movent, mutantque locum, volucreſque feræque
Nataque cæruleis Neptunia monſtra ſub undis:
Cumque ipſo quibus eſt major cognatio cœlo,
Secla hominum hac certa fatorum lege tenentur,
Semper ab exiguis ut progreſſa incrementis
Augeſcant, & cum robur tetigere juventæ,
Paullatim lenta vires minuente ſenecta,
Declinent, iterumque ſua in primordia cedant.
At quibus a primis rerum natalibus uſque
Cura fuit cœli faciem, motumque modumque
Obſervare, & ſolertis monumenta laboris
Poſtera per memores vulgare in ſecula faſtos,
Nullum ævi imperium ſenſere in corpore cœli:
Sic iiſdem ſpatiis eadem intervalla diremtis
Sideribus perſtant, idem [2] vultuſque colorque,
[3] Et modus & numerus, [4] facieque & partibus iiſdem
Surgunt mane faces, ſero & ſe veſpere condunt,
Atque iiſdem accendunt quibus olim lumina terris,
Aſſervantque unum nihil immutata tenorem.
Hæc ita cum perſtet rerum conſtantia certa
Immutabilis, æternoque immobilis ævo;
Perſtat item cœlum, ſcabræque immune ſenectæ
Non damna innumeris ſeclis, non augmina ſentit.
Nec tamen adverſis quamvis obnoxia cauſſis
Aurea flammantis non ſint palatia cœli,
Protinus orbatum credam natalibus orbem,
Et ſua non ulli debere exordia cauſſæ,

620 In-

1 *Inviolabilis*] MS. *invariabilis.*

2 *Vultuſque colorque*] MS. *vultuſque calorque.*

3 *Et modus & numerus, facieque*] MS. *Et modus & numerus facieſque: e partibus* —

4 *Facieque*] Ita legendum ſuadet vir doctus, And. Hart, *facieſque e*, antiquiores, *facieſque &*.

Ingenitum [1], ſemperque novum, ſemperque vetuſtum,
Vique ſua æterno peragentem ſecula motu.
Nam neque materiæ vis eſt ea, ut [2] ipſa movere
Se queat æternum alterius non indiga cauſſæ.
Quicquid enim ſpecie motus quacunque movetur,
Altera protrudit vis id violentior. Atqui
Cum nequeat ſeries eſſe infinita moventum,
Quæ ſeſe pariter fugiant ſine fine premantque,
Eſſe aliquam primam vim naturamque neceſſe eſt,
Cætera quæ motus [3] expers queat ipſa movere
Sponte ſua, non externis obnoxia cauſſis.
Hanc veteres, ducti rationis lumine, cæcis
Naturæ in tenebris videre, & corpore caſſam
Deprehendere poteſtatiſve, ævive, locive
Limite concluſam nullo, excluſamve, ſed omnia
[4] Complexam, totamque in toto corpore mundi
Partibus & cunctis fuſam, quæ viribus iiſdem
Fulciat & moveat, vegetet, foveatque novetque
Quicquid in immenſa eſt brutum aut vegetabile rerum
Congerie, quam nec vox fando, oculuſque videndo,
Aut ſubtile queat complecti mentis acumen.
Sed nec magni operis moles, [5] & ſemper in orbem
Motus, & æterno manans de fonte caloris
Vis vegetabilis, & rerum [6] inviolabilis ordo
Ignorare ſinit; nec gens tam barbara terris
Errat in incultis, ut non, cum ſidera ſpectet,
Fulguraque & vaſto tremefactum murmure cœlum
Audiat, eſſe Deum credat, vim ſcilicet illam,
Quæ regat immenſam juſto moderamine molem,
[7] Et moveat noſtros per tot miracula ſenſus.
Hanc igitur tantam vim, nec rationis egentem,
Tempore nec laſſam, nec fractam viribus ævi
Credere nos fas eſt, nec cogi viribus ullis,
Sed ſponte æternos mundi convertere motus.

1 *Ingenitum*] Pincier. &c. *ingentem*, ubi etiam & apud A. Hart hic verſus præcedentem anteit.

2 *Ipſa*] Ita Pincier. &c. alii autem, *ipſa manere Sic queat*. MS. *queant*.

3 *Expers queat*] MS. & Hart. *queat expers*.

4 *Complexam*] MS. *Amplexam*.

5 *Et ſemper*] MS. *Nec ſemper*.

6 *Inviolabilis*] MS. *invariabilis*, & ita MS. Gul. Geddei.

7 *Et moveat*] MS. Pincier. Gen. 1594, Commel. *Ut moveat*.

GEOR-

GEORGII BUCHANANI SCOTI
DE SPHÆRA
LIBER III.

HACTENUS in vaſto late exſpatiatus Olympo,
Axe vago, nuſquam hoſpitio, nuſquam lare certo,
Collige, Timoleon, laxas paulliſper habenas;
Ingentes campos immenſique ætheris æquor
Circumſcribe animo, & tranſverſis mœnia mundi
Digere limitibus mecum : [1] ut mens edita cœlo
Aſſueſcat patriam paullatim agnoſcere ſedem:
Dum foliis auræ crepitant, dum molle renidens
Pratorum conſpirat honos, dum dexter Apollo,
Et non difficiles indulgent carmina Muſæ.
Sidera præcipiti [2] curſu revolubilis æther
Indefeſſa trahit ſecum, noctesque dieſque
Perpetuo remeans ſua per veſtigia gyro.
At penetrans paribus libratæ viſcera terræ
Ponderibus medius ſtat nullo mobilis ævo
Axis, & hinc atque hinc extremis partibus orbem
Stelliferum tangens, geminis determinat [3] omnem
Cardinibus mundum immotis, quos Græcia dixit
Ingenioſa Polos: alter ſublimis ad Arcton
Surgit, & æquoreis metuens ſe tingere lymphis
Conſpicuum totis oſtendit noctibus ignem,
Vicinaque ſibi fecit cognomen ab Urſa.
Alter in adverſa mundi regione [4] ſub undas
Conditur Oceani, noſtris incognitus oris,
Antipodum late regnis illuſtris ab Auſtro
Qui madidis illinc advolvit nubila pennis.

Hi

1 *Ut*] Ita legit vir doctus e MS. ſuo, cum libri omnes ante editi ac MS *&* haberent. *fluxu*, alii *flexu*.

2 *Curſu*] Ita Pincier. Commel. & Editio anni 1594, And. Hart, & MS.

3 *Omnem*] Pincier. &c. *illic*.

4 *Sub undas*] Pincierus, *ſub undis*.

Hi Polon Auſtrinum dixere, Antarcticon illi,
Quod regat inferni per [1] marmora ſpumea mundi
Nocte rates fera, Arcadicæ contrarius Urſæ.
Inde ter octonas a cœli vertice partes
Defugiens cyclus cœlum ſecat Arcticus: illi
Nomen ab Arctoo quod non procul axe recedat.
Altera majori ſecat orbem linea gyro,
Qua Sol æquorei propior per ſidera Cancri
Scandit, & æſtivas in longum porrigit horas,
Et lento repetens Atlantica littora flexu
Contrahit anguſtas ſpatio breviore tenebras.
Hanc ubi contigerit metam Phœbeius axis,
Rurſus in humentes ſenſim delabitur Auſtros.
Et quia non flammis unquam propioribus Arcton
Aſpicit, æſtiva locus a ſtatione vocatur
Solſtitium: æſtivum quoque nomen ſumit ab æſtu.
Circulus [2] hic decies ſeptem eſt a vertice mundi
Excluſus ſpatiis. Medii poſt orbita cœli
Ingenti cingitque & dividit æthera ſpira,
Lanigeri pecoris juſtæque exordia Libræ
Percurrens ab utroque polo par diſtat, utrumque
Ex æquo ſpectat, noctes æqualibus horis
Partitur cum luce, æqua cum frigore flammam
Temperie jungens autumno & vere tepenti:
Hic hiemes nimias, nimios hic mitigat æſtus,
Per ter tricenas diſtans a vertice partes:
Omnia quod ſpatiis rerum momenta prope æquis
[3] Dividit, Auſonio Æquator cognomine dictus.
  Proximus a media mundi ſtatione recedit
Solſtitii hiberni gradibus ter circulus octo:
Brumalem noſtris hunc appellamus in oris.
Quem Sol cum tetigit gelido Ægocerote potitus,
Et penitus pluvios ſeſe dejecit in Auſtros,
Bruma riget nobis, canis adoperta pruinis
Terra latet, glacie pigra frenatur aquarum
Impetus, & nemorum Boreas populatus honorem
Spumiferos [4] volvit pelagi cum murmure fluctus,
Et vix immenſam [5] finit lux turbida noctem.

At

1 *Marmora ſpumea*] MS. *ſpumea marmora.*

2 *Hic*] Ita And. Hart: numerum rotundum 70 pro vero 66 cum dimidio poſuit: Pincier. &c. *Circulus undecies ſenis a.* In auctoris autographo ſe legiſſe teſtatur Ad. Regius, *Circulus hic decies ſeptem.*

3 *Dividit*] MS. *dividat*, & rectius.

4 *Volvit pelagi*] MS. *pelagi volvit.*

5 *Finit*] Commel. & 1594, *ſequitur.*

At quibus adverſo domus eſt ſub cardine cœli,
Perpetuaque vident fulgentem nocte [1] Canopum,
Iis vix longa brevi concedunt lumina nocti:
Et cum Sol mediam cœli terit arduus arcem,
Tum male pubentes defendit pampinus uvas,
Tum pecori raræ præbent umbracula ſilvæ.
Ultimus [2] adverſum eſt qui circuit ambitus axem,
Ignotumque polum atque oculis aſtra invia noſtris:
Totque ſuo diſtat ſpatiis a cardine, quantum
Circulus Arctous glaciali diſtat ab Arcto;
Totque gradus fugit a brumali limite Solis,
Carcinus [3] Arctoo quantum ſecedit ab orbe.
Cingitur his cœli revolubilis area ſpiris
Quinque, pari ſemper diſtantibus intervallo:
Unde Parallelis nomen fecere Pelaſgi.
Præterea gemini cœlum cinxere Coluri,
In gemino ſeſe ſcindentes vertice mundi.
Hi reliquos omnes qui ſignant æthera gyros
Tranſcurrunt, dirimuntque in partes quattuor æquas.
A nitidis [4] Phryxi vectorem dividit alter
Piſcibus, & ſurgens occulti a vertice mundi
Per Libram ad gelidam redit, unde [5] occeperat, Arcton.
Alter ab Arctoo decurrens vertice Cancrum
Separat a Geminis, inde inclinatur ad axis
Inferni caput, ac rurſum Ægocerota pererrans
Autumno [6] dirimit brumam, & caudam ad Cynoſuræ
In ſeſe coiens perfectum circinat orbem.
Hos, quia pars nobis ſemper latet abdita cæcis
Sub mundi adverſi tenebris, dixere Coluros.
Alter ab æquatis tenebris cum lucibus, alter
Cognomen gemina Phœbi a ſtatione recepit.
Hos ſuper obliquo percurrit limite cœlum,
In latum gradibus bis ſenis æthera ſignans
Signifer [7], innumera flammarum luce coruſcus
Signifer, hoſpitiumque Deum, moderator & anni,
Diſpenſans ſpatiis labentia tempora certis.
Hic auro gravidas Phœbus molitur habenas,

Hic

1 *Canopum*] MS. & Hart. *Canopon.*

2 *Adverſum eſt*] Pincier. *adverſum circumvenit ambitus.* Commel. & 1594, *adverſum qui circuit.*

3 *Carcinus Arctoo*] Pincier. *Arctoo æſtivus.*

4 *A nitidis*] Pincier. Commel. & 1594, *Aulidis Phryxi.*

5 *Occeperat*] Pincier. Commel. & 1594, *inceperat.*

6 *Autumno*] Editt. prædictæ, *Hac imam dirimit.*

7 *Signifer*] Deeſt hic verſus in memoratis Editt. MS. *Totus & innumera.*

Hic varias ponitque & ſumit Delia formas,
Hic quinque Errones, ſed certis legibus errant,
Exercentque ſuas cœlo [1] gaudente choreas.
Nam reliquos cœli, qui ſignant æthera, gyros
Longa hominum varios ſolertia finxit ad uſus.
Hi [2] fugiunt aciem viſus, tantumque [3] notari
Mente queunt ſola, tenues ſine corpore [4] ſpiræ.
Ipſe aſper gemmis & multo balteus auro
Invitat ſpectantum oculos, & nocte ſerena
Illuſtrat tacitum [5] jucundo lumine mundum.
Neve oculos fugiat cupidos, ſatietve videndo,
Dum renovat mutatque vices remeabilis anni,
Nunc hanc, nunc illam terris dat cernere partem:
Et ſeu bruma diem ſpatiis brevioribus arctet,
Torrida ſeu longas æſtas exporrigat horas,
Seu ver [6] autumnuſque æquet cum lucibus umbras,
Signa dies condit ſex, & totidem retegit nox,
Dimidiumque oculis pandit ſpectabile noſtris.
Hunc quoque qua longo præcingit limite mundum
In partes veteres ter diviſere quaternas,
Cuique ſuum nomen tribuentes, cuique figuram,
Cuique ſuos certis comprenſos finibus ignes,
Qui fingunt variis animantum corpora formis.
Primus ad Auroram circum cava tempora flexa
Cornua contorquens Aries, cœleſtia pandit
Limina [7] ſignorum, doctorque & janitor anni,
Aurato inſignis villo de nocte ſerena,
Ter ſex exiguis variatus corpora ſtellis.
Has, ubi fraternis exſurgit Delia flammis
Æmula, ceu domina cedens veniente, recondit,
Deſtituens viſus, & ni vicinia claris
Luceret ſtellis, etiam locus ipſe lateret.
Hunc (quia vel Phryxum avexit Phryxique ſororem,
Cum fugerent ſævæ furias fraudemque novercæ:
Vel quia per calidas Libyæ ſquallentis arenas
Bacchus ab Eois agmen cum duceret oris,
Jamque ſiti nimia nimio ſub Sole labantes
Deficerent artus, feſſis oſtenderet undas)

1 *Gaudente*] Editt. prædictæ, *gradiente.*
2 *Hi fugiunt*] And. Hart, *Ut fugerent.*
3 *Notari*] Idem, *notare Mente queant.*
4 *Spiræ*] Idem, *ſpiras.*
5 *Jucundo lumine*] MS. Geddei *jucundo ſidere.*
6 *Autumnuſque*] MS. *Autumnuſve.*
7 *Limina*] Ita MS. exhibet. Pincier. in margine adſcriptum habet, quod magis probo: alii libri editi fere omnes *Lumina.*

Juppiter in cœli media regione locavit,
Qua ſecat æquatrix obliquam linea Zonam,
[1] Quique hiemes placido gelidas a vere Colurus
Separat, in partes hanc atque hanc dividit æquas.
Proxima Sidonii fulgent illuſtria Tauri
Sidera: quinque Hyades per frontem & cornua ſparſæ
Fata gemunt fratris, fraternaque fata gementes
Irrorant tepidis ſitientes [2] imbribus agros.
Laxa etiam rutilis lucent palearia flammis
Tergaque, nec genibus pedibuſve illuſtria deſunt
Sidera, nec ſegnis torpet ſine lumine venter.
Ultima lucis egens tenues vaneſcit in auras
Pars, Athamanteum [3] niſi quæ pecus ante puſillis
Igneſcit [4] facibus, cognataque ſidera jungit.
Hic [5] Atlantiadas extremum includere Taurum
Fama canit ſeptem, ſed ſeptima rara videri
Abſcondit mœſtos tenui caligine vultus:
Seu dolor in cauſſa eſt, & adhuc lacrymabile Trojæ
Exitium deflet, faciemque Electra recondit:
Sive timor, magnum fugiens quod Oriona ſeſe
Defendat tenebris: ſive indignata cubile
Siſyphium lateat Merope, quod ſola ſororum
Paſſa [6] ſit imparibus connubia jungere tædis.
Hæ licet haud magnis illuſtrent æthera flammis,
Magnum nomen habent: quod tempora commoda ſignent
Meſſibus, & ſulcis ſemen mandare ſubactis.
Hoc igitur ſpatio procumbit poplite flexo
Taurus Agenoreus roſeum converſus ad ortum,
Ad gelidas arctos, æquantem lumina ſpiram
Noctibus effugiens: hunc Juppiter intulit aſtris,
Vecturæ ſolvens pretium, quod ab Aſide terra
Incolumem Europam Cretæas vexit ad oras.
Jam mihi Ledæos concordia pectora fratres

Suſpice

1 *Quique hiemes placido*] Imprudenter poëta noſter Arietem in ſectione verna hic reponit: cujus prima ſtella totis 28 fere gradibus inde abeſt, & 17 gr. 25 min. in Boream declinat. *Ad. Regius.* Atqui Buchananum non Poëtarum modo, ſed & Aſtronomorum quorundam ſic loquendi conſuetudo facile excuſat.

2 *Imbribus*] Pincier. Commel. & 1594, *nubibus.*

3 *Niſi quæ*] MS. *Niſi qua*, & rectius mea ſententia.

4 *Igneſcit*] Ita potius legendum arbitror cum Pinc. Commel. & 1594, quam *Igneſcunt* & *jungunt*, uti in omnibus aliis codicibus.

5 *Hic Atlantiadas*] Ita libri prædicti, alii omnes, & MS. *Remur Atlantiadas.*

6 *Paſſa ſit*] Pincier. Commel. & 1594, *Juſſa ſit*, & Pincier. in margine habet *auſa.*

Digitized by Google

Suſpice perſpicuis inſignes corpora ſtellis.
Verticibus ſuperant ſpiram, qua flectit habenas
Arduus Æthiopas Sol cum rapidiſſimus urit,
Nulla Syenitas cum protegit umbra colonos.
Promeruit cœlum pietas, mortiſque viciſſim
Diviſæ cum fratre moræ, Ditiſque ſeveri
Alternis ſubeunda domus: data proxima ſedes
Solſtitio, liquidum qua cingens linea cœlum
Præcipitis [1] dirimit confinia veris ab æſtu.
 Proximus his denſos Cancer Junonius ignes
Explicat, Herculeis auſus ſubrepere plantis
Forcipe vulnifica infeſtus, cum ſcilicet heros
Comprimeret flammis creſcentem in vulnera Lernam.
Hunc pede contritum Alcides occidit, in aſtra
Intulit occiſum implacabilis ira novercæ,
Perque caput chelaſque & duri tegmina dorſi,
Aſperſit denſas non multo lumine ſtellas.
 Dein [2] Nemeæs terror Lunæque horrendus alumnus
Aſpicit adverſum adverſus conſurgere Cancrum:
Hunc [3] etiam Herculeis non æqua laboribus inter
Sidera nutrivit Juno: Tyrinthius heros
Exitium late pecori dominiſque ferentem
Immanem immanis proſtravit vulnere clavæ:
Cœlum Juno dedit cæſo, magnoſque per artus
Accendit claras illuſtri lumine ſtellas.
 Pone ſubit pedibus Virgo ſubjecta Bootæ,
Luminibus flagrat caput, & manus, & ſinuoſæ
Collucent tunicæ, [4] lucet pes, lucidus alis
Ignis inardeſcit, maturis lucet ariſtis.
Spica [5] manus dextræ: nec promtum exponere nomen
Virginis eſt: ſive illa Ceres deſpectat ab alto
Arva, parens legum & frugum, nataque reperta
Jam placata, avidi fortunat vota coloni:
Sive Iſis longis permenſa erroribus orbem,
[6] Jam Dea ſit Phariis de Graja facta juvenca:

Sive

1 *Præcipitis*] Iidem libri *Præcipiti*, male.

2 *Dein*] Prædicti libri, *Tum Nemees*.

3 *Etiam*] Prædicti libri, *etenim*.

4 *Lucet pes, lucidus alis Ignis inardeſcit*] Deſunt hæc in prædictis libris. In Pinc. marg. pro *tunicæ*, *mammæ* adnotatur.

5 *Manus dextræ*] *Manus lævæ*, MS. Quod etiam probat eruditiſſimus Ad. Regius, Ptolemæi, Theonis, Procli & Aſtronomorum conſenſu: notatque primæ magnitudinis ſtellam, quæ Græcis στάχυς, Latinis *Spica* dicitur, ab Hygino & Germanici commentatore in dextra Virginis manu perperam collocari.

6 *Jam Dea ſit*] Pincier. Gen. & Commel. *Nam Dea ſic Phariis d. G. f. j.*

Sive piam Liber, cum fleret fata parentis;
Impoſuit cœlo Erigonem: ſeu lucida ſedem
Vindicat [1] hic terras fugiens Aſtræa nocentes,
Poſtquam operum ſocium primum mactare juvencum
Impia ſuſtinuit ſoboles ætatis ahenæ,
Deinde etiam verſis cognata in funera dextris
Polluit innocuam natorum ſanguine terram,
Æneaque in ſævum mutavit ſecula ferrum.
[2] Nec procul autumni ſævus confinia ſignat
Scorpio, monſtrum ingens, late per cærula cœli
[3] Brachia protendens, & curvæ ſpicula caudæ:
Signiferi ſextam metitur corpore partem,
Erigonæ propior chelarum exporrigit arcus,
Et ſpeciem juſtæ meditatur fingere libræ,
Ut cum luce pares umbrarum examinet horas:
[4] Ac magno tepidos propendens corpore in Auſtros
Effugit æquantem noctes cum luce Colurum.
Sidera pauca quidem rutilo ſplendore coruſcant,
Cætera lucis egent hebeti marcentia flamma:
Juppiter aſtra dedit cæſó decus Orione.
Nec mihi ſemifero, Chiron, indictus abibis
Corpore, nubigenum juſtiſſime Centaurorum;
Saucia crura gemens Lernæi tabe veneni:
Iratus morti inſtanti, nimiumque moranti,
Crudeles Parcas crudeliaque aſtra vocabas.
Non tulit e juſto miſeri ſenis ore querelas
Juppiter: æternumque dedit pro morte petita
Vivere, languiduliſque ornavit corpora ſtellis,
Cruraque & intentum [5] cum telo in Scorpion arcum:
Juſſit & autumni marcentis claudere metam,

Cum

1 *Hic*] Pincier. Commel. & 1594. *hanc.*

2 *Nec procul*] Septimo Zodiaci loco Scorpium reponit, priſcos Græcos & Hyginum ſecutus, qui totum illud ſtellarum ſyſtema quod in Auſtrali Æquatoris confinio Virginem & Sagittarium toto 60 gr. intervallo interjacet, unum ſidus Scorpii appellant. Quo reſpexit Maro Georg. I.

—— *Ipſe tibi jam brachia contrahit ardens*
Scorpius, & cœli juſta plus parte relinquit.

Clarius autem Ovidius Met. II.

Eſt locus in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius, & cauda flexiſque utrinque lacertis
Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.

Poſteriores autem Scorpium in duo ſigna tribuerunt, priorem ejus partem, qua ad Virginem & Æquatorem chelas exporrigit, Græce ζυγὸν, Latine *Libram* appellantes: poſteriorem vero partem, corpus & caudam complexam, ſignum octavum, peculiari Scorpii nomine indito, conſtituentes.

3 *Brachia protendens*] Ita Pincier. Gen. Commel. & Lond. 1686, MS. & alii editi, *portendens.*

4 *Ac magno*] MS. *At magno.*

5 *Cum telo in*] Pincier. Commel. & 1594. *Intentum cœli prope ſcorpion arcum.*

Cum gelida donec faciat divortia bruma
In Tropico linquens Sol autumnum [1] Capricorni.
Hic anni taciturna quies, ſine murmure venti
Alcyone tutos præſtant ſuper æquora nidos.
Terra gelu conſtricta jacet, nix candida molli
Vellere torpentes operit cum frugibus agros:
Donec debilibus flammis Phœbeius axis
Stellatum Ægocerota intrans, Aquilonis ad auras
Scandere paullatim tentet, nimiumque morantem
Lucibus exiguis cogat concedere noctem.
Hunc cœlo impoſuit Liber, [2] quod forte Typhœa
Cum [3] fugerent, Diique in varias formidine formas
Mutati ſeſe tegerent volucrumque ferarumque,
Ipſe ſub hirſuti velatus tegmine capri
Vitavit calidas hac fraude Typhoeos iras,
In cœloque ſui poſuit monumenta pericli.
Non procul inflexa lymphas effundit ab urna
Phryx puer (Idæis tendentem retia ſilvis
Armiger in cœlum rapuit Jovis:) [4] ignibus olli
Ardet apex, ardent humeri, & cum pectore mammæ,
Et [5] manus & lumbi, genuum nitet ignibus orbis,
Stellatique pedes; qua prona inflectitur urna,
Stellarum [6] liquidis ſeries intermicat undis.
Hunc inter Phryxique pecus, cœleſtia pingunt
Æquora ſquamigeri Piſces: Borealibus auris
Hic propior majorque, Noto vicinior ille:
Collucent parvis per [7] lucida corpora ſtellis.
Alter ad alterius caudam ſe vertit, utrumque

Bis

1 *Capricorni*] MS. Hart. & alii quidam libri, *Capricorno*.

2 *Quod forte Typhœa*] Pincier. Commel. & 1594. *monumenta Typhœa Cum fugeret*.

3 *Fugerent*] Pincier. Genev. & Commel. *fugeret*.

4 *Ignibus olli*] Obſervat accuratiſſimus Regius poëtam noſtrum hanc ſtellarum Aquarii Aſtrotheſiam ex Hygino traduxiſſe: cum autem ille multum diverſus abeat a Ptolemæo & Aſtronomis, qui in capite unam tantum ſtellam reponunt, nullam in cubitis, nullam in pectore aut mammis, in lumbis, genibus aut pedibus nullas; exiſtimat Regius totum hunc locum, ut aptius Aſtronomorum deſcriptioni conveniat, ſic emendandum:

——— Ignibus olli
Ardet apex, ardent humeri & manus utraque, & ulna,
Et femur & clunes, & crura micantia flammis;
Tum quam læva tenet veſtis, ſuſpenſaque dextra
Hydria, & illuſtris qua prona inflectitur urna,
Stellarum liquidis limes intermicat undis.

5 *Et manus & lumbi*] Pincier. Commel. & 1594. *Et manus & venter*.

6 *Stellarum liquidis*] Prædicti libri, *ſeries internatat*; alii omnes, & MS. *limes intermicat*.

7 *Lucida corpora*] Iidem, *lævia corpora*.

Bis ſenis-faculis ſplendeſcens linea jungit,
Et dirimit, veteres quem cœli dicere Nodum
Conſuevere, [1] illic quod hiems finita reducat
In ſeſe volucrem volvendis menſibus annum,
Nectat & extremos cum Phryxæo Ariete Piſces:
Dignatos cœlo Piſces, quod mater amoris
Cum fugeret ſævam cum prole Typhoëos iram,
Jamque iter Euphrates hibernis [2] imbribus auctus
Impediiſſet aquis, ſcindentes flumina pinnis
Lenibus in tuta ſtatuerunt numina ripa.
  Aſtra per hæc duodena regens Sol aureus axem
Partitur celerem duodenis menſibus annum.
  Hunc medium ſpatiis æquis utrinque diremtum
Linea percurrit, per quam Sol aureus axem
Semper agit, nuſquamque ſuo de limite flectens
Hinc atque hinc ſenas magno de corpore partes
Signiferi cernit, per quas errantia curſum
Lumina permutant: propius veſtigia Solis
Sæpe premunt, præeuntve, aut æquis paſſibus ignes
Adjungunt famulos dextra lævaque, nec audent
Longius a domini nitidis divertere flammis.
At Phœbe, nec Signifero contenta vagari,
Qua patet in latum, nunc celſa excurrit in Arcton,
Nunc humili curru [3] madidos deflectit in Auſtros
Explorans vigili terrarum devia flamma.
Dumque redit, mediam tranſverſo tramite ſpiram
Percurrens ſæpe obſcura ferrugine vultum
Ipſa tegit, ſæpe obſcura ferrugine fratrem
Induit, & ſubitis mortalia corda tenebris
Terrificat: [4] Graji hinc fecere Ecliptica nomen,
Sidera quod ſpira hac Titania ſemper in una
Deficiant, trepidiſque negent ſua lumina terris.
  Eſt etiam occulti dirimens confinia cœli
Circulus a noſtri qui ſemper tangitur orbis
Margine, Finitor vero cognomine dictus:
Nam quodcunque ſupra eſt tellurem viſile cœli
Finit ab inferna ſecluſum parte, Polumque
Dividit in geminas æquali mole cavernas.
Harum ſub terris ſemper latet altera, ſemper
Altera conſpicua eſt; partes hic limes in omnes

Serpit

1 *Illic quod*] MS. *Illinc quod h. f. reducit.*

2 *Imbribus*] Pincier. Commel. & 1594. *fluctibus.*

3 *Curru*] Iidem libri, *curſu.*

4 *Graji hinc*] MS. *Grajs huic.*

Serpit humi, terræ extremis & [1] ſtringitur oris.
Nec tamen immota ſeſe ſtatione coërcet,
Terrarum cœlique affixus partibus iiſdem:
Nec pariter mundo circumvolvente recurrit
Semper ad occaſum, roſeo fugitivus ab ortu,
Ceu reliquæ nitidum quæ [2] cingunt æthera ſpiræ:
Sed nunc Parrhaſiam ſenſim ſe flectit ad Arcton,
Nunc pluvios Auſtros, modo ſeſe inclinat ad Eurum,
Et Zephyros fugit, aut ſequitur veſtigia Phœbi,
Et veſpertinas Atlantis radit arenas;
Et quocunque moves greſſum, tecum illa movetur,
Et fugit, & ſequitur, cœlum terraſque [3] recondens
Ante, retro condens, & quantum ſubtrahit una
Parte, alia reddit, cunctaſque volatilis oras
Permutat, ſemperque novus ſemperque vetuſtus.
Finitor viſus viſu finitur, & omnem
Separat in geminas partes æqualiter orbem:
Si neque proſpectum montes valleſque profundæ
Impediant, ſed camporum ſe libera planis
Lumina diffundant ſpatiis, & cuſpide viſus
Undique porrectum feriant nullo obice cœlum.
Hanc igitur quoties metam ſe ſidera ſupra
Tollere cernuntur, ſtellarum credimus ortum;
Cum ſubeunt, oculos & præcipitata relinquunt,
Occaſum appellamus: & hoc ſe limite claudit
Lux intempeſtas fugienſque ſequenſque tenebras.
Et quanquam numero non eſt comprendere certo
Tot Finitores, quod cœli terminus idem
Omnibus in populis non ſit, nec limes eiſdem
Idem permaneat, minimo quoties momento
Mutavere locum: tamen omnes cogere viſum eſt
Sub geminas formas: nam luces noctibus æquans
Circulus incumbens quibus eſt a vertice ſummo
Ad perpendiculum, partes is findit in æquas
Sic Finitorem, ut, qua jungit ſectio partes,
Dimenſis ſpatiis ſic angulus exeat æquus,
Quattuor [4] ut cœlum in partes diſcriminet æquas:
Unde fit ut rectus recte dicatur Horizon.

Hic

1 *Stringitur*] Pincier. Commel. & 1594. *cingitur*.

2 *Cingunt*] Ita Pinc. Commel. & 1594; alii & MS. *pingunt*. Mihi vero *cingunt* magis placet. vid. p. ſeq. vſ. 358.

3 *Recondens Ante*] Ita legendum arbitror, ſublata diſtinctione, quam libri omnes poſt *recondens* hic adhibent.

4 *Quattuor ut*] Deeſt hic verſus in Pinc. Commel. & 1594.

[1] Hic orbis quibus eſt ſitus, una nocte dieque
Conſpiciunt totum ſe circumvolvere cœlum,
Et geminus mundi vertex declivis utrinque
Radit Horizontem, geminoque in vertice ſtellæ
Perſpicue ſurgunt iis omni nocte caduntque,
Et tarda in vetitum demergunt lumina pontum.
At vero quando æquantis prope ſegmina cycli
Illinc obtuſus, hinc angulus exit acutus,
Finitor ſeſe obliquat: Polus alter in undis
Conditur Antipodum regnis illuſtris, [2] & alter
Ducit [3] inoccidua puppes per cærula flamma,
Et dirimit cœlum ac terras obliquus Horizon,
Nec totum nobis facit [4] unquam viſile cœlum.
Hos Finitores, ſed partes ſemper in æquas,
Innumeræ dirimunt [5] cingentes æthera ſpiræ,
Perque Polos ductæ, ſic undique ut exeat [6] æquus
Angulus: at nomen, multis licet, omnibus unum
A medio poſuere die: ſermone vocatur
Quippe μεσημερινὸς Grajo ſub culmine cœli
Linea quæ Phœbi medium diſcriminat orbem,
Perque caput noſtrum gelidam hinc decurrit ad Arcton,
Inde Polum inferni lucentem in culmine mundi,
Quum medius rerum minimas Sol efficit umbras.
Hanc quoque ſub terris volucri cum Delius axe
Attigit, offuſum chaos illætabile noctis
Involvit nobis hominumque boumque labores,
Et ſimul occaſu, ſimul æquis Phœbus ab ortu
Excluſus ſpatiis media illic luce refulget,
Et noſtro adverſum radiis illuminat orbem.
Quum nobis contra nox intempeſta ſilentes
Sternit aquas pelagi, ponunt ſua murmura venti,
Perque nemus volucres, pecudeſque feræque per herbas,
Perque maris magni ſcopuloſa cubilia cete
Accipiunt mollem per languida membra ſoporem.
Is quibus eſt ſemper terris aut urbibus idem
Circulus, ex æquo ſemper dirimuntur ab ortu

Oc-

1 *Hic orbis quibus eſt ſitus*] Ita Pincier. Genev. Commel. & Hart. MS. vero & alii editi, *Hic quibus eſt orbis ſitus.*

2 *Et Alter*] MS. *At alter.*

3 *Ducit inoccidua*] Ita legendum, monente viro docto, non diviſim, *in occidua*, prout in omnibus Edit. MS. *Inoccidua* exhibet, quod viri docti ſententiam confirmat.

4 *Unquam*] MS. *uſquam.*

5 *Cingentes*] MS *ſcindentes.*

6 *Æquus*] Pincier. Commel. & 1594, *idem.*

Occaſuque, unoque iis Sol pariter momento
Arduus e medio fulgentis culmine cœli
[1] Indicit requiem, [2] & ſextam denuntiat horam.
[3] Ne te præteream, veterum celeberrima vatum
Lactea carminibus via, lato limite cœlum
Quæ decoras dirimiſque, & ſera nocte [4] refulges,
Incurriſque oculis, toti & ſpectabilis orbi
Luce nites grata, quoties [5] innubilus aër
Mittit inoffenſos cœli ad palatia viſus.
Et quia conſpicuo facilis candore notari es,
Lactea nomen habes: vel quod (niſi fabula priſcis
Vatibus impoſuit) de magnæ lacteus humor
Ubere Junonis fuſus tranſverſa per aſtra
Cæruleum infecit candenti limite cœlum.
Sunt quibus ad ſuperos, & magni tecta tonantis
Hac iter eſſe placet: ſunt qui jam corpore functis
Manibus hîc ſedem credant reſtare beatis,
Curarum expertes ubi, ſecurique laborum
Perpetuum degant ceu Dii feliciter ævum.
Nec deſunt Phaëthonteæ veſtigia flammæ
Qui credant retinere Polum, cum devius axis
Phœbeus rectore novo prope mœnia mundi
Diruit, ætherios flamma populante penates:
Nec qui, principio rerum cum fingeret auctor
Partibus e variis orbem coëunte caverna
Hinc atque hinc, cœli ſummis in partibus oras
Commiſſas, tenuiſſe notas, ut ſcilicet orbis
Hac velut extrema maneat compage cicatrix.
At quibus occultas rerum perquirere cauſſas
Cura fuit, multas magno ſine lumine ſtellas
Exiguas [6] credunt collata luce nitorem
Gignere, ſed qualem vel ſera crepuſcula reddunt,
Vel cum venturo palleſcunt ſidera Phœbo.
Hos inter quicquid ſpatii concluditur orbes,
In quinas ſecuit veterum ſolertia Zonas:

Qua-

1 *Indicit*] MS. Geddei *Inducit*.

2 *Et ſextam*] Diei *ſcil.* artificialis, ſive meridiem. Alludit ad earum regionum conſuetudinem, in quibus æſtivis Solis ardoribus homines domi ſe continere ac quieti dare conſueverunt. Imitatur autem illud Manilii lib. I. v. 632.

——— *Medium præcidit Olympum,*
Diſcernitque diem, ſextamque examinat horam.

3 *Ne te præteream*] MS. Ad. Regii, *Nec te præteream:* quod & magis probandum videtur.

4 *Refulges*] Ita MS. & vetuſtiores editi: Hart. vero & recentiores omnes, *refulgens*.

5 *Innubilus*] And. Hart, *innubilis*, Pincier. &c. *penetrabilis*.

6 *Exiguas*]: Pincier. &c. *Exiguum*.

Digitized by Google

Quarum quæ medium [1] præcingit maxima cœlum,
Hinc ſpira æquorei Cancri finitur, & illinc
Clauditur humentes Capricorni limite ad Auſtros,
Orbita qua rapidis [2] teritur Phœbea quadrigis.
His quia carceribus ſemper Titanius axis
Flectitur, & radiis ſubjectam rorret acutis
Tellurem, antiqui Zonam dixere peruſtam.
At quod complexu ſpatium breviore coërcet,
Hinc qui Mænaliam circumfluit ambitus Urſam,
Illinc adverſi amplexus faſtigia cœli
Conſpicuus tantum infernis Antarcticus oris,
Horrentes dixere plagas, & frigore pigro
Torpentes, hebes obliqua quod cuſpide Titan
[3] Vix tenebras denſas vincat ſplendore maligno,
Et cæca obductum lateat caligine cœlum.
Has inter mediamque duæ late æthera laxis
Amplexæ pandunt ſpatiis, moderamine leni
Frigore [4] quod flammas hebetent, & frigora flammis.
His quoque ſuppoſitæ ſecuerunt æquora terræ
In Zonas totidem veteres, nam circulus Urſas
Qui tenet amplexu, terras deſpectat inertes,
Frigore damnatas, tenebris tetraque ſepultas
Nocte, diem cum Sol poſt tempora longa reduxit,
Obliquos avertit equos, humiliſque per oras
Circuit extremas declivis mœnia mundi,
Porrigit & longam exiguis de collibus umbram.
Ergo pigra jacet ſine fruge, ſine arbore tellus,
Aut nivibus canis horrens, aut frigore torpens,
Obruta vel tetra caligine, rara ferarum,
Nulla per incultas hominum veſtigia terras
Oſtendit [5]: gelidis Boreas effuſus ab antris
Sævit, & horriferis flabris ſua regna flagellat,
Iratique maris lento torpore ligatas
Sternit aquas, ſtringitque gelu Neptunia regna,
Marmoreum fundens per languida ſtagna rigorem.
Par habitus cœli atque ſoli ſub cardine mundi
Adverſo, & ſimilis concreti ignavia ponti.
Proxima poſt gelidas duplex plaga tenditur oras,
Sed quas culturæ patientes mitior aër

Efficit,

1 *Præcingit*] MS. *præcinxit.*
2 *Teritur*] Pincier. Commel. & 1594. *fertur.*
3 *Vix tenebras*] MS. *Acta vix denſum illuſtret ſplendore maligno.*
4 *Quod flammas*] Melius forte *qua.*
5 *Oſtendit*] Pincier. Commel. Edit. 1594 & MS. *Occurrunt.*

Efficit, hinc flammis glaciem ſolventibus, illinc
Frigoribus rapidum flammæ moderantibus æſtum.
Altera finitima eſt arvis, quæ Parrhaſis Arctos
Deſpicit, ad calidam a Thule porrecta Syenen:
Felix terra virûm ingeniis & robore, felix
Frugibus & fœtu pecorum, quæ poſtulat uſus
Naturæ, quæ luxuries profundere gaudet;
Quicquid deliciis peperit corruptior ætas
Sufficit e gremio tellus fœcunda benigno.
At plaga ad algentem trans Ægocerota Canopon
Par cœlo, non æqua ſolo, prope tota refuſo
Mergitur Oceano; late regna humida Nerei
Exercent canos vaſto cum murmure fluctus.
Si qua patet magno tellus [1] exſerta profundo,
Barbaries inculta tenet, non legibus urbes
Divitibus tenues æquant, non pœna coërcet
Carceribus fontes, nec ſunt ſua præmia laudi:
Sed fera ſævities alterno ſanguine gaudens,
Nec contenta odium fuſo [2] ſatiare cruore,
Ni laniet mandatque artus, dapibuſque nefandis
Exuat humanos polluto gutture mores:
Quale nec informes urſi, nec Parthica Tigris,
Nec leo Marmaricis patrat vaſtator in oris,
Cædibus aut nullis rabies expleta luporum.
At Tropicos inter magnæ pars maxima terræ,
Sub media porrecta die, pulſatur anhelis
Solis equis: illic ſemper nox æqua diei
Dividit æquales tenebrarum & luminis horas.
Ergo quibus cauſſas rerum quæſiſſe latentes
Cura fuit, ſtudioque acri perfringere clauſtra
Abdita naturæ, & venturis prodere ſeclis,
Illic exuſtas flagranti ſidere terras
Crediderant nullo ſua viſcera ſolvere fœtu,
Sed ſterili ſqualere ſitu, Phœbumque propinquum
Ignibus epotos in cœlum haurire vapores:
Hinc fore nec ſiccis ut ſeſe attollat arenis
Herba, nemus nullas ramorum exporrigat umbras,
Vixque ferant rapidum ſitientes dipſades æſtum.
At melior cæcas naturæ expendere cauſſas
Libra Poſidonii, medio ſub limite cœli
Qui ver perpetuum & nulla violabile bruma
Eſſe putat, virideſque æterno gramine campos.

Nam

1 *Exſerta*] MS. *exorta*. 2 *Satiare*] MS. *ſaturare*.

Nam ſi ſub Tropico ferventi fuſca Syene,
Atque ultra fuſcam tellus porrecta Syenen
Æthiopum colitur populis, moderatior oræ
Interioris ager gignet pecudeſque viroſque,
Quæque virûm præſens pecudumque expoſtulat uſus.
Quippe Syenitas calidi ſub ſidere Cancri
Quod feriat recta radiorum [1] cuſpide torrens
Illic Sol propius, lentaſque retentet habenas,
Acrius infeſtat cuncta & violentius urit.
At medio ſubjecta Polo moderatior arva
Sol coquit, & quanquam radiis ſublimis acutis
Figat humum, [2] nullaque arbor ſe protegat umbra:
At rapidus lapſu celeri ſic tranſvolat axis,
Ut terra afflatu nocturni frigoris algens
Concipiat modicos properantis ſideris æſtus.
Namque ibi perpetuo cum ſit nox æqua diei,
Abſentemque diem non longa crepuſcula [3] tendant,
Quo magis eſt tenuis, citius vim frigoris aër
Induit, & denſæ ſubiens penetralia terræ
Viſceribus cæcis, Stygiaque in ſede ſepultum
Evocat ignavum ſupera ad convexa rigorem.
Quid? quod ubi minimas hic Phœbus contrahit umbras,
Nudaque maturis æſtas flaveſcit ariſtis,
Tum Scythicus radiis Taurus propioribus ictus
Squalentes tumulos obſeſſaque culmina longis
Frigoribus cœlo oſtendit, canæque propinquo
Tabeſcunt a Sole nives, glacieque ſoluta
In mare ſpumiferos præceps rapit impetus amnes.
Tum nebulam tenuem, & ſicci ſpiracula fumi
Halat humus: tum Riphæis erumpit ab antris
Sudificus Boreas, rupeſque & ſaxa flagellans
Nubibus aërias nudat ſqualentibus Alpes,
Et Taurum, & mediis inſertum Caucaſon aſtris:
Nigrantemque hiemem, & piceæ caliginis agmen
In medium cogit cœlum ſtridentibus alis,
Æthiopumque ſolo ſitientes irrigat herbas,
Temperat & nimios fœcundis imbribus æſtus.
Inde ruens præceps altis de montibus unda
Torrentes impellit aquas, pecudeſque feraſque
Villarum cum ſtrage trahit, perque arva refuſi

Mille

1 *Cuſpide torrens*] MS. *cuſpide terras.*
2 *Nullaque arbor*] Pincier. Commel. & 1594, *ut vix ulla.*
3 *Tendant*] Ita And. Hart, alii omnes, *condant.*

Digitized by Google

Mille vias pandunt vaſto cum murmure rivi.
Quos ubi cœruleum Nilus collegit in alveum
Riparum impatiens, late per plana jacentis
Ægypti diffundit aquas, genialiaque arva
Fœcundat Libyci felici uligine limi.
Quoque magis rapido cœlum candeſcit ab æſtu,
Hoc magis obſcuris veſtit ſe nubibus aër:
Quo magis obliquam feriunt Phœbea Syenen
Tela, minus denſa cœlum nigreſcit ab umbra.
Nec minus adverſa mundi regione remotum
Cum Sol Ægocerota tenet, contraria regna
Æthiopum pluvii flabris [1] uveſcere ab Auſtri
Credibile eſt, & flamina Eteſia & annua cogi
Nubila, quæ nimios compeſcant imbribus æſtus,
Qua Zona occultum ſe torrida flectit ad axem.
Quamlibet hæc firmis aſtrinxerit argumentis
Dia Poſidonii mens, vis rationis & auctor
Vix paucis fecere fidem, Calaica donec
Claſſis, iter quærens nitidis ad littora gemmis
Fœcunda, & fuſcos radiis propioribus Indos,
Deprendit ſecreta orbis, tenebriſque ſepulta
Eruit, innumeris & rura habitata colonis
Vidit, qua medium Phœbi terit orbita cœlum,
Percutit & recta ſubjectas cuſpide terras,
Taprobanen findens [2] ditem, Braſiliaque arva,
Arva voluptati teneræ blandiſque dicata
Deliciis, cornu quæ copia larga benigno
Et veris genialis honos fovet: aurea duræ
Mala ferunt ſilvæ, [3] ridet veſtita colores
Terra novos, odor Ambroſius de ſuavibus halat
Floribus, & blandis volucrum ſtrepit aura querelis.

1 *Uveſcere*] Pinc. Commel. & 1594. *diam. humeſcere.*
2 *Ditem*] Iidem libri, & MS. *m-*
3 *Ridet*] Iidem libri, & MS. *reddit.*

GEOR-

GEORGII BUCHANANI SCOTI
DE SPHÆRA
LIBER IV.

NUNC mihi ſtellarumque ortus obituſque canenti
Sis facilis, cauſſas penitus dum promo latentes,
Cur lenta Oceanum [1] linquant hæc, illa repente
Signa per obliquum properent aſcendere cœlum:
Cur iterum ſalſas ſubeant hæc ocyus undas,
Illa trahant tardos lento molimine greſſus:
Cur ubi Sol mediam cœli conſcendit in arcem,
Longior hic, alibi contractior exeat umbra:
Cur [2] Thebæa ſuas conſumat Pyramis umbras:
Cur hic æqua dies ſemper cum nocte recurrat,
Una dies & nox una illic finiat annum.
Qualiter e gremio magnæ telluris in oras
Luminis herba recens tenerum cum tollit acumen,
Et, cœlo ſeſe oſtendit, tum dicimus [3] ortam:
Aut quibus indulſit melior natura moventem
Membra animam, lucem cum primum hauſere, parentis
Mox egreſſa alvo, nata atque exorta putamus:
At cum fracta malis aut feſſa ſenilibus annis

In

1 *Linquant*] Pincier. Commel. & Editio anni 1594, *fugiant*.

2 *Thebæa*] Pincier. Gen. Commel. & Weiſten. *Phœbea*, male: *Thebæa* enim in Buchanani autographo ſcriptum ſe vidiſſe teſtatur Ad. Regius. Pyramis autem *Thebæa* dicta eſt a *Thebis* nobiliſſima urbe Ægypti, a Buſiride Rege ejus nominis ſecundo ad Nili ripam condita, quam Heliopolim Diodorus Siculus, Strabo Dioſpolim, Ptolemæus Dioſpolim magnam appellavere, ſub latitudine 25 gr. 30 min. poſitam, maximæ amplitudinis, ſummaque Regum munificentia deinceps cultam, & illuſtribus operum monumentis certatim ornatam. Inter cætera obeliſci fuere ex alabaſtrite lapide pyramidali forma, primum a Buſiri (ut tradit Diodorus) aut Mitre (ut Plinius) tum Sochi & Ramaſe, magno numero & immenſa mole constructi: quorum umbras ſub ſolſtitio æſtivo in ea latitudine *in ſuo ſe ſtatu conſumentes* (ut inquit Caſſiodorus) ultra conſtructionis ſpatia nulla parte reſpici oportuit. *Regius.*

3 *Ortam*] Pincier. Commel. 1594, & MS. *ortum*.

In gremium terræ [1] recidunt, ſeſeque reſolvunt,
Effugiuntque oculos, occaſum obitumque vocamus.
Hæc ad ſidereos motus ſermonis egeſtas
Tranſtulit aptavitque vocabula, ſcilicet ortum
Sideris appellans, quoties emerſit ab ima
Parte poli, noſtriſque oculis impervia liquit
Regna, & ab infernis aſcendens manibus, oras
Limitis evicit qui noſtrum terminat orbem.
Rurſus ubi repetens inferni devia mundi
Tranſit Horizontem, & noſtris ſubtracta recondit
Seſe ſtella oculis, obitum dixere priores:
Ceu pereant ſalſis Neptuni immerſa lacunis,
Quæ fugiunt noſtros abeuntia lumina viſus.
[Aut [2] ubi mane novo redeunt pontoque videntur
Exſertare faces, ſubito ceu nata [3] decore
[4] Cum retegunt vultus, ſtellarum hunc dicimus ortum.]
Nec tamen occaſus ſimplex eſt nomen & ortus,
Nec modus & ratio: nam cum velocior ignis
Aſſequitur Solem, & radiorum luce coruſca
Obſeſſus latet, & languentia lumina condit,
Hunc [5] primis vigil excubiis de nocte requirens,
Occaſum vocat has vicino Sole latebras.
Inde ubi jam Phœbo ſe profert mane relicto
Stella iterum, & paullum Solis velocior axem
Prævenit emergens, ortum dixere Poëtæ:
Heliacum vulgus nomen fecere, quod ortum
Hunc atque occaſum faciat vicinia Solis.
Quin etiam quoties cœli per cœrula templa
Stella pari curſu jungit ſua lumina Soli,
Una oriens, pariter ſera ſe nocte recondens:
Coſmicon hunc ortum Graji dixere, Latini
Matutinum: obitus, primo cum [6] veſperis ortu
Cum ſtella occiduo ſe condit in æquore, Grajis
Acronychos, Latio ſed veſpertinus habetur.
At quæ Sole novo ſubito exoriente recedunt

Ultima

1 *Recidunt*] MS. *redeunt*.

2 *Aut ubi*] Hi tres verſus in ſolis Editt. Pinc. Commel. & anni 1594, habentur. Et eoſdem, quanquam in Poëtæ autographo deletos, retinere tamen Regio placuit, *ut* (inquit) *unde analogia illa ortus & occaſus ſiderum deducta ſit, etiamnum facilius intelligeretur. Quaſi cum ex Theophanis & Chryſippi fabulis ſidera ſubinde vere oriri ac interire antiquitus vulgo crederentur, vocabula deinceps in eorum motibus ſint uſurpata.*

3 *Decore*] MS. *decoros*.

4 *Cum retegunt*] MS. *Tum retegant vultus, renoventque orientia flammas.*

5 *Primis*] Pinc. Commel. & 1594. *primus*.

6 *Veſperis*] Pinc. Gen. Commel. Hart. *veſperus*.

Ultima de cœli ſtatione, & lumina Ibero
Æquore demergunt, & rurſus nocte reſurgunt,
Eoique faces oſtendunt margine cœli,
Quum Sol Heſperias præceps deſcendit in undas,
[1] Coſmicum eum lapſum dicunt, atque acronychum ortum;
Veſpertinum ortum, matutinumque receptum
Auſonii dixere ſenes, quique arva colentes
Spectabant cœli faciem, quique æquora velis
Permenſi, & ducibus per ſpumea cærula ſtellis
Junxerunt varias vaga per commercia gentes,
Et qui per memores ſignarunt ſecula faſtos.
Nec tamen aſtrifero fulgentia ſidera cœlo
Omnibus in terris uno ſe tempore condunt,
Aut retegunt, cunctis neque ſeſe æqualiter oris
Oſtendunt ſpatio æquali: ſed quas ſuper urbes
Evolat Æquator luces cum noctibus æquans,
Sidera cuncta illis [2] paribus ſurguntque caduntque
Momentis, paribus lucent paribuſque teguntur
Condita [3] ſub terras, vel condita lumine Solis.
Nec quicquam in latis flammarum [4] eſt ætheris oris,
Quod non ſeſe illis volvendo [5] præbeat anno.
At quibus a terra ſeſe altius exſerit Arctos,
Pervigiles totis hi cernunt noctibus ignes,
Qui ſibi commiſſa nunquam e ſtatione recedunt.
Quoque magis fugit a flabris Aquilonis acutis
Stella oriens, vigiles oſtendit tardius ignes,
Et tanto ſubit Heſperias maturius undas.
Sed quibus infernis lucens Antarcticus oris
Luminibus vertex præcingitur, omnia nobis
Nox tegit, æterniſque latent obſeſſa tenebris.
Nec minus & nobis tota lucentia nocte
Aſtra latent illos, aut ſera ex æquore ſurgunt,
Et [6] vix viſa iterum ponto ſua lumina condunt.
At quibus Aſſyria ſcrutari ſidera cura
Propoſitum, variaſque vices deprendere fati,
Non obitum ſtellæ unius ſpeculantur & ortum,
Sed ſignorum ortus numerant a limite cycli

Fini-

1 *Coſmicum eum*] MS. *Coſmicus iis obitus eſt, acronychuſque recurſus.*
2 *Paribus*] Pincier. Commel. & 1594. *ſemper ſurguntque.*
3 *Sub terras*] MS. *ſub terris.*
4 *Eſt*] Pincier. Commel. & 1594 *atque.*
5 *Præbeat*]. And. Hart, *prodeat.*
6 *Et vix*] Pinc. Commel. Edit. 1594, & MS. *Aut vix.*

Finitoris, ubi inferni liquere receſſus
Orbis, & Eoi ſurgentes margine cœli
Inviſunt noſtras alterno lumine terras.
Iidem obitum dicunt, quoties ſe ſidus Iberum
In mare præcipitat, mundique extrema latentis
Clauſtra ſubit, ſeu mane novo, ſeu veſpere ſero,
Seu medio flagrante die, ſeu nocte ſopora,
Cum pigra implacidas mulcent oblivia [1] curas.
Ergo ter octonas bis ſex cum ſigna per horas
Colluſtrent terras, non æquis ſingula ſurgunt
Momentis, æquiſve cadunt, ſed tardius illa,
Hæc ſpatio breviore ſuas ex æquore flammas
Attollunt, quamvis ſignis menſura ſit una
Omnibus, & partes æque dirimantur in æquas.
Hos varios ſignorum obitus Chaldæus in orbe
Aſtrolabo cernens, docuit ratione ſagaci
Menſura incertos certa deprendere motus.
Nam cum ter quinas partes Æquator in horas
Perpetuo attollat, totidemque ſub æquoris undis
Deprimat, hunc ſtatuit ſignis diſcordibus ortus
Eſſe modum, & juſto metiri examine, quanto
Tardius hæc illis ſpatio [2] emergantque cadantque,
Et velut appoſita motus deprendere norma.
Nam cum ſigna trahunt [3] ponto ſurgentia ſecum
Ex [4] æquante cyclo juſta plus parte, vocarunt
Rectum ortum: at plures quoties ex æquore partes
Signiferi emergunt, quam ſpiræ æqualiter orbem
Quæ ſecat, ex æquoque a cardine diſtat utroque,
Hunc rite obliquum ſignorum dixeris ortum.

1 *Curas*] Pincier. Commel. & 1594 *terras.*

2 *Emergantque cadantque*] MS. *emerguntque caduntque.*

3 *Ponto ſurgentia ſecum*[MS. *ſecum ſurgentia ponto.*

4 *Ex æquante cyclo*] Pincier. Commel. & 1594, *Æquantis cycli.*

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM

Libri Quarti Sphæræ GEORGII BUCHANANI,

Auctore JOANNE PINCIERO *Medico.*

SIGNUM autem recto ſurgens quod ab æquoris undis
Tramite conſcendit loca, qua licet, ardua cœli,
Tarde oritur, lentoque gradu, ſpatiumque requirit
Temporis hoc majus, quo rectius exit ab undis.
Inflexum contra quod iter molitur, & orbem
Lumina ſiſtentem molli curvamine linquens
Nititur obliqui clivum conſcendere cœli,
Deproperat curſum & velocibus utitur alis:
Quoque via magis inflexa contendit in altum,
Hoc ſpatio exoritur ſignum emergitque minori.
Par ratio occaſus. Nam cum labentia ſigna
Plus ex orbe trahunt qui luces noctibus æquat,
Quam proprio e circo, rectus perhibebitur ille
Occaſus: ſed Zodiaci cum mergitur arcus
Major, & æquantis cycli minor occidit, illum
Obliqui occaſus voce inſignire licebit.
Signum autem recto ſeſe quod in æquora lapſu
Præcipitat, vaſtis metuens immergier undis,
Occaſum tardat: quoque eſt ſublimior ille
In cœlo locus unde cadit, magis hoc quoque creſcit
Ille metus, majore mora & ſubit æquora ſignum.
Quod vero obliquo loca per declivia flexu
Tendit in Oceanum, trepidat formidine nulla,
Et tanquam fractum leni curvamine lapſum
Sentiat, occaſum properat: quo obliquior autem
Ille, ſub Heſperias ſignum hoc cadit ocyus undas.
Hæc tamen iis aliter, queis Sphæra eſt recta, quibuſque
Per caput atque pedes æquatrix linea currit,
Et geminus vertex in Finitore quieſcit,
Eveniunt: aliter queis primi cingulus orbis
Hac caput, atque pedes illac declinat, ubi alter
Exſtat Horizontem ſupra Polus, alter in ima
Mundi parte latet tantum ſpectabilis illis
Qui noſtris adverſa premunt veſtigia plantis.
Namque globi in recto poſitu, ſi ſectio fiat

Æquantis ſpiræ, & vicini Signiferi æquas
Quattuor in partes; quarum par umbra diei
Incipiat binas in Libræ atque Arietis ortu:
Et totidem auratas ubi Phœbus flectit habenas
Cornutus Caper & metuendus forfice Cancer:
Quadrans Zodiaci tunc cum quadrante diebus
Æquantis noctes, qui limite clauſus eodem,
Temporis æquali ſpatio ſurgitque caditque.
  Nec tamen hinc ſequitur, quadrantum partibus æquis
Competere, ut parili ſpatio ſurgantque cadantque.
Nam qui principio properantius æthera ſcandit,
Præcipiti aut lapſu Mauro ſe littore condit,
In fine is peragit lento molimine greſſum.
Aſt cujus partes primæ cunctanter in altum
Emergunt, aut Heſperiis ſe fluctibus abdunt,
Poſtremæ accelerant curſum & velocius urgent.
Quadrantes igitur bini, queis limina Libræ
Atque Athamantei pecoris primordia donant,
Etſi principio plures ex æquore partes
Signiferi educant, quam ſpiræ æqualiter orbem
Quæ ſecat, ex æquoque a cardine diſtat utroque,
Attamen æquali tollunt ſe tempore & abdunt.
In reliquis quos Ægoceros, quos Carcinus ardens
Incipiunt, equidem anticipans Æquator eundo
Signiferum circum ſuperat, par fit tamen ille
Currenti, parilique mora clarum æthera ſcandunt,
Et parili occiduis merguntur tempore in undis.
Non ſecus ac bini, quibus eſt par robur eundi,
Parque pari ſpatio quam debent tangere meta,
Qui prior excurrit pedibus pernicibus, idem
Prævertit comitem, ſed tandem feſſus eundo
Deficit, & tardo mutat molimine curſum:
Par iter ingrediens feſtinat lentius alter,
Sed propiora ferens poſitæ veſtigia metæ
Accelerat pedibus, comitem premit, urget & inſtat,
Aſſequiturque ſimulque ſcopum hic pede tangit & ille,
  Hic vero obſerva & memori tibi mente reconde
Segmina Zodiaci paria, & diſtantia utrinque
Æquo intervallo, vel primo a ſtigmate Libræ,
Vel pecoris per aquas quod Phryxum vexit & Hellen,
Vel Cancri æſtivi, vel brumalis Capricorni,
Surgere [1] mominibus paribus, paribuſque recondi.

Ergo

[1] *Mominibus*] Ita Pincier. Hart. uterque Elzev. at Weiſten. Lond. Edimb. 1677, &c. *nominibus*: male.

Ergo ſe adverſis radiis ferientia ſigna
Experiuntur idem. [1] Nec Tauro rectior exit
Scorpius, aut Aries donat ſua tempora Libræ,
Aut Aſtræa jubet lentos deſcendere Piſces:
Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinus ardens
Humidus Ægoceros, nec plus Leo tollitur Urna.
Tertio enim duo ſi poſſunt componier uni
Una etiam illorum eſt, & par menſura duorum.
Atqui aliud ſignum ſemper licet addere binis
Oppoſitis, cum quo pariter ſic diſtet utrumque
Quattuor a punctorum aliquo, quæ diximus ante.
Sic Aries & juſta Bilanx cum Virginis aſtro
Conferri poſſunt. Nam primo a ſtigmate Cancri
Dux ovium, Virgoque pudens æqualiter abſunt.
Virgo eadem, & recto pendens examine Libra,
Libræ principium pariter fugiuntque premuntque.
Ergo quod Aſtrææ par Libra Arieſque, neceſſe eſt
Eſſe pares etiam Libramque oviumque maritum.
Id reliquis, quæ ſe radiis & lumine ſpectant
Adverſis, quadrat par demonſtratio ſignis.
Sin Æquatorem non rectus findat Horizon
In Sphæræ obliquo poſitu, dirimatur in arcus
Æquales geminos qui luces noctibus æquat
Circulus, & bis ſex ſignorum argenteus ordo:
Nempe ubi ſe medios communi vulnere ſcindunt,
Qua dux lanigeri pecoris cava cornua flectit,
Et qua Libra ſuas demittit pendula lances:
Signifer hic medius mediuſque Æquator eodem
Temporis aſcendunt ſpatio, labuntur eodem.
Attamen hos ipſos ſi in partes ruperis æquas,
Intentiſque oculis, quo tempore quælibet harum
Aſcendatve cadatve notes, nunc ocyus hujus
Tollere ſe partem, rurſuſque ſub æquore mergi,
Nunc partem illius veraci lumine cernes.
Namque arcus illi, quos Phryxi vector & Helles
Orditur, qui virgineo clauduntur ab aſtro,
Ætheris alta petunt tali certamine, cujus
Principio Oceanum citius Phœbi orbita linquat,
Tardius Æquator, ſed cum jam extrema propinquant,
Signifero cunctante, volat properantius Æquans.
Contra arcus, quorum nutans examine juſto

Libra

1 *Nec Tauro*] Hos quinque verſus e Lucani lib. IX. v. 533. & ſeqq. mutuos cepit Pincierus.

Libra caput, quorum Piſces extrema tuentur,
Sic ſurgunt, ut principio velocius Æquans
Linquat Horizontem, quam Signifer orbis, Eoum:
Paullatim mediaque via laxatur eunti
Signifero frenum, comiti ſtringuntur habenæ.
Signum hic Phryxæi quo diſtat ab Arietis ortu
Parte ab utraque minus, fugit hoc obliquius undas,
Et nitidi citius ſuperat faſtigia cœli:
Quo vero ad juſtæ quodvis exordia Libræ
Accedit propius, minus hoc ſe obliquat ab Indo
Littore progrediens, & ſerius æthera vincit.
Ergo via ſurgunt flexa Caper, Hydria, Piſces,
Dux ovium, Tauruſque minax, geminique puelli.
Aſt Cancer, Nemeeſque pavor, Virgoque malignæ
Deſertrix terræ, ſpecieſque bilancis, & acer
Scorpio, Centauruſque truci ſpectabilis arcu,
Conſcendunt recto cœlum ſublime meatu.
At vero recto ſcandentia limite cœlum
Signa petunt udas molli curvamine lymphas:
Quæque per obliquos Eoo cardine flexus
Emergunt, recto rapiuntur in æquora caſu.
Hinc ſigna adverſos in ſe vertentia vultus,
Non velut in recta pariter ſua lumina Sphæra
Promere in hoc poſitu, pariterque recondere conſtat.
Hic quanto ſignum ſpatio conſcendit Olympum,
Tanto illi oppoſitum ſpatio deſcendit Olympo:
Quaque mora ſignum ſubit udæ Tethyos undas,
Oppoſitum hac udæ quoque Tethyos exit ab undis.
Quin ſignis æquo fugientibus intervallo
Alterutrum e punctis, queis nox æquata diei
Nomen habere dedit, metæ contingit Eoæ
Limen momentis paribus tranſire, parique
Tempore in adverſæ ſe limine condere metæ.
Confer in hac Sphæra (res hæc quoque digna notatu)
Luminis oppoſiti ſe percutientia telis
Signa iiſdem ſignis in Sphæra, cujus Horizon
Lineaque æquatrix recto ſe tramite ſindunt:
Confer, & invenies, duo reſpondere duobus
Juncta ſimul junctis, nec poſcere pluſve minuſve
Temporis hæc illis, ſeu ſe ſuper æquora tollant
Margine ab Eoo, medii ſeu culmine cœli
Præcipitata maris ſub aquas labantur Iberi.
Hactenus expoſuit leges mea Muſa modumque,
Signa quibus ſcandant nitidi latera ardua cœli,

Et

Digitized by Google

Et quibus infernum repetant labentia mundum.
Majus opus ſupereſt, diſcrimina lucis & umbræ
Dicere: cur alibi nox prodeat æqua diei
Semper, at hic toto bis tantum æquetur in anno.
Cætera, nunc atram ſuperet lux candida noctem,
Nunc lux deficiat, capiantque augmenta tenebræ.
Curque dies toto quæ maxima gignitur anno,
Longior his, illis brevior, longiſſima donec
Sex vigeat menſes: quod idem contingit & umbris.
Dicam etiam æſtates geminas ſpatio unius anni,
Et totidem brumas, Solemque in vertice ſtantem,
Et varias Phœbi radiis ſplendentibus umbras,
Interdum & nullas. Populo hæc ignota profano,
Digna tamen credi. Tu luminis auctor & umbræ,
Luce tua merſas denſa caligine mentes
Irradia, verumque rudi da noſcere vulgo.
Sol radiis inſigne caput[1] fulgentius auro
Cum mane æquoreis emergens exſerit undis,
Protinus aufugiunt tenebræ, rebuſque colores
Et formæ redeunt, & quæ contexerat umbra,
Abſtuleratque oculis, nitido Sol lumine reddit.
Idem feſſus equos vaſto cum gurgite mergit,
Qua Tarteſſiacæ quatiuntur fluctibus oræ,
Nox atra obſcuris tenebrarum adremigat alis,
Et noſtrum involvit cæca caligine mundum.
Quare a Sole dies fluit & dependet ab illo
Tanquam individuus comes: hoc promente coruſcum
Ex undis caput, illuſtrat lux protinus orbem:
Abſcondente iterum, ſubito lux deſerit orbem.
Unde diem dicunt ſpatium quo Phœbus ab ortu
Fertur in occaſum, noſtraque in parte moratur:
Noctem autem quando noſtris e finibus axem
Flammigerum abduxit, viſus fugientia noſtros
Regna ſuis radiis & claro lumine ſpectans.
Quin & flammivomo Sol ſpargit ab axe calorem,
Quo globus inferior, quique illum amplectitur aër,
Nunc flamma majore calet, nunc frigore torpet,
Nunc æquo frigus moderamine temperat æſtum.
In cauſſa radii, queis Sol modo rectius orbem
Aſpicit, oblique miſſa modo lampade luſtrat.
Sol etenim ſummi quando de vertice cœli

Sub-

1 *Fulgentius*] Ita princeps Editio Herbornenſis & And. Hart. aliæ omnes *fulgentibus*.

Subjectam recta radiorum cuſpide terram
Percutit, illa ſuo, quod denſum eſt, corpore flammas
Excipit, & rectos recto quoque verbere ſurſum
Reflectit radios, quorum geminata poteſtas
Atque in ſe rediens duplicatque augetque calorem.
Cum vero medii declinans culmen Olympi
Oblique terram lampas Titania ſpectat,
Terra etiam oblique radiorum tela retorquet:
Quoque retorquentur radiorum obliquius ignes,
Terra minus calet hoc, & terræ proximus aër.
Inde vices anni veniunt, adamabile veris
Tempus, & autumni miſta cum frigore flamma,
Et glacialis hiems, & ſicca caloribus æſtas.
Inſuper & Titan ſplendens ſi corpus opacum
Attingat, cujus radiis impervia maſſa,
Ejus ab averſa facie proficiſcitur umbra:
Quæ, prout Sol ſupera terras deſpectat ab arce,
Nunc nulla eſt, nunc dextra fluit, nunc læva, brevique
Nunc ſe arctat ſpatio, nunc longa cuſpide finit.
Nam quo Sol propior, viſum qui terminat, orbi,
Hoc magis in longum nigrans producitur umbra.
Idem quo rerum, quarum umbra e corpore pendet,
Verticibus propius nitidum caput admovet, umbræ
Hoc magis arctantur, ſummo dum culmine cœli
Stans ita colluſtret denſæ latera omnia maſſæ,
Ut penitus nullam de ſe tunc præbeat umbram:
Dicere quam malunt alii perpendicularem.
Ergo dies & nox atris obſcura tenebris,
Atque vices anni, rerumque volubilis umbra,
Imperio Phœbi parent, Phœboque reguntur.
Quiſquis aves igitur docili cognoſcere mente,
Quomodo quæ dixi quavis regione locoque
Contingant, & quam vario diſcrimine, curſum
Phœbeum intentis oculis & mente tuere.
Ille per obliquum ſignorum dirigit orbem
Fulgentes gemmiſque rotas fulvoque metallo,
Et bis ſex menſes totidem per ſigna vagatur,
Solaremque ſuis claudens erroribus annum
Ad ſpatium redit, unde ſuum prius egerat axem.
Et quia Zodiaci ſeptem pars una triones
Aſpicit, ad madidos pars altera flectitur Auſtros,
Nunc hac [1] nunc illa cœli ſtatione videndum

Se

1 *Nunc illa*] Hart. *illac.*

Se præbet Titan, medium modo permeat orbem:
Sic ut ab hoc quando currens longiſſimus errat,
Vicenos quatuorque gradus vix deviet in quamcunque ſuas partem flectat diverſus habenas.
Ergo quibus noctes exæquans ſpira diebus
Summa poli nullo penetrat faſtigia flexu,
Perpetua in capitis relegens veſtigia puncto:
His quia conſpicuum nunquam altius æthera ſcandit
Sol, quam ſe Stygias labens demittit in undas,
Quæ mora metitur luces, metitur & umbras,
Et lux bis ſenis, totidem nox clauditur horis.
Luce vident media bis iidem in vertice Phœbum,
Exactis citius quam menſibus effluat annus:
Nempe ſemel quando fugiens duo ſidera Piſces,
Phryxæi ingreditur pecoris fax aurea ſignum:
Atque iterum quando ſubit æquæ limina Libræ.
Partibus his etenim ſindunt ſe Æquator, & ordo
Signifer; hic Solis vehit æquans circulus axem.
Eveniunt ſub idem tempus degentibus illic
Æſtates geminæ. Nam Sol tunc rectius orbem
Terrai irradiat cœli ſublimis ab arce,
Intenditque ſuas duplicato robore flammas.
Has ſimul ignivomæ metas tetigere quadrigæ,
Ætheris e ſummo Phœbea cacumine lampas
Deſpicit; & quia ſtare nequit, neque tollere curtum
Altius, inferiora rotas ad ſidera flectit.
Hinc Solis ſtatio duplex, quæ dicitur alta,
Nomen habet. Quin Solſtitii quoque circulus alti
Dicitur Æquator terras habitantibus illas,
Quod Sol hunc feriens cœlo ſiſtatur in alto.
Currum Phœbus agens illac e culmine Olympi
Cum ſpatiis æquis occaſum ſpectat & ortum,
Pertica fixa ſolo, ſed ſumma cuſpide in ipſum
Suſpiciens, nullam de longo porrigit umbram
Corpore, quod claris colluceat undique flammis.
At quando medio cœli declivis ab orbe,
Vel geminas Arctos ſpectantia ſigna pererrat,
Vel parte adverſa madido vicina Canopo,
Jamque rotas humiles per Cancri limen, aquoſique
Ægocerotis agit, quia punctum verticis illic
Longius evitare nequit, diſpergit in orbem
Obliquos radios, flammiſque minoribus urit.
Unde illis hiemem Lernæus Carcinus unam
Cauſſat, ab æquoreo proficiſcitur altera Capro.

 Huc

Huc ubi declivem Titan devexerit axem,
Flectit equos ſuperi verſus faſtigia cœli:
Solſtitium hinc duplici diſcrimine naſcitur imum.
Cumque ſuos Sol lævus equos deduxit in Auſtrum,
Dextrorſum umbra cadens Boreæ ſpatiatur in hortis:
At dexter geminas pendentia ſidera in Urſas
Cum terit, Auſtrales tegit umbra ſiniſtra colonos.
Sed quorum regio ſpatio eſt ſubjecta quod inter
Æquantem & Cancri Tropicum concluditur, illi
Non ſecus ac reliqui, quibus eſt obliquior orbis
Aſtrigeri poſitus, bis tantum quolibet anno
Enumerant æquas tenebrarum & luminis horas.
Quod cyclum noctes quavis regione dieſque
Æquantem toties lampas Phœbeia tangat,
Labentem celeri pede donec compleat annum.
Tempore ſed reliquo modo decreſcentibus umbris
Augeſcunt luces, umbræ modo longius illis
Perdurant ſpatium: luces a limine Capri
Augmentum capiunt, donec Sol aureus illis
Cancri in veſtibulo longiſſima tempora donet.
Hinc ubi laxatas iterum deflexit habenas
Hirſutum Ægocerota petens, majoribus umbras
Extendit ſpatiis, luces brevioribus arctat:
In primis Capri dum vertat partibus axem,
Obruit Arctoas ubi nox ampliſſima terras.
Utræque at ſpatio tanto majore trahuntur,
Quam magis in cœlo polus Arcticus eminet alto.
Hi quoque ſuſpiciunt media bis luce quotannis
Rectos verticibus radios immittere Phœbum.
Finge etenim ſpatiis æqualibus undique ſpiram,
Quæ fugiat Cancri Tropicum æquantemque diebus
Noctes, & recto capitum faſtigia ductu
Tranſeat his, Superi quos hac regione locarunt.
Sic efficta locis cum findat ſpira duobus
Zodiacum, hæc loca bis proles Hyperionis axe
Vecta ſuo tangit, ſtatuitque in vertice currum,
Dum rapidis fugiens annus prætervolat alis.
Hinc duplex illis æſtas emergit, & altum
Solſtitium duplex: bis opaci corporis umbra
Vaneſcit penitus, nullaque in parte videtur.
Quin etiam geminas illic contingere brumas
Evincit ratio, cum Sol diverſus ab illa
Fictitia ſpira, vel primis partibus errat
Multipedis Cancri, vel ſetigeri Capricorni:

In

Digitized by Google

In quibus eveniunt etiam duo Solſtitia ima.
Utque duæ [1] certant non æquo frigore brumæ,
Mite parit Cancer; facit hoc vicinia Cancri:
Durius Ægoceros, nam longius ille receſſit:
Sic quoque luciferum Cancer Junonius axem
Altius extollit, minus alte corniger Hircus.
Hic quoque cum Phœbus radiantis ſpicula flammæ
Dirigit ex Auſtro, Boream vaga permeat umbra:
Cum rediens illinc ſuperato culmine cœli
In Borea fulget, tepidos volat umbra per Auſtros.
Hæc dextrum mundi latus occupat, illa ſiniſtrum.
His autem, quibus Arctous ſic cardo levatur,
Ut Cancri Tropicum videant in vertice ſummo
Ducere perpetuos ſua per veſtigia gyros,
Tantum, Phœbe, ſemel volucris dum labitur annus,
Ingrediens primas Cancri velut hoſpes in oras,
Ad perpendiculum radios demittis Olympo,
Et nullam denſo de corpore porrigis umbram.
Dumque volans Cancrum vicinaque ſigna peragras,
Una æſtas illis toto producitur anno,
Exhilarans inopem ſperata meſſe colonum.
Hic ſemel in primis Cancri Sol ſiſtitur oris,
Atque iterum hirſuti fulgens in limine Capri.
Dumque Caprum viſit, quæque illi proxima ſigna.
Una abſumit hiems hominumque boumque lobores,
Et quicquid ſudore madens collegerat æſtas.
His nulla in mundum protenditur umbra ſiniſtrum;
In ſummo cœli quia fornice retrahit axem
Phœbus, & in læva tantummodo parte vagatur.
Quas vero terras ſpatium tegit illud Olympi,
Hac Cancri Tropicus quod terminat, Arcticus illac
Circulus, hæ nunquam cernunt in vertice Phœbum:
Uſque adeo in madidos æther deflectitur Auſtros.
Et quoties noſtrum fulgenti Cynthius orbe
Percurrit mundum, ſemper de corpore denſo
Mobilis umbra fluens adverſa in parte videtur.
His itidem una æſtas exornat frugibus agros,
Una operit campos nivibus, ceu vellere, bruma.
Æſtatem Cancer, brumam Caper humidus affert.
Horum in principiis Solis bis ſiſtitur axis,
Per duodena means dum ſidera circinat annum,
Hic locus, hæc patria eſt, quæ nos vitalibus auris

Edi

1 *Certant*] Wetſten. & Lond. *certent*.

Edidit, hæc nobis vitæ inſtrumenta miniſtrat.
Et quicquid rerum varius deſiderat uſus.
  Aſt quibus Arctous regionibus imminet orbis,
Una coquit ſegetes æſtas, bruma una fluentes
Stringit aquas; duplici Solis ſtatione fruuntur;
Corpore de denſo ſemper cadit umbra, nec unquam
Omnino nulla eſt. Communia gentibus iſta
Finitimis: ſed habent hæc propria, quæ modo dicam.
Arcticus, ut notum eſt, ſic cyclus fingitur, ipſo
Mundi ut ſtante polo circumducatur in orbem
Zodiaci vertex illi qui proximus exſtat:
Arctoa ex iſto procedit ſpira rotatu.
Ergo datum ſpira quibus eſt habitare ſub illa,
Signiferi vertex ſemel omni luce movetur
Per capitis punctum, & cœli faſtigia tranſit.
Quod dum fit, duodena gerit qui ſidera circus
Junctus Horizonti eſt, & eadem ſede tenetur.
[1] Momine ſed citius, promoto cardine circi,
E puncto capitis, ſex ſigna levantur & orbe
Viſuntur ſupero: totidem ſua lumina condunt.
Parte ſui nulla Cancri ſubmergitur illic
Circulus: at contra ſemper latet æquore tectus
Brumalis Tropicus. Quare Titania lampas,
Veſtibulo e Cancri radiorum ſpicula jactans,
Vicenas quatuorque diem producit in horas.
Cum vero Ægocerotis equos in limine flectit,
Obſcuras horis totidem determinat umbras.
  Quas autem terras hinc circulus Arcticus ambit,
Illinc ipſe polus gemina notiſſimus Urſa
Claudit: iis Cancri tangentia ſidera limen
Ut nunquam æquoreæ tinguntur fluctibus undæ:
Sic quæ principio Capri vicinia jungit,
Æquoreæ nunqam ſurgunt e fluctibus undæ.
Parte igitur Phœbus, quæ nunquam labitur, errans
Continua ſuperas illuſtrat lampade terras:
Et ſi Zodiaci pars expers æquoris ampla eſt,
Lux tangit ſenos, non æquat, maxima menſes.
Sin brevis, haud longo viginti & quattuor horas
Exſuperat ſpatio. Sic ſi pars æquore merſa
Magna eſt, nox etiam ſpatio majore moratur;
Sin brevis, haud multis itidem nox clauditur horis.
Hic ſigna ex undis tollit præpoſterus ordo.

Nam

1 *Momine*] Recentiores quidam *Nomine.* Vide ſupra pag. 486. v. 77.

Nam citius Taurus Phryxi vectore, ſed illo
Exſurgunt citius Piſces, ſed Piſcibus Urna,
Quæ recta ſerie ponto ſua lumina mergunt.
Quæ vero adverſa facie modo dicta tuentur
Sidera, ea inverſus condit ſub fluctibus ordo.
Scorpio enim labens Libram prævertit, & illa
Aſtræam, Aſtrææ ſidus cadit ante Leonem:
Legitimo tamen hæc conſcendunt ordine cœlum.
Aſt ipſo Arctoo ſub cardine circulus æquans
Totus Horizontem ſine vulnere tangit, & ejus
Hoſpitio fruitur, nec ab illo flectitur uſquam.
Hinc ſequitur, ſemper ſex ſigna latere ſub undis
Nunquam e conſpicuo lucem mittentia cœlo,
Et totidem ſiccis extremi mœnia mundi
Perpetuo in gyrum flammis ambire meatu.
Cum Titan igitur per ſigna latentia currus
Dirigit ignitos, tenebris & nocte teguntur
Terræ illæ ſenos medio ſine lumine menſes.
At cum ſupremum peragrat luſtrantia mundum
Signa, dies oritur nullis turbanda tenebris,
Aurea quam bis ter repararit cornua Phœbe:
Una dies ergo; & nox una ibi terminat annum.
Percurri medii diverſa habitacula mundi,
Et quid cuique ſolo contingat ab ætheris arce
Oſtendi, egreſſus circo, qui luminis horas
Æquales nocti facit ad polon Arcticon uſque.
Sic licet a circo tibi pergere, lector, eodem
Uſque tuo, noſtris dum cardo incognitus oris
Immineat capiti, & cœli ſe in vertice ſiſtat.
Par utriuſque viæ ratio eſt. Tu mentis acumen,
Judiciumque adhibe, nec ſecius omnia noſces,
Quam præſens oculis propius ſi admota videres.

EOR-

GEORGII BUCHANANI SCOTI

DE SPHÆRA

LIBER V.

MACTI [1] animi, heroës, ſeclis melioribus orti,
Qui primi ingenii nixi pernicibus alis,
Perque leves vecti ſtellas, totque orbibus orbes
Implicitos, magni intraſtis penetralia cœli,
Auſi ingens facinus, penitus penituſque repoſtas
Naturæ in latebris cauſſas ratione ſagaci
Detexiſtis, & in cæca caligine merſi
Certa oſtendiſtis terris veſtigia veri.
Non cæca ambitio vobis, non blanda voluptas,
Non vigiles curæ, non lucri pallida tabes,
Sublimes fregere animos, quin invia rerum
Senſibus humanis mentis penetraret acumen,
Eque Deum arcanis adytis per ſecula longa
Aſtrorum erueret caſſas interprete leges.
Ergo nec imperium vos formidabile lethi,
Nec quæ cuncta domant longis oblivia ſeclis,
Sub latebriſque ſuis & cæca nocte coërcent;
Sed procul obſcuri tenebris ab inertibus Orci
Gloria ſublimes illuſtri in luce reponet,
Præpetibuſque vehet per poſtera ſecula pennis.
At qui divitiis aut incubuere caducis,
Aut Veneris facibus cæcoque Cupidinis æſtu
Ablati in terram divinæ ſemina mentis
Merſerunt, pecudum de more ignobilis oti
Tempora tranſmiſere velut per ſomnia, ſeclis
Ignotique ſuis, ignorandique futuris.
Namque ubi corporei labefacta eſt [2] tabe veneni,
Torpentemque bibit Lethæo e gurgite ſomnum
Mens cognata polo, vel molli laxa remiſit

Frena

1 *MACTI*] Ita And. Hart, Elzev. 1621 & MS. alii fere omnes *Maſte*, male, notante Joh. Ger. Voſſio Artis Grammaticæ lib. 3. cap. 47. cujus hæc ſunt verba, Macti *fortaſſe ſcripſerat vir ſummus, ſaltem ita debuit.*

2 *Tabe*] Pinc. Commel. & 1594, *labe*.

Digitized by Google

Frena voluptati, rebuſque elata ſecundis
Intumet, aut duris cadit, aut, velut orba carina
Remige, jactatur fortunæ impulſa procellis,
Nec videt, aut ſperat placida ſtatione quieta
Littora, nec tutos a fluctu & flamine portus.
Victa malis igitur, quicquid vel profuit olim,
Vel nocuit, putat eſſe Deum: ſi murmure cœlum
Increpat, eliſus fulſit ſi nubibus ignis,
Corde micans trepidat, conſternaturque timore;
Soricis occentus metuit, corvique volatum.
Exigit has pœnas veræ ignorantia cauſſæ,
Contemtuſque Dei, & nimium ſibi credulus error.
Tantaque ſe nubes animis offudit, ut, ingens
Qua fovet ingentem Nereus complexibus orbem,
Vana ſuperſtitio miſeras compleverit urbes:
Poſſe Deos cogi magicis parere ſuſurris,
Et Solem obduci tenebris, cantuſque veneno
Æmonii plenæ vultum expalleſcere Lunæ.
[1] Ac victricis anus ne carmine tracta Deorum
Numina ſuccumbant, cœlumque invita relinquant,
Æra crepant cunctis fruſtra auxiliaria terris.
Nec minor acceſſit peſtis, ſcrutator Olympi
Aſſyrius taciti, cum Lunæ obſcurior orbis
Palluit, objectis aut Solis imago tenebris
Abſtraxit lucemque orbi, rebuſque colorem:
Stultitia vulgique & credulitate [2] ſequaci
Utitur Aſtrologus, magna atque horrenda minatur,
Inſanamque famem, populantemque oppida peſtem,
Et bella, & quicquid bellorum inſania cladis
Invehit, humanis irataque numina rebus.
Quoque magis liceat graſſari impune per omne
Flagitium, & laxos ſceleri permittere frenos,
Adſcribit cœlum ſceleri, Regumque furores
Excuſans fovet, atque inſontibus imputat aſtris.
Nec metus hic tantum labefactat pectora vulgi,
Sed domini rerum, ſed claſſe viriſque potentes
Expavere duces defectum lumine Solem,
Pallentem tenebris Lunam, cœlique tumultu
Fata rati exitium trepidis portendere terris,
[3] Demiſere animos, conſternatique luerunt
Stultitiam clade ingenti patriæque ruina.

Is

1 *Ac victricis.* MS. *At victricis.*
2 *Sequaci Utitur*] Pinc. Commel. & 1594, *ſequaci ab-- utitur.*
3 *Demiſere animos*] MS. *dimiſere.*

Is timor in Siculo Luna tabente profundo
Cecropias attrivit opes, educere claſſem
Dum pavet e portu [1] non æquo numine ductor,
Victricem toties aciem, ſeque ipſe, rateſque
Perdidit, & miſeras hac clade afflixit Athenas.
[2] Hæc eadem Emathium cœli ignorantia Perſen
Perculit, hæc vano Paullum trepidare tumultu
Forte coëgiſſet, ſi non ſolertia Galli
Fortibus Æneadum firmaſſet pectora dictis.
At tu commentis hominum cœleſtia cogi
Corpora ne credas, mecum ratione ſagaci,
Timoleon, rerum occultas diſquirere cauſſas
Ne pigeat: cur Sol nitidum caligine vultum
Rarius obnubat: cur Luna recolligat ignes,
Nunc nova ſe curvans in cornua, nunc velut orbis
Dimidium fingens, ſinuataque rurſus utrinque
In faciem tumidam dorſo [3] turgeſcat iniquo:
Orbe dein pleno, fraternæque æmula flammæ
Æquali illuſtret diviſum limite mundum:
Inde retro rediens totidem diſcrimina fingat,
Donec commiſſis curru cum fratris habenis,
Jam permenſa polum, parvum decircinet annum.
Cur etiam pleno cum tota recanduit orbe,
Icta repentinis expalleat ora tenebris:
Nec ſemper, nec tota [4] etiam, perſæpe ſed una
Parte nitens pura, reliquam ferrugine tingit:
Mox redit ad ſeſe, & defuncta labore coruſcum
Lucis inoffenſæ mortalibus exſerit orbem.
Quiſquis es e tenebris tantis mortalia primus
Pectora qui ſolviſti, & [5] clara in luce locaſti,
Dignus eras, ſeclis quem vivida fama futuris
Sacraſſet, meritumque polo ſtatuiſſet honorem,
Ut Cepheo, [6] ut Cephei genero, natæque, torique
Conſorti, atque aliis qui templa per aurea cœli

1 *Non æquo numine ductor*] Niciam Athenienſium ducem innuit, qui obſeſſis jam diu Syracuſis, quum auctis hoſtium copiis, & gravi morbo in caſtris ſæviente, diſceſſum pararet, Lunæ deficientis pavore uſque adeo eſt perterritus, ut, veritus claſſem portu educere, ſeipſum claſſemque perdiderit, & Athenienſium opes clade illa penitus afflixerit. Vide Thucydidem lib. VII. Diod. Sic. lib. XIII. Plin. l. II. c. 12. & Plutarchum in ejus vita.

2 *Hæc eadem*] Vide hac de re Livium lib. XLIV. cap. 37. & poſtea pag. 501.

3 *Turgeſcat*] Elzev. Werſt. Cairns, *conſurgat.*

4 *Etiam*] Pinc. Commel. & 1594, *tamen.*

5 *Clara in luce*] Recentiores Editt. *clara in luce*: aliis deeſt *in*.

6 *Ut Cephei genero*] MS. *& Cephei genero.*

Nocte micant nitidis variati corpora ſtellis.
At nos victuris potius committere chartis
Barbaricum Xerxis faſtum juvat, armaque diri
Cæſaris, & facta Emathii ſcelerata tyranni:
At bene promeritos de vita hominumque ſalute
Negligimus Lethes tetra ſub nocte jacentes.
Non ita: nam noſtræ ſi qua eſt fiducia Muſæ,
Littora non Lelegum, non tantum Latmia noſcent
Saxa tuum nomen, ſed qua complectitur orbem
Uſque ad Parrhaſiam Nereus circumſonus Arcton,
Voce canent memores grata Endymiona minores:
Endymiona, ſuo quem Delia candida fratri
Prætulit, invicta Veneris confixa ſagitta,
Collibus in Lelegum, qua Caria celſa profundo
Imminet Ægæo, pulchros dum flumina propter
Paſcit agens tauros, juvenum pulcherrimus ipſe,
Endymion teneris ſenſim imbibit oſſibus ignem.
Non illi Dryades, nec amantes prata Napææ
Perculſere animum, quanquam per prata Napææ
Sæpe agerent choreas, nudatæ crura, pedeſque,
Brachiaque, & flavam per lactea colla refuſæ
Cæſariem: quamquam Dryades ſub fronde latentes
Sæpe recedentem ſequerentur, ſæpe ſequentem
Profugerent viſæ, & cuperent fugiendo videri.
Unius in Lunæ vultu ſic vultibus hærens
Spectat inexpleto [1] fugientem lumine, ſpectat
Mane recedentem, & tacito ſua gaudia voto
Nutrit, vota auſus nondum committere verbis.
Ut furor increvit, majorque inſania morbi
Expreſſit veras flagranti e pectore voces,
Sæpe ſuper Latmi frondoſa cacumina pernox
Spectabatque Deam, ſpectanſque fovebat amorem,
Et gemitu & vanis tundebat ſaxa querelis.
O nemora, o fontes, & amictæ frondibus umbræ,
Antraque ſævarum latebris horrenda ferarum!
Si qua latet radix aut graminis herba ſalubris,
Quæ levet inſanos vel tollat pectoris æſtus,
Ferte ſalutiferum veſtro medicamen alumno.
Sed neque ſurda meis flectuntur ſaxa querelis,
Nec nemora & fontes: noſtro Dea ſola dolori
Auxilium tu ferre potes, Dea cujus ab ore
Herba bibit ſitiens rores, mare geſtit, & æther

Ridet,

1 *Fugientem*] MS. *ſurgentem*.

Ridet, & amiſſi ſolatur damna diei.
Sed quid ego hæc demens? aut quo tam proſpera reſtus
Fata meis? decus ætheriæ regina choreæ
Præferat ut cœlo terras, & Sole relicto
Gaudeat ut [1] pecoris duro placuiſſe magiſtro?
Quin morere infelix, neu credulitate dolorem
Falle tuum fruſtra, neu ſpe te decipe vana.
Una tuum mors eſt quæ ſolvere poſſit amorem.
Hæc juvenis per ſaxa & inhoſpita culmina Latmi,
Et nemora, & ſolis ſolus deflebat in antris,
Dum ſopor in victos oculos & torpor in artus
Infuſus laſſum in viridi proſterneret herba.
Sed nec amor Divam, nec ſegnior ignis edaci
Carpebat cura, nitidi de culmine cœli
Spectantem tenera teneri decus oris in herba,
Neglectamque comam per lactea colla, recentes
Colla nives [2] flavumque comam quæ vinceret aurum
Et niſi, cernentem ne falleret omnia fratrem,
Et timor & pudor obſtaret, dilapſa per auras
Iſſet in amplexus: ſed nec timor [3] & pudor ægrum
Sic fregere animum, fratrem quin obice nubis
Falleret, oppoſitæque latens telluris in umbra:
Et cum vicina projecta [4] jaceret in herba,
Et leviter roſeo libaret ab ore modeſta
Oſcula, vota metuſque & ſpes alternat amorque,
Dum vult, dum non vult ſomnos turbare, cupitque
Deprendi, & metuit, neſcit roget anne rogetur,
Certa rogare, licet mallet tamen ipſa rogari:
Sponte ſopor lentos pueri patefecit ocellos.
[5] Ut pudor ex illo victus conceſſit amori,
Non contenta polo terras præferre, per auras
Suſtulit, inque ſua juveni ſuper æthera biga
Sublato, non nota homini penetralia regni
Ipſa ſui ſpectare dedit, monuitque propinquis
Proderet ut populis, fingentes vana Sophiſtas
Argueret, quique aſtra putant Titania glebas
Ignitas, lapideſve, ſcaphaſve, rotæve figura
Vertendo e media flammas [6] apſide vomentes:
Aut arva aëreis populis habitata, & ab igne

Con-

1 *Pecoris duro*] MS. *duro pecoris.*
2 *Flavumque*] Pinc. Commel. Edit. 1594, & MS. *flavamque.*
3 *Et pudor*] MS. *aut pudor.*
4 *Jaceret*] MS. *lateret.*
5 *Ut pudor*] MS. *Et pudor.*
6 *Apſide vomentes*] Pinc. Commel. & 1594, *umbone vomentes.*

Conceptum noſtro vitreo ſub corpore lumen
Condentes. Hæc [1] Car in Latmia paſcua cœlo
Redditus Endymion late vicina per arva
Diffudit Lelegum, & flammis infeſta Chimæræ
Paſcua flaventis Lyciæ, rivisque ſuperbam
Mæoniam auriferis, mitique umbroſa Lyæo
Culta Phrygum, & molles ad durum littus Ionas.
Inde per Ægæos accepit Achaia fluctus
Tranſmiſſum ſtudium aſtrorum: vix ſera togatæ
Cura fuit genti cœli deprendere motus,
Et ſecreta Deum Auſonias vulgare per urbes.
Primus enim Gallus mites cum Pallade Muſas
Caſtra ſequi docuit, durum & mollire Gradivum,
Et jura Oenotriis cœleſtia prodidit oris.
Nam cum jam caſtris Macedum collata Latina
Caſtra minarentur, pugnæ & ſpes certa propinquæ
Hinc atque hinc tumidas animorum accenderet iras,
Lunaque jam toto prope cœlo fratris ab [2] orbe
Diſſita, ſanguineum ventura nocte ruborem
In vultus ſuſura foret, ne viſa repente
Res inopina rudes quateret terrore cohortes
Inſolito, his Gallus firmavit pectora dictis.
Romulidæ magni, quorum victoria pene
Imperii fines terris æquavit & aſtris,
Accipite hæc memoreſque animis mea figite dicta.
Mox ubi tellurem nox atra involverit umbra,
Luna repente ſuum ſi condet turbida vultum,
(Condet enim vultum) ne vos timor urat inanis
Ceu cladem inſolitis indicant numina monſtris.
Namque parens mundi, cum prima exordia rerum
Fingeret, æternis ſic nexuit omnia cauſſis,
Quæque ſuum immota ſervent ut lege tenorem:
Ut tenebræ luces, [3] ut lux alterna tenebras
Excipiat cæcas; ut nunc ſe liquidus aër
Denſeat in nubes, pluvios modo ſolvat in imbres,
Nunc rutilet flammis, nunc grandine verberet Alpes.
Hæc quia quottidie fieri aut plerumque videmus,
Afficiunt nulla trepidas formidine mentes.
At ſi deficiens contraxit Luna ruborem,
Solve tenebroſis placidum caput abdidit umbris:

1 *Car*] Ita legit ex MS. ſuo vir doctus, nam Endymion e *Caria* erat; And. Hart, *cur*, male; Pinc. Commel. & 1594, *mox*, quod tolerari poteſt.

2 *Orbe*] Ita prædictæ Editt. aliæ *ore*.

3 *Ut lux*] MS. *&* *lux*.

Icta repentino ſaliunt præcordia motu,
Ora metu pallent, linguam ſua verba relinquunt:
Cum tamen hæc miranda minus ſint fulguris igne,
Et cœleſtis aquæ & lapidoſi grandinis imbre;
Ut quæ non vicibuſque ſtatis, aut ordine certo
Miſſa fluant: contra Solis Lunæque labores,
Lex æterna & naturæ [1] invariabilis ordo
Alligat, eque ſuis promtum eſt prædicere cauſſis,
Cur, quibus in terris, quoties, quo tempore ponant
Aſtra ſuos ſumantque iterum Titania vultus.
Ac ne forte alicui falſas affingere cauſſas
Credar, & in rebus procul a tellure remotis
Ludere, quod craſſos fugiant cœleſtia ſenſus,
Cernite, quæ manibus tractari pene oculiſque
Conſpicienda patet, naturam mobilis umbræ.
Omne quod officiet luci, objectuque tenebras
Efficiet, corpus vel par fateare neceſſe eſt,
Vel minus, aut majus lucentis corpore maſſæ.
Si modus ambobus par eſt, æqualis utrique
Umbra fluit, teretem fingens ſine fine columnam:
Sin anguſta magis lux ſe breviore coarctet
Circuitu, tenui incipiens a cuſpide creſcit
Latior umbra, & quam magis a fulgore recedit,
Tam magis in latum ſpatioſas porrigit alas.
At ſi forte minor menſura in corpore denſo eſt,
[2] Quam quod luce nitet, denſo cum corpore primum
Par modus eſt umbræ, dein ſe brevioribus arctans
Concludit ſpatiis, & cuſpide finit acuta.
Nunc oculos animi ad cœleſtia templa referte,
Quaque licet [3] rebus conferte æterna caducis:
Namque minor magno [4] cum tellus corpore Phœbi
Tota ſit, anguſtum in teretis mucronis acumen
Umbra fugit, ſpecie & ſenſim tenuata rotunda
Parva ſui circumſcribit pomœria regni.
Nam clypeus Phœbi jaciens de corpore magno
Spicula, nec numero nec fine coërcita certo,
Involvit terram radiis latera ardua cingens,
[5] Qui ſenſim in teretem cogunt coaleſcere conum
Nigrantis tenebras umbræ, e telluris opacæ

Fi-

1 *Invariabilis*] MS. *& inviolabilis.*
2 *Quam quod*] MS. *Quam quæ.*
3 *Rebus*] Pincier. Commel. & 1594. *ſenſim.*
4 *Cum tellus*] MS. *tellus cum.*
5 *Qui ſenſim*] Ita MS. editi omnes, *Et nobis.*

Digitized by Google

Finibus, & noctem anguſtis ſic undique claudunt,
Ut nec Atlantiaden tangant faſtigia ſumma
Umbrarum, [1] aut vacuis late palantia campis
Ætheris aſtra, ſuo variant quæ lumine mundum,
Et nunquam vigili cœli e ſtatione recedunt.
Ergo ubi Sol toto terræque mariſque diremtus
Abſcedit ſpatio, & noſtrum nox occupat orbem:
Tum ſi Luna micans puro nitidiſſima cœlo,
Ambroſiamque comam & divinæ frontis honorem
Protulerit [2] gaudente polo, nigrantibus umbris
Occurrens tenebris ſeſe induit, oris honorem
Et nitidum ingratâ ferrugine purpurat orbem,
Paullatim in pulchram faciem ſerpente veneno.
Deinde ubi ſeſe orbem virus diffudit in omnem,
Unde rubor primum cœpit ſubrepere, primum
Incipit exiguæ ſcintilla accendere flammæ,
Atque iterum puro totum caput induit auro.
Namque globus Lunæ, qui tot mutatur in ora,
Lucis egens propriæ languet, niſi lumine caſſam
Accendat molem adverſam fax ignea Phœbi,
Et velut in vitream radiorum ſpicula maſſam
Inſerat, obſcuramque abigat caliginis umbram.
Ergo ubi ſe propius Phœbeo admoverit igni
Delia, pars ſuprema oculis impervia noſtris
Tota nitet, tota eſt fraternæ obnoxia flammæ:
Proxima pars languet: dein quo magis illa recedit
Fratris ab amplexu, magis & magis ignea nobis
Se retegit facies: [3] donec cum ſolvere currus
Jam parat, & vitream ſubiturus Nereos aulam
Phœbus agat laſſos per iter declive jugales;
Et contra ignicomans Phœbe ſe tollat ab Indo
Littore, tota nitens, tota auro inſignis, & ore
Tota ſuum referens & puro lumine fratrem.
Tum vero adverſi Solis referitur ab ictu,
Et lumen trahit illa oculis pars obvia noſtris.
Qualiter ad Solem vitrei ſi corporis orbem
Volveris aſſidue, tremulæ pars altera lucis
Icta nitet radiis, & puro accenditur igni;
Altera lucis inops pallet nigrantibus umbris.
Aſpice quam primum complexu libera fratris

Ve-

[1] *Aut vacuis*] Ita MS. alii omnes, & *vacuis.*

[2] *Protulerit*] Hic & qui ſequitur verſus in Pinc. Commel. & 1594. deſiderantur.

[3] *Donec cum*] MS. alii vero, *donec jam ſolvere currus Cum parat.*

Veſpere Luna redit, vel cùm ſe mane recenti
Perfudit liquidis Nabathææ Doridos undis,
Et tenuem tenui cornu falcatur in arcum:'
Tum ſi perſpicui facies innubila cœli,
Admiſitque oculos, & ſe dedit illa videndam
Quæ propior Phœbo eſt pars, aurea lumine puro
Splendet, & exiguo meditatur cornua flexu:
Altera languet hebes, liventi pallida gyro
Area lucis inops, ſpeculi ceu vitreus umbo,
Cum nequit adverſi radios admittere Phœbi.
[1] Atque ea cum facies Lunæ ſit lumine [2] caſſæ,
Noſſe, reor, promtum eſt, cur Sol ferrugine vultus
Induat, & ſubita condat ſua lumina nocte.
Nam cum Luna ſilens flectit per inane jugales,
Inferior nitidum ſi forte ſubiverit orbem
Solis, & in terram radiorum intenta refregit
Spicula, ſubjecta compacti corporis umbra
Induit obſcuras ſubita caligine terras:
Nocte repentina oppreſſæ volucreſque feræque
Attonitæ fugere, ſtupor quatit inſcia veri
Corda, quod æternis credant damnata tenebris
Secula, ſe ſcelerum meritas expendere pœnas,
Inque chaos rupto confundi fœdere mundum:
Donec ab oppoſitu lampas Phœbea ſororis
Libera claravit jucundo lumine campos,
Et terram tenebris, homines formidine ſolvit.
Cauſſa diu latuit, facti admiratio manſit:
Inde ſuperſtitio crevit, ſe in pectora vulgi
Paullatim inſinuans, & credula corda fatigans:
Sive Deos non auſa ſuos deprendere fama
In coitu, atque arcana poli ſpectando profanos
Conſcelerare oculos, ſeu caligantia nemo
Lumina mortalis poterat contendere contra
Luminis æterni fontem, & jubar igne coruſcum,
Quod ſpectantum hebetes radiorum cuſpide viſus
Arceat, & tenebris temeraria lumina plectat.
Hic aliquis veri ſtudio flagrantior, & cui
Vivida vis animi ſpem conſiliumque fovebat,
Cum jubar igniferum radiis fulgoris acutis
Lumina rejiceret ſpectantum, ſeque tuendam
Viſibus humanis cœleſtis flamma negaret,

Forte

1 *Atque ea*] Ita MS. Pinc. Genev. Commel. alii fere omnes, *At ea.*

2 *Caſſæ*] Pincier. Commel. & 1594. *caſſa.*

Forte oculos hebetes liquidam dejectus in undam,
Deprendit ſecreta poli, Lunæque nigrantis
Umbram animadvertit tenebras prætexere Phœbo,
Et ſibi ſuppoſitæ tenebras inducere terræ.
Hoc aliis deinde atque aliis mirantibus, alter
[1] Punxit acu penetrans non uno vulnere chartam,
Admiſitque diem per multa foramina fractum,
Oraque velatus male parva vidit in umbra,
Quid faceret magnam terris mirantibus umbram.
Multiforique aliis radios dedit area cribri
Cernere, citra ullam diviſo lumine noxam.
Perſea ſic olim clypei fulgentis in orbe
Fama eſt ſaxificæ faciem vidiſſe Meduſæ.
Sic in multifidos diviſo gurgite rivos
Se minor Euphrates, nec jam pontiſque vadique
Impatiens tumidusve hoſti Babylona ſuperbam
Prodidit, & domito induxit juga Perſica collo.
Illud in his rebus forſan mirabere, fulgens
Lumine Luna notho, cum Phœbi ſubdita flammas
Secludat terris, cum Lunam terra viciſſim
Se Phœbo objiciens ſpoliet fulgore coruſco:
Cur quoties Phœbe curſum permenſa peracto
Menſe redit, properans radiis Hyperioni cincto
Jungere complexus, non ſemper mœret ademtum
Terra diem quærens, necopinis [2] icta tenebris:
Deinde minutatim cum Luna recolligit orbem,
Occiduique oriens cernit veſtigia Phœbi,
Cur non interjectus eis tum corpore denſo
Terrai globus obſcura nos ambiat umbra,
Et ſubita cogat ſub nube rubeſcere Lunam.
Hic quoque cum vulgo ne te rationis egentem
Devius error agat tranverſum a limite recto,
Mente memor reputa, quæ Solis diximus ante
De curſu obliquo, Lunæque erratilis orbe.
Eſſe quidem medio in ſpatio, quæ linea ſignet
Signiferum, Graji fecere Ecliptica nomen,
Sub qua perpetuo per ſigna obliqua rotatu
Delius in ſeſe redeuntem circinat annum.
At non Luna ſuos agit hoc moderamine currus,
Sed modo torrentis Cancri ferit ardua ſpiram,
Interdum tepidos humilis declinat ad Auſtros,

Nunc

1 *Punxit*] Pincier. Genev. Commel. *Pinxit.* 2 *Icta*] Iidem, *victa.*

Nunc medio ſecat orbe viam. perque aurea ſigna
Nuſquam flexa legit roſei veſtigia Phœbi.
Hæc igitur quoties Ecliptica linea centrum
Per medium penetrans Titania dividit aſtra,
Si ſubiit Phœbum Lunæ pallentis imago,
Tellurem obſcura late caligine veſtit,
Nec totam tamen; atra etenim Titanidos umbra
Paullatim Solis radiis arctata rotundam
Cogitur in faciem, & mucronem fingit acutum.
At ſi ſubjectam dirimens Ecliptica Lunam
Fecit inæquales diviſo in corpore partes,
Tum quota pars Lunæ Solis ſubtenditur orbi,
Pars ferruginea latitat tota Solis in umbra.
Quod ſi ſigniferi cycli extremas legat oras
Delia, roriſero peragrans confinia curru
Vel Cancri æſtivi vel brumalis Capricorni,
Clarus abit Phœbus, nullique obnoxius umbræ
Illuſtrat [1] lætas jucundo lumine terras.
Nec ſi plena volet toto nitidiſſima cœlo
Delia, terrarum ſubita palleſcit ab umbra.
Scilicet has rerum genitor, cum fingeret orbem,
[2] Fluxaque perpetuo vinciret ſecula nexu,
Eſſe vices juſſit: nam cum ſeceſſit ab ima
[3] Excluſus tellure polus, nox alta tenebris
Cuncta ſuis condens vacuo [4] regnabat in orbe.
At poſtquam emicuit nitido jubar igne coruſcum
Solis, & obſcurum jucundo lumine mundum
Claravit, nox impatiens attollere vultus
Adverſum auratis radiis Hyperiona cinctum,
Fugit in extremas trepido pede concita terras.
Seu pudor in cauſſa eſt, & rapti injuria regni,
Sive timor, mœſta ex illo ſe condit in umbra
Terrarum: & quamvis ſpatiis pater optimus æquis
Temporis obſcura lumen ſecrevit ab umbra,
Livor adhuc ſtimulis animos diſcordibus urget,
Bella ciens, prædæque inhians, nec limite certo
Contentus vanas exercet inaniter iras.
Nam cum Phœbus equis cœlum velocibus ambit,
Ne pereat celeri radiorum cuſpide fixa
Umbra fugax paribus cœlum colluſtrat habenis:

Cujus

1 *Lætas*] Pinc. Commel. & 1594. *cæcas.*
2 *Fluxaque*] MS. *Fixaque.*
3 *Excluſus*] MS. *Secluſus.*
4 *Regnabat*] MS. *regnavit.*

Digitized by Google

[1] Cujus ab igniferis telis protecta tuetur
Regna tenebrarumque & ſceptrum noctis opacæ.
Id licet anguſtis hinc atque hinc finibus arctet
Imperium Phœbus, partem & ſibi menſtrua Lunæ
Vindicet ambitio, & fulgentia ſidera certis
Incurſent vicibus, tenuemque e paupere regno
Prædam [2] aveant: non illa ſui tamen immemor (etſi
Imbellem frenet populum, pigroſque ſopores,
Et ſomnos pingues, & ſollicitantia mentes
Somnia vana leves, requiemque laboris iniqui
Pondere defeſſam, & fures nil fortiter auſos,
Et magis inſidias occulta fraude timendas:)
Non oblita ſui tamen, aut prece ſupplice terram
Sollicitat matrem, cognataque flumina, denſas
Ut Soli objiciant nebulas, & ſpicula frangant
Ignea, ſideribus tenebris ut lumen opacis
Eripiant, regerantque acceptos nubibus [3] imbres.
At cum ſumma tenet Phœbus faſtigia cœli
Signiferi nitidum peragrans altiſſimus orbem,
Illa movet tardos lento molimine greſſus,
Inque ſuis latebris venientem abſcondita Lunam
Occupat: interdum cum Sol propioribus urget
Tellurem radiis, properantem ad littora Calpes
Aſſequitur, tenebriſque involvit, & oris honorem,
Qui mare, qui terras, qui cœli cærula templa
Exhilarat, furvæ caligine noctis opacat.
Nec fatis ulta ſuum crudelis Diva dolorem
Se putat hac pœna, Solem quoque pellere regno
Nititur, & quoties trans Ægocerota remotos
Inviſit populos formoſi Hyperionis axis,
Solvit & adſtrictas glaciali compede lymphas,
Liberat & nivibus montes, nemorumque comanti
Brachia fronde novat, conveſtit gramine campos,
Umbra ſuper Tanaim Riphæaque culmina biga
Invehitur furva, & populos quos Arcticus ambit
Circulus, in tenebris claudit, faciemque ſerenam
[4] Obſcurat cœli, & longa [5] ſub nocte recondit.

SUP-

1 *Cujus ab igniferis telis*] MS. *Poſſit ut a Solis radiis protecta tueri.*
2 *Aveant*] Pinc. Commel. & 1594. *abigant.*
3 *Imbres*] MS. *ignes.*
4 *Obſcurat*] MS. *Obfuſcat.*
5 *Sub nocte recondit*] Sequebantur in MS. codice Geddei 22 hi verſus, ab auctore (uti recte annotavit vir doctus) non expoliti, nec præcedentibus ſatis reſpondentes. Nam, præter alios nævos, Lunæ tribuunt non ſuas, ſed noctis & umbræ technas.

SUPPLEMENTUM

Libri Quinti Sphæræ GEORGII BUCHANANI,

Auctore JOANNE PINCIERO *Medico.*

CUM vero armatas flammis ac luce quadrigas
Sol vehit in Borean, genteſque inviſit utrique
Vicinas Urſæ glacie nivibuſque rigentes,
Auſtrinas Nox atra plagas petit, atque Canopo
Ulteriora tegit tenebris nigrantibus arva.
Quin niſi forte Sophos ratio ſpecioſa feſellit,
Umbrai genitrix natæ miſerata dolorem,
Continuamque fugam, Solique irata ſuperbo,
Exhalat ſpiſſos gravido de viſcere fumos,
Cogitque in nubes, quarum regionibus illis,
Quas natura polis mundi ſubjecit utrinque,
Tanta eſt craſſities, tam denſo corpore maſſa,
Ut Phœbi radios, nihili ceu tela, retundant,
Lucem excludentes eludenteſque calorem.
Ergo illis atræ tenebræ dominantur in oris
Perpetuo, & quamvis lucem præſentia Solis
Afferat, impediunt nubes, aditumque recuſant.
Sed quorſum me ſermo rapit? Vos illa, Quirites,
Figite pectoribus memores ante omnia, Luna
Lumine ſubtracto (præſens ita poſtulat uſus)
Cur nitidos tingat picea ferrugine vultus.
Cumque laborantem ventura nocte tenebris
Cernetis Lunam, ne deſpondete viriles
Sed firmate animos: nihil hic præſaga futuri

Por-

Talibus aggreditur Phœbeum Cynthia regnum:
Et conjuratis picea caligine terris
Imperat, ut longam producant nubila noctem.
Aſt ille intrepido nullos habitura triumphos
Nubila præteriens vultu, ſibi temperat iras
Præcipites. Et noſtra ſoror nos pellere mundo
Tentat? Et admiſſas furtivi luminis umbras
Objiciens nobis expulſa lampade terræ?
Illa meos quondam blandis amplexa lacertis
Accepit radios: noſtri quoque numinis uſu
Clara per aëreos fudit ſua lumina campos.
Sed quid ego inſanas? neque enim liveſcere fas eſt.
Illa ferat Scythicas Tanais de rupe tenebras:
Nos Agaſimbæas pugnantia ſpicula flammas.
Illa Syenitas: nos Perſica regna colemus.
Si placet imbelles hominum conjungere turmas,
Eſt quoque pars nobis media telluris. Opacas
Conſpergat tenebras: Subita redimemus ab umbra
Pallentem infracto victores lumine terram.
Sin lubet æquales imæ telluris habenas
Verſare, ter quina unam per tempora partem
Transſca ut ſolitos luſtret telluris honores.

Portendit natura mali: timor omnis in hoſtes
Ille ruat noſtros, & fortia pectora frangat.
At vos [1] macti animis veterum de more Quiritum
Intrepida pugnate manu, Macedumque cohortes
Et premite, & preſſas ultro citroque fugate:
Haud dubiam vobis promittunt numina palmam.
  Dixerat hæc Gallus, preſſoque obmutuit ore.
Ipſa fidem clades Macedum firmavit. Ab illo
Tempore Romulidæ nulla formidine fractis
Spectavere animis Lunæ Soliſque labores.

1 *Macti animis*] Libri omnes *macte*, male. Vide ſupra ad lib. V. v. 1.

F I N I S.

Monitum ad Lectorem.

POST Joannem Pincierum, *ad duos poſtremos* Georgii Buchanani de Sphæra *quos ipſe nunquam abſolverat libros*, Supplementa *etiam ſcripſit* Adamus Regius Scotus. *Ea cum paullo accuratius hoc argumentum tractare, & feliciore vena quam qua uſus eſt* Pincierus *effuſa viderentur, neutiquam omittenda cenſuimus. Et a quibuſdam fortaſſe, noſtratibus præſertim, piaculum mereri exiſtimabimur, quod* Pincieri *potius quam* Regii *noſtri carmina* Buchananæis *proxima adjunxerimus. Sed, præterquam quod haud magno diſcrimine referre arbitremur, quo ordine collocentur hæc* Supplementa, *monendum quoque duximus Lectorem non hic nos carminis, ſed temporis duntaxat habuiſſe rationem. Cum enim* Pincierus Buchanani *libros* de Sphæra *primus typis evulgarit, operamque haud pænitendam in* Supplementis *pertexendis primus poſuerit, quæ una cum omnibus fere ejus libri* Editionibus *in publicum deinceps prodierunt, indignum utique videbatur, eum de loco, quem tamdiu tenuerat, deturbare. Cæterum, quod ad* Regium *noſtrum attinet, is non modo poſteriorum librorum lacunas explevit, ſed integrum de* Sphæra *opus recenſuit, & luculento admodum omnigenæque eruditionis copia referto Com-*

mentario illuſtravit; quæ omnia juſto volumine comprehenſa, Caroloque *I.* Britanniarum *Principi inſcripta*, *Auctor ipſe prælo deſtinaſſe videtur. Ejus libri exemplar nitidiſſimum, & forte unicum, in celebri Academiæ* Edinburgenæ *Bibliotheca aſſervatur. Ipſius quidem ad* Buchananum *Supplementa jampridem exſtant in* Deliciis Poëtarum Scotorum *editis* Amſt. 1637. *at nos præcipue ad codicem manuſcriptum reſpeximus, cujus (cum multis aliis inſtituto noſtro ſumme neceſſariis) ex inſtructiſſima illa Bibliotheca nobis benigne indultus eſt uſus.*

Libri quarti Sphæræ a GEORGIO BUCHANANO *non abſoluti*

SUPPLEMENTUM,

ADAMO REGIO SCOTO *Auctore.*

SIC quibus eſt rectus ſignis ſurgentibus ortus,
Lentius & ſegni tanto magis æthere curſum
Tarda trahunt, nectuntque moras, quo rectior illis
Et magis acclivi deducitur orbita cœlo.
Quæ vero obliquo referunt ſua lumina curru,
Quo magis inflexum peragunt iter, ocyus alto
Proſiliunt, ſpatiiſque ſuos brevioribus ortus
Expediunt, celeri & claudunt ſua tempora gyro.
Nec diſpar ratio occaſus, qui rectus habetur;
Quum quam Signiferi plus Æquatoris in undas
Signa ferunt, tardoque gradu ſua ſidera condunt:
Quum minus, obliquus perhibetur: & ocyor aſtra
Præcipitat cœlo occubitus, quo obliquior: ut quo
Rectior inclinat, ſic tardius urget in æquor,
Et Tarteſſiacis immergit ſerius undis.
Hos etiam ſtellarum obitus metimur & ortus
Segmento æquantis cycli, quod in ordine recto
Signorum, vernum punctum, ſtellamque cadentem,
Aut aſcendentem dirimit: nec diſpare forma

Rectius

Rectius his, illis obliquius æquora linquit,
Aut ſubit: has ſenſim remoratur, promovet illas:
Et ſua multiplici diſcrimine tempora mutat.
Nec ſimilem ſervat ſphæra variante tenorem
Seu ſignum, ſeu ſtella cadens, vel ab æquore ſurgens:
Nam quibus æquatrix inſiſtit linea, rectum
Ad perpendiculum, cardoque videtur uterque;
Signiferi æquantiſque cycli diſtincta Coluris
Segmina quadrantum, paribus redeuntque abeuntque
Integra momentis, æquataque tempora ſervant.
At non quadrantes alii, quocunque notentur
Principio, parteſve aliæ quadrante minores,
Sic ortus obituſque ſuos æqualibus unquam
Arcubus abſolvunt, aut tempora partibus æquant:
[1] Quin hic Signiferi ſuperet, ſuperetur at illic
Portio, quem ſecum trahit, Æquatoris ab arcu;
Ut nunquam paribus cum Finitore trigonum
Cruribus efficiant: menſura at diſpare, ſemper
Rectius Oceanum fugiant hæ, obliquius illæ
Aut repetant, varioque ſitu diſcrimina mutent.
Nam quo Signiferi partes propiore receſſu
Phryxæi pecoris, juſtæque exordia Libræ,
Diſcreta ſerie præeunt, aut pone ſequuntur:
Hoc magis obliquo flexu, velocius undis
Subducunt ſeſe, vel condunt: rectius autem
Et tardo magis ingreſſu, quo hinc inde remota
Solſtitia accedunt propius. Sic cardo propinquus
Incitat, aut ſimili motum ratione retardat.
Quæ vero autumni veriſque a limite partes
Continua ſerie ad Cancrum Caprumque trahuntur,
Obliquos: at quæ a Cancro Caproque tenebras
Lucibus æquatas attingunt perpete ductu,
Exortus obeunt rectos: ſed diſpare norma.
Nam quæ principiis diſtant magis, hoc minus ortu
Obliquo rectove Indo de littore ſurgunt,
Heſperiove cadunt; ſemperque prioribus addunt,
Aut adimunt ſua quæ ſuccedunt tempora: toti
Dum ſeſe integris quadrantes arcubus æquent.
Hic intervallis quæcunque a cardine eodem
Diſſita ſunt paribus quadrantum ſegmina, norma
Æquali peragunt ortus: ſic Carcinus ardens
Ledæos æquat fratres, Aſtræa bilancem,

Ægo-

[1] *Quin hic*] Ita MS at Editio Amſtel. 1637, *Quum hic*.

Ægoceros Chirona, & Piſces Janitor anni;
Par Tauro Nemees terror, vaſtuſque Leoni
Scorpius, huic plena terras qui proluit urna.
Signa etiam adverſis quæ ſeſe frontibus urgent,
Hinc ſubeunt legem: nec Chelis portitor Helles
Rectius aſſurgit, non Tauro Scorpius; æquat
Ledæos fratres Chiron, Cancrumque calentem
Ægoceros; par eſt menſura Leonis & Urnæ;
Nec pecori æquoreo concedunt Virginis ignes.
Quin hic ſemiſſes etiam quæcunque cyclorum
Zodiaci, lucique umbras æquantis, iiſdem
Finibus incluſæ, Eoo ſimul æquore totas
Se tollunt, conduntque ſimul ſe littore Ibero.
Hoc demum cujuſque licet deprendere ſigni
Segmentive pares ortus obituſque, nec unquam
Fingere diſſimiles in Finitore trigonos:
Seu ſe Mygdoniis elata cubilibus Indo
Margine promoveant; ſeu fortunata [1] reviſant
Heſperidum nemora, atque emenſo Atlante reſidant.
Ordine ſic certo, mundi quibus axis utrinque
Radit Horizontem, retegi, rurſuſque recondi
Signa vident, ſtellaſque ſuas; ſemperque tenore
Conſtanti ſervare vices & tempora motus.
Axe ſed obliquo, quibus hic ſublimior exſtat,
Ille latet mundi polus, & ſua ſidera celat;
Tranſiliunt circi, qui viſum terminat, oras
Diſparili norma ſtellæque & ſigna: nec idem
Surgendi modus eſt, aut par menſura cadendi
Omnibus, a media mundi regione ſub ipſos
Uſque polos. Nam qua tellus concluſa polari
Atque æquante cyclo ſeſe diffundit in orbem,
Signifer integris (certo quas limite finit
Cum Chelis Aries) tantum ſemiſſibus ortus
Occubituſque ſuos exæquat: cætera ſurgunt
Diſparibus ſegmenta modis, niſi cruribus æquis
Efforment intra Tropicos ſi quando trigonos.
Continuas autem partes ſemiſſis in Arcton
Inflexæ, a primo redeuntis limine veris,
Virginis ad finem, celeri hic obliquius ortu
Quam ſphæra in recta ſemper ſe tollere cernes.
Disjunctas vero propius quo a cardine verno
Diſtiterint, magis oblique; quo longius abſunt,

Rectius

1 *Reviſant*] Sic legendum monet contextus: MS. tamen & Amſt. *reviſent*.

Digitized by Google

Rectius Eois emergere fluctibus, uſque
Quo ſimul integris ſemiſſes arcubus exſtent.
Non idem alterius modus eſt ſemiſſis in Auſtrum
Prolapſæ: nam quas Chelarum a limite partes
Ordine [1] connexas trahit ad confinia veris,
Rectius hic, recti quam Finitoris in oris,
Attollit: diſcontinuas quo pondera Libræ
Attingunt propiore ſitu, ſic rectius; at quo
Longius abſcedunt, ſic inclinatius undis
Exſerit, ut juſtis ſua tempora partibus æquet.
Hinc fit, ut a ſumma Phœbi declivis ad imam
Semiſſis ſtatione, atque ejus ſegmina quævis,
Hic ſemper recta aſcendant; acclivia vero
A bruma ad Cancrum quæ ſigna trahuntur Olympo,
Obliquo oſtendant ſeſe & ſua ſidera flexu.
Si porro hic ſegmenta notes a cardine utrovis,
Qui lucem noctemque pares determinat, æquis
Ante, retro ſpatiis diſtantia, ſemper eadem
Menſura, quamvis properent hæc, illa morentur
Exſertare ſuos deprendes æquore currus.
At quæ ſolſtitio paribus junguntur utrinque
Arcubus alterutri, diviſim tempora nunquam,
At junctim exæquant rectis; tantumque reponit
Tardius hinc, illinc quantum velocius aufert.
Quippe ortus rectos diſcrimine ſemper eodem
Exſuperant, minuuntque ſuos, parilique reclinant
Seceſſu a media mundi ſtatione: latentis
Sive poli ſpectent flammis propioribus ignes;
Sive Lycaoniis diſtent vicinius Urſis.
Quin etiam adverſis toto quæ diſſita cœlo
Occurſant radiis, atque obvia lumina miſcent,
Non niſi juncta ſuos ſpatiis æqualibus ortus,
Hic ut in extremo recti curvamine cœli,
Conficiunt, numerantque pari ſua tempora curſu.
Sic tamen hic etiam ſejuncta æquantur, ab undis
Ut quanto alterutrum ſeſe effert tempore, eodem
Se condat reliquum; ſimilique tenore ferantur
Hoc oriens, illudque cadens. Hic denique normam
Aſcenſus caſuſque ſui pars una eademque
Sic variat, tantoque vices diſcrimine mutat,
Ut recto mundi ſi clauſtra latentia curſu

Deſe-

1 *Connexas*] Ita MS. at Amſt. *convexas*.

Deſerat, obliquo ſe mergat in æquora lapſu.
Sin oritur celeri gyro, deſcendat inerti;
Et nunquam parili cedat redeatque tenore.
Legibus his, medio tellus a limite cœli
Qua patet Arctoi late ad confinia circi,
Sidera ſe nobis retegunt & ſigna, caduntque.

At quibus algentes qui circumflectitur Arctos
Circulus inſiſtit, dum circinat orbita Solis
Undique proſpectum, & cœli ſe terminat oris:
Zodiaci ſenis quæ ſe pars altera ſignis
Porrigit acclivem a Capro per limina veris
Ad Cancrum, ſic tota ſimul convertitur uno
Momento, ut ſecum nil Æquatoris ab Indo
Sublevet, Heſperio quem totum littore condit.
Altera quæ totidem a ſummo deſcendit ad imum
Solſtitium ſignis per juſtæ examina Libræ,
Luminibus noſtris ſi impervia regna relinquat,
Æquantem cyclum totum deducit ab undis:
Sin adeat, partem nullam trahit ejus in undas.

Denique queis vertex erectus conſtitit inter
Signiferi mundique polos, ubi frigore pigro
Immitis terras Aquilo damnavit inertes:
Proxima ſolſtitium æſtivum quæ ſegmina utrinque
Attingunt paribus ſpatiis, a cardine vertex
Si minus Arctoo, numero majore, minore,
Si magis abfuerit, ſemper ſublimia perſtant,
Heſperio nunquam tingi metuentia ponto:
His adverſa latent ſub Finitore, nec unquam
Æquore ſe tollunt Indo, metuuntque videri,
Et Boreæ gelidis ſua ſidera credere flabris.

Cætera ſolſtitiis diſtantia longius, ortus
Alternant obituſque vices, totumque reducunt
Abducuntque cyclum æquantem: ſed diſpare forma.
Nam quæ prona jacent Chelis contermina, recto
Ordine majorem illius ſurgentia partem
Oceano educunt, conduntque relapſa minorem
Ordine mutato: ſed quæ primordia veris
Stant circum, & propius Nepheleia vellera ſpectant,
Inverſa ſurgunt ſerie, tolluntque minorem
Æquantis circi partem, rectaque recondunt
Majorem; ſimilique modo diſcrimina ſemper
Permutant: donec vertex cum cardine mundi
Arctoo coëat, fiatque Æquator Horizon:
Sena ubi perpetuos totis exſtantia gyris

Digitized by Google

Signa choros ducunt, pelagique immunia longæ
Menſibus hic ſenis præſtant ſolatia nocti.
Conſpicuis nunquam hoc cœlo ſex altera flammis
Preſſa latent tenebris & opaca nocte: nec ullos
Hæc ortus, aut illa obitus in margine cœli
Moliri, aut poſitas tentant tranſcendere metas.
Quas porro leges, ortus quibus occubituſque
Alternent, circi medium qui dividit orbem,
Citra circuitum ſignis præfixit; eaſdem
Ultra etiam dedit oppoſitis natura: parique
Illa hinc, hæc illinc norma, decedere ponto
Reſtituique iterum voluit: ſic ordine ſolers
Quanquam diſſimili, certo tamen, omnia cœlo
Digerit, atque adimit, vel reddit ſidera terris.
Jam quibus aſtrorum curſus, varioſque recurſus
Obſervare fuit curæ, penituſque repoſtos
Cœlorum felici auſu penetrare receſſus:
Naturæ has latebras, & tantum pervia menti
Clauſtra recludentes, ubi conſpexere tenaci
Temporaque & motum coiiſſe in fœdera nexu,
Inque vicem ſeſe metiri; ut tempore motum,
Tempora ſic motu definivere, ſuiſque
Diſtinxere annos ſpatiis, menſeſque dieſque:
Sive illos Phœbi quæ ducitur orbita ſpiris,
Seu vaga palanti deſignet Cynthia curru:
Tum quibus in terris, & cur Phœbeius axis
Alternis æquet tenebris hic, augeat illic,
Et rurſus minuat vario diſcrimine luces:
Protrahat his umbras humilis, ſublimior illis
Contrahat; aut luſtret totas e vertice moles.
Scilicet ætherei Titan fons luminis, ignes
Undique vitales terris ſparſurus, anhelis
Signiferum permenſus equis, curſuque peracto
Quum redit unde abiit, quocunque in limite metam
Fixerit, hoc totum gyro definiet annum:
Qui ſpatio ſemper ſibi par claudetur eodem,
Principium ſi ſidus erit; ſin limen aprici
Veris, inæquali deducet tempora circo.
Jam quos Sol menſes, dum ſingula ſigna pererrat,
Diſpeſcitque ſuum bis ſenis partibus annum,
Ter denis finit gradibus, Latonia Phœbe
Non niſi decurſo ſignorum terminat orbe:
Aut ubi quam liquit metam jam contigit; ultra
Aut ubi prægreſſi relegens veſtigia Phœbi,

Aſſequitur fratrem, atque evanida cornua condit.
Quoque ſemel ſpatio, permenſo Phœbus Olympo,
Obliquum decurrit iter, ſoror illius orbem
Ter quater integrat, poſitoſque recolligit ignes,
Et proprium abſolvit bis ſex his menſibus annum.
Hos annos ergo & menſes diſpenſat utrumque
Sidus. & imparili moderantur tempora motu.
Aſt uni Phœbo normam metamque diebus
Præfinire datum, variataque legibus æquis
Partiri terris diſcrimina lucis & umbræ.
Nempe diem naturalem vertigine ſpiræ
Unius abſolvit: vel primi ſimplice motus
Circuitu, tanti protractu temporis aucto,
Obliquo quantum interea Sol axe peregit.
Civilem vero, terras dum lampade luſtrans
Exſtat Horizonti, primo deducit ab ortu
Littus ad occiduum, & præſenti lumine ubique
Orditur finitque diem; noctemque tenebris,
Dum latet, & fuſco terras involvit amictu.
Sic fugit alterna vel pellit luce tenebras,
Permutatque vices, noctem ut vertigo diemque
Una ferat ſecum, nox illic una dieſque
Continuet plures decurſu perpete gyros.
Nec tamen alternis æquantur lucibus umbræ,
Menſurave pari, ſimilique tenore viciſſim
Incrementa loco quovis aut tempore mutant.
Namque ubi terrarum medii faſtigia cœli
Occupat Æquator, nunquamque a vertice nutat,
Phœbeas quoniam ſpiras Finitor utrinque
Semiſſes recta ſemper partitur in æquas;
Perpetuo noctique dies, nocteſque dieſque
Inter ſe paribus ſpatiis æquantur; & æquis
Ut lux bis ſenis, ſic nox traducitur horis.
Hic Sol dum Boreæ confinia luſtrat & Auſtri,
Nunc Phryxæa ſuis perfundens vellera flammis,
Pendula nunc juſtæ trutinans examina Libræ,
Arduus e ſummo cœlorum culmine, eodem
Bis anno Æthiopum ſitientes torret arenas:
Et verſa in ſeſe radiorum cuſpide, rectas
Arboribus negat & puteis illuſtribus umbras.
Quas hinc digreſſus, ſeu ſe demittat in Urſas,
Cornua ſeu Capri repetat, declivis utrinque
Hic dextras, illic media ſub luce ſiniſtras,
Omninoque pares Tropico ſub utroque, aliiſque

Porri-

Digitized by Google

Porrigit e ſignis, quorum inclinatio par eſt.
Quin ſi vicino æſtatem, brumamque remoto
Axe trahit Titan, & dum propiore reflexos
Concurſu cogit radios, acieve retuſa
Laxius incurvat; ſiccis nunc æſtuat arvis,
Nunc ſua frigoribus concedit tempora; blando
Frigora nunc æſtu, nunc frigore mitigat æſtum.
Bis idem hic gravidis annus caneſcet ariſtis,
Bis dabit arboribus frondes, bis vitibus uvas,
Mollibus & lætos pratis renovabit honores
Flore novo. bis cana gelu, pluviiſque madeſcens,
Alternas ſibi bruma vices depoſcet, inerti
Squalebunt bis arva ſitu, bis frigora ſylvis
Decutient frondes, & erunt ſine floribus horti.
At quoniam utrumvis Phœbus declinet in axem,
Vix quater hic ſenis a vertice partibus unquam
Abſcedit, nec magno æſtum diſcrimine mutat:
Seu radios laxa, ſeu cuſpide flectat acuta:
Et metas cœlique inter faſtigia currens,
Itque reditque brevi ſua per veſtigia gyro.
Nullo hic bruma gelu, non ullis Sole remoto
Frigoribus riget, aut nemorum populatur honorem:
Non nivibus canent, non horrent arva pruinis,
Nec glacies incruſtat aquas, nec turbidus unquam
Inſultat tectis lapidoſæ grandinis imber.
Perpetui pratis flores, denſiſque perennes
Luxuriant ſilvis frondes; ſemperque recentem
In ſegetem turgeſcit humus, ſua germinat arbos
Poma ferens, totoque parit vel parturit anno.
Tanta beat fœtas cœli indulgentia terras.
Non illis cenſetur hiems, niſi Sole propinquo
Æquora perfudit quum plurimus imber, & æſtus
Mitior a pluviis Eurique frequentibus auris
Incubat, & glebas fœcundo rore maritat.
Nec certa niti nobis ratione videntur,
Qui velut in Tropicis, ſic Æquatoris in ipſo
Tranſcurſu, geminis ſtatuunt Titania ſiſti
Lumina ſolſtitiis: quæ, cum ſub vertice fiant,
Alta vocant; totidem quaſi diſtinguantur ab imis.
Nam quanquam in Cancro Phœbus Caproque morari
Dicatur; ſeu quod retro flexurus habenas
Hos ultra fines neutrum tranſcendat in axem;
Seu quia vix ullo jam tum diſcrimine luces
Augeri minuive queat deprendere ſenſus:

Digitized by Google

His tamen ex cauſſis æquanti adſcribere cyclo
Solſtitium non jure licet: quem ultraque citraque
Phœbus agens currum, nuſquam remoratur anhelos
Quadrijuges, metis niſi cum ſe flectit in illis.
Efficiat vero ſi par menſura dierum
Solſtitium, hic toto Sol ſtare videbitur anno.
Nec ſi illic, ſummam quoniam tenet ætheris arcem,
Altius ire nequit, pronoque inclinet Olympo,
Solſtitium faciet: nec enim tum ſiſtit equorum
Procurſum, aut verſo relegit veſtigia curru,
Donec in extremas promovit lampada metas:
Jamque parallelus quivis ſic circulus alti
Solſtitii fiet, ſtatuit dum in vertice Phœbum.
Ut par ſit gemina tantum ſtatione morari
In Tropicis Solem, reliquis aut omnibus æque
Bis geminum adſcribi ſpiris: nec ſolus ab alto
[1] Solſtitio Æquator proprium ſibi nomen habebit.
Hic demum uſque adeo pronis libratur utrinque
Verticibus nuſquam terris acclivior axis,
Ut nullum dextro lævove ſub æthere verſet
Aſtrum immune maris: retegunt ſe cuncta caduntque
Sidera, nec totas ducunt illuſtria noctes.
Quorum autem Arctoum vertex inflexus in orbem,
Æquantem citra cyclum, ſed Carcinon ultra
Conſtitit, his Aries tantum Chelæque tenebras
Lucibus exæquant: non æquas cætera mutant
Signa vices; verum exiguo diſcrimine: namque
Hoc toto quacunque patet lux maxima tractu,
Tres ſolas horæ ſemiſſes detrahit umbris:
Nec plus nox adimit minimæ longiſſima luci.
Quin nec ubique pari trahitur lux maxima filo:
Altius at quibus æquoreis ſubmovit ab undis
Conſpicuas Cynoſura faces, his Phœbus habenas
Laxat, & ardentis complexus brachia Cancri
Curriculo majore diem producit; ut Hirci
Sidera percurrens arcu breviore coarctat.
Hic quum ſpira, cui vertex inſiſtit, utrinque
Signiferum feriat, bis anno ſiſtet eodem
Vertice ſub ſummo Solem, geminumque notabit

1 *Solſtitio*] Poſt hunc verſum in Editione Amſtel. hi ſequuntur, *Deprenſum eſt hunc eſſe locum, quo circulus alti Solſtitii medium ſignorum percutit orbem,*) quos ab Auctore e Lucani lib. IX. v. 531. in ſuis Commentariis citatos, oſcitantia librarii in textum tranſtulit.

Solſtitium: ſi ſtare velis ſub vertice Phœbum,
Ultima ubi non ſit protractæ meta diei
Aut noctis: nec Phœbus equos currumque reflectit:
Æſtates etiam geminas, vicinia Solis
Si facit æſtatem, vel ſola remotio brumam.
Quanquam illis nec prata rigent, nec pigra ligantur
Stagna gelu, nec humus hiberno frigore torpet:
Vix montes nix ulla tegit, nec ſæpius unquam
Eripit his Soles, aut plenius irrigat arva
Juppiter, ardentes aut temperat imbribus æſtus:
Quam quum Phœbeos alta ſub luce jugales
Siſtit anhela dies, mediamque peregerit horam.
Flumina tum multos pontuſque lacuſque vapores
Exhalant; totas & jam Sol arduus haurit,
Quas iterum effundat plenis e nubibus undas.
Longius amotos nec ſi declivis in Auſtros
Ægoceros humili Solem ſtatione moretur,
Frigoribus deſævit hiems: quin blandior aura
Perpetuo ceu vere tepet, largoque ſereno
Indulget natura ſibi: vicinior autem
Carcinus æſtivis etiam fervoribus urit.
Hic quoque nunc dextras nemorum, nunc ire ſiniſtras
Conſpiciunt umbras: ſed cono diſpare, ſignis
E paribus: totas etiam bis luce quotannis
Sub media abſumi; quum vertice rectus ab alto
Signifer extremis cœli qua cernitur oris
Inſiſtit, raditque polis confinia terræ.
Jam vero Cancer recta quibus imminet, ipſo
E Tropico, ſummique tenet faſtigia cœli;
Hac Sol, obliquum dum ducitur annus in orbem,
Ut tantum ſemel ingreditur, ſic cuſpide recta,
Non niſi tum, medio cœli de fornice, terras
Subjectas ferit: & nuſquam porrecta Syenem
Umbra fugit, penituſque ſuos evanida conos
Deſtituit: volucres haud uſquam verius alto
Solſtitio remoratur equos, non acrius arvis
Æſtuat, aut ſiccis ardeſcit Phœbus arenis.
Et quanquam multos æſtas hic una calorem
Protrahat in menſes, longoque efferveat æſtu,
Frigoribus tamen & gelidæ ſua tempora brumæ
Concedit: quin jam manifeſtius algor & æſtus
Alternant cum Sole vices; pluvioſque ſubinde
Reddit hiems Auſtros, fœcundaque nubila glebis.
At ſeu Parrhaſiam conſcendat Phœbus in Arcton,

Digitized by Google

Sive Noton repetat, dextris a vertice nunquam
Exſpatiatur equis, nec turbinis umbra madentem
Jam tantum non læva cadens excurrit in Auſtrum.
Hic etiam ſumma quum Cancer ab ætheris arce
Deſpectat terras, obliquior orbita Solis
Scindit Horizontem ſurrecto ſegmine, qua cum
Æquatore coit: ſtatuitque in margine cœli,
Hinc Chelas, illinc Nephelæi velleris ignes.
 Nec multum diſpar terris a limite Cancri
Eſt habitus cœli, ad cyclum vicinior Urſis
Signiferi quem cardo terit. Lux namque quotannis
Bis tantum æquales numerat cum noctibus horas:
Solſtitium bis Phœbus obit: totumque viciſſim
Uno annum integrant æſtas & bruma receſſu:
Quanquam non æquis ſpatiis, nec ubique locorum
Temperie ſimili. Nam quo ſublimior exſtat
Oceano vertex, propiuſque accedit ad Arcton,
Acrior in plures protracto frigore menſes
Sævit hiems: ſiccis minus uſta caloribus æſtas
Tardius inducit meſſes, aut purpurat uvas:
Longius ut luces, ſic Sol altiſſimus umbras
Producit: Septem minus & vicina trioni
Sidera perpetuas peragunt illuſtria noctes.
Arduus at nunquam his Titan e vertice rectos
Impingit radios, aut lævas porrigit umbras:
Nec minor hic bis ſeptenis ſemiſſe reducta,
Quattuor aut ſenis lux maxima longior horis.
 Has quæ Zodiaci Arctoo ſub cardine gentes
Attingunt propiore ſitu, bis noctibus æquas
Aſpiciunt etiam luces, geminoque morantem
Solſtitio Solem: nunc Cancri in limite, toto
Circumferre faces gyro, bis terque quaternas
Alterna ſine nocte diem producere in horas:
Nunc totidem horarum ſpatio, ſub ſidere Capri,
Non interruptis alterna luce tenebris
Cedere: inocciduis ut utroque in limite flammis
Radat Horizontem,& tantum ſemel umbra ſub Auſtrum
Excurrens ſine fine fluat; Sol infima circi
Cum tenet æſtivi, & tantum non mergitur undis.
Perpetuas his bruma nives & frigora multos
Prorogat in menſes, brevibuſque caloribus æſtas
Vix tepet, & rara ſolatur fruge colonum.
Jam cœli medium quoties his ſetiger Hircus
Cornibus inſedit, gyrum ſolaris in unum

Orbita

Orbita cum ſuperi coaleſcit margine mundi.
Hinc quibus aſſurgit mundi ad faſtigia vertex,
Hoc etiam commune datum; nunquam niſi Libra
[1] Judice, villoſo aut Phryxi vectore, diebus
Æquari noctes; æſtatem hiememque per unam
Circumagi Solem: dici ſi debeat æſtas,
Quæ vix fronde viret, nullis incanet ariſtis,
Perpetua obnubit cœlum caligine, lenta
Sic languet flamma, vix ut brumalia laxet
Frigora, nimboſos vel leni mitiget aura
Horriferi Boreæ flatus. Hanc perpete bruma
Uſque adeo natura plagam terraſque rigentes
Solibus ignavis, & raro culta colono
Arva ſitu, pelaguſque gelu damnavit inerti.
Solſtitium Cancri tantum ſub ſidere Titan
Hic peragit, Capro ſemper latitante: dieſque
Continuas aliquot conſumit maxima ſpiras,
Noxque pares adverſa trahit: ſed & utraque tanto
Pluribus extrahitur, propius quo cardine mundi
Diſtiterit vertex, donec longiſſima ſenos
Tantum non explet menſes: nec ſic tamen æquat
Nox hiberna diem æſtivum: quem Phœbus ab undis
Dum vehit acclivis, vel pronus condit in undis,
Ætheris extremas bis præterlabitur oras:
Bis ſimili allapſu orditur finitque tenebras.
Hic quoque conſpicuo mundi cum circinet omnem
Axe plagam, lævas in longum exporriget umbras.
Queis demum Arctous cœli de culmine vertex
Imminet, atque imas mundi circumfluit oras
Qui medium luci atque umbris diſcriminat orbem
Circulus; imparibus totum ſemiſſibus annum
Metitur cum nocte dies: ſeniſque videtur
Menſibus, & totidem occulitur Phœbeius axis.
Nuſquam ortus, nuſquam occaſus, mediæve diei
Deſignare plagam; æſtatem diſcernere bruma
Nulla fruge licet: vix frondes induit arbos,
Frigora vel vernos admittunt longa tepores.
Has ſedes mediis mundi regionibus exul
Informis ſibi legit hiems; quas ſola teneret,
Duro tuta gelu, ſævis armata pruinis,
Incanaque nive & gelidis Aquilonibus horrens.
Et quanquam hic ſolus Phœbum ſtatione moretur

Can-

1 *Judice*] Ita MS. Amſt. *Indice*.

Cancer inoccidua, totoque acclivis Olympo
Undique diffugiat ſpatiis æqualibus undas,
Et longas quaquaverſum circumferat umbras:
Uſque adeo tamen obliqua tum cuſpide lumen
Flectitur, & denſa languet caligine Titan,
Vix ut tam modicis hiberna remittere flammis
Frigora, vel rigidis exſolvere Nerea vinclis,
Aut terræ laxare ſinus & viſcera poſſit,
Quo ſeſe humanos didat genialis in uſus.
 Jam vero, tellus a circo æquante tenebras
Lucibus ad cyclum gelidas qui circuit Arctos
Qua patet in latum; quoniam lux maxima certis
Incrementa capit gradibus; non diſpare norma,
Diſſimili tamen effectu; nec ſemper iiſdem
Terrarum ſpatiis diſcreta, aut limite fixo:
Qui primi æthereas animo & ratione ſagaci
Monſtravere vias, & quas non cannabe poſſent;
Cœlo metiri terras docuere, dierum
Hæc intervallis numeriſque augmenta per horæ
Semiſſes diſtincta ſuis, recto ordine, qua tum
A mundi medio Arctoum inclinata ſub axem
Culturæ patiens tellus eſt credita, ſeptem
Signavere notis, totidem regionibus orbem
Finiviſſe rati: a Meroë quæ climata nuſquam
Ultra Sauromatas Riphæaque culmina ducunt.
At noſtro quorum ſolers audacia ſeclo
Explorata dedit maria undique, & undique terras
Perſuaſit jam poſſe coli, nulliſque periclis
Exhauſta ignotum priſcis penetravit in orbem,
Lege quidem normaque pari ſemiſſibus horæ
Climata diſtribuunt: numero ſed plenius aucto,
A Meroë ad cyclum Phœbi quem ſemita tractu
Cardinis exarat, ter ſena & quinque recenſent:
Singulaque impoſitis appellavere locorum
Nominibus, per quæ medium quo clima notatur
Circulus excurrens cœli faſtigia ſignat.
 Quæ quo ſunt cyclo æquanti propiora, diemque
Segmento breviore trahit Junonius ignis,
Latius extendunt fines, majoraque terræ
Comprendunt ſpatia, & circis majoribus orbem
Incingunt: Helicen ſed quo vicinius altam
Aſpiciunt, Cancro Phœbum referente ſub undas
Tardius, & gyro clauſas breviore tenebras,
Hoc magis anguſtis circo contracta minore

Fini-

Finibus, æquali variant diſcrimine luces;
Uſque ter octonas dum lux abſolverit umbras.
Sic totidem dimenſa pari ratione modoque
Ultra Æquatorem diſtingui climata poſſunt,
Et definiri diſcrimina lucis & umbræ,
Tempora ſi mutes: nam dum brumalibus illic
Canet hiems nivibus, nobis maturat ariſtas
Æſtas, & rapidos accendit ſicca calores.
Hinc diſpar non pauca ſitus immutat ejuſdem
Climatis in tractu: nec non communia quædam
Servat in oppoſitis. Etenim ſub climate eodem,
Una quibus medium lucis diſcriminat orbem
Meta, deditque vetus Periœcis Græcia nomen,
Mutatur cum nocte dies: hos quippe tenebris
Intempeſta premit dum nox, altiſſimus illos
Sol ferit: & quoties umbras lux æquat utriſque,
His ubi ſe primo ſub veſpere condidit undis,
Illis mane novo ſe Tethyos exſerit undis:
Aſt alias utriſque poteſt ſimul uſque videri,
His oriens, illis prono devexus Olympo.
At qui obverſa colunt ſub eadem climata circli
Dimidiæ lucis ſemiſſe, ideoque Pelaſgis
Antœci proprio dicuntur nomine, utriſque
Quamvis una notet mediam noctemque diemque
Hora, parique gradu diductus & ordine creſcat
Decreſcatque dies, tamen his dum Delius axe
Protrahit acclivi luces, umbraſque coarctat,
Declivi jam tum cœlo delabitur illis,
Contrahit & luci tenebris quas laxat habenas:
Uno eodemque igni, ſimul his algore nivali
Nectit aquas, brumamque arvis inducit inertem;
Illis torrenti flagrantior incubat æſtu,
Et jam flava Ceres campos inveſtit ariſtis,
Turgenteſque videt magna ſpe vinitor uvas.
His etiam ſtellarum obitus mutantur & ortus,
Nam quæ Signiferi ſurgentia ſidera partes
Hic tollunt, illic referunt labentia in undas:
Quæque hic ima latent, illic immunia ponti
Pervigili totas traducunt lumine noctes.
Qui demum adverſis urgent veſtigia plantis
Antipodes, tantum ratione & nomine paucis
Priſcorum notos, idem ſecernit Horizon,
Atque eadem mediæ juſta ſemiſſe diei
Linea; disjunctos ſpatiis a cardine mundi

Hos [1] Boreo Notioque illos ſecludit iiſdem.
Aſt hos ſomniferis dum nox amplectitur alis
Hiberna, & medio volvuntur ſidera lapſu,
Illis longa dies æſtivis ducitur horis,
Et minimis uvas defendit pampinus umbris:
Quumque his decreſcunt, illis augentur eadem
Menſura parilique modo noctesque dieſque:
Perque vices utrique vident quæ ſidera, ſero
His ubi ſe condunt, ſimul illis mane reſurgunt:
Quæque oculos fugiunt hic uſque latentia noſtros,
Illic perpetuis exſtant illuſtria flammis.
Uſque adeo ſimili permutant omnia cœlo:
Diſſimileſque habitus rerum ſic provida lege
Diſpenſat natura pari, & ſua commoda terris
Omnibus indulgens noſtros ſe didit in uſus.
  Naturæ arcana hæc priſcis vix cognita ſeclis,
Lucri ſacra fames, atque indefeſſa cupido,
Dum cuncta explorat, terras dum circuit omnes,
Nec ſibi inacceſſum quicquam vel linquit inauſum,
Eruit in lucem; atque oculis ſubjecit & armis
Pervia jam noſtris quantumvis diſſita regna
Terrarum: fecitque fidem ſic æquora vaſto
Tellurem gremio complecti, & fœdere in unum
Concordi coiiſſe globum, centroque locari,
Ut circumfuſum ſurſum undique ſpectet Olympum;
Tuta nec adverſis veſtigia figere plantis
Antipodes [2] metuant: & quæ miracula rerum
Vix paucis potuere Sophis ratione magiſtra
Perſuaderi olim, noſtri ſolertior ævi
Ingluvies, alium nondum ſatiata ſub axem
Decurrens, ſenſu deprenderit obvia: & Urſis
Jam nunc occiduis, alieno ſidera cœlo,
Exilis qua ducit acus, ignota ſequatur.

1 *Boreo Notioque*] Ita MS. Amſt. *Notoque*, repugnante metro.

2 *Metuant*] Ita MS. at Amſt. *metuent*, male.

Libri

Libri quinti a Poëta non abſoluti

SUPPLEMENTUM,

ADAMO REGIO SCOTO *Auctore.*

AST ubi flammivomis iterum expugnata ſagittis
Delius hæc repetit, lucemque in regna reduxit,
In Noton illa ſuas alioque ſub axe jacentes
Ducit in Antipodes tenebrarum hiemiſque cohortes,
Frigoribus ſomnoque graves; loca ſqualida caſtris
Occupat obſcuris, imbelliaque agmina campis
Latius effundit; propiuſque minatur Olympo
Cuſpide promota, ſi longe apſide ſub alta
Diſtiterit terris Titan: ſin orbis in imis
Sedibus eccentri vicinior obſidet umbras,
Ignavum illa metu populum trepidaſque catervas
Aggeribus claudit brevibus valloque minore,
Contractoque ſubit cœlum jam parcius axe,
Vicino ſemper metuens concurrere Phœbo.
Se niſi fraternos propius Latonia Phœbe
Quum dat in amplexus, collo caudave Draconis
Implicitam, nox atra ſuis obtenderit umbris:
Ut quæ non potuit Titani lumina, terris
Eripiat: quanquam non omnibus omnia poſſit:
His tamen, aut illis Phœbei corporis orbem,
Aut totum interdum, aut aliquam tegit invida partem.
At quoties pleno fraternos induit ignes
Ore, atque adverſis referitur Cynthia flammis;
Si nimium fidens animi, teliſque ſuperba
Non propriis, volucri propius jam concita biga,
Caſtra inimica ſubit, poſitumque inſcendere vallum,
Et foſſas ſuperare audet ſecura pericli:
Nunquam impune vagas umbras noctemque ſoporam
Sollicitat, quin aut faciem maculata decoram
Parte aliqua tabo livet, fractiſque ſagittis
Conſternata metu; pulſo vix ære venenum
Excutitur, celerique fuga ſeſe eripit hoſti.
At ſi quando humili ſubvecta per æthera biga,

Armorum fulgore tumens, plenaque pharetra,
Intima caſtrorum penetret, mediiſque Draconem
Pervigilem tenebris incurrerit: ilicet ille
Deprenſam tenet, intortoque volumine caudæ
Implicat, aut morſu infeſtat linguaque triſulca.
Tum totam infuſo faciem fœdata veneno
Illa tremit, palletque metu incurſantibus umbris,
Injectaque mora trahitur per opaca viarum:
Donec Avernales tandem eluctata per umbras
Fratris in aſpectum rurſus ſe vindicet, ignes
Jamque novos poſito ſenſim pallore reſumat.
Temporibus ſic aſtra ſtatis cœlumque tenebras
Exercere odiis, & certis lumina cauſſis
Deficere ac retegi voluit Natura; nec unquam
Hos Lunam temere Solemve ſubire labores:
Non magicis cœlo duci, aut ſqualere ſuſurris:
Non iras monſtrare Deum, vel poſcere pulſi
Æris opem: ſibi quæ vulgi male credulus error,
Vana ſuperſtitio, & veri mens neſcia finxit.
Hæc animos Macedum ſternat formido; luantque
Quicquid habent Divi irarum cladiſque futuræ.
Hæc ubi diſſeruit Gallus, populoque profano
Eventu factura fidem ſecreta recluſit:
Tantarum attonitæ rerum novitate cohortes
Romulidum, nunc ora viri mentemque ſagacem
Suſpiciunt, nunc jura animis cœleſtia verſant,
Impoſitaſque aſtris leges, & numina fatis
Vincta ſuis. Sed adhuc pars vani incredula vulgi
Spemque metumque interdum hæret, magniſque tenebras
Expoſcunt votis, prono lux aurea cœlo
Occubat, & fuſcis nox atra adremigat alis:
Æmula cum fratris mundo ſubvecta ſilenti
Titanis, ſudum pleno ſubit æthera vultu:
Moxque trahit rugas. Tum Gallum protinus omnes
Circumſtant: qui monſtrat, uti occurſantibus umbris,
Auricomæ frontis paullatim exuta decorem
Liveſcat, totum donec ferrugine vultum
Induat; & denſas vix tandem emenſa tenebras
Incipiat puros qua primum expalluit ignes
Concipere, & totis ſenſim ſe liberet umbris.
Olli continuo poſita formidine certi
Has cœlo æternas Naturam figere leges,
Dia nec incertos moliri ſidera curſus:

Spe

Spe magna attollunt animos, pugnæque futuræ
Expediunt ſeſe, atque alacres jam prælia poſcunt.
Ex illo Æneadæ tabentia ſidera nullo
Perculſi ſpectare metu, nec credere cœlo
Carmine deduci, aut magicos hauſura ſuſurros
Æra laboranti crepitu ſuccurrere Lunæ.

F I N I S.

JOANNIS PINCIERI *Medici*

ARGUMENTA

In Libros SPHÆRÆ GEORGII BUCHANANI.

ARGUMENTUM LIBRI I.

QUID mundus: mundi quot conſtet partibus orbis:
Inferior quot contineat genitalia rerum
Semina: quæ ſurſum levitas gravitaſve deorſum
Ex illis rapiat: faciem telluris & undæ
Qualem maſſa gerat. Quod terra immota quieſcat,
Volvatur liquidum ſua per veſtigia cælum.
Quodque magis tellus roſeo non diſtet ab ortu,
Diſtat ab occiduis quam qua Sol mergitur undis:
Nec propius Boream tangat quam tangitur Auſtro.
Ambitus hinc terram quantus circundet in orbem:
Quanta ejus medium quæ tranſit linea punctum:
Et quamvis terræ per ſe ſit maxima moles,
Quod cælo collata tamen ſit ſeminis inſtar,
Ex quibus innumeros Epicurus condidit orbes.
Iſta liber ſcito complectitur ordine primus.

ARGU-

Digitized by Google

Argumentum Libri II.

ALTER in ætheria totus conſumitur ora.
In qua, quod ſenſus cœleſtia corpora fallant,
Mentem adhibere decet; quæ plures colligit orbes
Multiplici e motu, viſus licet arguat unum.
Hi non arbitrio proprio caſuve moventur,
Sed quia ſunt orbes, natura agitantur in orbem.
Preſſius hinc numerus ſphærarum inquiritur, & quam
Quæque habeat ſedem. Norat veneranda vetuſtas
Bis quatuor, nonam quibus adjunxere nepotes.
Aſtra probant cœlum immota tellure rotari,
Aſtra ſub Heſperio nunquam morientia ponto.
Orbis idem ſpecie formatum ſemper ab ortu
Tendit in occaſum: quo connituntur & ipſi
Errones una, ſed paſſibus haud tamen æquis.
De quorum gemino damnatur opinio motu.
Ex elementari maſſa conſtare negatur
Machina cœleſtis, nullis expoſta ruinis,
Eventis nullis: tamen hinc natalibus orbum
Non ſequitur cœlum, divina potentia quondam
Quod fecit, quod adhuc divina potentia ſervat,
Et varie movet, & mira ratione gubernat.

Argumentum Libri III.

PROMTIVS in cœlo ut varii diſcrimina motus
Obſervare queas, alioſque deinde docere,
Priſcorum finxit ſolertia docta Sophorum,
Ut circa immotum currens rota volvitur axem:
Sic eſſe & cœlo, circa quem volvitur, axem:
Extremas cujus, qua tangit ſidera, partes
Dixerunt duo puncta Polos ſermone Pelaſgo.
Iidem etiam variis cœli palatia gyris
Diſtinguunt, quorum bini dicuntur ab Arctis,
A Solis bini nomen meruere reflexu.

Hi,

Digitized by Google

Hi, quia ſunt parvi, non æquis partibus orbem
Ætherium findunt, appellanturque minores.
Majores reliqui paria in ſegmenta nitentem
Diſcindunt cœli campum: ut qui lucibus æquas
Nocturnas reddit tenebras, geminique Coluri,
Zodiacuſque patens, in bis ſex ſigna diremtus,
Quin viſus etiam noſtri finitor Horizon,
Atque μεσημβρινὸς. *Non huc via Lactea ſpectat.*
Hos inter quinæ ſpatiis æqualibus inter
Seſe diſtantes ſpiræ inveniuntur: Olympum
Per quas cum terra una, qua reſpondet Olympo,
In totidem ſecuit majorum induſtria Zonas.
Tertius iſta liber prolixius omnia tractat.

ARGUMENTUM LIBRI IV.

AUCTOR quæ voluit quarto comprendere libro,
Non longa ſerie mox ipſo in limine narrat.
Aſt quam propitiis Muſis, Phœboque favente
Gnaviter orſus erat, nequiit pertexere telam.
Sive illi duræ ſecuerunt ſtamina Parcæ:
Sive agitans vates alio vatem impulit ardor:
Sive ætate gravi, vietoque ſenilibus annis
Non indulſerunt graviores otia curæ.
Mancum opus & mutilum eſt, & cui bona portio deſit.
Namque ortus præter ſtellarum obituſque, Poëtæ
Ad deſignandum triplici diſcrimine tempus
Qualibus utuntur; quidque ortum obitumque vocare
Aſtrologi ſoleant, libro nihil exſtat in iſto.
Veſtibulo ex ipſo quid deſit collige lector.

ARGUMENTUM LIBRI V.

QUID Lunæ obſcuret cæca caligine vultum,
Vel Phœbi obnubat faciem, illiuſque micantes
Auferat in certa radios mortalibus ora:
Verſibus excultis liber edocet ordine quintus.

Carminis Æmonii tantum is negat eſſe venenum,
Vel tantum magicos vel aniles poſſe ſuſurros,
Ut Phœbum obducant tenebris, Phœbive ſororem.
Quin ob defectus Lunæ Soliſque labores,
Si forte Aſtrologus peſtemve famemve minetur,
Aut hoſtem infeſtum peregrinis adfore ab oris
Nuntiet, indignum terreri pectora cenſet.
Poſſe etenim ex ipſis naturæ fontibus hujus
Eventus cauſſam reddi, ſub nomine Galli
Militis & Muſas & Martia caſtra ſecuti
Narrat, & e tenebris tenebrarum vindicat ortum.
Huic etiam calcem libro non addidit auctor
Extremamve manum: nam pauca deeſſe videntur.

In GEORGII BUCHANANI SCOTI de Sphæra *libros*,

A JOANNE PINCIERO *recognitos, & Supplementis auctos, Epigrammata duo, a* JOHANNE JONSTONO SCOTO, Helmſtadio *miſſa.*

I.

VIDIT ut eximii Phœbus monumenta laboris
Sic indigne adeo nocte ſilente premi:
Ingemit, ac ſecum meditans, Ecquis modus (inquit)
Aut erit hic tanti quæ medicina mali?
Quis redimet, lucique iterum rediviva reponet?
Qualis huic fronti laurea frondis erit?
PINCIER en ſolus palmæ ſuccedit honori,
Atque opus a tenebris vindicat arte ſua.
Sic igitur parta læteris fronde, perennis
Nominis ut vigeat fama decuſque tui.

ALIUD.

CYnthius Uraniæ curæ eſt, ut cætera cœli
Lumina, quæque regunt flammea ſigna Polum.
Uranien Phœbo curæ quis neſcit? utrique eſt
PINCIER ingenii clarus honore ſui.

Hæc

Hæc Solis cœlique vias monſtravit: at ille
Pieriæ docuit plectra movere lyræ.
Hinc facili tua Muſa ſtylo tam dulcia fundit
Carmina, vel priſcis annumeranda choris.
En utriuſque vides vera hic veſtigia, Sphæram
Sedulus exornat dum, BUCHANANE, tuam.
Sic faveant igitur Muſæ, ſic dexter Apollo,
Sic faveant cœptis aſtra benigna tuis.

De Sphæra GEORGII BUCHANANI,

Et Supplemento JOHANNIS PINCIERI.

LECTOR, & numeris, & univerſi
Orbis artifici vacans theatro,
Et laudes cane grate BUCHANANI,
Et laudes cane grate PINCIERI.

Nulla Muſa quod auſa, BUCHANANUS
Cœpit raræ opus eruditionis,
Sphæramque harmonicis modis polivit,
Solers coſmographus, bonuſque vates.

Nulla Muſa quod auſa, PINCIERUS
Dedit raræ opus eruditionis,
Expletum numeriſque, & abſolutum
Cunctis partibus, & tulit lacunas,
Et doctiſſimi & optimi Scotorum
Feliciſſimus æmulator Heſſus
Doctus philoſophus, bonuſque vates.

Ter conatus ego, quod hic & ille,
Ter divæ Uranies opem vocavi:
Ter vero calamis manu rejectis,
Ter fruſtra Uranies opem vocavi.
Namque uni quod & alteri dederunt,
Hoc multis aliis Dii negarunt.

Libri, quiſquis es, ergo lector hujus,
Et laudes cane grate BUCHANANO,
Et laudes cane grate PINCIERO.

RODOLPHUS GOCLENIUS,
Profeſſor Philoſophiæ in Academia
Marpurgenſi.

Digitized by Google

ADAMI REGII SCOTI

In Libros GEORGII BUCHANANI *de SPHÆRA*

ARGUMENTA.

ARGUMENTUM LIBRI I.

PRIMUS habet complexa ſuo quæ ſemina rerum
Luna ſinu cohibet; certis ſic ſedibus apte
Diſponi levitate ſua vel pondere, ut uni
Circumfuſum aliud diſcordi fœdere præſtet
Hoſpitium: verum gnavo ceſſura colono
In corpus coiiſſe unum terramque ſalumque,
Et formam quaquaverſus retinere rotundam.
Terram autem immunem motus ſua pondera mundi
Librare in medio, & magna ſub mole videri:
Immenſo quamvis ſi componatur Olympo,
Vix atomi ſit vel puncti non ſectilis inſtar.

ARGUMENTUM LIBRI II.

HIc primum ex vario qui verſat ſidera motu
Ætheris immenſi molem diſpeſcit in orbes:
Qui circa immotam ut vectent ſua ſidera terram,
Non caſu, nec ſponte ſua, ſed lege cientis
Naturæ, certa peragunt vertigine curſum.
Tum quot ſint numero, tum quo ſeſe ordine claudant,
Explicat; utque globi nulla non parte rotundam
In faciem coëant: hinc qua ratione ſupremus
Secum alios orbes ducit, reliquique ſub illo
In mundi adverſam torquent ſua ſidera partem.
Tum quæ materies cœlo data, ſimplice conſtans
Natura: quam non mutet, non ulla ſeneſcens

Vis

Vis ævi laſſet, minuatve vel augeat: ortus
Quæ tamen haud expers, æternæ exordia cauſſæ
Debeat, immenſum juſto moderamine mundum
Quæ regat, & noſtros clemens conformet ad uſus.

ARGUMENTUM LIBRI III.

EDOCET hic cœli, circa quem volvitur, axem,
Immotoſque polos, mundique ut mœnia gyri
Ardua diſparibus ſpatiis utrinque Polares,
Et Tropici, paribuſque ſecant Æquator, Horizon,
Quique diem medium dirimit, qui Solis utramque
Percurrit metam, qui juſto examine ſignat
Æquatas tenebris luces; & latior illis
Signifer obliquo deducit ſidera tractu:
Lactea inæquali tum ducitur orbita calle:
Et cœli ut faciem, ſic & telluris & undæ
Quinque tenent Zonæ, quas noſtri induſtria ſecli
Cultas humanos ſe didere vidit in uſus.

ARGUMENTUM LIBRI IV.

EXPLICAT hic ſtellarum ortus obituſque, Poëtis
Tempora qui ſignent: tum cur quæ recta feruntur
Plus, obliqua minus, ſecum Æquatoris ab undis
Signa emerſa trahunt, conduntque abeuntia in undas.
His nos addidimus cur lux contracta tenebras
Protrahat, atque ſtatis vicibus protracta coarctet;
Aut ſemper cum Sole pares ſibi vindicet horas:
Cur Sol dum ſpatiis lucem diſcriminat æquis,
Altior his umbras minuat, depreſſior illis
Augeat; æſtivæ cur hic æqualia luces
Tempora concedant tenebris, increſcat at illis
Uſque adeo protracta dies, nox una dieſque
Dum totum ſub utroque polo definiat annum:
Climata deiu, quantoque ſitus diſcrimine, in orbem
Quæ colitur tellus, homines veſtigia mutent.

Digitized by Google

Argumentum Libri V.

Defectus Lunæ varios Soliſque labores
Quintus ut enarret, damnat quod credidit olim
Vana ſuperſtitio, & veri gens neſcia, cæcis
Condere ſe tenebris metuentia ſidera carmen
Æmonium, & cælo deduci poſſe venenis,
Credula ni pulſis plebs auxilietur ahenis:
Damnat & Aſtrologos, fruſtra quaſi bella famemque
Regnorum aut clades, vel Regum funera ab illis
Deliquiis metuant: tum Lunæ narrat amores:
Primus & ut veras horum deprendere cauſſas
Endymion potuit: quas demum caſtra ſecutus
Romulidum Gallus diffuſius explicat, omni
Et poſita ſocios animat formidine in hoſtes.

In tres Sphæræ Scriptores Scotos.

Bina *Caledoniæ* fulſerunt hactenus oræ
Lumina, præcipuis annumerata Sophis:
Qui circum immenſi ſinuoſa volumina cœli
Vecti animos, calamo ſuppoſuere ſuo.
Prodiit inde SACRI celebris cognomine BOSCI,
Cujus in Uraniæ gloria prima ſcholis.
Prodiit & VATUM PRINCEPS, qui carmine dulci
Sidereas docuit *Timoleonta* vias.
Divino excitus jam tandem REGIUS œſtro
Perficit & clara luſtrat utrumque face:
Proximus, ut genio felicis carminis uni,
Notitia aſtriferi major utroque poli.
Trina *Caledonio* poſthac ſint inſita cœlo
Lumina, cum primis emineantque Sophis:
Deducta in terras qui ſidera & orbibus orbes
Implicitos calamo ſuppoſuere ſuo.

Patricius Sandæus.

In

In viri clariſſimi, Juris peritiſſimi, Mathematici doctiſſimi, ADAMI REGII, *ad* G. BUCHANANI *Poëtarum noſtri ſeculi facile Principis Sphæram Supplementum, &* *Commentarios*, ALEXANDRI HUMII *ab omine & nomine* Tetraſtichon.

NON Natura tibi mentitur ab omine nomen,
Quod perſonæ index ingeniique tui.
Adamus primus vidit ſub origine mundum:
Tu mundi leges, tempora, templa vides.
Regibus hoc ſtudium paucis, dare fœdera terris:
At tibi noſſe poli fœdera, noſſe ſoli.
Ergo neget quiſquam poſitum tibi ab omine nomen?
Cum tam conſpirent nomen & omen idem.

ALIUD EJUSDEM.

TU *SCOTIS* quondam præluxti lumina, lumen
Ad lumen ſupplet REX, *Buchanane*, tuum.
Nunc gaudete duos vobis luceſcere Soles,
SCOTIA quos peperit, ſi ſapit, orbis amat.

F I N I S.

EURI.

Digitized by Google

POETÆ TRAGICI

MEDEA

Georgio Buchanano Scoto Interprete.

Ad Illuſtriſſimum Principem,

JOANNEM A LUCEMBURGO,

IVERIACI ABBATEM,

GEORGII BUCHANANI PRÆFATIO.

N*ON dubito pleroſque futuros*, Princeps clariſſime, *qui ſtatim ubi hæc in manus ſumſerint, meam admirentur impudentiam, vel potius temeritatem, quod in tanto bonorum ingeniorum proventu, id ego potiſſimum ſim auſus aggredi, quod aliorum vel pudor refugerat, vel reformidarat audacia, atque* Euripidi *vertendo manum admoliri non pertimuerim: præſertim quum non ignorarem hanc a pleriſque rem prius tentatam, uni* Eraſmo *ita ſucceſſiſſe, ut juxta ab incepto me deterrere debuerit illorum caſus, atque hujus felicitas: qui, præterquam quod ad eam rem venerat tot bonarum artium præſidio inſtructus, etiam ſi qua erat in hac parte novitatis gratia, eam præoccupaverat. Accedit & illud, quod præter ſummam in* Choris *obſcuritatem (quæ huic ſcriptori adeo familiaris eſt, ut eam de induſtria ſectatus eſſe videatur) hæc ipſa quondam* Fabula *ab* Ennio *prius verſa fuerat, cujus non pauci verſus adhuc in veterum commentariis paſſim leguntur: quorum comparatio his noſtris, alioqui obſcuris, plurimum ſua luce officere poſſet. Ego vero, tantum abeſt ut his a ſcribendo rebus fuerim deterritus, ut in utriuſque fortunæ qualemcunque eventum non mediocre præſidium hinc fore jam animo præceperim, atque mihi ipſe quodammodo ſpoponderim. Nam tametſi plauſum a ſtudioſorum theatro hæc* Fabula *non accipiat, ſi utcunque tamen ſteterit, nec ignominioſe explodatur, nunquam æque moleſte*

Digitized by Google

moleſte feram Ennii *atque* Eraſmi *auctoritate mihi tenebras offundi, quam me poſt tam præclara nomina qualemcunque ſaltem locum tenuiſſe. Hoc vero quicquid eſt operæ, nos tibi*, Princeps clariſſime, *potiſſimum cenſuimus dicandum, non modo ut grati ſaltem animi profeſſione tuam erga me ſummam teſtarer humanitatem, aut a veſtræ familiæ nobiliſſimæ ſplendore contra calumniantium invidiam præſidium mihi peterem, ſed ut meliori ſpe reliquorum doctorum ſuffragiis me committerem, ſi tui judicii prærogativa ſubnixus eſſem: qui quum in omni diſciplinarum genere principatum teneas, ac in hoc Poëticæ ſtudio ſingulari quadam felicitate verſeris*, ſoles *tamen* (*ut inquit ille*) meas eſſe aliquid putare nugas.

ARGUMENTUM.

JASON Medea comite Corinthum profectus, cum Glauca Creontis Corinthiorum Regis filia nuptias paciſcitur. Medea vero, indicto a Creonte exilio, unius diei moram exorat. Idque beneficium ut remuneraretur, dono per filios ad Glaucam mittit veſtem & coronam auream, quibus illa induta exſtinguitur: Creon quoque filiæ adhærens perit. Medea quum ſuos interfeciſſet liberos, currum, quem a Sole acceperat, alatis draconibus junctum, conſcendit, atque Athenas profugit. Ibique Ægeo Pandionis filio nubit. Pherecydes autem & Simonides ajunt, Jaſonem a Medea recoctum, juvenem denuo factum. De patre vero ejus Æſone, is qui de Argonautarum reditu ſcripſit, ita inquit,

[1] *Atque iterum blanda fecit revirere juventa*
Æſona, ſubtili diſtringens arte ſenectam,
Plurima quum labris coxiſſet pharmaca in aureis.

Æſchylus,

1 *Atque iterum*] Hos verſus Latine reddidiſſe videtur ipſe Buchananus, ex iſtis Græcis,

Αὐτίκα δ' Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα,
Γῆρας ἀποξύσασ' εἰδυίῃσι πραπίδεσσι,
Φάρμακα πολλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησι.

Æſchylus, in fabula quæ *Nutrices Bacchi* inſcribitur, ait Bacchi nutrices, earumque viros, juvenes ab ea denuo factos. Staphylus autem inquit Jaſonem quodammodo a Medea peremtum. Nam quum ejus ſuaſu ſub Argus puppe obdormiret, naviſque jamjam vetuſtate ſolveretur, ruina puppis oppreſſus periit.

Aliter per Ariſtophanem Grammaticum.

MEDEA odio adverſus Jaſonem concepto propter nuptias Glaucæ Creontis filiæ, Glaucam, Creonta, ac ſuos etiam liberos interemit: relictoque Jaſone, Ægeo nupſit. Fabula Corinthi fingitur agi. Chorus eſt e mulieribus Corinthiis. Docuit eam [1] Pythiodoro prætore circiter octogeſimam ſeptimam Olympiadem.

1 *Pythiodoro*] Ita legendum, non quod omnes libri habent, *Pythodoro*.

PERSONÆ.

NUTRIX *Medeæ*.
PÆDAGOGUS.
MEDEA.
CHORUS *mulierum Corinthiarum*.
CREON *Rex*.
JASON.
ÆGEUS *Rex Athenienſium*.
NUNTIUS.
FILII *Medeæ*.

EURI-

EURIPIDIS

POETÆ TRAGICI

MEDEA,

GEORGIO BUCHANANO SCOTO

INTERPRETE.

NUTRIX.

UTINAM [1] Pelaſgis littus Argo ad Colchicum
Non tranſvolaſſet Cyaneas Symplegadas:
Nec ſtrata ſaltu pinus olim Pelio
Cecidiſſet: acta nec virorum fortium
Dextris tuliſſet arietis ſpolium aurei
Pelia imperante: non hera excelſam mea
Medea Iolcon appuliſſet, Jaſonis
Amore ſævo pectus ægrum ſaucia:
Auctor puellis nec trucidandi patrem
Peliam, Corinthi degeret cum liberis
Viroque, gentis cujus exul incolit
Solum, favorem demereri ſedula,
Et ipſa ubique morem Jaſoni gerens:
FELICITATEM quam ſupremam exiſtimo,
Concors marito mulier ubi degit ſuo.
Nunc odia fervent, diffident cariſſimi
Nuper: ſuorum liberorum proditor
Heræque Jaſon nuptiis regalibus
Fruitur, tyranni filiam Corinthii
Creontis arcto conjugem amplexu fovens.

At

1 *Pelaſgis Argo*] Pari antonomaſia dicit *Pelaſgis Argo*, pro *Pelaſga* vel *Græca*, quo ſupra Miſcel. 13. *Atthida aram*, pro *Athenienſem*, & Sphær. III. pag. 469. verſ. 170. *Aſide terra*, pro *Aſiatica*, & Ovid. Ep. XII. 9. *Magnetida Argo*, pro *Magneſia*, appellat.

Digitized by Google

At miſera miſeris habita ludibrio modis
Medea, pactam clamat infelix fidem:
Pignuſque fidei dexteram invocat datæ:
Teſteſque pacti conſcios facit Deos,
Non ita merenti quam rependat gratiam
Fallax Jaſon: inedia ſe macerans
Jacet, doloris magnitudine obruta
Flumine perenni lacrymarum liquitur.
Ex quo mariti ſenſit in ſe injuriam,
Immota vultus, mœſta terræ lumina
Figit: procellæ ſimilis, aut ſcopulo, abnuit
Surdis amicorum auribus ſolamina:
Niſi quod ſubinde colla flectens candida,
Secreta ſecum expóſtulat, deflens patrem,
Patriam penates patrios, quos prodidit,
Virum ſequuta, cui modo contemnitur.
At miſera tandem jam ſuis didicit malis
QUAM ſit paternum ſuave non linquere ſolum.
Infenſa natos odit, aſpectu frui
Non gaudet: illud vereor, ut ne quid novi
Excogitet. NAM quum patitur injuriam
Elatus animus, haud facile ſibi temperat.
Hanc novi ego probe: trepidaque exanimor metu
Ne ferrum acutum condat in præcórdia,
Ingreſſa furtim tectum ubi torus ſternitur:
Aut ne maritum perimat ac ſponſam ſimul:
Dein majus ipſa ſubeat infortunium.
Metuenda ſane eſt, nec facile victoriam
Referet, in illam ſi quis odia exerceat.
At curſu omiſſo jam reverſi liberi,
Non mente volvunt matris infauſtæ mala.
PUERILIS animus gravibus haud curis patet.
PÆD. Antiquum herilis familiæ peculium,
Quid ſola ſtabas conquerens propter fores?
Abs te relinqui ſola Medea ut feret?
NUT. Senex miniſter liberorum Jaſonis,
MANCIPIA frugi, ſi quid evenerit heris,
Æque dolere ſuo decet ut incommodo.
Vis me doloris eo redegit, ut ſolo
Cœloque cogar evomere dominæ mala.
PÆD. Quid? miſera nondum luctui ſtatuit modum?
NUT. A fine tantum luctus, o bone vir, abeſt,
Ut hæc doloris ſola ſint primordia.
PÆD. O ſtulta, (ſiquidem ſic decet de heris loqui)
Ut nil malorum comperit recentium.

NUT.

Digitized by Google

NUT. Quid iſtud eſt? ne pigeat effari, ſenex.
PÆD. Nil: extuliſſe me priora pœnitet.
NUT. Amabo, me conſervus haud celaveris:
Nam ſi neceſſe eſt, ſpondeo ſilentium.
PÆD. Sacras ad undas abeo Pyrenes, ubi
Sedere ſoliti ſunt ad aleam ſenes.
Colloquia dum clam capto ſecreta, audio
Exigere pueros ut Corintho cogitet
Cum matre regni ſceptra qui hic tenet Creon.
Veruſne rumor hic ſit, haud certo ſcio:
Falſum eſſe mallem, ac falſus ut ſit comprecor.
NUT. Et hæc Jaſon liberis fieri ſinet,
Iratus etſi diffidet cum conjuge?
PÆD. Affinitati vetus amor cedit novæ:
Nec huic amicus perſtat ille familiæ.
NUT. Perimus igitur, ſi malum accedit malo
Novum vetuſto, donec exhauſtum hoc erit.
PÆD. At tu quieſce, & comprime hæc ſilentio.
Nam tempus haud dum eſt, hoc heræ ut fiat palam.
NUT. Audite pueri, qualis in vos ſit parens.
Perire nolim, dominus eſt enim meus:
Verum erga amicos perfidus deprenditur.
PÆD. Publica querela eſt iſta, jamdudum ipſa ſcis,
SIBI malle cunctos eſſe bene quam proximo:
Hunc jure, at alium [1] commodo adductum ſuo.
Si caritati liberum ſponſam pater
Præfert Iaſon, nil facit certe novi.
NUT. Intro ite pueri, cuncta ſuccedent bene.
At tu ſeorſum hos contine quantum potes,
Neve ad parentem propius accedere ſinas.
Ira frementem nuper, oculis flammeis
Vidi minantem neſcio quid iſtis: neque
Imponet iræ frena, donec quempiam
Feriat: in hoſtes potius utinam hunc impetum
Fortuna, amicis incolumibus, transferat.
MED. Infelix ego, miſeris curis
Confecta, hei mihi quomodo perii!
NUT. Hoc, hoc ipſum eſt, cari pueri,
Æſtuat ira animus genitricis,
Turget bilis, properate cito,
Tecta ſubite:
[2] Neve accedite lumina propius,

1 *Commodo adductum ſuo*] Ita Editio Henr. Stephani anno 1567, & recentiores libri: Baſil. vero, Commelin. & Sanctandr. 1597, *addictum*

2 *Neve accedite lumina propius*] Ita antiquiores libri; recentius vero editi, *lumina*: pro veteri autem lectione ſtare videtur ipſe Euripides, Καὶ μὴ πελάζετ' ὄμματος ἐγγὺς

Neve adieritis, ſed vitate
Animumque ferum, ac triſte ingenium
Mentis præcipitis: jamjam ite,
Intro abſcedite celeri paſſu.
Nam luctus dubio procul olim
Nubes ſurgens ſubito ardebit
Majore furore: ac patrabit
Aliquid mentis vis infrenis,
Et ſerie ſtimulata malorum.
MED. Heu, heu, toleravi miſera, tole-
ravi mala magnis deflenda
Luctibus! O nati ſcelerati,
Vos male perdat miſeranda parens
Cum patre, ac tota domus pereat.
NUT. Me miſeram, cur natos patris
Peccato adſcribis? cur illos
Odiſti? hei mihi, pueri, miſere
Metuo ne quid ſecus eveniat.
GRAVIS eſt regum faſtus, & iræ
Nimium memoris, qui dare leges
Sunt ſoliti aliis, lege ſoluti
Ipſi. Judice me libertas
Par, & vitæ æquatio præſtat,
Seque aſſueſcere legibus æquis:
Si non regifico ſplendore, at
Tuto conſenuiſſe licebit.
Nam popularius æqui juris
Primum eſt nomen, & experiundo &
Uſu longe præſtabilius.
AT ſublimia nunquam ſtabili
Perſtant homini fixa pede diu, ac
Si quando ſors læva intonuit,
Hoc ex fonte innumeræ luctus
Undæ in ſplendida tecta redundant.
CHO. Vocem audivi, audivi planctum
Miſeræ Colchidos: animi nondum
Æſtus compoſuit: fare age, anus.
In veſtibulo ſtans audivi
Intra atria clamorem: haud lætor
Veſtræ, mulier, luctu domus,
Ac mihi minime grata geruntur.
NUT. Domus heu periit!
Deſerta omnia: detinet illum
Aula tyranni, ac contabeſcit
Luctu in thalamis hera, amicorum
Nullo mollita animum hortatu.
MED. Heu, heu, ruat in caput hoc miſerum
Fulmen ab æthere. Quis mihi ſupereſt
Dehinc vitæ uſus, vivere ut optem?
Eheu! longis triſtem curis,
Parcæ, miſeram abrumpite vitam.
CHO. Audiſti, o Jupiter, o tellus,
O lux, quam vocem miſera edat
Mulier? quod tandem immoderatum
Thalami deſiderium cogit,
Stulta, accelerare horam fati?
Iſtud ne expete: quod ſi conjux
Connubio tuus alio fruitur,
Id ne improperes illi crimen.
Hanc tibi judex Juppiter æquus
Dirimet litem. Ne te affictes
Socium lugendo tori.
MED. O magna Themi, atque Artemi ſancta,
Cernitis, impius in me conjux
Quale

Quale patrarit facinus, ſancto
Mihi jurejurando adſtrictus?
Quem cum ſponſa utinam ſimul ipſis
Ædibus oppreſſos conſpiciam,
Qui immeritam læſere priores.
O pater, o patria a me inhoneſte
Germano deſerta peremto!
NUT. Quos vocet audis, quos imploret?
Themin auguſtam, cum Jove, præſes
Qui creditur eſſe ſacramenti:
Nec cohibere hera poterit facile
Pectoris æſtus.
CHO. Qui fiet prodeat ut coram?
Auribus ut ſermonis noſtri
Vocem hauriat, ut, ſi pote fieri,
Acres animi leniat iras,
Ac violentum ingenium ponat?
NUT. Haudquaquam ſedulitas noſtra
Deerit amicis.
CHO. At abi mea tu, dominamque foras
Educ, atque alloquere: heus propera,
Ne deſignet quicquam aſperius
Hos adverſum, quos habet intus:
Gliſcit enim vis ſæva doloris.
NUT. Effecta hæc dabo. Sed metuo ut heræ
Perſuadere queam: iſta labori
Gratia veſtro a me referetur:
Etſi fœtæ more leænæ
Luminis acies flammea ſervis
Triſte minetur, ſi quis propius
Ut compellet, tentet adire.
NIL peccarit, veterum læva ac
Præpoſtera qui vocet ingenia,
Qui cantus ad ſacra Deorum,
Ad convivia, feſtaſque epulas
Inſtituere, illecebras gratas
Auribus: at ſuaviloquum carmen
Nemo invenit quo ſedaret
Triſtes animi curas, unde
Mortes plurimaque mala erumpunt
Everſura domos: verum iſtis
Cantu medicari utilius erat.
Ad lautas epulas quid fruſtra
Ilia tendunt, copia ubi dapis
Præſente animum lætitia explet?
CHO. Mœſti luctus gemitus noſtras
Perculit aures, clamat miſera
Illa, quam dolor edere cogit,
Voce, malum compellans ſponſum,
Veteris deſertorem thalami.
Læſa Themin Jove natam implorat,
Arbitram jurisjurandi,
Quæ illexit miſeram ad ſolum Achivum
Per mare ſævum, Scythiæ adverſum,
Per ponti immenſi ſpumantes
Cano ſale fauces anguſtas.
MED. Egreſſa tecto ſum, Corinthiæ nurus,
De me querendi ne ſit ulli occaſio.
Pleroſque novi, quod ſeorſum degerent,
Habitos ſuperbos: hos frequens præſentia
Fecit moleſtos: alius ingreſſus viam

Vitæ

Digitized by Google

Vitæ quietæ, ignaviæ [1] ſubiit notam:
Quia judicandi certa veritas abeſt
Oculis ab hominum, qui priuſquam pectoris
Norint receſſus intimos, viſos modo
Odere, nullis provocati injuriis.
Ergo urbis hoſpes moribus ſe accommodet.
Nec laudo civem, contumax qui civibus,
Aſperque agreſti degit inſolentia.
At enim inopinum hoc quod mihi evenit malum,
Vitam abſtulit vivæ: pereo: vitæ exui
Jamdudum amorem, amore mortis percita.
In quo repoſita cuncta habebam, peſſimus
Plane virorum me reliquit vir meus.
NIHIL miſerius fœminis, terra, omnium
Quæcunque vivunt, menteque vigent, edidit.
Primum neceſſe eſt opibus immenſis virum
Emere, ſuique accipere dominum corporis.
Accedit aliud huic malo gravius malum,
In quo periclum maximum, frugi vir, an
Nequam: mulieri repudium infame eſt, neque
Sponſæ maritum jus recuſandi eſt ſuum.
In jura moreſque venientem opus eſt novos
Plane ariolari (quippe quæ haud didicit domi)
Quali marito ſerviendum ſibi foret.
Et iſta recte cuncta quum curaveris,
Si degat una ſponte vir patiens jugi,
Beata vita eſt; ſin ſecus, præſtat mori.
Domeſticorum ſi quis offendat virum,
Foras profectus ſedat ægritudinem,
Caris amicis junctus aut æqualibus:
At nos neceſſe eſt unius ab arbitrio
Pendere, in unumque intueri: & interim
Vitam periclis nos carentem degere
Domi aſſeverant, ferre ſeſe lanceam,
Errore ducti: nam ter in acie prius
Armata certem, liberos quam edam ſemel.
Sed non utraſque hac ſpectat æque oratio:
Hæc namque patria tibi, hic penates patrii,
Præſidia vitæ, grata converſatio
Inter ſodales: contra inops ego, patria

Extor-

1 *Subiit*] Ita Euripides & orationis contextus legendum poſtulant: libris autem omnibus [*ſubit*] editum eſt.

Extorris, aſpra læſa contumelia,
A conjuge ſolo advecta præda barbaro.
Non hic propinquus, mater aut germanus eſt,
Ad quos malorum afflicta tempeſtatibus
Me veluti portum recipere in tutum queam.
Tantiſper igitur impetrare abs te velim,
Dum mihi facultas aliqua ratiove ſuppetet,
Qua de marito expetere ſupplicium queam,
Ob quæ patravit immerenti, & plectere
Illi locatam cum parente filiam.
Sis tacita. PLENA mulier alioqui metus,
Infirma, ferrum contueri haud ſuſtinet:
At in torum ſi quiſpiam peccaverit,
Nullum cruoris pectus eſt ſitientius
CHO. Id fiet: etenim jure pœnas expetis,
Medea: ſortem nec dolere te tuam
Miror. Creonta ſed video regem gradum
Ferre huc, novorum conſiliorum nuntium.
CRE. Te, torva, vultu tetrico, iratam viro,
Medea, monui, regno ut extorris meo
Comitata geminis hinc abires liberis:
Vetui morari: quando decreti arbiter
Iſtius ego ſum, non revertar hinc prius
Domum, exulem quam finibus protruſero.
MED. Hei pereo, penitus undecunque miſerrima!
Omnes rudentes explicant hoſtes mei:
Mali nec uſquam commodus datur exitus.
Afflicta quamvis peſſime, id quæram tamen
Quæ cauſſa regno me exigere cogit, Creon?
CRE. Te metuo (quorſum falſa opus prætendere?)
Lethale gnatæ ne exitium ſtruas meæ.
Cauſſæ timorem ſuggerunt hunc plurimæ.
Sagax es, artes gnara longe peſſimas,
Graviterque tædis orba fers divortium:
Et nunc minari fama te refert malum
Sponſoque, ſponſæque, & novæ nuptæ patri.
At id prius quam fiat, antevortere
Volo cavendo: præſtat autem odium tuum
Nunc ferre, fera quam, peracto facinore,
Hanc lenitatem luere pœnitentia.
MED. Non fama primum nunc nocet, Creon, mihi
Miſeræ, ſed ante damna non ſemel dedit.
QUICUNQUE vera præditus prudentia eſt,
Ne diſciplinis liberos impenſius
Erudiat æquo, nec ſapere doceat nimis.

Digitized by Google

Nam pigra præter quæ ſequuntur otia,
Obliquus urget livor illos civium
Apud imperitos ſcita ſi ſophiæ nova
Promas, ineptum rentur atque inutilem.
At ſi putere denuo præcellere
Hos qui ſophorum auctoritatem vindicant,
Eris moleſtus; idque adeo mihi evenit.
Perita quum ſim, hos urit invidentia:
His otioſa dicor: illis diſplicet
Diverſa vitæ ratio: nec deſunt quibus
Obeſſe videar mediocri hac ſapientia.
Tu quoque vereris, ne quid in te perpetrem:
Non hic mearum, ne time, rerum eſt ſtatus,
Reges ut a me metuere deceat, Creon.
At tu quid in me perpetraſti iniquius?
Natam elocaſti cui tibi lubitum eſt viro:
At ego maritum proſequor odio meum.
Nec temere, opinor, iſta geſſiſti: neque
Rebus ſecundis invideo: quin nuptias
Facite, beati vivite: latebras fugæ
Permitte tantum hic: læſa licet, injurias
Muſſabo: diſcam cedere melioribus.

CRE. Specioſa ſunt hæc, blandaque auribus, tamen
Vereor repoſtum ne coquas animo malum.
Atque adeo tanto credo quam pridem minus.
PRÆCIPITIS iræ mulierem, aut etiam virum
Vites facilius, quam modeſtum atque tacitum.
Deſine morandi fando cauſſas nectere:
Abi: ſtatutum eſt ita: nec [1] ars ulla faciet
Iſthic ut habites me peroſa hoſtiliter.
MED. Per genua quæſo, perque deſponſam recens.
CRE. Ah, verba perdis: neutiquam perſuaſeris.
MED. Et me repelles, haud reveritus ſupplicem?
CRE. Equidem familiæ non meæ te præfero.
MED. O patria, ſubiit nunc recordatio tui!
CRE. Qua nil ſecundum liberos mihi carius.
MED. O amor, hominibus peſtis exitiabilis!
CRE. Perinde, opinor, res uti ſeſe dabit.
MED. Quis auctor horum, tu memento Juppiter.
CRE. Abſcede, inepta, meque curis libera.
MED. Curæ premunt me, nec egeo curis novis.
CRE. Hinc exigere ſubito ſervili manu.
MED. Noli obſecro, ſed id te ſine exorem, Creon.

CRE.

1 *Ars ulla faciet*] Recentiores *faciat*.

Digitized by Google

CRE. Adhuc moleſta, mulier, eris, uti video.
MED. Abibo: non hoc ut precibus impetrem ago.
CRE. Quorſum igitur urges, nec meo abſcedis ſolo?
MED. Unum inſtruendæ modo fugæ indulge diem:
Et quando curam hanc genitor abjecit, ſine
Me comminiſci liberis opem ultimam.
Miſereſcat horum: nam & tibi ſunt liberi.
Parens parentis calamitatibus fave.
Nam nulla cruciat cura me exilii mei,
Sed liberorum miſeriæ me macerant.
CRE. Haud impotenti mente ſum & tyrannica:
Quin ſæpe damno mihi meus pudor fuit.
Et nunc aperte, mulier, erratum meum
Prævideo: verum vince, quod vis accipe.
Præmoneo tamen id, ſi morantem craſtinus
Hic te videbit Phœbus, ac natos tuos,
Actum eſt, periſti: fixa ſtat ſententia.
Nunc, ſi neceſſe eſt, lucis unius moram
Permitto: nam nil interim patraveris
Horum, timore quæ me habent nunc anxium.
CHO. Infelix mulier, miſera, malis
Miſeris obnoxia, quo tandem
Te vertes? cujus amicitiam,
Cujus tectum aut terram invenies
Portum malis?
Traxit ineluctabile fatum
In mare te, Medea, malorum.
MED. Male cuncta cedunt undecunque, quis neget?
Sed ne putetis peſſime hoc ſuccedere,
Sponſis adhuc mihi pugna ſupereſt cum novis:
Ingens futurus eſt labor cum affinibus.
Credis tyranno quiſſe me palparier,
Ni ſubfuiſſet ſpes lucri, vel ſpes doli?
Supplex fuiſſem? contigiſſem illi manum?
At ille tanta præditus vecordia eſt,
Ut quum liceret obviam conatibus,
Si me expuliſſet, ire, [1] ſiverit diem
Hunc me manere, tres ego hoſtes quo meos
Mactabo, patrem, filiam, meum virum.
Sed tanta lethi quum facultas ſuppetat,
Unde inchoabo, dubia, amicæ, fluctuo.
Subdamne thalamis nuptialibus faces?
An ferro acuto rupta fodiam pectora,
Ingreſſa furtim tectum ubi torus ſternitur?
Sed me moratur una res: ſi capta ſim
In tecta ſcandens, per dolum dum rem gero,

1 *Siverit*] Antiqui libri *permiſit*: male.

Per-

Peremta riſus exhibebo malevolis.
At uſitatam præſtat inſiſtere viam,
Cujus perita ſum, necandi pharmacis.
Eſto, perierint: quod recipiet me oppidum?
Quod erit aſylum? fida quæ fidi hoſpitis
Domus patebit, protegetve [1] perfugam?
Nuſquam eſt. Manebo paullulum, dum ſtabilia
Alicunde nobis præſidia ſeſe offerent.
Dolis adoriar, clamque perfungar nece.
Si pellat hinc me fors ineluctabilis,
Mucrone peragam facinus ipſa vel palam.
Lubens peribo, modo queam illos perdere.
Ad culmen imus præcipitis audaciæ.
Regina nobis culta ſemper unice,
Hecate triformis, artis adjutrix meæ,
Te juro, noſtra quæ colis penetralia,
Noſtro e dolore nemo referet gaudium.
His luctuoſas atque acerbas nuptias,
Affinitatem funebrem & meam fugam
Reddam: eja cunctis utere ſimul artibus,
Medea, cuncta convoca conſilia: age,
Aggredere facinus: nunc opu conſtantia
Animoque forti: quæ feras, vides: cave
Ut ne propines riſui nepotibus
Te Siſyphæis, nuptiiſque Iaſonis,
Te patre claro Soleque proavo editam.
Perita es ipſa, deinde nata fœmina.
IGNAVA quibus eſt mens honeſta ad omnia,
Ad turpe ſupereſt facinus omne audacia.
CHO. Retro ad fontes ſacra feruntur
Flumina, jus & fas vertuntur:
Hominum plena dolis conſilia:
Nec pacta fides Diis ſat certa eſt.
Audiet ex hoc muliebre bene
Genus: accreſcet gloria nobis.
Non jam deinceps fama ſiniſtra
Traducet fœmineum ſexum.
Ex hoc mutabit Muſa modos
Vatum priſcorum, qui cantu
Muliebrem celebrant perfidiam.
At ſi cœleſte melos citharæ
Nos docuiſſet carminis auctor
Phœbus, paria audiſſet
Progenies virum.
Sed multa poteſt longior ætas
Nobis exprobrare, viriſque.
At tu patriam deſeruiſti
Animi vecors, vecta gemellos
Trans ſcopulos ponti, ac peregrinam
Habitas terram, orbata cubilis
Tædis vidui, ac miſera hinc exul
Ejiciere ignominioſe.
Periit reverentia jurisjurandi: nullus ſupereſt Grajis
Pudor,

1 *Perfugam*] Prædicti libri (præter unum Steph.) *profugam*, metro non patiente.

Pudor: in cœlum ſed revolavit.
Tibi vero nec patria domus eſt,
Infelix, in quam ceu portum
Perfugias e thalami curis:
Sed regina potentior
Occupat aulam.
IAS. Non nunc, ſed ante ſæpe perſpectum eſt mihi
QUAM ſit malum impotens & immedicabile
Ira aſpra. Licitum fuerat & terra & domo
Hic tibi frui, ſiquidem tuliſſes molliter
Potentiorum imperia, quæ nunc exulas,
Ob vana verba, quæ moleſtiam mihi
Minime faceſſunt: perge, uti facis, dicere,
Longe virorum peſſimum eſſe Iaſonem.
At quæ in tyrannos blateraſti, ſi exules
Ob hæc, recenſe pro lucro juſſam fugam.
Ego ſævientum molliebam principum
Animos feroces, ne exulares: [1] tu tamen
Stulta eſſe pergis, prodigens convicia,
Diriſque reges devovens: itaque exulas.
Nec iſta amicos me movent ut deſeram.
Adſum, tuiſque commodis, mulier, vaco,
Ut ne recedas hinc inops cum liberis.
Egenſve rerum. MULTA ſecum incommoda
Ferre fuga ſuevit: ſed nec indigne fero,
Nec velle poſſum male tibi, etſi me oderis.
MED. O peſſime undiquaque! nam imbecillitas
Conviciari me ſinit tantum mea.
Me adiſti, adiſti, maxime mortalium
Exoſe Diiſque mihique cunctiſque hominibus.
NON fortitudo eſt iſta, non fiducia,
Læſos amicos contueri cominus:
Sed morbus unus omnium graviſſimus
Additus hominibus, impudentia. Id tamen
Abs te probe actum eſt, quod adieris: ego ut levem
Animum dolore, jurgia in te congerens:
Et tu viciſſim ſentias moleſtiam.
Et primum (ut a primis initiis ordiar)
Salutis auctor tibi fui, ut Graji ſciunt
Quoſcunque tecum vexit Argo Pelias.
Flammam vomentes juſſus es tauros jugo
Supponere, & lethale ſulcis condere
Semen, draconem ſæpe in orbes nexilem,
Circumvolutum vellus auro fulgidum, &
Sopore nunquam feſſa victum lumina
Fallere: peremto tibi dedi illo cernere

1 *Tu tamen*] Recentiores, *ut tamen*: male.

Vitale lumen: prodito patre & domo,
Applicui Iolcon te ſequùta, tibi nimis
Hic obſecundans ac mihi parum providens.
Peliam peremi, morte qua nulla gravior,
Manu ſuorum liberorum: ſuſtuli
Tibi metum omnem: tu tot ob beneficia
Nos prodidiſti, prædo perfidiſſime,
Novas ſequutus nuptias, poſt liberos
De me creatos: orbus etenim ſi fores,
Veniam dediſſem conjugis cupido novæ.
Dein pejeratis Diis fides fluxa: ac ſatis
Statuere nequeo quos putabas tum Deos
Regnare, credas nunc quoque, an potius novum
Jus eſſe faſque traditum mortalibus,
Ut qui tibi ipſi es conſcius perjurii.
O tacta ſæpe dextera, o ſæpe genua
Fruſtra prehenſa tibi manu infidiſſima!
Ut ſpes fefellit! age, velut amicum alloquar,
Sperantis inſtar aliquod abs te commodum:
Etenim rogando detegam ſcelus tuum.
Quo nunc revertar? ſpreta quo me conferam?
An ad penates patrios, ac patriam,
Quam te ſequuta prodidi? an potius petam
Peliæ miſellas filias, quæ me hoſpitem
Tractent benigne patris ob necem ſui?
Sic eſt, amicos perdidi domeſticos:
Quos non decebat afficere me injuria,
Te propter, hoſtes univerſos reddidi.
Ergo beatam inter Pelaſgidas nurus
Me reddidiſti pro his beneficiis: virum
Sum ſingularem nacta fidumque miſera.
Si profuga cogor hoc ſolo egredier, inops,
Deſerta amicis, ſola ſolis liberis
Comitata, pulchrum elogium erit ſponſo novo
Mendica proles exulans cum conjuge,
Cui debet, aura quod fruitur. O Juppiter,
ADULTERINI indicia cur certa hominibus
Auri didiſti, ſed virum in corpore nota
Impreſſa nulla eſt unde noſcantur mali?
CHO. GRAVIS ira res eſt, & malum inſatiabile
Amici amicis conſerunt quum jurgia.
IAS. Me, ut video oportet eloquendi eſſe haud rudem,
Verum gubernatoris inſtar callidi
Effugere ſumma linteorum margine

. Lo-

Loquacitatem, mulier, iſtam futilem.
Ego, beneficium quando nimium exaggeras,
Venerem ſalutis autumo auctorem meæ,
Ducemque curſus, nec Deum aut hominum alteri
Debere ob illa ſentio me gratiam.
Ingenii acumen acre ſuppetit tibi: at
Orationis arrogans jactantia eſt,
Ea quum recenſes, quæ coacta feceras
Amore, duris nos ut e laboribus
Eruere poſſes: illa tamen examine
Librare nolo exactiore: ſicubi
Profueris, agnoſco libens beneficium.
At, ut docebo te, incolumitate ex mea
Plus quam dediſti, ad te redundat commodi.
Primum, Pelaſgam, patria pro barbara,
Terram colis, ubi lex & æquitas vigent.
Nec jura cedunt gratiæ vel viribus:
Omneſque doctam te eſſe Graji intelligunt,
Famaque flores: finibus ſi in ultimis
Orbis habitares, mentio haud fieret tui.
Mihi nec aurum ſit domi aggeſtum, neque
Orphea canendo ſuavitas quæ vicerit,
Splendore ſi non ſortis hæc decoret favor.
Hæc dicta noſtris ſint ſuper laboribus,
Contentionem quando ad hanc me provocas.
At quæ exprobraſti regiis de nuptiis,
Primum reperies hic ſapere me dein virum
Et temperantem, & tibi meiſque liberis
Fidelem amicum: ſed quieſce tu interim.
Ut me Corinthon ex Iolco contuli,
Cumulo malorum inexplicabili obrutus,
Quid comminiſci commodum potui magis,
Quam ſi puellam regiam exul ducerem?
Non (quod tibi ægre eſt) quod torum odiſſem tuum,
Sponſæque amore ſaucius forem novæ,
Nec numero ut ulli liberûm contenderem:
Sat liberorum eſt: de ſobole nil conqueror:
Sed, quod putandum plurimi eſt, ut ſplendide
Ævum exigamus, neve penuria premat;
Quippe indigentes qui fugere procul ſciam
Cunctos amicos: utque familiæ meæ
Pro dignitate liberos educerem,
Ex teque natis gignerem fratres, pares
Quos ſimul honorum per gradus producerem:
Meamque poſtquam conſtabiliiſſem domum,
Felix ut eſſem: liberis ſane tibi
Haud

Digitized by Google

Haud eſt opus aliis: mihi vero utile eſt
Conſulere natis per futura pignora.
Num cogitaſſe videor abſurde? torus
Modo ne angat animum, haud iſtud ipſa dixeris.
AT eo mulierum crevit impotentia,
Si conjugalis ſalva ſit fides tori,
Tum cuncta recte creditis ſuccedere:
Sin hac ſiniſtre parte quidquam evenerit,
Quæ cara fuerant, ſunt ſtatim inimiciſſima.
At quam fuiſſet procreaſſe liberos
Aliunde melius, nec fuiſſe fœminas?
Exemta quantis vita foret hominum malis?
CHO. Hæc pulchre, Jaſon, perpolita oratio eſt.
At mihi videre (invita quamvis, proloquar)
Egiſſe inique, conjugem quum proderes.
MED. Quam noſtra vulgo diſſidet ſententia!
ORATIONIS qui probus erit artifex,
[1] Factiſque iniquis, hunc reor graviſſima
Pœna eſſe dignum: nam quæ iniqua comere
Se gloriatur lingua, non maleficio
Ullo abſtinebit, ac vacua ſapientiæ eſt.
Igitur omitte ſplendidis coloribus
Fucare verum, & eloquendi viribus:
Verbo quidem uno te ſubito confecero.
Siquidem fuiſſes vir bonus, te oportuit
Non hæc amicis clam peregiſſe, at prius
Me perſuaſa nuptias facere novas.
IAS. Quin paruiſſes mihi ſuadenti probe,
Siquidem indicaſſem nuptias, quæ nec modo
Tumidi minuere pectoris bilem potes.
MED. Non hæc movebat cauſſa te, ſed barbaras
Tædas ſenectam adusque fore putaveras
Parum decoras. *IAS.* Tibi velim id perſuadeas,
Non me ſequutum regiis his nuptiis
Cupidinem uxoris: ſed (uti dixi prius)
Tuæ ſaluti conſulebam, ac liberis
Meis, uti de ſtirpe fratres regia
Domui futuros præſidia progignerem.
MED. Ne mihi dolori juncta ſit felicitas,
Opeſque, quæ cor triſte curis ulcerent.
IAS. Hæc vota vertes, tibique melius conſules
Precando, ne quod utile eſt, triſte id putes:
Nec

1 *Factiſque iniquis*] An forte *iniquum?*

Nec quum ſecundæ res erunt te eſſe miſeram.
MED. Illude: perfugium tibi inventum eſt: ego
Deſerta cogor his profugere finibus.
IAS. Tibi auctor ipſa es, ne alteri id des crimini.
MED. Quinam? novis quod prodidi te nuptiis?
IAS. Diris tyrannos exſecrandis devovens.
MED. Et exſecratur veſtra me invicem domus.
IAS. Quot his ſuperſunt plura, quæ haud redarguo?
At ſi qua poſcis præſidia tuæ fugæ,
Natiſve, noſtris ex opibus accipere, age
Profer parato liberali dextera
Donare, noſtros teſſeras ad hoſpites
Dare, ut exulantem recipiant humaniter.
Hæc ſi recuſes, mulier, haud recte ſapis.
Iram remitte: conſules tibi melius.
MED. Tuis nec uti volumus hoſpitibus, neque
Accipere quicquam, nec dederis aliquid mihi:
NAM quæ mali dant dona, proſunt nemini.
IAS. At ego Deorum ſancta teſtor numina,
Natis paratum cuncta me dare tibique:
Sed tu recuſas optima, & ferocia
Fugas amicos, ac malo id quidem tuo.
MED. I, ſponſam amatam viſe: nimium demoror
Ab ejus oculis te procul: agite, nuptias
Facite: faventes forte ſi reſpexerint
Nos Dii, pigebit apparaſſe nuptias.
CHO. Si juſto amores acrius
Humana corda vulnerent,
Virtus faceſſit, deperit
Famæ decus; ſed ſi Cypris
Gradu modeſto venerit,
Nemo Deorum eſt gratior.
Regina Cypris, aureo
Ex arcu inevitabilem
In me ſagittam haud torſeris,
Amoris unctam nectare.
Mi grata temperantia,
Munus Deûm pulcherrimum.
Infrenis iracundia,
Rixoſaque æmulatio,
Mentem mihi ne ſaucient
Ulla dolentem pellice.
O ſancta Cypris, quæ toros
Amas carentes litibus,
Parata promte expendere
Lecti jugalis crimina
O patria, o ædes meæ,
Nunquam exul, & conſilii inops
Ævum moleſte tranſigam,
Confecta miſeris luctibus.
O fata, fata, tollite
Ex hoc prius me lumine!
INTER moleſta cuncta nil
Moleſtius cognovimus,
Pelli ſolo quam patrio.
Nec id relatu didicimus
Alterius: haud te civitas
Miſeratur, aut æqualium
Quiſquam graviſſimis malis
Preſſam. MALE pereat miſer,
Miſerabiliſque nemini,
Qui, quum licet, nullo colit

Officio amicos, nec aperit
Sincera clauſtra pectoris.
Mihi quidem amicus nunquam erit.
ÆGE. Medea ſalve, hoc pulchrius prooemium
Nemo habet, amicos quo ſalutarit ſuos.
MED. Salve propago providi Pandionis
Ægeu, unde in iſtud contuliſti te ſolum?
Æ. Phœbi vetuſtum deſerens oraculum.
M. Cur umbilicum fatidicum adiſti ſoli?
Æ. Prolis cupido conſulere adegit Deum.
M. Et ſobolis orbus, per Deos, ævum exigis?
Æ. Orbus, voluntas quando ſic tulit Deûm.
M. Cœlebſne, vinctus an jugali copula?
Æ. Haud nuptialis fuimus expertes tori.
M. Quid tandem Apollo rettulit de liberis?
Æ. Carmen facultatem ſupra humani ingeni.
M. Reſponſa nobis noſſe num fas eſt Dei?
Æ. Fas eſt: peritæ namque mentis indiget.
M. Quid ergo dixit? ſcire ſi fas eſt, refer.
Æ. Utri eminentem ſolvere vetuit pedem:
M. Nempe antequam facias quid, aut quem adeas locum?
Æ. Prius paternam quam adiero rurſus domum.
M. Tu cujus ergo ad hancce tellurem venis?
Æ. Pittheus tyrannus quiſpiam eſt Trœzenius.
M. Pelopis (ut ajunt) filius ſanctiſſimus.
Æ. Communicare oraculum cum illo volo.
M. Sane peritus talium & gnarus vir eſt.
Æ. Mihique amicos inter acceptiſſimus.
M. Sit auſpicatum quicquid animo deſtinas.
Æ. Cur corpus oculuſque ita tuus contabuit?
M. Ægeu, maritus peſſimus hominum eſt meus.
Æ. Quid ais? aperte profer ægritudinem.
M. Immeritam Jaſon afficit me injuria.
Æ. Quinam? profare quicquid eſt apertius.
M. Habet ſupra me conjugem domus heram.
Æ. Nempe auſus iſtud facinus eſt fœdiſſimum?
M. Sic eſt: priores nunc amicos deſpicit.
Æ. Amore captus, an torum exoſus tuum?
M. Ingenti amore, nec ſuis fidus manet.
Æ. Valeat, malitia ſi modo eſt qua prædicas.
M. Affinitatem concupivit regiam.
Æ. Quis conjugem illi dederit, hoc ediſſere.
M. Is qui Corinthi ſceptra moderatur Creon.
Æ. Veniam meretur, mulier, iſte tuus dolor.
M. Ad hæc & exul hoc miſera pellor ſolo.

Æ.

Digitized by Google

Æ. A quo? recens hoc denuo narras malum.
M. Regno exulare me Creon iſto jubet.
Æ. Sinit hoc Jaſon? nec equidem hoc facinus probo.
M. Verbo repugnat, exigi re non vetat.
Sed te per iſtud oro mentum, per tua
Te genua ſupplex, ſupplices tendo manus,
Miſerere, miſerere mulieris miſerrimæ:
Nec orbam amicis exulemque deſpice,
Regno domoque contubernalem excipe.
Sic efficacem ſortiantur exitum
Quæ a Diis petiſti liberis ſuper, ipſeque
Moriare felix: comminiſci haud alteram,
Qualis reperta eſt ſponte, potuiſſes viam.
Dehinc faxo ne ſis ſterilis, & ſobole domum
Fundabo veſtram: tale novi pharmacum.
Æ. Permulta ſunt cur facere tibi gratum hic velim.
Primum Deorum, liberûm dein gratia,
Quos polliceris: muneri namque huic ego
Inefficax ſum totus: ita profecto habet.
Tu ſi Cecropium adveneris ſolum, hoſpitem
Recipere nitar, cultor ut juſti unice.
Præmoneo tantum id te, mulier, ex hoc ſolo haud
Te duco: verum ſponte ſi perveneris
Noſtras ad ædes, tuta mecum manſeris.
Nec vim time, te neutiquam dimiſero.
Quin effer ipſa ſponte greſſum hinc: nam id velim,
Me criminandi ne ſit hoſpitibus locus.
M. Id fiet: at ſi dederis, ita fore hæc, fidem,
Votis abunde ſatis erit factum meis.
Æ. Mihi ne parum credis? quid hic eſt ſcrupuli?
M. Credo: ſed odit me domus Peliæ & Creon,
Nec me ut revellant hi tuo ſines ſolo,
Juratus ac vinctus ſacramento mihi:
Verbis ligatus, teſtibuſque Diis, meus
Fies amicus, nec fidem præconibus
Qui me repoſcent, facilè habebis: namque ego
Infirma ſum: illis regna, vires, oppida
Large ſuperſunt, ac opes tyrannicæ,
Æ. Probe eloquuta es, mulier, atque provide:
Et quando viſum eſt ſic tibi, non abnuo.
Adverſus hoſtes hunc tuos prætendere
Potero colorem: tutiuſque iſtud reor.
Præſidia muni, verbaque ac Deos præi.
M. Jura ſolum terræ, patremque mei patris

Solem, Deorumque univerſum adjice genus.
Æ. Quid præbiturum vel negaturum? refer.
M. Quod non repelles exulem regno tuo:
Nec ſi meorum quiſpiam velit hoſtium
Educere, haud id vivus & volens ſines.
Æ. Tellurem & almum dejero Solis jubar,
Deoſque cunctos, firma fore quæ poſtulas.
M. Sat eſt: quid autem pœnæ erit, ſi pejeres?
Æ. Quæ pejerantes pœna conſequi ſolet.
M. Avibus ſecundis perge, cuncta recte habent.
Ergo te reviſam protinus, ubi fecero
Quæ deſtinavi, & quæ volebam ubi aſſequar.
CHO. At te pacifer hinc Mercurius
Incolumem ad tua tecta reducat:
Quæque agitas animo perficere
Det tibi, nam generoſus
Mihi vir viſus es, Ægeu.
MED. O Juppiter, Joviſque fas, faxque aurea
Phœbi, tropæum nunc feram illuſtriſſimum!
Nunc recta ad ipſam tendimus victoriam.
Spes expetendi de hoſte ſupplicii datur.
Nam qua pericli ſupererat vel plurimum,
Portus repertus natus eſt Pandionis.
[1] Poſthac rudentem principem ligabimus,
Curſum tenentes recta ad urbem Palladis.
Nunc cuncta prodam, mente quæ celaveram,
Ac dicta crede ſerio, quæ proloquar.
Mittam e miniſtris quempiam, qui Jaſonem
Arceſſat ad me: poſt ubi pervenerit,
Oratione blandiore colloquar:
Recte videri nuptias & ordine
Factas, quibus me bene merentem prodidit:
Nec parva ſecum ferre dicam commoda:
Petamque natis hic licere vivere:
Non quod relinqui liberos velim meos,
Et hoſtium hic exponier ludibrio:
Sed ut puellam regiam perimam dolo.
Nam dona ſponſæ quæ ferant, natis dabo,
Subtile peplum, cum corona nexili
Ex auro: ut iſthoc munere redimant fugam.
Quod ſi recepta dona corpus tetigerint,

Peri-

1 *Poſthac rudentem principem*] Rectius forte & Euripidis menti convenientius, *Ex hoc*, ſcil *portu*, ad quem funem præcipuum quaſi alligabo. Metaphora Poëtis aliiſque uſitatiſſima. Ovid. Epiſt. Leand.

Illic eſt aptum noſtræ navale carinæ,
Et melius nulla ſtat mea puppis aqua.

*Peribit ipſa, & quiſquis admorit manum:
Sic imbuentur efficaci pharmaco.
Atque hic loquendi de his mihi ſtatuam modum.
Sed corda mœror obruit, quum cogito
Quantum ſuperſit perpetrandum dehinc ſcelus.
Mactabo natos, nec manu quiſquam mea
Hos liberabit: poſt ubi turbavero
Penitus Jaſonis domum, vertam ſolum
Profuga, peremtis liberis cariſſimis,
Cæde inquinata dexteram nefaria.
Non eſt ferendum, fœminæ cariſſimæ,
Riſus ut hoſti materia ſim: ſic eat.
Quid enim relictum eſt cur juvet dehinc vivere?
Nam nec patria, nec mihi domus, nec miſeriæ
Perfugia reſtant ulla: tunc inſanii,
Patrios penates quum reliqui, credula
Homini Pelaſgo, qui, favente numine,
Pœnas rependet: nam nec ex me liberos
Vivos videbit dehinc, nec e ſponſa nova
Gignet, venenis ſed mala peribit malis.
Me nemo poſthac inſimulet ignaviæ,
Aut imbecillem deſidemve cenſeat:
Quin contra amicis benevolam, hoſtibus gravem.
Nam quiſquis iſtis præditus erit moribus,
Ævum perenni laude clarum tranſiget.

C. Arcana nobis quando credis pectoris,
Prodeſſe cupio tibi, ac tueri publicum
Mortalium jus faſque: quare ſuadeo
Ne tam nefando ſcelere te contamines.

M. Hæc fixa perſtant: ac tibi ignoſci poteſt
Iſthæc loquenti, quæ pari haud premeris malo.

C. Mactare ſobolem mulier audebis tuam?

M. Id nempe conjux maxime indigne feret.

C. Et tu miſeriis maximis cumulaberis.

M. Sic eat: inanis omnis eſt oratio,
Ab inſtituto quæ refrenet: verum age,
Opera fideli ſemper utimur tua
Ad cuncta tectam quæ fidem deſiderant.
Adduc maritum: at ne revela regibus
Conſilia noſtra, ſi ſapis & es fœmina.

C. Cecropidæ quondam felices,
Et ſancta Deûm ſoboles,
Arva invicta ac ſacra colentes,
Aurea quos ſapientia paſcit
Lucida puræ per ſpatia æthræ
Traducentes molliter ævum:
Ubi caſtas quondam Pieridas
Fama novem peperiſſe

Digitized by Google

Narrat flavam Harmoniam.
Ubi pulchriflui flumina propter
Cephiſi Venerem ajunt feſſam
Mollibus exhalando flabris,
Et blandum ſpirantibus auris
Campos afflaviſſe beatos,
Dum nectit purpuream roſeo ac
Suaveolenti e flore coronam
Ambroſiæ comæ:
[1] In quam, ut referunt, comites ſophiæ
Miſit amores, omnigenæ eſſent
Ut virtutis opitulatores.
Quinam ſacrorum fluviorum
Urbs, & cunctis hoſpita tellus
Te venientem accipiet, ſobolis
Exſecranda cæde cruentam?
Quin expende hic inter amicos
Quantum aggrediare nefas, animum
Refer ad triſtia funera prolis.
Ne, per genua oramus pariter
Cunctæ, ne progeniem perimas.
Unde hæc cruda audacia cordi?
Unde hæc cæca temeritas? natis
Nempe inferre manum pote propriis?
Quinam immunes fletibus oculos
In natorum funere habebis?
Quum procumbet ſoboles ſupplex
Inter cædem, miſeranda animi
Sanguine poteris tingere dextram?
JAS. Advenio juſſus: quamlibet ſuccenſeas,
Hic tibi deeſſe nolui: ſed expedi
Ecquid requiras modo novæ ex nobis rei.
MED. Jaſon, oro, quicquid in te dixerim,
Ignoſce: noſtra ſi quid iracundia
Aſperius egit, te remittere id decet
Beneficiorum memoriæ communium.
Namque ipſa mecum ſola dum ratiocinor,
[2] Me me reprendi: Miſera, cur inſanio?
Infenſa cur ſum recta conſulentibus?
Hoſtis tyrannis ſum, viroque qui facit
Quod utiliſſimum eſt mihi, ſociam tori
Dum rege natam ducit, ac natis meis
Fratres creabit? non furoris impetum
Frenare par eſt? quid fero, quum præbeant
Dii cuncta abunde? non mihi ſunt liberi?
Orbos amicis video nos & exules.
Hæc mente volvens, quanta vis inſaniæ

Me.

1 *In quam, ut referunt, comites ſophiæ Miſit amores*] Ita cum veteribus libris diſtinguenda ſententia, non ut in recentioribus,
In quam, ut referunt comites ſophiæ, Miſit amores. ——— Euripid.
Τᾷ σοφίᾳ παρέδρους
Πέμπειν ἔρωτας.
2 *Me me reprendi*] Wetſt. *Memet.*

Me tenuit, iramque immerentem intelligo.
Quin laudo nunc te, providumque judico,
Qui tam potentem affinitatem adjunxeris.
Ego ſtulta certe, conſili quæ particeps
Iſtius eſſe, quæ miniſtra debui
Adſtrare lecto conjugis novæ, atque ei
Gratum quod eſſet, facere; verum nos ſumus
Non dico peſtis quanta, certe fœminæ.
Sed te malorum non decet fieri æmulum,
Et ſtulta ſtultis dicta dictis reddere.
Inſaniebam, fateor, ante: cedo nunc:
Conſultius deliberavi. O liberi,
O liberi, huc accedite, exite huc, domo
Prodite, complectamini, alloquamini
Cum matre patrem: priſtinum deponite
Odium in amicos cum parente priſtinos.
Jam fœdus ictum eſt: ira ceſſit: dexteram
Prehendite. Hei mihi! ſubit animum mali
Memoria tecti. O liberi, an ſuperſtites
Exporrigetis dexteras caras diu?
Hei miſera! lacrymis nuper obſita & metu,
Odium paternum tempus ubi jam leniit,
Rigare fletu cogor ora denuo.

CHO. Et noſtra liquidis ora fletibus madent,
Præſente majus ne quod accidat nefas.

JAS. Hæc laudo, mulier: illa nec graviter fero.
PAR eſt profecto fœmina uti ſuccenſeat
Novas marito contrahenti nuptias.
At ſaniora conſilia tuus animus
Admiſit: ipſaque admonente tempore
Fideliorem percipis ſententiam:
Quod eſſe munus fœminæ arbitror probæ.
Nec oſcitanter, filii cariſſimi,
Veſtræ ſalutis inita ratio eſt a patre,
Siquidem faventes habeat inceptis Deos.
Nam ſpero terræ vos adhuc Corinthiæ
Olim futuros principes cum fratribus.
Sed creſcite modo: cætera expediet pater,
Divumque quiſquis nos benignus aſpicit.
Utinam ex ephebis exeuntes vos probe
Videam inſtitutos, ſuperioreſque hoſtibus!
Sed cur tenellas uda lacrymis genas
Mœres, retrorſum flexa vultus candidos?
Nec hæc libenter auribus verba imbibis?

MED. Nil: liberorum memoria animum perculit.

JAS. Bono animo es: iſtis ego probe proſpexero.

M. Fiet:

Digitized by Google

M. Fiet: tibi parebo: verum fœmina
Sum; NATUS autem ſexus hic ad lacrymas.
J. Cur tantopere vero ingemiſcis pignora?
M. Ea nempe peperi: quum precarer proſpere
His, me ſubibat tacita commiſeratio,
An certa ſint hæc vota. Sed qua gratia
Huc te vocavi, ex parte dictum: cætera
Ego in memoriam ſuggeram. Quum regibus
Viſum ſit iſto me relegare e ſolo,
Id eſſe video commodiſſimum mihi,
Principibus ut ne ſim impedimento & tibi,
Hic commorando: quippe quum infenſa videar
Aulæ, exulatum propero: verum liberi
Ut educari patria poſſint manu,
Roga Creontem ne jubeat eſſe exules.
J. Certum experiri, at neſcio an perſuaſero.
M. At tu jubeto ſponſa genitorem ut roget,
Hinc exulatum ne releget liberos.
J. Fiet: & opinor impetraturam, niſi
A cæterarum diſcrepabit moribus.
M. Et ego laboris hujus adjutrix ero.
Nam dona mittam, pulchrius quibus nihil
Nunc inter homines eſt, ſat id ſcio: peplum
Tenue ferentes filios, & aureum
Orbem coronæ. Sed miniſtrorum illico
Aliquem neceſſe eſt ferre mundum hunc muliebrem.
Felicitate non fruetur ſimplice,
Sed mille ſane commodis cumulabitur,
Te nacta thalamo conjugem, virum optimum,
Adepta cultus quos patris mei pater
Phœbus ferendos poſteris dedit ſuis.
Hæc capite manibus dona nuptialia,
Nati, ac beatæ ferte ſponſæ regiæ.
Non reſpuenda capiet utique munera.
J. Cur ipſa tete ſtulta ſpolias his? putas
Ullis egere regiam peplis domum,
Aurove? ſerva, ne dederis hæc: ſat ſcio,
Alicujus eſſe ſi putabit me preti,
Auro maritum ſponſa longe præferet.
M. Omitte: flecti muneribus ajunt Deos.
ORATIONE qualibet potentius
Apud homines aurum eſt: fovet felicior
Illam aura ſortis: cuncta fortunat Deus
Illi: puella regnat, ego fugam haud modo

Auro,

Auro, ſed anima liberum redimam lubens.
At vos propinquas, filii, ingreſſi domos,
Novam parentis conjugem, dominam meam,
Orate, deprecamini ne vertere
Solum neceſſe ſit, offerentes in manum
Hæc dona: multum namque noſtra id intereſt,
Illius iſthæc munera accipi manu.
Ite, & peracta re probe ex ſententia,
Matri referte nuntium qualem cupit.
CHO. Nulla dehinc ſupereſt ſpes pueros
Victuros: ad cædem properant.
Sponſa coronam fulvam accipiet,
Miſera accipiet miſerum exitium,
Flavæque comæ dirum ornatum
Acceptum capiti imponet.
Gratia pepli, & nitor ambroſius
Auro tempora cingere coget.
Sponſa ornabitur orco.
Tales cadet in laqueos,
Miſero & fato defungetur:
Nec mortis patet exitus uſquam.
Tu vero, o miſer, o infelix
Sponſe! affinis dum vis regum
Eſſe, calamitatem imprudens
Arceſſis natis, ac ſponſæ
Miſerum exitium. O miſeranda parens
Puerorum! tua lugeo fata,
Quæ thalamos geniales propter,
Dulcia prives pignora vita,
Quos tibi vir linquens, injuſte
Nuptæ thalamo alterius fruitur.
PÆD. Natis remiſſum eſt, o hera, exilium tuis.
Regina munus in manum accepit lubens.
Tranquilla pueris cuncta ſunt illinc tuis.
MED. Hei! *P.* Quid gemiſcis, cuncta quum feliciter
Cedant? quid ora vertis illuc candida?
Meum nec audis mente læta nuntium?
M. Æ, æ!
P. Hæc cum relatis nuntiis haud congruunt.
M. Væ denuo, væ! *P.* Num fefellit opinio
Mea me, malumque nuntium invitus fero?
M. Quæ nuntiata, nuntiata: haud culpo te.
P. Dejecta vultus ergo quid fletu mades?
M. Huc multa cogunt, o ſenex: namque & Dei
Huc impulere, & ſtultitia ſimul mea.
P. Animo bono es: per liberos potentiæ
Adhuc prioris magna ſupereſt portio.
M. Alios quidem prius miſera deducam ego
P. Non ſola natis ſegregaris.

Modice ferenda eſt tibi, genita quum ſis homo.
M Id fiet: at tu protinus in ædes abi,
Pueriſque ſolitum præpara diarium.
Jam parta vobis civitas, o filii,
Filii, domuſque, quam colatis me ſine,
Orbi parente ſempiternum! at exulem
Me capiet alia terra, fructus antequam
Capiam expetitos, quam beatos videro,
Lectos priuſquam nuptialeſque thalamos,
Sponſaſque vobis præparem, ac tollam facem.
O jam ſiniſtram contumaciam meam!
Fruſtra educavi, filii, vos, pertuli
Fruſtra labores, anxia incaſſum fui,
Fruſtra dolores paſſa ſum puerperi.
O ſpes inanes ſæpe de vobis meas!
Fore vos ſenectæ præſidia noſtræ, & manu
Veſtra ſepulchro mortuam me contegi:
Quæ prima ferme vota ſunt mortalibus.
Exſtincta nunc eſt dulcis exſpectatio.
Nam mœſta, vobis orba vitam tranſigam,
Et luctuoſa: nec deinceps cernere
Vobis parentem ſuavibus oculis licet,
Ad inſtitutum tranſeuntibus novum.
Eheu! quid in me reſpicitis, o filii,
Riſu renidentes mihi noviſſimo?
Hei miſera! quid agam? mulieres, mihi deficit
Cor, intuendo blanda lumina liberûm.
Nequeo: priora conſilia valeant: ſolum
Mecum relinquent: quid? dolore dum patrem
Afficio, duplo gravius arceſſam malum
Mihi ipſa? minime: conſilia valeant: mihi
Quid contigit cur torpeam? ludibrio
Me patiar eſſe meis inultis hoſtibus?
Audenda ſunt hæc. Sed meæ eſt ignaviæ
Hoc crimen: animo molliora ſuggero.
Verba, introite: ſi quis eſt cui non licet
His intereſſe ſacris, ipſe viderit.
Meam profecto dexteram non polluam.
Ah facinus, anime, ne iſtud admittas cave:
Ipſos omitte, miſera parce liberis:
Fugæ levamen exulantes una erunt
Noſtræ. Per atræ noctis ultores Deos
Non ſic abibit, ut meorum ego hoſtium

Natos

Natos relinquam obnoxios libidini.
Vitare mortem non queunt: quo nos trahit
Fatum, ſequamur; ſortiantur terminum
Hinc lucis, unde ceperint primordium.
Peracta ſunt hæc: fixa ſtat ſententia:
Hanc nemo reddet irritam. Jam vertice
Hæret corona: ſponſa peplis regia
Perit involuta, ſat ſcio: ingrediar iter
Miſerrimum jam, miſerius etiam meos
Miſſura natos per iter. Alloqui libet:
Date, date matri dexteram, amplectamini
Nati parentem. O mihi manus cariſſima, o
Cariſſimum os, o forma, grataque facies!
Felicitatem, ſed ibi, vobis comprecor:
Nam quicquid hic ſupererat, abſtulit pater.
O molle corpus, grataque amplexatio,
Blandumque ſpirans ſuavis oris halitus!
Abite, abite, contueri non queo
Vos jam: malorum cedo magnitudini:
Videoque quantum perpetrabitur nefas.
SED peſſimorum facinorum genitor furor
Ratione major me retrorſum diſtrahit.
CHO. Mecum ſæpe exactius
Sum conata expendere, ac
Subtili librare examine,
Num deceat diſquirere fœminas
De rebus ſubtilibus anxie.
NEC nobis Muſarum aliena
Sunt commercia: ſunt ſapientiæ
Corda capacia, non tamen omnibus:
Sed rara inter copia fœminas
Indulget ſtudiis ſapientiæ.
Illud vero auſim contendere,
His cum longe actum felicius
Quibus ævum penitus tranſigere
Contigit orbis ſobolis,
Quam quibus eſt numeroſa propago
Sorte data: orbi quod inexperti
Ignorent, an dulce an amarum
Sit genuiſſe; anxietatibus
Vacui innumeris vivant: ſoboles
Queis numeroſa eſt, anxia curis
[1] Degunt miſeræ tempora vitæ
Primum ut honeſte [2] educant, vitæ-
que neceſſaria ſubſidia parent.
Deinde accedit ad alias curas
Illud, ſintne futuri (incertum)
Male compoſitis moribus, an boni.

Id

1 *Degunt*] Forte *Degant*.

2 *Educant*] Libri omnes *educent*. Vide de Metris Buchan. cap. III. §. v. 7.

Id quoque poſtremum mortalium
Nulli non grave proloquar: etſi
Cætera vitæ commoda ſuppetant,
Et pubentes jam perveniat
Corpus ad annos, moribus optimis
Exculto ingenio, Dea inutilis
Tum ſi illa incumbat Mors, dulces
Ac mittat ſub tartara liberos:
Qui fuit utile, pignora propter
Hunc adjectum a Diis, mortalibus
Intolerandum luctus cumulum?
MED. Jamdudum, amicæ, opperior exitum rei,
Fortuna quo ſe vertat illic, præſtolans.
Atqui e miniſtris cerno quendam Jaſonis
Greſſus ferentem ad nos anhelo ſpiritu.
Mali videtur fore recentis nuntius.
NUN. O perpetratrix facinoris nefarii.
Medea! fuge, fuge, claſſe ſeu cita licet,
Seu vecta curru corripe celerem fugam.
MED. Quæ digna cauſſa cogit ad properam fugam?
N. Regia puella modo periit, atque genitor
Creon, venenis illiti pariter tuis.
M. Gratum attuliſti nuntium: deinceps meos
Inter benevolos ac amantes noſtri eris.
N. Quid? mente ſana mulier es? an deſipis?
Domum tyranni funditus quum verteris,
Audire gaudes, nec facinus iſtud paves?
M. Non deeſt ad iſta quod queam rependere.
Sed ne gravere tantulum nobis moræ
Dare, pereundi donec explices modum.
Nam morte functos ſi ſciam miſerrima,
Cumulabis animum gaudio duplice meum.
N. Ut gemina proles cum patre advenit tua,
Et conjugalis attigit limen domus,
Famuli, dolori quibus erat tuus dolor,
Gaudemus, aures omnium cito pervolat
Rumor, maritum teque pacto fœdere
Conſopiiſſe priſtinam diſcordiam.
Hic tangere manus, ille flavum verticem
Mulcere pueris: ipſe quoque præ gaudio
Pueros gynæceum uſque lætus proſequor.
At hera colenda quæ tui nobis loco
Succeſſit, antequam puerulos viderat,
Vultu renidenti intuens Jaſonem
Hærebat: at poſt mœſta triſtis lumina
Abſcondit, ora retro flectens candida,
Quippe puerorum graviter adventum ferens.

Sed

Digitized by Google

Sed leniebat molliter puellulæ
Iras Jaſon, differendo talibus:
Adverſum amicos ne fueris aſpera: animum
Compone, rurſus flecte vultus, ac puta
Hos eſſe amicos, quos maritus diligit:
Et dona ſuſcipe, & patrem exora tuum,
Hinc ne releget pignora, meam in gratiam.
At illa mundum ut vidit, haud viro amplius
Negare quicquam ſuſtinuit: ac antequam
Tectis abeſſent genitor & nati procul,
Ornata peplis ipſa verſicoloribus,
Mollem corona preſſit aurea comam,
Seſe nitentis ante ſpecli ſplendidum
Æquor refingens: ac renidens ſuaviter,
Spectabat umbram corporis inanimem ſui.
Dein ſede ſeſe ſublevans e regia,
Per tecta graditur læta donis, molliter
Eburna terræ collocans veſtigia,
Et colla fixo ſæpe ſpectans lumine.
At triſte poſt hæc incidit ſpectaculum:
Colore mutato ſubitus iterum tremor
Obliqua membra vexat: ac ægre throno
Præoccupato potuit efficere ne humi
Prolapſa rueret: tum pediſſequa quædam anus,
Iram eſſe Panos, aut Deûm cujuſpiam
Rata, ejulavit lugubre, ante candidis
Nam tincta ſpumis ora vidit, & oculis
Circumrotari pupulas, & ſanguinis
Inane corpus: ejulatum flebilem
Dein excipit ploratus, alia ipſum ad patrem
Feſtinat, alia calamitatem conjugis
Novum ad maritum currit ut recenſeat.
Tota in tumultus verſa varios regia
Strepebat, & jam curſor accelerans gradum
Laſſus citatum, ad terminum pervenerat.
Hæc muta, clauſo quæ jacebat lumine,
Suſpiria trahens graviter, expergiſcitur.
Miſera gerebat cum duplice bellum malo:
Nam quæ premebat verticem auro tortili
Corona, mirum, flammeam ſcaturiginem
Voracis ignis evomebat: at pepli
Tenues, tuorum liberorum munera,
Niveum exedebant corpus & miſeræ cutem.
Porro illa ſurgens e throno, comam igneam
Rotat, huc & illuc uſta jactans tempora,
Quærens coronam excutere: at inſolubilis

Aurum tenebat nexus: & quoties comam
Quatiebat, ignis ſæviebat acrius
Duplo: mali tum victa magnitudine
Cecidit, parenti cognitu tantum ſuo
Facilis: nec oculis forma conſtabat ſua,
Decor nec oris; vertice e ſummo cruor
Stillabat igne mixtus; avulſa oſſibus
Caro venenis per genas tacitis fluit,
Ceu tæda lentis læſa ſudat lacrymis.
Res dira viſu, terror omnes occupat,
Tangere cadaver nemo ut auſit: ſcilicet
Magiſtra ſors adverſa nos erudierat.
Ignarus autem genitor infelix mali,
Ut tecta primum contigit, cadaveri
Infuſus ingemuit, & ulnis comprimens,
Atque oſculatus, ſolvit ora talibus:
O nata miſera, quis Deorum perdidit
Sic morte fœda te? quis orbavit ſenem
Capulo propinquum, triſteque ſilicernium?
Utinam liceret, nata, tecum commori!
Ut lacrymis & luctibus fecit modum,
Senile corpus allevare dum cupit,
Peplis adhæſit tenuibus, uti laureis
Ramis adhæret hedera: tum certaminis
Horrenda facies oritur: ille tollere
Genua experitur, illa contra nititur.
Sin vim parabat, viva vellens viſcera
Nudabat oſſa: deinde ſenſim languit.
Fugiente vita ſpiritum tandem miſer
Efflavit, impar invaleſcenti malo.
Jam juncta genitor nataque cadavera jacent,
Dignum profecto lacrymis ſpectaculum.
De te quid opus oratione? ſenties
Pœnæ expetitæ jam viciſſitudinem.
HAUD primitus nunc eſſe res mortalium
Umbras fugaces credo; nec dubitaverim
Hos qui videntur ſapere, verborum aucupes
Hos curioſos, aſſeverare omnium
Jure eſſe habendos optimo ſtultiſſimos.
Certe beatus nullus eſt mortalium.
Ut affluunt res, ille fortunatior
Illa putetur, haud beatus ſit tamen.
CHO. Jure, ut videtur, plurimum hodie congeret
Deus malorum in Jaſonem: infortunii

Tui

Digitized by Google

Tui miſertum eſt, o Creontis filia
Miſella! thalamis quæ procul ab Jaſonis
Ad tecta Ditis functa fato duceris.
MED. Certum eſt, amicæ fœminæ, celerrime
Natis peremtis hoc ſolo diſcedere;
Nec otioſe deſidendo dexteræ
Infeſtiori dare necandos filios
Mori neceſſe eſt liberos penitus meos.
Quando id neceſſe eſt, nos trucidemus utique,
Qui progenuimus: verum age, anime, accingere:
Ecquid moramur dira patrare ſcelera,
Et quæ neceſſe eſt perpetrare? age, o manus
Mea miſera, enſem cape, cape, ac ad carceres
Progredere vitæ triſtis, ac ne defice:
Nec ſubeat animum liberorum memoria
Quos ediditi, o cara; & obliviſcere
Fuiſſe natos breviculum hunc diem tuos.
Poſt deinde luge: nam tametſi occideris,
Cari fuerunt: mulier autem miſera ego.
CHO. O terra lucidumque
Phœbi jubar! videte,
Aſpicite peſtilentem.
Hanc fœminam & cruentam,
Manum trucem priuſquam
In liberos verterit,
Qui de tua ſtirpe aurea
Ducunt originem.
Quam metuo, Deûm
Ne imbuat hominum ſanguis dextram.
At tu cœligenæ moderator
Lucis, cohibe, reprime, Furiam
Pelle cruentam & miſeram tectis
E feralibus. Incaſſum labor
Deperit ob natos ſuſceptus:
Pignora fruſtra cara genueras.
O Symplegadum inhoſpita ſaxa,
Quæ deſeruiſti, anguſtas fauces!
Miſera, unde tibi furor hic animi?
Unde atrox cædes cumulatur?
QUISQUIS conſanguinea terram
Imbuerit cæde, ac macularit
Sanguine dextram, vindicta comes
Urget ſæva, ac Dii mala plurima
Hinc domibus cœlitus immittunt.
PUER. Quid agam? parentis quomodo hei fugiam manus?
ALTER. Ignoro, frater care: perimus utique.
CHO. Audis puerorum, audis vocem?
O miſera, o infelix mulier!
Tectum ingrediar, pignora rapiam e
Cæde nefanda.
PUER. Per o Deorum numen opitulamini
Dum licet, in ipſis pene retibus ſumus!
CHO. Miſera aut ferrum, aut ſilicem geſtas
Pectore, quæ propria mactabis

Dextra

Dextra pignora quæ peperiſti.
Unam ſecula memorant, unam
Ino, quam fœdaſſe cruore
Sui recenſent pignoris caram manum,
Nec ſponte, diro ſed furore percitam,
Inſanientem Juno quum miſeram domo
Exegit: oblita cæde natorum impia
Periit peremtis liberis mortis comes,
Progreſſa littus ultra, in æquor decidens.
Quid ſceleris jam reſtat inauſum?
O FOEMINEI thalami curæ
Pleni anxiferæ, quanta e vobis
Homines torquet lerna malorum!
IAS. Quæ ſtatis haſce propter ædes, fœminæ,
Eſtne intus auctor facinoris nefarii
Medea, ſeſe an abripuit alio fuga?
Tellure ſeſe ni recondat obrutam,
Pennave liquidas ætheris findat plagas,
Domui rependet capta pœnas regiæ.
An ſe, interemta ſtirpe regum, credidit
Impune tectis hiſce poſſe evadere?
Nec illius me cura, ſed ſobolis coquit.
Namque illa pœnas ſolvet his quos læſerat:
Sed liberorum huc venio vitæ ut conſulam;
Ne ſcelera matris vindicantes impiæ
Genere propinqui adverſus illos ſæviant.
CHO. Neſcis malorum quo redactus ſis, miſer
Iaſon, alias iſta nunquam diceres.
IAS. Quid eſt? an etiam me interimere cogitat?
C. Cæſi occiderunt liberi matris manu.
I. Hei mihi! quid ais? ut me jugulaſti, fœmina!
C. Ut luce caſſis cogita de liberis.
I. Ubi eos peremit? intus an foris? refer.
C. Foribus recluſis funera intuebere.
I. Auferte vectes, tollite hinc repagula
Statim, miniſtri, ſcelus ut aſpiciam duplex,
Illos peremtos, hanc, uti pœnam exigam.
MED. Quid fruſtra in iſtas arietas pulſans fores,
Cæſoſque, meque cædis auctorem petens?
Laborem omitte hunc, meque, ſi qua in re eſt opus,
Affare: manus haud licebit tangere.
Talem parentis Sol pater currum mihi,
Quo me tuerer e manu hoſtili, dedit.
J. O dira, Diis o mulier immortalibus
Exoſa, mihique, & omnibus mortalibus!
Quæ ſuſtinebas liberorum pectori

Inſe-

Inſerere ferrum mater, orbum & perdere
Me! & his patratis intueri ſuſtines
Solem ſolumque, facinus auſa peſſimum?
Male peri: ego reſipiſco nunc, inſanii
[1] Tum, cum paternis ædibus te barbaro
Grajas ad urbes e ſolo advexi, malum,
Peſtemque, patris proditricem, & patriæ
Quæ te educavit: ſupplicia de me expetunt
Scelerum tuorum vindices Erinnyes.
Nam fratre cæſo, ſanguinis ſocio, ratem
Mecum decoram ingreſſa es Argo Peliam.
Hinc orſa es: inde conjugali copula
Mihi juncta, de me ſuſtuliſti liberos,
Offenſa tædis quos peremiſti novis:
Quod Graja nulla perpetraſſet fœmina,
Quibus ego ſpretis prætuli thalamos tuos,
Affinitate peſtilente me illigans
Sævæ leænæ, haud fœminæ, quæ pectore
Scyllæ cruentos ferreo vincis canes.
Sed nulla mentem commovent opprobria,
Ita impudenti obduruiſti audacia.
Pereas, cruenta liberorum carnifex.
Lugere ſupereſt mihi meum infortunium,
Qui nec recenti perfruar connubio,
Nec quos creavi & educavi liberos,
Jam morte raptos, alloqui vivos licet.
MED. Quam multa contra ſuppetunt quæ redderem,
Si non utrinque teſtis eſſet Juppiter,
Quam debuiſti ac retuliſti gratiam.
Spretiſne noſtris nuptiis tu molliter
Vitam perageres, mihi miſeræ illuderes?
Regiaque virgo, & qui dedit nuptum hanc, Creon,
Impune an unquam me expuliſſent hoc ſolo?
Igitur leænam me voca, aut Scyllam (ut lubet)
Thuſcum obſidentem littus, ut par eſt, tuum
Animum viciſſim perculi moleſtiis.
JAS. Angeris & ipſa, & es malorum particeps.
M. Modo ne dolentem irrideas, juvat dolor.
I. O matre nati filii nefaria!
M. O filii, ut vos perdidit ſcelus patris!
I. Non hos peremit noſtra certe dextera.
M. Sed culpa, lectumque in jugalem injuria.

1 *Tum, cum*] Multi e recentioribus *Tunc, cum.*

I. Torumne propter auſa es illos perdere?
M. An hunc dolorem mulieri reris levem?
I. Si qua eſt modeſta: tu undiquaque es peſſima.
M. Illi occiderunt: hoc habet te peſſime.
I. Capiti imminebunt vindices umbræ tuo.
M. Diis primus auctor notus eſt injuriæ.
I. Diis nota mens eſt exſecrabilis tua.
M. Mihi es moleſtus, & odioſa oratio.
I. Et tua viciſſim mihi, ſed hac moleſtia
Facile carebis. *M.* Quomodo? id namque unice
Cupio. *I.* Remitte flenda mihi cadavera,
Ac ſepelienda. *M.* Minime, eos namque hac manu
Junonis alto ſepeliam ſanctæ ſacro,
Sepulchra ne forte hoſtis inſolentia
* Violet ſuperbi; Siſyphique poſteris
Cædis nefandæ ſacra dabo piamina,
Feſtaque dicabo in poſterum ſolennia.
At ipſa Erechthei propero ad urbem, ubi Ægeo
Jungar marito, filio Pandionis.
Tu vero, ut æquum eſt te, peribis peſſime,
Argus reliquiis tempora effractus tua,
Finem nefaſtum ſentiens thalami mei.
I. At te cruentæ filiorum Erinnyes
Perdant, & ultrix Juſtitia cædis feræ.
M. Ecquis Deorum te audiet vel dæmonum,
Perjure, fallax, hoſpitumque proditor?
I. Ah, ah, nefanda liberorum carnifex!
M. Proficiſcere domum, conde tumulo conjugem.
I. Natis orbus geminis abeo.
M. Nondum luges: ſenium exſpecta.
I. O cariſſima pignora! *M.* Matri
Cara profecto, patri minime.
I. Tamen exſtinxti. *M.* Te ut cruciarem.
I. Heu me miſerum! tangere cara
Cupio natorum ora meorum.
M. Nunc alloqueris, nunc amplecti
Optas, dudum quos repuliſti.
I. Per o Deorum numen id tribue mihi,
Ut molle corpus liberûm tangam manu!
M. Minime: incaſſum verba profundis.
I. Juppiter hocne, ut ſpernimur, audis,
Quæque ſceleſta patraverit in me
Lea, natorum cæde cruenta?
Quod licet unum, fleo, vociferor,

Teſteſ-

* *Violet ſuperbi*] Recentiores fere omnes, *ſuperbus.*

Teſteſque Deos advoco, natos
Quod me attingere manibus
prohibes
Abs te occiſos, quod mihi
tollis
Funeris arbitrium, quos uti-
nam
Nunquam ego genuiſſem, abs
te ut cæſos
Cernere cogerer ipſe ſuperſtes.

CHO. DISPENSAT morta-
talia cuncta
Cœlo Juppiter: inopina Dei
Plurima peragunt, ſpes eventu
Fraudant ſæpe ſuo: quæ cre-
das
Fieri haud poſſe, expediet
Deus, ut
Finem hæc nunc ſortita eſt fa-
bula.

Acta fuit Burdegalæ, Anno M. D. XLIII.

FINIS.

EURIPIDIS
POETÆ TRAGICI
ALCESTIS,
GEORGIO BUCHANANO SCOTO INTERPRETE.

Ad Illuſtriſſimam Principem,

D. MARGARITAM,
Henrici II. Francorum Regis Sororem,

IN

ALCESTIN
PRÆFATIO.

ALCESTIN Euripidis, *ante aliquot annos a me Latinam factam, ad te potiſſimum,* Margarita *Principum optima, cenſui mittendam. Nec id ea modo cauſſa feci, qua cæteri fere ſolent, qui hoc tempore in ſcribendo aliquid aut poſſunt, aut audent: ut videlicet*

Digitized by Google

hac prærogativa freti, aliorum judicia minus reformident, & auctoritate nominis tui adverſus calumniantium malignitatem ſe tueantur: ſed quod hujus Fabulæ lectionem tibi multis de cauſſis non ingratam fore ſperabam. Eſt enim orationis genere leni & æquabili, & , quod Euripidis *proprium eſt, ſuavi: parricidii vero & veneficii, & reliquorum, quibus aliæ Tragœdiæ plenæ ſunt, ſcelerum, nulla prorſus hic mentio, nullum omnino veſtigium. Contra vero, conjugalis amoris, pietatis, humanitatis, & aliorum officiorum, adeo plena ſunt omnia, ut non verear hanc Fabulam comparare cum libris eorum Philoſophorum qui ex profeſſo virtutis præcepta tradiderunt: ac neſcio an etiam præferre debeam. Actio enim rerum ſermone & ſpiritu pene animata, acrius quam nuda præcepta ſenſus impellit, & facilius in animos influit & illabitur: atque ubi illapſa fuerit, firmius hæret, & quaſi radices agit. Quod ſi quis minus ad te pertinere credat iſta, quod eo jam in omni virtutis genere ſis progreſſa, ut non ſis alienis exemplis confirmanda, ſed alios tuo exemplo ad virtutem provoces, fallitur vehementer, meo quidem judicio: præcepta enim officiorum, & rerum præclare geſtarum memoria, aliis fortaſſis utiliora erunt, qui ea legunt, ut velut ad normam ſuos mores eo dirigant: illis certe jucundiſſima eſſe debent, qui jam perfuncti diſcendi & imitandi laboribus, ſub aliena perſona ſuas laudes citra omnem adulationis ſuſpicionem legunt. Habet enim hæc Fabula, quantum ego quidem judicare poſſum, earum virtutum, quas in te non minus libenter agnoſcimus, quam in* Alceſtide *legentes miramur, adeo expreſſam imaginem, ut quoties eam in manus ſumas, toties tuarum tibi virtutum in mentem veniat neceſſe ſit; eam quum laudari audies, de tuis moribus judicium fieri exiſtimes. Eam igitur ad te, ut dixi, mittimus. Quod ſi audacius a me factum videatur, eam tu potiſſimum culpam præſtes oportet: quæ me tua auctoritate ad ſcribendum impuliſti, & in arenam productum omni favoris genere proſequeris & foves. Vale.*

Ad

Digitized by Google

Ad Sereniſſ. juxta ac Eruditiſſ. Angliæ Reginam ELIZABETHAM, in Alceſtin GEO. BUCHANANI Epigramma.

CUM tibi flebilibus Pythias ſaltata cothurnis
Non oculos poſſet, non ſatiare animum,
Jamque juberetur lacrymoſa Tragœdia rurſus
Ire ſub aſpectum, Regia virgo, tuum:
(Alpha Robertorum Dudleius ille Robertus,
Teſtis & orator Foxius hujus erit:)
Te quoque tam rara motam pietate recordor
A lacrymis ſiccas non tenuiſſe genas.
Scilicet ille (nihil quo mitius aſpicit æther)
Tam tibi COR placidum, tam tibi mite dedit,
Fas ſit ut, & vere, mihi dicere, nullius unquam
Sanguine Regales te maculaſſe manus.
Si Pythiæ pietas, pietas ſi vera Damonis
Uda fuit lacrymis facta potentis Heræ,
Quis, ſimul Alceſtin ſubeuntem fata mariti
Viderit, haud mœſtis fletibus ora riget?
Perlege priſcorum numeroſa volumina vatum,
Quicquid & Annales temporis hujus habent,
Rarus amor fratres alterna morte redemtos
Compulit alternis ire redire viis.
Filius a Stygio patrem qui liberet Orco,
Forſan in hiſtoriis unus & alter erit.
At quæ projiciat caro pro conjuge vitam,
Alite ſoligena rarior uſque fuit:
Quare age quæ raris ſuperas virtutibus annos,
Cui niſi quod rarum nil placuiſſe ſolet,
Quæ triviale nihil, ſed pulchra, ſed omnia rara,
Concipis, o ſexus glòria rara tui:
Quam penes eſt unam noſtro rariſſimus ævo
CANDOR, & integræ relligionis amor,
Rara fides, pietas, conſtantia, rara poteſtas,
Quaque capax rarum nil magis orbis habet
Per genium, Regina, tuum, per & omnia rara,
Per tibi qui tribuit Regia ſceptra, Deum,
Saltet ut hanc tragico tua gens mire apta cothurno
(Rarior ut pietas deſinat eſſe) jube.

ΚΑ'Ρ-Ο'ΛΟΣ, θεῷ ξὺν, ΟΥ'ΘΕ'Ν—Ο'—ΒΙ'ΟΣ πέλω θεοῖο.

S. Majeſt. T. perpetua obſervantiæ voluntate deditiſſimus
CAROLUS UTENHOVIUS
F. Gand.

ARGUMENTUM.

QUUM jam moriturus eſſet Admetus, Apollo a Parcis impetravit ei, ut quantum vixiſſet, alterum tantum viveret, ſi alium daret, qui pro ſe moreretur. Parens autem uterque quum hanc pro filio moriendi conditionem recuſaſſet, Alceſtis uxor ſe obtulit. Paucos vero poſt dies quum ea incidiſſet calamitas, Hercules advenit. Is edoctus ab uno miniſtrorum quæ Alceſtidi contigerant, ad ſepulchrum profectus, Mortem abegit: mulierem veſte obnubit: atque Admetum orat, ut eam a ſe acceptam ſervet. Affirmabat enim ſibi, quum lucta viciſſet, eam præmio datam. Id quum abnueret Admetus, detectam ei, quam lugebat, oſtendit uxorem.

P E R S O N Æ.

APOLLO.	SERVUS.
THANATOS.	ADMETUS.
CHORUS.	EUMELUS.
SEMICHORION.	HERCULES.
ANCILLA *Alceſtidis.*	PHERES.
ALCESTIS.	

EURI-

EURIPIDIS
POETÆ TRAGICI
ALCESTIS,
GEORGIO BUCHANANO SCOTO
INTERPRETE.

APOLLO.

O Tecta cara regis Admeti, in quibus
Convictor eſſe pertuli ſervis Deus.
Huc me coëgit, filium Æſculapium
Flammis triſulcis quum peremit Juppiter.
Ego impotenti ſævus ira fulminis
Fabros Cyclopas perimo: pœnas ut darem,
Mortalis eſſe me viri ſervum pater
Voluit. Profectus igitur huc, pecus hoſpitis
Pavi, domumque præſtiti incolumem hactenus:
Ut ſancta ſancto quæ Pheretis filio
Pareret: ipſum liberavi e faucibus
Lethi imminentis, præoccupans Parcas dolo.
Namque annuerunt mihi Deæ, ut ſubducerem
Admetum ab orco, & funus in præſentia
Aliud loco ejus manibus ſupponerem:
Quumque ambiiſſet ille amicos, omnium
Expertus animos, patris, ac matris ſenis
Quæ peperit ipſum, nemo præter conjugem
Inventus unam eſt, ſponte quæ prior mori
Voluit, nec alma luce poſtea frui.
Ea bajulatur nunc manus inter domi
Frigente ſenſim corpore: hæc etenim dies
Decreta fato eſt, morte vitam ut exuat.
Sed funus hic ne polluat me, deſero
Caros penates. Mortuorum ſed prope
Thanatos ſacerdos advenit, ſub tartara

Raptu-

Rapturus illam. Tempori vero huc adeſt,
Hunc præſtitutum mortis obſervans diem.
TH. Ha, ha, ha, ha.
Quid tibi tandem hic, Phœbe, negotii?
Quid oberras hæc limina propter?
Iterum injurius es Diis Stygiis,
Quorum aboles ac tollis honores.
Non ſat erat tibi, morti Admeti
Injeciſſe moram arte doloſa
Circumventis Parcis? Iterum
Arcitenentem cur modo dextram
Armatus ades Peliæ obſervans
Natam, quæ pro conjuge caro eſt
Pollicita mori?
AP. Bono animo es, æquum juſque faſque poſcimus.
TH. Quorſum igitur arcu, juſta ſi petis, eſt opus?
AP. Hæc arma ſemper ferre conſuetum eſt mihi.
TH. Opemque ferre præter æquum his ædibus?
AP. Hominis amici mihi dolori eſt calamitas.
TH. Etiam hoc ſecundo fraudor abs te funere?
AP. Atqui nec illud abſtuli invito tibi.
TH. Cur vivit ergo, nec apud inferos agit?
AP. Sponſæ redemtus morte, quam tu nunc petis.
TH. Et quam ſilentes mortuam ad manes agam.
AP. Perge, aufer: etenim neſcio an perſuaſero.
TH. Mi? munus ipſum cujus eſt occidere.
AP. Minime: morantes morte ſed tollere ſenes.
TH. Quo verba ſpectent & voluntas tua, ſcio.
AP. Alceſtidi ergo non licet ſenio frui?
TH. Non licet: honores, Phœbe, nos etiam juvant.
AP. Nil præter animam poteris unam tollere.
TH. Ex morte juvenum majus accedet decus.
AP. At vetula moriens ditius tumulabitur.
TH. Lex hæc rem habentes, Phœbe, ſolos reſpicit.
AP. Quid? tu Sophiſtes inſciis nobis eras.
TH. Res ampla quibus eſt, redimerent mortis moras.
AP. Non ergo viſum eſt tibi facere gratum hic mihi?
TH. Minime: ipſe morum non meorum ignarus es.
AP. Quos nec Deorum nec hominum ullus diligit.
TH. Haud cuncta poteris præter æquum conſequi.
AP. At reprimetur iſta ſæva immanitas
Quamlibet acerba: talis accedet domum
Pheretis hoſpes, imperante Euryſtheo
Thrace ab nivoſa quadrijugos abducere:
Acceptus hoſpes ille in Admeti domum,
Vi tollet iſtam fœminam tibi, neque
Hanc a me inibis gratiam: & quum ingratiis

Eadem

Eadem peregeris, odio eſſe haud deſines.
TH. Ut multa dicas, nil tamen profeceris.
Hæc mulier Orci pallidam viſet domum.
Properoque ad ipſam, ut enſe delibem comam.
Damnatus ille Manibus Deis erit,
Cuicunque ferrum hoc verticem libaverit.
CH. Quæ pro foribus taciturna quies?
Cur conticuit domus Admeti?
SE. Nullus adeſt qui narret amicus,
An lugenda eſt filia Peliæ
Alceſtis ceu mortua, an aura
Fruitur ſupera, quæ optima longe
Mihique & cunctis fœmina viſa eſt
In conjugem fuiſſe?
SE. Auditne quiſquam lacrymarum aut planctuum
Sonum per ædes, flentium aut ſuſpiria?
SE. Minime: ſed neque famulûm quiſquam
Ad veſtibulum eſt. Utinam, o Pæan,
Auxiliator in hac clade adſis,
Atque ſalutifer aſpiciare.
SE. Nec tacita domus defuncta eſſet
Domina: nec clam condita tumulo eſt.
SE. Unde? haud video quid te recreet.
SE. Tamne probam clam populo Admetus
Conjugem humaſſet funere vili?
SE. Nec ante portas conſpicor
Fontanæ aquæ lavacra, ceu
Ad mortuorum januas
Aſſuevit: haud propter fores
Abſciſſa coma eſt, poſita in luctu
Quæ funereo cæditur, uſquam
Neque virgineum perſtrepit agmen.
SE. Atqui hæc fuerat præſcripta dies,
Qua tenebroſum viſeret Orcum.
SE. Quorſum hæc memoras?
SE. Pupugiſti cor, pupugiſti animum
CH. Quum bonos Parcæ rapiunt ſeveræ,
Qui bonus vixit teneris ab annis,
Jure eos luget. Neque enim Chimæræ
Arva ſi remis adeas, vel æſtu
Semper arentes Garamantum arenas,
Templaque Ammonis, miſeræ prece umbras
Faucibus tetri rapies ab Orci.
Mors gradu triſtis properat citato.
Nec focos juxta video Deorum,
[1] Quem ſacerdotum precibus fatigem.
Si modo argutis oculis decorus
Filius Phœbi hac frueretur aura,
Illa, deſertis Stygiis tenebris,
Noctis & portis, Acheronte ab ipſo

Viva

1 *Quem ſacerdotum*] Legendum arbitror *ſacerdotem*: Euripides enim,
Οὐκ ἔχω 'πὶ τίνα
Μηλοθύταν πορευθῶ.

Viva rediret.
Namque defunctos revocabat Orco,
Antequam telo trifido timendus
Jupiter ſævos jaculatus ignes,
Perculit illum.
Nulla ſpes vitæ reliqua eſt: peregit
Cuncta rex: omnes pecudum cruentis
Stragibus Divûm cumulantur aræ,
Nec mali eſt uſquam fuga certa certi.
Sed uda lacrymis quæpiam egreditur domo
Ancilla. Miſerum me! quid afferet novi?
Veniam meretur luctus hic, ſi quicquam heris
Accidit acerbum. Scire at illud geſtio,
Vita fruatur mulier, an jam perierit?
AN. Vivam vocare & mortuam pariter licet.
CH. Qui poterit idem vivus eſſe & mortuus?
AN. Vix ducit ægra ſpiritum ad thalami fores.
CH. Uxore quali qualis orbabere miſer?
AN. Jam conjuge orbus dominus iſtud ſentiet.
CH. Nec ſpes ſalutis ulla reſtat amplius?
AN. Fati prementis inſtat illi terminus.
CH. Ergo apparantur juſta rite funeri?
AN. Mundus paratus eſt, quem humo condat ſimul.
CH. Præſtante ſeſe conjuge orbatum ſciat,
Sub orbe cœli nulla qua melior fuit.
AN. Quidni? quis aliter ſentiat? qui fœmina
Potuiſſet ulla facere glorioſius,
Suumque amorem prodere maniſeſtius
Erga maritum, quam ſuam ſi impenderit
Vitam illi? at iſta cuncta novit civitas.
At obſtupeſces, ſi modo audies, domi
Quæ perpetrarit. Deſtinatum quum diem
Adeſſe ſenſit, lauta vivo flumine
Corpus decorum, cedrino ex armario
Effert amictum: comta deinde ſplendide
Mundo ſuperbo conſtitit domeſticam
Veſtam ante, tales ora ſolvens in preces:
O Dea, ego triſtes abeo ad umbrarum domos:
Tibi advoluta te precor noviſſimum,
Orbos tuere liberos: huic conjugem
Caram, maritum filiæ da ſplendidum:
Nec, velut acerbo rapta mater funere eſt,
Præcipitet illos Parca præcox: ſed ſua in
Patria beati tranſigant ac ſuaviter
Jucunda vitæ ſpatia. Cunctas regiæ
Acceſſit aras, ſupplicavit, ſingulas

Feſta

Feſta corona myrteæ cinxit comæ:
Nec ora fletu madida, nec ſuſpirio
Indice doloris, vis nec inſtantis mali
Vultus decori priſtinum carpſit decus.
At conjugalem ut attigit thalamum, ac torum,
Lacrymis profuſis ſolvit ora talibus:
O lecte, ubi mihi morte quem redimo mea
Solvit pudorem virginalem vir, vale.
Nec te quidem odi, me tametſi exſtinxeris:
Nam dum recuſo conjugem, & te prodere,
Morior. At alia te tenebit fœmina
Non caſtior, fortaſſe fortunatior.
Tum devoluta exoſculatur lectulum,
Totum [illegible]undat lacrymarum flum[illegible]
Ubi [illegible]ounde fletuum protude[illegible]
Revoluta ſtrato ex ædibus ſe proripit.
Ac ſæpe thalamo egreſſa rediit denuo,
Supraque lectum denuo incubuit. Peplos
Flebant tenentes liberi: illa amplexibus
Modo hunc, modo illam comprimebat, ſcilicet
Moritura jamjam: flebili tota domo
Famuli tumultu fata lugebant heræ.
At illa dextram ſingulis dedit, neque
Quiſquam inter omnes adeo contemtus fuit,
Quem affata non ſit mutuis ſermonibus.
Atque iſta turbant nunc domum Admeti mala,
Quæ morte poterat fugere: mortem dum fugit,
Nunc ſempiternum ſibi dolorem arceſſiit.
CH. His ingemiſcit igitur Admetus malis,
Quem fata nupta dividunt ab optima.
AN. Luget profecto: conjugem caram tenens
Ulnis, rogansque morte ne ſe deſerat:
Abſurda poſcens, quæque fieri non queant.
Tabeſcit illa, & languidum manus onus
Projecta inertis, debilem etſi ſpiritum
Vix feſſa ducat, intueri Solem avet,
Almæque lucis ultimo aſpectu frui,
Viſura nunquam ſplendidum poſthac jubar.
Sed abeo, teque adeſſe nuntiavero.
Nec ſemper omnes regibus cives favent,
Nec rebus adſunt turbidis alacriter:
At tu vetuſtus amicus es meis heris.
CH. O Dii, quæ fuga ſupereſt cladis?
Quæ fuga ſortis, quæ imminet aulæ?

Exitne aliquis? laceremne comam?
Pullone tegam corpus amictu?
AN. Certa res eſt, certa, amici:
Sed precemur numina:
Nam poteſtas eſt Deorum
Viſque longe maxima.
O Apollo ſancte, cladis
Exitum hujus inveni:
Affer, affer remedium nunc,
Ut prius commentus es.
Nunc ades ſalutifer:
Pelle fatum lugubre,
Ditis implacabilis
Pectus atrox mitiga.
CH. Heu, heu: væ, væ!
O nate, nate Pheretis, Admete o miſer,
Qua clade premeris orbus iſta conjuge?
Pateris ferro rem fugiendam,
Et graviori clade piandam,
Quam ſi laquei de trabe celſa
Tereti nectas vincula collo.
Non enim caram modo, at
Conjugem cariſſimam
Hac morientem luce videbis
Sed jam maritus ipſe progreditur domo.
Pheræa tellus ingemiſce, illacryma.
Optima longe fœmina morbo
Contabeſcens Ditis ad umbras
Sub cava rapitur viſcera terræ.
Nunquam thalamos plus lætitiæ
Quam triſtitiæ ferre fatebor:
Partim id veteris caſibus ævi
Doctus, partim hac clade recenti
Regis, quem longe optima conjux
Morte relinquens, non ſinet unquam
Dehinc vitalem vivere vitam.
AL. O Sol, luxque diurna,
Cœleſteſque rotatæ
Celeri turbine nubes.
AD. Me teque miſeros aſpicit duos, tua
Nil promerentes morte dignum cœlitus.
AL. O tellus, o atria, thalami
O geniales patriæ Iolci!
AD. Suſtolle teipſam, o miſera, neu me deſeras,
Sed flecte precibus omnium dominos Deos.
AL. Biſcalmam video, video ratem,
Atque umbrarum portitor hærens
Conto arceſſit me propere Charon.
Age feſtina, quæ cauſſa moræ?
Præſto cætera cuncta: moraris
Nos ſola, gradu celeri propera.
AD. Heu, navigationem acerbam iſtam mihi
Memoras: malorum quanta nos moles premit!
AL. Eripit quidam tibi me
(Nonne vides) ad tecta ſilentum.
Fronte ſubnigra lumina Pluto intentat celer huc: quid facis? aufer.
Quod miſerabilis iter inſiſto?
AD. Acerbum amicis ac mihi, atque liberis,
Queis luctus hic eſt proprius, miſerrimum.
AL. Jam dimittite, dimittite me.
Genua labant: jam deponite me.
Oculos denſæ condunt tenebræ.
Pueri,

Pueri, o pueri, jam veſtra parens
Nulla eſt, nulla eſt jam veſtra parens.
Valete nati, & lumen almum cernite.
AD. Hei mihi! triſtis vox ferit aures,
Ac morte mihi durior omni.
Ne me deſere, ne per ſuperos
Tolera: nam te lumine caſſa
Vivere acerbum eſt, pendet ab una
Te mea mors ac vita: ita nobis
Tui amor penitus fixus inhæret.
AL. Admete, cernis quo in loco res ſint meæ.
Quæ ſentit animus, ante mortem proloqui
Volo. Salutem prætuli meæ tuam:
Per fata lucem quum liceret cernere,
Morior, fuiſſet quum integrum haud pro te mori:
Sed mihi maritum, quem luberet Theſſalum
Eligere, ſedes & beatas regio
Incolere luxu: [1] abs te revulſa vivere
Renui orphanis cum liberis e vitæ meæ
Minime peperci, ætate quamvis integra:
Quum, qui genuerat te pater, quæque pepererit
Te prodidiſſet mater, auras linquere,
Quibus decorum jam per ætatem foret,
Et glorioſa morte vitam filio
Suo redimere, quippe quibus unicus eras,
Nec ſpem relictam procreandi liberos
Te functo haberent. Viveremus tu, ac ego:
Nec tu doleres ſolitudinem tori
Vidui, nec orbos educares liberos.
Sed hæc Deorum quando quiſpiam gradu
Hoc ire voluit, ſic eant: at gratiam
Hanc tu referto, quam peto, haud meritis parem:
(NAM par rependi pretium animæ nullum poteſt.)
Sed quam ipſe juſtam dixeris: quum diligas
Æque atque ego iſtos (ſi ſapis) pueros, meæ
Domini face iſti ſint domus: nec liberis
Induc novercam fœminam minus probam
Parente, natis quæ manum impingat meis
Tuiſque, livor triſtis ubi ſtimulos ciet.
Utique cave iſtud faxis oro. Prioribus
Inimica natis quum noverca inducitur,
Nihilo cruenta vipera eſt clementior.
In patre magnum filius præſidium habet,
Sermone cum quo mutuo poſſit frui.
Tu, nata, vero quomodo educaberis

In

1 *Abs te revulſa*] Principi editioni Vaſcoſani abeſt *abs*, Baſil. *avulſa*.

Digitized by Google

In virginali ætatę honeſte? quam tuo
Nuptam parenti ſors dabit, quæ nec nota
Te fœdet ulla, nec tuas ipſo in aditu
Florentis ævi nuptias contaminet?
Neque elocabit mater unquam te, neque in
Dolore partus aſſidens ſolabitur,
Ubi nil parentis caritate eſt ſuavius.
Mori neceſſe eſt me: timori nec malum
Cras iſtud, aut in tertium eſt menſis diem.
Jamjam inter umbras luce caſſas cenſeor.
Valete, læti vivite: at tu vir potes
Te gloriari conjugem nactum optimam:
Et vos, parentis optimæ vos filios.
CHO. Bono animo es: hujus polliceri hoc nomine
Ego nil verebor, mente ni prorſus caret.
ADM. Ne metue, fient iſta, fient. Nam mea
Viva ut fuiſti ſola, ſola mortua
Dicere conjux: nec tuo ulla me loco
Suum vocabit ſponſa Theſſalis virum:
Quamvis ſuperbos generis enumeret avos,
Formæ decore quamlibet præfulgeat.
Sat liberorum eſt, liceat iſtis modo frui
Deos precamur, quando te frui haud licet.
Nec finietur luctus hic ſpatio annuo:
Sed omne in ævum, quod ſupererit dehinc mihi,
Lugebo, matrem, quæ peperit, odio, ac patrem
Habebo, amici quando verbo, non re erant.
Tibi ego ſalutem debeo, quæ pro mea
Anima dediſti quod homini eſt cariſſimum.
Non jure, tali quando privor conjuge,
Dura inter ævum tranſigam ſuſpiria?
Nec cœtus aut æqualium convivia
Poſt me juvabunt: nec coronæ floreæ,
Cantuſve dulces: noſtra nec citharam manus
Dehinc tanget unquam, nec Libyſſæ ad tibiæ
Sonos canoros animus oblectabitur:
Nam cuncta vitæ tu abſtuliſti gaudia.
Quin & periti dextera artificis tua
In lecto imago ficta collocabitur.
Amplectar illam manibus, illi procidens
Tuum vocabo nomen, ulnis conjugem
Caram tenere, non tenens, fingam tamen
Eſt ea voluptas frigida: at moleſtiam
Animi levabit. Umbra me per ſomnia

Utinam

Utinam reverſa oblectet. ETIAM lurida
Sub nocte amicos ſuave vultus cernere,
Quocunque ſeſe in tempore offerent. Mihi
Si lingua adeſſet Orphei, & blandum melos,
Furvæ canendo pectus ut Proſerpinæ
Duri vel Orci flecterem, ac reducerem
Te, promptus irem: centiceps nec me canis,
Nec qui ſilentes portitor manes vehit,
Prohiberet, almum viva per me denuo
Donec videres lumen. Illic mortua
Nunc præſtolare, donec illuc mortuum
Me fata mittent, ac domum ambobus para,
Una ut habitemus. Nam ſepulchro corpora
Uno imperabo collocari, & conſeri
Lateri latus te propter extenſum meum:
Nec ipſa mors me poterit abs te avellere,
Quæ ſola nobis uſque fida inventa ſis.
CHO. Mœrore digna eſt: itaque luctus particeps
Hujus ero, amicum velut amico convenit.
ALC. [1] Ipſi hæc loquentem, filii, audiſtis patrem.
Nullam deinceps ſpondet aliam conjugem
Sibi fore, nec me luce caſſam negliget.
ADM. Nunc aſſevero id, atque perfectum dabo,
AL. Cape pignus horum de mea pueros manu.
AD. Accipio carum pignus e cara manu.
AL. His tu puellis mater eſto meo loco.
AD. Te morte rapta cogit id neceſſitas.
AL. Intereo, nati, par fuit quum vivere.
AD. Quænam futura eſt vita mihi ſuperſtiti?
AL. Te mitigabit temporis longinquitas:
Qui periit autem, in poſterum jam fit nihil.
AD. Duc, duc me ad Orcum per Deos tecum ſimul.
AL. In morte noſtra ſat ſuperque cladis eſt.
AD. Sors ſæva, quali viduor abs te conjuge?
AL. At at, tenebræ jamjam oboriuntur oculis.
AD. Perii profecto, ſi modo abs te deſeror.
AL. Nil me putaris jam, velut nuſquam forem.
AD. Attolle vultus, liberos neu deſeras.
AL. Non ſponte certe, ſed valete, liberi.
AD. Oculos ad illos tolle, tolle & aſpice.
AL. Sum nulla poſthac. *AD.* Quid agis? ita me deſeris?
AL. Va-

1 *Ipſi hæc loquentem*] Recentiores libri *Ipſa*, male: Euripid.
Ω παῖδες, αὐτοὶ δὴ τάδ' εἰσηκούσατε
Πατρὸς λέγοντος ——

AL. Valeto. *AD.* Miſeris heu pereó miſer modis!
CHO. Periit, nec uſquam eſt uxor Admeti amplius
EUM. Hei mihi miſero, periit mater!
O pater, adiit manes! neque jam
Dulci fruitur lumine Solis.
Me deſeruit, me orbum, infelix.
Languidulos cerne oculos, rigidas
Cerne manus. O genitrix audi,
Audi genitrix! ego te appello,
Tua proclivis ad oſcula pullus.
AD. Nil audientem, nil videntem affare: ego,
Voſque ambo ſæva clade perculſi ſumus.
EU. Puer, o genitor, matre orbatus,
Solus deferor! o me miſeris
Preſſum ærumnis, teque ſororem,
Quam premit eadem ſors! o genitor,
Infrugiferos, infrugiferos
Thalamos nactus es! haud tetigiſti
Hac cum conjuge clauſtra ſenectæ:
Prius erepta eſt: te pereunte,
Genitrix, pariter domus everſa eſt.
CHO. Admete, clades has neceſſe eſt perpeti:
Nec primus es, nec ultimus mortalium
Uxore viduatus proba. Atque id cogita
Nos univerſos eſſe morti obnoxios.
AD. Scio: nec iſta me repente perculit
Ærumna: pridem præſcius malo premor.
Sed efferendæ funus huic parabitur.
Adeſte, & alternante planctu lugubri
Date juſta. Diti dicite implacabili
Pæana. Sceptris Theſſalum quiſquis meis
Paret, mulieris hujus ergo publice
Lugere jubeo raſili tonſos coma,
Pulloque amictu. Quadrijugoſque jungite
Currus: ſuperbam ſonipedum e collo jubam
Tondete ferro: tibiæ nuſquam ſonus
Strepat per urbem, vel ſuaviloquæ lyræ,
Bis Luna ſenos donec orbes impleat.
Nam neque cadaver hoc ſepeliam carius
Ullum, nec in me paribus officiis, neque
Honoribus eam proſequi dignis queam,
Quæ me redemit ſola morte vicaria.
CHO. O Peliæ mihi nata, vale,
Quæ Orci habitas ſine Sole domos.
At ſciat arbiter hoc Stygius
Nigricomans Deus, atque ſenex
Portitor exanimem populum
Qui vehit, & ſubigit reſidens
Puppe ratem celerem, mulier
Optima longe Acherontis aquas,

Optima

Digitized by Google

Optima fœmina tranſvehitur
Rate biſcalma.
Pieridum tu carmen alumnis
Decantabere diu, montigena
Te teſtudine ſeptem nervis
Reſonante canent, ac ſine cithara
Memores repetent carmine laudes,
Quum redeuntis circulus anni
[1] Menſem Spartæ Carneium iterat,
Lunaque pernox vere benigno
Pleno pernitet orbe decora,
Inque beatis divitis agri
Decantabere ſemper Athenis.
Tales mors tua ſufficit hymnos
Vatibus. O revocare liceret
Si te ſuperas rurſus ad auras
E tenebroſis ſedibus Orci,
E Cocyti fluctibus, alno
E fluminea, quæ vehit umbras.
Tu fœminei gloria ſexus,
Sola reperta es conjugis Orco
Quæ mutata anima animam eriperes.
Terra levis tibi ſit ſuper oſſa.
Quod ſi tædis vir tuus aliis
Captus erit, mihi jure inviſus
Natiſque tu's deget, quando
Nec tua mater, nec qui genuit
Te ſenior pater, abdere vellent
Pro nato ſua corpora terra,
Nec ſervarint, etſi ſeris
Candida ſparſi tempora canis.
At tu primo in flore juventæ
Juvenis redimens fata mariti
Deſeris auras. O mihi talem
Vitæ ſociam Dii date ſponſam,
Quæ jucundum tranſigat ævum
Mecum: at vitæ cognita paucis
Eſt mortalibus iſta voluptas.

HER. Cives Pheræam qui colitis urbem, an domi eſt
Admetus? *CHO.* Intus eſt Pheretis filius.
At quæ te ad urbem cauſſa adegit Theſſalam,
Hoſpes Pheræas advenires ut domos?
H. Obeo laborem Euryſtheo Tirynthio.
C. Quo tendis? error quis vagabundum trahit?
H. Diomedis ut Thracis quadrigas huc agam.
C. Qui poteris? hoſpes an vetus forſan tibi eſt?
H. Minime, nec unquam Biſtonum attigi ſolum.
C. Potiare ut illis, ferro oportet cernere.
H. Sed nec labores refugere, ut velim, licet.
C. Caſſo redibis rege, vel cæſus cades.
H. Diſcrimen iſtud non adeo nunc primitus.
C. Quid promovebis, dominum ubi deviceris?
H. Captos tyranno tradam equos Tirynthio.
C. Frenare captos alter haud facilis labor.

H. An

[1] *Menſem Carneium*] Gr. Μὴν Καρνεῖος, menſis apud Lacedæmonios nomen, ſic dicti a Καρνείοις feſtis Apollinis eo menſe celebratis. Meminit ejus menſis præter Euripidem Thucidydes lib. V. & Plutarchus in Nicia, ubi eum dicit eundem eſſe qui Athenienſibus Μεταγειτνιὼν appellatur. quem Auguſto noſtro reſpondere vult Petavius, lib. I. cap. 12.

H. An forte flammas evomunt e naribus?
C. Avidis virorum membra laniant dentibus.
H. Memoras ferarum, non equorum pabulum.
C. Præſepe tabo ſordidum intuebere.
H. Quo patre jactat educator ſe editum?
C. Marte, & opulentam frenat armis Thraciam.
H. Fatis laborem debitum agnoſco meis,
Per aſpra ſemper quæ petunt ſublimia.
[1] Cum Marte natis optimum fuerat manum
Non contuliſſe, primitus Lycaone,
Ac deinde Cygno: tertius porro hic mihi
Cum domino equiſque exhauriendus eſt labor.
Mortalium ſed nullus intuebitur
Hoſtis paventem dexteram Alcmena ſatum.
C. Atqui ipſe dominus hujus Admetus ſoli
Huc tecta linquens dirigit recta gradum.
AD. Jove nate ſalve, Perſei clarum genus.
H. Admete ſalve, rector inclyte Theſſalum.
A. Utinam! Benevolum te mihi certo ſcio.
H. Tonſura vero quid ſibi hæc vult lugubris?
A. Hodie cadaver efferendum eſt hinc mihi.
H. Avertat iſtud ſors malum a natis tuis.
A. Vivunt creati liberi de me domi.
H. Maturus annis forte genitor occidit?
A. Et ille ſuperat atque mater, Hercules.
H. An igitur uxor periit Alceſtis tua?
A. De uxore nobis ſermo ſeſe offert duplex.
H. Fatone functam dicis? an ſuperat adhuc?
A. Obiit, nec obiit: meque luctu conficit.
H. Perplexus es, juxta atque pridem intelligo.
A. Fatine noſti quæ premat neceſſitas?
H. Pollicita mortem nempe pro te occumbere.
A. Si pepigit iſtud, quomodo hanc vivam putas?
H. Lugendo clades interim ne præveni.
A. Cui mors propinqua eſt, jam periſſe illum puto:
Qui periit autem, jure nuſquam dixeris.
H. Non eſſe, & eſſe diſcrepant longiſſime.
A. Sic tibi videtur, Hercules; aliter mihi.
H. Quid

1 *Cum Marte natis optimum fuerat manum Non contuliſſe*] His plane contrarius Euripides,

Ἠ χρῆ με παισὶν, οἷς Ἄρης ἐγείνατο,
Μάχην συνάψαι. ——

Feſelliſſe Buchananum videtur prava ejus ſeculi Editio, in qua forte μὴ pro με legebatur: Quamobrem, ſi fas eſſet, ſic totam ſententiam refingerem,

Cum Marte natis nempe oportuit manum
Me contuliſſe ——

H. Quid ergo luges? quiſnam
amicorum occidit?
A. Mulier. Mulieris mentio fa-
ćta eſt modo.
H. Aliena, vobis an propinqua
ſanguine?
A. Aliena, quamvis juncta ne-
ceſſitudine.
H. Quinam ergo vitam finiit
domi tuæ?
A. Hic educata eſt orba patre
mortuo.
H. Utinam dolore comperiſſem
liberum.
A. Exſpecto quorſum tendat
iſta oratio.
H. Alterius hoſpes hoſpitis do-
mum petam.
A. Bona verba: facinus iſtud
avertat Deus.
H. Ingrata lugenti hoſpitis præ-
ſentia eſt.
A. Ingredere tu ædes, mortui
ſint mortui.
H. Hoſpiti epulari turpe fune-
ſta in domo.
A. Ducam ſeorſum te hoſpitum
ad cœnacula.
H. Sine abire, inibis gratiam
a me maximam.
A. Minime: nec alios hoſpes
accedes lares.
Heus tu, præito, reclude po-
ſticum ædium:
Jube atrienſes apparare largiter
Hoſpitibus epulas. Limen au-
tem claudite,
Quod medium ab aula ſeparat
cœnacula.
Non eſt decorum luctus ut con-
vivio
Obſtrepat, & aures hoſpitum
offendat dolor.
CHO. Admete, quid agis? tan-
ta quum te calamitas
Premat, recipies hoſpites? ita
deſipis?
AD. Atqui domo illum ſi ex-
puliſſem & mœnibus
Hoſpitii egentem, an id pro-
bares? neutiquam.
Minus hoſpitalis, non minus
miſer forem.
Ad calamitates illud etiam acce-
deret,
Ut hoſpitum hoſtis mea voca-
retur domus.
Nunc hoſpitem illum habebo
rurſus optimum.
Siticuloſum quando ad Argos
venero.
C. Cur ergo, amicus ſiquidem
is eſt, uti tu ais,
Hunc eſſe paſſus neſcium æru-
mnæ es tuæ?
A. Siquidem ille noſtrum ſciſ-
ſet infortunium,
Nunquam ſubiſſet atrium do-
mus meæ.
At facere ſtulte me ille forſan
rebitur,
Nec hæc probabit. Mea ſed
aula haud hoſpites
Huc ventitantes ſcit repellere
turpiter.
C. O viri hoſpita liberi
Semper atria, quæ incola
Se dignatus Apollo
Eſt Phœbus citharæ ſciens.
Nec Deum puduit domus
Hujus lanigeros greges
Curvis paſcere vallibus:
Et per prata virentia
Paſtoralia carmina
Blanda pangere fiſtula.
Quin & verſicolorum
Lyncum turba ſuavibus
Emollita modis, gregi

Junxit intrepido latus.
Armentumque leonum
Venit fulvicomantum
Ex Othry nemoroſo.
Ad tuæ ſtrepitum lyræ
Applauſit maculoſus
Pictorum hinnuleum chorus,
Pernici pede deſerens
Abietum alticomum nemus,
Docto carmine concitus.
Ergo tu pecoris domum
Fertiliſſimam colis
Limpidum propter lacum
Bœbiæ, arvi & jugera:
Et patentibus ſoli
Terminos convallibus,
Qua jubar Solis cadens
Nube currus induit,
Ad Moloſſos pertinet,
Et freta Ægæi maris,
Æſtuoſa & littora
Celſum ad uſque Pelion.
Nunc apertis ædibus
Humidis fletu genis
Hoſpitem recipit tamen,
Conjugis modo mortuæ
Flens adhuc funus recens.
Nam pudori pronus eſt
Candor ingenuus, neque
Ulla pars ſapientiæ
Abeſt, quum probitas adeſt.
Et mentem bona ſpes habet,
Succeſſura homini pio
Omnia recte.
AD. Cives Pheræi qui hic adeſtis ſedulo,
Famuli cadaver rite compoſtum ad rogum
Sublime portant, ac ſepulchri ad aggerem.
At vos ſupremam prodeuntem jam viam
De more defunctam ultimum alloquamini.
CHO. Atqui ſenili cerno genitorem gradu
Huc ſe ferentem, conjugi & mundum tuæ
Portare famulos manibus donaria.
PHE. Mœroris adſum particeps, fili, tui.
Proba & pudica ſane es orbus conjuge.
Sed iſta quamvis dura perpeſſu, tamen
Feras neceſſe eſt. Accipe hunc mundum, ac humi
Una reconde. Honore corpus proſequi
Illius æquum eſt, quæ prior pro te mori
Suſtinuit: ac ne ſobolis orbus degerem
Triſtem ſenectam & luctuoſam te ſine,
Perfecit una: cæteriſque fœminis
Tam illuſtre facinus auſa peperit gloriam.
O ſoſpitatrix filii, quæ mortuos
Nos ſuſcitaſti, jam vale. Ac manes tibi
Placidos bonoſque ſub Acheronte imo precor.
TALES hominibus utiles tædas reor,
Aut vincla nunquam noſſe conjugalia.
AD. Nec has rogatu noſtro ad inferias ades.
Præſens amicum nec mihi in numero es, neque
Hunc induetur illa mundum, aut indiga
Rerum tuarum ſepelietur. Tum æquius

De-

Digitized by Google

Dolere fuerat, fata quum me tollerent.
An qui ſtetiſti tum eminus, quique alteram
Senex puellam ſiveris pro te mori,
Illacrymabis funeri huic? Nec mihi pater
Verus fuiſti, nec peperit ea me parens,
Falſo parentem quæ meam ſe dictitat:
Sed ſtirpe ſervili editum in lucem tui
Me admovit uxor uberi furtim ſuo:
Et tu quis eſſes prodidit periculum.
Nam nec patrem te exiſtimo vere meum:
Aut ſi es pavore nemo te mortalium
Superat inerti, qui ſupremo in lumine
Vitæ, ſenecta languidus, nec volueris,
Nec fueris auſus emori pro filio.
Sed has mulierem hanc exteram in ſe ſumere
Partes tuliſtis, quam genitricem & patrem
Solam vocare jure poſſum æquiſſimo.
At te facinoris tam decori gloria
Ingens manebat, filium ſuperſtitem
Si morte genitor liberaviſſes tua,
Quum poſſet ævi reliquus haud longus tibi
Reſtare curſus. Quod ſupererat temporis,
Mecum iſta vivo viva conſeneſceret,
Tædis nec orbus macerarer luctibus.
At tu, beata vita quicquid parturit
Fructus, tuliſti: ſceptra qui florentibus
Tenueris annis, meque regni filium
Hæredem habueris, orbus ut ne liberis
Vacuam alienis diſſipandam linqueres
Domum. Nec illud dixeris, te a filio
Prodi, ſenectam quod tuam contemſerit,
Ut qui reveritus ſemper unus maxime
Te ſim. Rependis gratiam hanc contra mihi
Cum matre genitor: ſed nec alios liberos
Dehinc gignere potes, qui ſenectutem tuam
Alant & ornent. Neque enim humabere hac manu.
Etenim quod ad te pertinet, ſum mortuus
Jamdudum. At alium ſi ſalutis vindicem
Sum nactus, atque intueor ejus munere
Hoc lumen almum, me illius natum puto,
Viceſque ſenii huic educandi debeo.
VANE profecto poſtulant ſenes mori,
Et de ſenecta longiore expoſtulant:
Si mors propinquet, nemo jam cupit mori,

Digitized by Google

Nemo ſenectam queritur amplius gravem.
CH. Abſque his malorum jam ſat eſt. Quieſcite:
Nec tu paternam, nate, bilem exaſpera.
PH. O nate, probris quem laceſſis arrogans?
Venaliumne de grege, aut Lydum, aut Phryga,
An Theſſalum me Theſſalo neſcis patre,
Planeque ſtirpe generis ingenui ſatum?
Nimis inſolenter contumelioſus es:
Et verba juvenis in patrem petulantia
Jactas. At iſthic haud procax gratis eris.
Dominus familiæ te edidi ut fores meæ:
Deinde educavi, non prior ut exſtinguerer.
Nec hanc habemus traditam a majoribus
Legem, ut parentes morte ſervent liberos:
Nec Grajus hic mos. Sive felix, ſeu miſer,
Tibi natus uni es. Cuncta ego officia patris
Tibi cumulate præſtiti: late imperas
Populis; & agri fuſa late jugera,
Quæ mihi reliquit genitor, hæc linquam tibi.
Qua fraudo te in re? quamve facio injuriam?
Ne morere pro alio, nec ego pro te. Cernere
Tibi dulce lucem eſt, dulce patri itidem puta.
Nam reputo mecum, quot manendum ſecula
Sit inter umbras; quam brevibus anguſtiis
Sint clauſa vitæ ſpatia, ſed blandula tamen.
At tu recuſas impudenter emori,
Ultraque fato deſtinatum terminum
Uxore cæſa vivis: ac redarguis
Dein me pavoris, fœmina, timidiſſime,
Inferior ipſe, quæ tuam juvenis vicem
Formoſe functa periit. At enim callide
Rationem iniſti, qua perenne viveres,
Si ut quamque nactus conjugem ſis, ne mori
Pro te recuſet, [1] perſuadere poteris.
Dein ipſe timidus impetis conviciis,
Qui facere renuant hæc, amicos: heus tace,
Tecumque reputa, vita ceu dulcis tibi eſt,
Dulcem eſſe cunctis. Si ingeras opprobria,
Haud falſa rurſum, & plura forſan audies.
CH. Jam fit malorum ſuperiorum acceſſio:
Senex, omitte exaſperare filium.
AD. Ceu me loquuto cuncta prome: veritas

Si

1 *Perſuadere poteris*] Recentiores libri & Steph. *potueris*: vix ferente metro.

Si audita te urit, abſtinendum injuria.
PH. Pro te fuiſſet gravius erratum mori.
AD. Nil ergo refert juvenis obeat an ſenex?
PH. Una anima oportet, non duabus vivere.
AD. Quin vive, ſecla donec anteeas Jovis.
PH. Sic immerentes hem parentes devoves?
AD. Te nempe vitæ longioris amor tenet.
PH. At pro te, opinor, hoc cadaver efferunt.
AD. Quod te pavoris arguit, timidiſſime.
PH. Pro me periſſe hanc haud, opinor, dixeris.
AD. Utinam aliquando tibi opus opera ſit mea.
PH. Sæpe eſto conjux, efferas ut plurimas.
AD. Tibi hoc pudendum, qui recuſaris mori.
PH. Suave lumen hoc, ſuave cernere.
AD. Ignavus animi es, nec viri quicquam tenes.
PH. Non funus effers lætus ac ridens ſenis.
AD. Utcunque moriere, moriere inglorius.
PH. Audire male poſt fata non curæ eſt mihi.
AD. Ohe, ſenectus plena ut impudentiæ eſt!
PH. Haud impudens hæc, illa ſed ſtolida fuit.
AD. Abi, atque humare me cadaver hoc ſine.
PH. Abeo: ipſe humabis, quippe qui ipſe occideris.
At tu propinquis conjugis pœnas dabis.
Poſthac Acaſtum nemo cenſebit virum,
Germanæ inultam ſi ferat tacitus necem.
AD. Nunc apage tuque & uxor orbi liberum
Vivente nato: digni ut eſtis, carpite
Miſeram ſenectam, nec eadem mecum domus
Vos capiet. Ite. Patrium præconio
Siquidem liceret tibi larem interdicere,
Nihil moratus hunc tibi interdicerem.
At nos (ferendum quippe præſens eſt malum)
Eamus ignem mortuæ ſupponere.
CHO. Fortibus, o miſerabilis, auſis
O generoſa, atque optima longe,
Salve! Sit tibi bonus ac placidus
Atlantiades, Plutoque facilis
Te ſuſcipiat. [1] Si qua bonorum
Illic præmia, cum Perſephone
Vitæ fructus carpe bene actæ.

SER.

1 *Si qua bonorum Illic præmia*] Elzev. 1628 & 1676, Werſt. Lond. *bonarum*. Iiſdem etiam ut & Vaſcoſ. Steph. Baſil. Commel. Sanctandr. pro *illic illinc* legitur: utrumque male: lectionem enim noſtram adſtruit ipſe Euripides,

—— εἰ δέ τι κἀκεῖ
πλέον ἔστ' ἀγαθοῖς ——

SER. Pleroſque memini plurimarum gentium
Domoque & epulis hic ab Admeto hoſpites
Olim receptos: hoſpite iſto at nequior
Se in hos penates nullus unquam contulit.
Funeſta primum tecta non exhorruit
Intrare, luctu ſqualidum cernens herum.
Dein fortuitos apparatus inſolens
Non conſulebat, clade perſpecta, boni.
Si quid deeſſet, immodeſte clamitans,
Id flagitabat. Cymbium & manibus capax
Tollens, meraco ingurgitat ſe ſanguine
Nigræ parentis, uſque dum affuſa undique
Calfecit artus flamma, vino exæſtuans.
Deinde impeditus fronde myrtea comam,
Agreſte latrat: diſſonos licet ſonos
Audire pariter. Ille ſecurus animi
In clade noſtra cantitat: nos autem heram
Lacrymis profuſis flemus optimam: haud tamen
Spectante, fletu commadeſcimus, hoſpite,
Quando ita voluntas fert herilis. Interim
Ego peregrinum hunc excipio dapibus domi,
Furem ſceleſtum & impium ſicarium.
Effertur illa, funeri nec prodii
Comes, manuve nuda planxi pectora,
Dominamve luxi, quæ parens fuerat mihi
Serviſque cunctis, quæ mariti mollibus
Frangebat iras vocibus, mille & malis
Nos eruebat. Itaque jure hunc odero,
Qui tecta ſubiit in calamitate, hoſpitem.
HER. Heus tu, ſeverum cur tuere ac tetricum?
HAUD eſſe torvo erga hoſpites vultu decet
Servum, ſed animo excipere læto comiter.
Tu domino amicum ſuſcipis ſupercilî
Severitate triſti & ore turbido,
Intentus animum cladis in luctum exteræ.
Accede propius huc, uti ſapientior
Reddare. Noſti lege qua mortalia
Natura genuit? haud opinor: unde enim
Id noſſe poſſes ſervus? at de me accipe:
MORI neceſſe eſt omnibus mortalibus:
Nec ullus hominum novit an ſit craſtinæ
Viſurus ortum lucis: etenim lubrica
Fortuna cæcas temperat rerum vices,
Quæ nec doceri aut arte comprendi queant.
Hæc doctus ex me, genium age exhilara: bibe.

Quod-

Quodcunque vitæ ſinguli afferunt dies,
Id crede noſtrum; ſortis eſſe cætera.
Præterea hominibus cœlitum ſuaviſſimam
Longe Dionem cole: benigna etenim Dea eſt.
Hæc alia omitte, & mihi monenti obtempera:
Siquidem videntur vera quæ tibi conſulo.
Atque adeo, opinor, exſolutus his malis,
Comamque vinctus flore nobiſcum bibes
Iſtius inanis liber ægritudinis.
Nec dubito quin ſi proluat ſemel ſcyphus
Inverſus hic te, ex vultuoſo & tetrico
Effinget alium. Quando mortales ſumus,
Ex uſu opinor ſapere nos mortalia.
Nam tetricorum & triſtium ærumna potius
Quam vita, vita me putanda eſt judice.
SER. Hæc ſcimus. Atqui familiæ præſens ſtatus
Nihil habet aptum riſui & conviviis.
H. Mulieris obitum ne exteræ ſupra modum
Defle: familiæ quando ſalvi ſunt heri.
S. Salvi? fugit te quanta clades nos premit?
H. Niſi forte dominus me fefellerit tuus.
S. Nimis ille, nimis eſt hoſpitalis omnibus.
H. Minime: nec ad eum funus externum attinet.
S. Nimis hoc profecto familiare funus eſt
H. Fors me malorum quippiam celaverit.
S. Perge eſſe lætus: [1] nos heri tangant mala.
H. [2] Hic ſermo luctus exteræ haud exordium eſt.
S. Nec tibi epulanti mœſtitudinem afferam.
H. Injuriam tuli haud ferendam ab hoſpite.
S. Alieno adiſti hanc, hoſpes, aulam in tempore.
Nam luctuoſa cuncta cernis, raſile
Caput & amictum lugubrem. *H.* Num liberûm
Deceſſit aliquis, an gravis ſenio pater?
S. Exſtincta conjux, hoſpes, Admeti occidit.
H. Quid ais? deinde me recepit hoſpitem?
S. Suis pudebat te repellere ab ædibus.
H. O quali es orbus, o miſerrime conjuge!
S. Quæ clade eadem pariter omnes perdidit.

H.

1 *Nos heri tangant mala*] Forte *tangunt.* Euripid.
—ἡμῖν δὲ δεσποτῶν μέλει κακά.

2 *Hic ſermo luctus exteræ haud exordium eſt*] *Luctus exteræ*, i. e. *luctus ob exteram fœminam*, dura videtur locutio: forte *exteri* Buchananus ſcripſerit: id enim ad Euripidis ſententiam propius videtur accedere,
Οὐδ' ὁ θυραίων πημάτων ἄρχει λόγος.

H. Quin ſentiebam id uda cernens lumina,
Triſtemque vultum, raſilemque verticem.
Tamen externum illi funus eſſe credidi:
Ac vi coactus hanc ſubivi januam:
Atque in ſtatu iſto turbido rerum bibi,
Et hoſpitalis hominis aſſedi in domo
Conviva demens flore vinctus tempora.
Sed culpa, qui non indicaveris, tua eſt,
Ærumna tanta quum familiæ incumberet:
Sed ubinam humatur? qua profectus reperiam?
S. Lariſſæ ad alta nobilis qua mœnia
Recta itur, urbis ante portam protinus
Tumulum videbis artifice factum manu.
H. O anime, corque exercitum moleſtiis,
Oſtende qualem Electryonis filia
Alcmena ſobolem procrearit te Jovi!
Subtrahere fato fœminam exſtinctam eſt opus,
Suoſque rurſus ad penates ducere
Alceſtin, Admeto ut rependam gratiam.
Ibo, & nigrantis ſqualido ferrugine
Stolæ tyrannno manium inſidias dabo.
Atque illum, opinor, deprehendam ad aggerem
Tumuli bibentem victimarum ſanguinem.
Quod ſi e latebris clanculum irruens eum
Prendam, & lacertis ſtrinxero circundatis,
Utcunque latera verſet, eripiet mihi
Hunc nemo, donec conjugem Admeti auferam.
Sin aucupantem hæc præda me fefellerit,
Nec ad cruoris adſit hauſtus, inferum
Reges adibo & regna Solis neſcia,
Poſcamque, nec non impetraturum reor,
Alceſtin, ut eam conjugi tradam in manum,
Qui me recepit hoſpitem, nec reppulit,
Quamvis acerbo ſauciatus vulnere,
Animo, ſed alto id me reveritus abdidit.
Quis Theſſalum eſt in hoſpites benignior,
Grajumve? certe ſordido non dixerit,
Generoſus animi quum ſit, beneficium datum.
AD. Heu mœſtum aditum, triſtem aſpectum.
Vidui tecti. Quo feror? ubi ſum?
Quid loquar? aut quid taceam?
Qui peream? O me miſero fato
Genitum! functus morte beatos
Duco, his gratulor, hos amo, cum illis
Degere dehinc libet: haud libet auras

Ce-

Cernere ſuperas, haud juvat almæ
Dehinc veſtigia figere terræ.
Obſide tali deſpoliatum
Mors me ſævo pignerat Orco.
CHO. Subi, ſubi tenebras
Tecti: ſubi: tuliſti
Digna lacrymis: tuliſti
Calamitatem lugubrem.
Conditos nil lacrymæ
Conjugis manes juvant.
AD. Hoc, hoc, verbo vulnera renovas.
QUÆ magis [1] homini eſt aſpra calamitas
Quam ſpoliari conjuge fida?
Utinam tædæ thalamique exſors
Socia haud ulli tecta habitasſem.
Lectos vacuos conjuge, & orbam
Sobolis vitam duco beatam.
Unam in vitam impendere curas.
Eſt moderati ſarcina luctus:
At languentia pignora morbo, &
Deformati funere thalami,
Intolerandi eſt cumulus luctus:
Præſertim, quum conjugis orbam &
Sobolis liceat ducere vitam.
CHO. Sors, ſors ineluctabilis
Premit, nec ullus lacrymis
Modus eſt. Acerba fers, tamen
Perfer: etenim nec conjuge
Tu primus orbus es: alios
Mortalium calamitas
Dolore ſævo conficit.

AD. Longi o luctus, o amicorum
Deſideria luce carentum!
Cur vetuiſti me præcipitem
Triſte ſepulchri mittere in antrum,
Et cum conjuge fida pariter
Tumuli unius mole recondi?
Accepiſſet geminas pro una
Animas Pluto, tranſque fretaſſent
Duo fidiſſima pectora pariter
Stygias undas.
CHO. Mihi vir quidam ſanguine junctus
Puerum amiſit lacrymis dignum,
Solam generis ſpem, moderate
Tamen ærumnam hanc pertulit, etſi
Orbus ſobolis vertice cano
Et præcipiti languidus ævo.
AD. O mutati facies tecti!
Quinam ingrediar, quinam habitabo
Verſis fatis? hei mihi! quantum
Diſtat ab illa domus hæc, olim
Quam Peliacæ lumine tædæ,
Et feſtis ululatam hymenæis
Ingrediebar dexteræ inhærens
Caræ conjugis, ac multiſono
Convivarum ſtrepitu a tergo,
Qui beatos dicerent
Meque & illam mortuam:
Quippe utroſque nobiles,
Et utrinque ex optimis
Editos majoribus
Conjugali vinculo
Copulatos. At modo
Nuptialis carminis

Luctus

1 *Homini eſt aſpra*] Recentiores omnes (præter Edimb. 1677) *hominis*; quod ægre ſenſus, Anapæſticorum leges multo minus patiuntur.

Luctus occupat locum:
Proque candidis peplis
Pulla veſtis ad toros
Me reducit cœlibes.
CHO. Mali inexperto tibi fortunæ
Dolor hic curſum rupit amicæ.
At ſervaſti vitam animamque:
Mortua conjux liquit amantem.
Quæ nova mentem turbat imago?
Multos conjuge mors orbavit,
Solvens ſocii fœdera lecti.
AD. Etſi aliter aliis viſum, amici, conjugis
Feliciorem duco quam ſortem meam:
Erepta namque plurimis moleſtiis,
Cum laude ſumma: triſte nil dehinc ſentiet.
At ego, periſſe quem fuerat æquum, meo
Fato ſuperſtes vitam agam illætabilem:
Quod adeo jam nunc ſentio. Nam qui domum
Subire potero hanc? quem alloquar? cujus fruar
Sermone? mentem quo domi oblectem? gradum
Quo vertam? ubique ſolitudo in ædibus
Mœrore mentem conficit, quum conjugis
Vacuum cubile cerno, quum vacuam throni
Sedem relictam, & ſqualidum ſitu ſolum.
Circaque genua procidentes liberi
Deflent, parentem lacrymantes: ſervi hera
Seſe queruntur deſtitutos optima.
Atque is domi rerum eſt ſtatus mihi: at foris
Me Theſſalorum nuptiæ, me fœminis
Cœtus frequentes enecabunt, different
Dolore miſerum uxoris æquales meæ:
Quas quo intuebor ore? Tum ſi quis male
Animatus in me eſt, ſolvet ora talibus:
En quem cupido fœda vitæ detinet,
Metuſque mortis, qui redemit conjugis
Se morte ab Orco ignavus: ac vir poſtea
Sibi videtur. Tum parentes proprios
Infenſus odit, ipſe non auſus mori.
Hic rumor inter improbos me differet.
[1] Ecquam ergo vita mihi voluptatem feret,
Quem fama lacerat, & calamit obruit?
CHO. EGO ignota proſano
Per compendia vulgo
Muſarum comes ivi:
Et ſermonibus ʼnrem

Doctis

[1] *Ecquam e. v. m. voluptatem feret*] Vetuſtiores editi, excepto Steph *Ecquem* At quamvis apud Comicos *quis* pronomen ejuſque nonnulla compoſita fœminina reperiantur, mihi tamen eos hic imitar voluiſſe Buchananum neutiquam, fit ver.ſimile.

Doctis applicui meam
Non raro. At [1] remedî genus
Nondum ullum reperi, cui
Cedat dura neceſſitas.
Hanc contra medicamina
Docti nec dedit Orphei
Threſſis in tabulis manus:
Nec cum Aſclepiadis pater
Phœbus pharmaca proderet,
Ut mortalibus ægris
Morbo membra levarent,
Hanc adverſus opem tulit.
Solas hujus ad aras
Non eſt ire Deæ, neque
Ad ſimulacra: nec ulla
Eſt placabilis hoſtia.
O diva, o, violentior
Ad me ne ſolito veni!
Nam tu conſiliis comes
Quicquid Juppiter annuit,
Certum ducis ad exitum:
Tu dextra facili domas
Duri robora ferri;
Nec faſtum tibi mentis
Infrenem cohibet pudor.
Et dextræ infragili ſuæ
Vinclo te implicuit Dea.
Perfer: nam neque fato
Functos æthereas trahes
Flendo rurſus ad auras.
Mors etiam notha pignora
Divum falce metit ſua.
Dum nobiſcum erat omnibus
Cara, & mortua cara erit.
Tu lecti tibi comparem
Supra omnes generoſam es
Sortitus. Neque conjugis
Buſtum ullus numeret tuæ
Inter funereas ſpecus,
Aggere quæ tumuli premunt
Vita functa cadavera:
Divinis ſed honoribus
Æquet relligio hoſpitum
Manes. Atque aliquis via
Flectens dixerit olim:
Hæc moriendo viri ſui
Vitam ſponte redemit:
Nunc auget numerum Deûm.
Salve o ſancta: ope ſoſpita
Nos præſens. Ita votis
Illam atque [2] ominibus bonis
Longum poſteritas colet.
Sed viſa fallunt me, niſi Alcmena fatus,
Admete, ad ædes dirigit greſſum tuas.

HER. Admete, amicos libere eloqui decet,
Nec in receſſu pectoris ſilentio
Abdere quod ægre eſt: amici haberes me ut loco,
Dignus videbar, clade quum in tua afforem:
At tu propinquo conjugis jam funere
Non indicato, me recepiſti hoſpitem,
Ceu cura premeret te doloris exteri.
At ego coronis tempora evinctus, Deis
Libavi apud te in lugubri lætus domo.
Iraſcor equidem, iraſcor hac injuria
Affectus abs te; ſed tuis jam luctibus

Acer-

1 *Remedî*] Ita legendum, non (quod omnes libri habent) *remedii*, carminis ratio requirit.

2 *Ominibus bonis*] Perperam libris omnibus (præter Vaſcoſ. & Steph.) *omnibus* ſcriptum eſt. Vide quæ nos ſupra ad Baptiſt. p. 252. NUNC. v. 1345.

Acerbitatis nolo quicquam apponere.
Cauſſamque, cur huc ſum reverſus, denuo
Narrabo: mulierem interim hanc ſerva mihi,
Dum rege cæſo Biſtonum huc redux agam
Thraces quadrijugos. Sin, quod abſit, accidat,
(Nam me ut reducant ſoſpitem precor Deos)
Hanc dono dicoque familiæ ancillam tuæ,
Quæ parta nobis eſt labore maximo.
Propoſita namque publico in certamine
Sudore digna deprehendi præmia,
Unde hanc reporto victor: e certamine
Leviore munus erant equi victoribus:
Majora ſed qui vicerant, ut cæſtibus
Luctave fortes, dona referebant boum
Armenta: poſt hæc ultimo fœmina loco.
Quumque incidiſſem forte, turpe ſum ratus
Cum laude pariter præmium contemnere.
Sed (ut ante dixi) fœminam curæ tuæ
Commendo, quam non prædo per vim ſuſtuli,
Sed comparatam maximis laboribus
Adduco: fors factum ipſe poſt laudaveris.

AD. Quod clam te habuerim calamitatem conjugis,
Ne interpretere contumeliæ, Hercules,
Id ergo factum, [x] aut quod ſiniſtre ſentiam
De te. Dolori ſed dolorem adjeceras,
Alterius ædes ſi ſubiſſes hoſpitis:
Nam flere clades ſat mihi fuerat meas.
Sed hanc puellam, ſi pote, obſecro jube
Aſſervet alius Theſſalum, quem non pari
Sors calamitate perculit, multi hoſpites
Tibi ſunt Pheræi. Memoriam cladis meæ
Renovare omitte: non potero ſiccis domi
Oculis tueri hanc: vulneri vulnus novum
Ne appone: ſatis eſt cladium, quod nunc premit.
Qua parte poterit ædium ſervarier
Caſte puella? veſtis adoleſcentulam
Cultuſque loquitur: an virum in commercio?
Qui poterit inter aſſiduo juvenes agens
Caſtam tueri ſe? nec in promtu, Hercules,
Regere juventam eſt: ac mihi cura eſt tui.
Functæne fato conjugis thalamo hanc alam?
Et qui in cubili collocabo hanc illius?

Offen-

[x] *Aut quod*] Recentiores, *haud quod*: male.

Offenſionem hic metuo duplicem: & civium
Ne criminetur quiſpiam me, & optime
De me merentis proditorem conjugis
Dicat puellæ alterius amplexu frui:
Sponſamque vereor mortuam, cujus mihi
Eſſe ſacroſanctam memoriam merito decet.
Me multa circumſpicere par. O fœmina,
Quæcunque tandem es, es profecto Alceſtidi
Modo & ſtatura corporis ſimillima.
Me miſerum! ab oculis per Deos procul meis
Apage mulierem hanc, neve perdas perditum:
Namque intueri conjugem videor meam,
Quum intueor iſtam, pectus horror obſidet:
Fontes ab oculis lacrymarum profluunt:
Nunc calamitatis hujus, heu miſer, miſer,
Acerbitatem luctuoſam ſentio.
CHO. LAUDARE ſortem non equidem poſſum tuam:
Tamen ferendum, quiſquis es, quod dant Dei.
HER. Si mihi poteſtas eſſet hæc divinitus
Conceſſa, ab umbris conjugem ut reducerem,
Eamque poſſem tibi referre gratiam.
AD. Scio referres promtus: at cuinam hoc datum?
Nec luce caſſis luce poſt frui licet.
HE. Perfer modeſte, neve te afflictes nimis.
AD. Lenire verbis facile, quod durum eſt pati.
HE. Quid promovebis, perpetim ſi lugeas?
AD. Scio: dolendi ſed voluptas me huc rapit.
HE. Exſtinctam amare, lacrymandi occaſio eſt.
AD. Etiam miſerius quam loquor me perdidit.
HE. Uxore es orbus optima: quis id neget?
AD. Nullo ut fruatur pectus hoc poſt gaudio.
HE. Tempus levabit, quod recens nunc eſt, malum.
A. Tempus profecto, ſi mori tempus vocas.
H. Te mitigabit uxor, ac tædæ novæ.
A. Au, quid ais? ex te haud iſtud exſpectaveram.
H. Expers jugalis exiges vitam tori?
A. Nulla accubabit mulier unquam huic pectori.
H. Prodeſſe reris poſſe te ſic mortuæ?
A. Ubi ubi ſit, illam honore ſemper proſequar.
H. Hæc laudo ſane, laudo: ſed ſtulte facis.
A. Sponſum nec ulla me vocabit fœmina.
H. Quin conjugem erga laudo nimirum fidem.
A. Si negligam etiam mortuam, peream male.
H. Nunc recipe tecto hanc ſtirpe nobili ſatam.

A. Per qui creavit te Jovem iſtud deprecor.
H. Hoc ſi recuſas, perperam tibi conſulis.
A. Hoc ni recuſo, macerabor luctibus.
H. Obſequere, & hujus non pigebit gratiæ.
A. Utinam haud tuliſſes præmium hoc certaminis.
H. Et mecum es hujus particeps victoriæ.
A. Probe es loquutus, ſed recedat fœmina.
H. Siquidem eſt neceſſe: at num neceſſe ſit, vide.
A. Neceſſe: niſi ob id forte tu ſuccenſeas.
H. Non temere id a te tantopere contenderem.
A. Age, vince: quamvis grata minime poſtules.
H. Factum probabis poſtea: pare modo.
A. Siquidem hanc ſubire tecta oportet, ducite.
H. Servis mulierem hanc neutiquam commiſero.
A. Quin ipſe in ædes ducito illam, ſi lubet.
H. Tibi profecto mulierem tradam in manum.
A. Ego haud tetigero, tecta ſubeunti patent.
H. Tuæ ſtat uni dexteræ hanc concredere.
A. Coactus iſtud atque nolens perpetro.
H. Protende promtus dexteram, tange hoſpitam.
A. Protendo, veluti Gorgonis ſectum ad caput.
H. Teneſne? *A.* Sane teneo.
H. Serva jam, & Jove
Natum fatebere generoſum olim hoſpitem.
Ipſam intuere, ſimilis uxori an tuæ
Sit, ac beatus luctuum jam deſine.
A. O Dii boni, o miraculum inopinum ac novum!
Oculis profecto conjugem intueor meam:
Aut me Deorum quiſpiam ludibrio
Recreat, inani corda lactans gaudio.
H. Non ita: ſed ipſam conjugem cernis tuam.
A. Ne larva ab umbris miſſa ſit, circumſpice.
H. Cave eſſe credas hoſpitem tuum magum.
A. Sed quam ſepelii, conjugem intueor meam?
H. Sic. At fidem tu, & jure, ſorti non habes.
A. Tango alloquorque conjugem ut vivam meam?
H. Alloquere: votis quicquid optabas, habes.
A. O corpus, ocule o conjugis cariſſimæ!
Spem præter habeo te, videre poſtea
Quam non putaram poſſe me! *H.* Ne dubita: habes,
Modo ne Deorum quiſpiam invideat tibi.
A. O clara ſoboles maximi Jovis: utinam
Beatus ævum tranſigas, ac ſoſpitem
Te ſervet idem, qui creavit, Juppiter.
Nam me jacentem ſolus erexti E Styge

Quo-

Quonam reduxti ad lumen hanc rurſus modo?
H. Depræliatus cum tyranno manium.
A. Ubi nactus illum prælio congreſſus es?
H. Propter ſepulchri dexteram injeci aggerem.
A. Quid muta tandem perſeverat fœmina?
H. Nondum tibi fas ejus alloquio frui,
Diis antequam ſeſe expiarit manibus,
Terriſque lucem tertia [1] oſtendat dies.
Duc conjugem intro jam tuam, ac in poſterum,
Admete, juſti cultor atque in hoſpites
Pius eſſe perſta. Vale. Ego Stheneli filio
Abeo imperatum mihi laborem ut exſequar.
A. Mane, ac penates & dapes adi ſacras.
H. Id fiet alias: nunc celeritate eſt opus.
A. Dii rem ſecundent, teque reddant ſoſpitem.
Edico cunctis civibus regni mei,
Ob res ſecundas ut choris indulgeant,
Et victimarum ſanguine aras imbuant.
Mutata vitæ in melius eſt facies modo.
Felicitatem nec tego ingratus meam.
CHO. Fortuna vices lubrica verſat
Varias docilis ſumere formas.
Inopina Dei plurima peragunt:
Non ſuccedunt quæ fore ſperas:
Quæ fore nemo poſſe putaret,
Sæpe expediunt numina. Qualem
Hæc ſortita eſt fabula finem.

1 *Oſtendat*] Vetuſtiores, *oſtendet.*

FINIS.

SATYRA

IN

CAROLUM LOTHARINGUM CARDINALEM,

Auctore GEORGIO BUCHANANO *Scoto.*

ESSE Deum tandem, qui juſtis temperet orbem
Legibus, oppreſſos [1] vi qui reſpectet egenos,
Et premat elatos, pœna didicere magiſtra
Guiſiadæ: numeroſa cohors, quæ brachia cœlo
Intentare auſa eſt, pietatem expellere mundo
Conata eſt, ſcelerique ſuas permittere habenas:
Ad paucos contracta fugam, latebraſque ſaluti
Reſpicit, & damnat ſumta infeliciter arma:
Proque tot inſana [2] quos credulitate triumphis
[3] Sperarat, numerat clades. Hunc dira phreneſis
Abſtulit, hunc mœror; fugiendo dimicat ille,
Et viciſſe putat, ſi viſum [4] evaſerit hoſtem.
At columen generis, Magni de ſemine Carli
Ementitus avos, dulci qui plaudere ſomno
Ipſe ſibi aſſuetus, voto complexus inani eſt
Imperii ingentes incerto limite fines,
Qui titulo Solymos, titulo Trinacria rura,
Spe Gallos, ſpe Germanos, ſpe [5] vate Britannos

Spon-

1 *Vi*] Ita Editio Iſraëlis Taurini 1590, & D. Roberti Sibbaldi 1702, qui tamen in ſuis in hanc Satyram Notis in quodam Exemplari MS. pro *vi*, & ſe legiſſe teſtatur.

2 *Quos*] Iſr. Taurinus, *quot*.

3 *Sperarat*] Iſ. Taurini Editio anni 1590, *ſperabat*.

4 *Evaſerit*] Taurinus *effugerit*.

5 *Vate*] Ita Taurinus, at D. R. Sibbaldi Editio, *vale*, repugnante prioris ſyllabæ menſura.

Digitized by Google

Spondebat, jacuit violatæ victima paci,
Et ſcelere infectas, Poltroto vindice, terras
Deſeruit moriens, & ſpes finivit avaras.
At tu, qui nullo fortunæ vulnere reſtas
Læſus adhuc, cum germano impietate gemello,
Carole, Romanique decus columenque ſenatus,
Ne tibi conceſſum fortunæ crede faventis
Munere, quod juſta nondum ſecuere ſecuri
Carnifices [1], tibi colla manus: te ſervat in orbis
Ludibrium Nemeſis, pœna & graviore coërcet,
Quam ſi producto tetra de carceris umbra
Funderet inviſum, populo plaudente, cruorem,
Aut coqueret lentæ corpus fervore favillæ,
Exemplo prædocta tuo. Mors terminus ævi eſt
Omnibus ex æquo, nec pœna, ſed exitus hinc ad
Vitam aliam, ſolis nec tantum optabile juſtis
Perfugium, ſed forte tibi. Nam Tartara quamvis
Incoleres, quamvis media ſitientis in unda
Aſpiceres [2] pœnam Phrygii ſenis, & ſua ſemper
Excreſcens in damna jecur, revolubile ſaxum,
Et quicquid [3] ſceleri invenit ſolertia vatum;
Supplicio leviore tamen ſub verbere ſævæ
Te quaterent Furiæ, quam te nunc conſcius horror
Exagitat veſani animi, cæciſque recurrens
Exercet ſtimulis. Oculos circumfer, & omnem
Aſpecta intentus qua ſeſe exporrigit orbem,
Quæ regio non te ſcelerum, veſane, tuorum
Admoneat? quæ terra tuæ veſtigia neſcit
Perfidiæ? Primum marcentia lumina Alaſtor
Attolle in cœlum, & quem quondam mente negabas,
Ore fatebaris, [4] damnis intelligis eſſe,
Crede Deum tandem: quem tu niſi mente negaſſes,
Non meritis patrem, patruum tibi ſanguine cunctis
Exutum ſpoliis, extremo in [5] limite vitæ
Feſtinare coëgiſſes, paucoſque ſenectæ
Præcipitare dies: non poſt inceſtibus aulam
Fœdatam, in thalamos ſcelerata libido propinquos

Irrue-

1 *Carnifices*] Ita Taur. Sic Silius Ital. lib. I. v. 173. *Carnifices manus*, Martial. lib. 12. Epig. 48. *Carnifices pedes*, & ipſe Buchan. paullo poſt, *Carnifices oculos:* at Editio D. R. Sibbaldi, *Carnificis.*

2 *Pœnam Phrygii ſenis*] Idem, *Phrygii pœnam ſenis*,

3 *Sceleri*] Taur. *ſcelerum.*

4 *Damnis intelligis eſſe, Crede Deum tandem*] Taurinus ſic diſtinguit,
—— *damnis intelligis, eſſe*
Crede Deum tandem ——

5 *Limite*] Taur. *limine.*

Irrueret, [1] pacem turbaret, fraude, venenis.
Pollueret belli leges, perjuria magnam
Crederet eſſe artem, magnum mendacia quæſtum.
Hæc tibi perpetuo cùm conſcia pectora turbent,
Nec poſſis, utcunque velis, humana tuentem
Diſſimulare Deum, nec, quem contemnis, amare,
Nec fugere, aut ſcelerum non formidare tuorum
Supplicium; non [2] tu, quoties micat ignibus æther,
Atque atras ſcindunt rutilantia fulgura nubes,
In te miſſa putes cœleſtia tela neceſſe eſt,
Et conjurato flammas deſcendere mundo?
Aut tibi ſi ſenſus animi ſtupor obruit omnes,
Conſcius ut ſcelerum tibi non moveare tumultu
Orbis. & attonitam tibi qui fragor excitat aurem
Saxea non pulſet trepido præcordia motu,
Aſpice vexatas, qua Gallia panditur, urbes,
Aut flammis fœdata aut deformata ruinis
Oppida, disjectis tot rura inculta colonis;
Aſpice tot viduas, pueroſque parentibus orbos,
Sedibus ejectæ tot mendicabula plebis,
Inter fumantes villas, taboque natantes
Sanguinis innocui campos, inhumataque paſſim
Oſſa virûm, [3] laceros artus, deformiaque ora,
Perfidiæ monumenta tuæ, convivia corvis
Expoſita, & canibus cœnam, te dante, cruentam.
Hæc tibi, quantumvis animum firmaris atrocem,
Terrificant oculos ſpectacula: nam neque credam,
Nec natura ſinit, quæ fœdis lumina ſcortis
Succumbunt, quæ flexanimo viſcantur ab auro,
Purpura quæ capiat, quæ nudi cernere ferri
Fulgorem metuunt, cumulatas cæde nefanda
Ut ſpectent miſeras horrore immunia terras.
Majus enim monſtrum eſt, hominis ſub imagine tectum
Eſſe animal lacrymis luctuque immobile, nullum
Quod ſcelus effugiat, quod legum fœdera temnat,
Quam Scyllas, quam Centauros, quam pignora terræ
Auſa colubriferis pedibus ſuccedere Olympo.
Hunc ego qui gemitu ſpectet ſine funera vulgi,
Pallentemque famem, jus faſque expellere mundo
Qui cupiat, non eſſe hominem, non eſſe putabo.

Quæ-

1 *Pacem turbaret, fraude, venenis*] Taurino ſic interpungitur ſententia, *pacem turbaret fraude, venenis*.

2 *Tu*] Taur. *te*.

3 *Laceros*] Idem. *laceroſque*.

Digitized by Google

Quadrupedum volucrumque genus, vel ſi qua ferarum
Sævitiem exſuperent tumido ſata monſtra profundo:
Sed tectum exuviis hominis crudelius ipſis
Eſſe aliquid Furiis, imo Phlegethonte creatum:
Quippe oculis ſiccis toties quod talia [1] cernat,
Quæ ſævæ poſſent lacrymas excire Megæræ.
Quin etiam laſſant Furias miseranda nocentum
Supplicia, & feſſis quondam ceſſare colubris
[2] Fama eſt Tiſiphonem. At tu ſi [3] cæde cruentum
Non poteris ſatiare animum, tua lumina paſcant
Viventum ſordes, lacrymæ, ſuſpiria, luctus,
Paſſim exſtinctorum laceri crudeliter artus.
Aut ſi carnifices [4] oculos laſſare tuendo
Non poteris, pars ulla tui ne ſit ſcelerum expers,
Semianimes artus & adhuc ſpirantia membra
Ore vora, crepitentque avidis ſub dentibus oſſa:
Atque epulis tandem ſatur immoriare petitis.
Aut explere tibi ſi nulla cadavera poſſunt
Sanguinis ingluviem inſanam, tua dente cruento
Ipſe tibi lania membra, in tua viſcera conde
Viſcera: ſic digno vita potiere ſepulchro,
Exitio factis, dape conveniente palato.
[5] Hac poteris tantum ratione, cadavere corvos,
Funere presbyteros, ſpoliis fraudare ſupremis
Carnifices, ferre ad manes ſolatia raræ
Mortis, apud ſævam vere jactare Megæram,
Quod [6] qui te fieret ne quiſquam nequior alter

Cer-

1 *Cernat*] Editio D. R. Sibbaldi, *cernit*.

2 *Fama eſt Tiſiphonem*] Ita utroque codice ſcriptum: non ſine duplicis vitii ſuſpicione: primum quod nominum in *e* primæ caſum quartum in *em* terminaverit: deinde quod hoc pacto literæ *m* cum ſua vocali, alia ſequente, eliſio negligatur. Regerent forte nonnulli ejuſmodi Accuſativorum in *em* haud pauca apud optimos ſcriptores, & in his Buchananum ipſum, reperiri exempla, fidem faciente Jonſono illuſtri Grammatico Comment. pag. 78. Ecthlipſin autem negligi, vel ob cæſuram, quemadmodum Propertius lib. II. El. 32

Hac eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

vel quod cum voce claudatur oratio; ad exemplum Virgilii vocalem ante vocalem eam ob cauſſam non petimentis, Æneid. I.

Et vera inceſſu patuit Dea. Ille ubi matrem.

Verum cum utrumque a trita ſcribendi norma tam diverſum abeat, duoque hæc incommoda tam levi unius literæ mutatione evitari poſſint, mihi vix dubium eſt quin Buchananus *Tiſiphonen* hic ſcripſerit.

3 *Cæde*] Edit. D. R. Sibbaldi, *corde*.

4 *Oculos laſſare*] Hanc lectionem MS. cujuſdam Exemplaris merito præfert D. Rob. Sibbaldus, quamvis ipſe *oculis ſpectare* ediderit, Taurinus *oculos ſpectare*.

5 *Hac poteris tantum ratione*] Legendum malim, *Hac poteris tandem*.

6 *Qui te*] Taurin. *Quod qui ne fieret quiſquam te nequior alter*.

Certaris, tamen unum inter tot ſæva patraris
Dignum laude nefas, quod te conſumſeris ipſe
Dente tuo: neque enim conſueta piacula tanto
[1] Sufficiunt ſcelerum cumulo, nec more decebat
Humano finire dies, cum viceris omnem
Flagitiis famam, rabiem feritate ferarum,
Et ſpem, [2] qua poſſit, venturo demſeris ævo,
Nequitiam ſuperare tuam, [3] neu fœdior alter
Viveret in terrris qui te demitteret Orco:
Orco, qui tetri jamdudum exercet Averni
Omnia monſtra, tuis qui cuncta ergaſtula pœnis
Invigilare facit, ſcelerum ut portenta novorum
Suppliciis frenare novis queat: ut breve tempus
Si tibi ſit vacuum tormentis, qui modo terras,
Miſcueris tanta cum ſeditione tumultu,
Cogere ne [4] poſſes bella ad civilia manes.
At tu diſſidiis jam pene exſtincta nefandis,
Ni [5] fax diſſidii pereat, dehinc Gallia gaude;
Nam ſimul ac terris, tetrum demiſſus in Orcum,
Carolus abſcedet, Furiarum agitante flagello,
Incolet incultas iterum pax aurea terras.

1 *Sufficiunt*] Exemplar Sibbaldinum *ſufficient.*
2 *Qua poſſit*] Taurinus, *quo.*
3 *Neu*] Idem. *nec.*
4 *Poſſes*] Idem, *poſſis.*
5 *Ni*] Idem. *Si.*

F I N I S.

DE

DE
METRIS BUCHANANÆIS
LIBELLUS.

METRORUM genera, quibus Buchananus uſus eſt, ad duo capita reduci poſſunt, eorum ſcil. quæ in Pſalmorum Paraphraſi occurrunt, atque eorum quæ in aliis ſuis Poëmatis ab ipſo uſurpata inveniuntur.

CAP. I.

De metris in Pſalmorum Paraphraſi a Buchanano uſitatis.

METrorum in Pſalmorum Paraphraſi occurrentium genera ſunt undetriginta.

I. Primum genus eſt monocolon. Verſus ſunt Heroici hexametri, ſex regionibus conſtantes, quarum ſextam Spondæus, quintam[1] Dactylus, quatuor reliquas indiſcriminatim Dactylus aut Spondæus obtinet, hoc modo;

1	2	3	4	5	6
--	-vv	--	--	-vv	--
-vv	--	-vv	-vv		

Eo decies utitur, Pſalmo videl.

1. Felix ille animi, quem non de tramite recto.
18. Te, Deus alme, colam, te toto pectore amabo.
45. Cor micat, exſultant trepidis præcordia fibris.
78. Audite Iſacidæ, & rerum pietate parentem.
85. Non ſemper tumidis fervent vexata procellis.
89. Tu mihi carmen eris, rerum pater optime, ſemper.
104. Te rerum, Deus alme, canam Dominumque parentem.
107. Cantemus Dominumque bonum facilemque parentem.
132. Davidis eſto memor, genitor, memor eſto laborum.
135. Vos quibus eſt ſacri cuſtodia credita templi.

II. Secundum genus, dicolon diſtrophon, ad imitationem Horatii lib. 5. Od. 16.[2] vel potius Prudentii, hymno 9. περὶ ςεφανῶν. Verſus prior eſt hexameter heroicus modo memoratus. Poſterior Iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus, conſtans ſex pedibus, quorum ultimus ſemper eſt Iambus, [ſive Pyrrhichius,] ſecundus & quartus Iambus, & ejus loco haud raro Tribrachys: locis autem imparibus, *i. e.* primo, tertio & quinto, præter Iambum,

1 Non tamen dubitavit noſter, ad exemplum optimi ævi Poëtarum, in quinta regione Spondæum, licet rariſſime, adhibere, veluti Pſalmo 137. *Diripite, ex imis evertite fundamentis.*

2 In illa enim Ode ſecundus quiſque verſus ex puris Iambis conſtat.

[1] Spondæum etiam, Anapæſtum, Dactylum aut Tribrachym recipit; juxta hoc ſchema;

1	2	3	4	5	6
v-	v-	v-	v-	v-	v-
vv-	vvv	-vv	vvv	vv-	vv
--		--		--	
-vv		vvv		-vv	
vvv		vv-		vvv	

Secundi generis Pſalmi ſunt, 16.

2. Quid trepidæ gentes vano fremuere tumultu.
20. Cuncta licet ferro late populetur & igni.
24. Tota quidem Domini terra eſt, & quicquid ubique.
57. Sancte parens, miſerere animæ pereuntis, & omnem.
60. Sancte parens, noſtris vitiis offenſus, abactos.
69. Sancte parens, fer opem laſſo: torrentibus undis.
83. Ne taceas, ne cuncteris, pater optime, neve.
93. Jam Dominus rerum imperium ſuſcepit, amictus.
95. Eia alacres cuncti Domini celebremus honores.
97. Ipſe ſui Dominus regni moderatur habenas.
108. Mens invicta malis, animi vigor integer, orbis.
109. Ne ſileas, ne diſſimula, mea gloria, neve.
118. Eia Deum laudate, Deum facilemque bonumque.
126. Quum pater omnipotens captam remeare Sionem.
136. Eia Deum laudate, Deum facilemque bonumque.
147. Eia Deum laudate, Deo date carmina digna.

III. Tertium genus, dicolon diſtrophon, ad exemplum Horatii lib. 5. Od. 1. Martial lib. 1. Ep. 50. Prudentii ſecunda præfat. Apotheoſeos, Auſon. Epig. 26. Primus quiſque verſus eſt Iambicus ſenarius acatalectus, cujus modo in II. genere meminimus. Secundus vero eſt Iambicus dimeter, ſeu quaternarius, acatalectus, conſtans quatuor pedibus, quorum ultimum conſtituit Iambus [vel Pyrrhichius;] ſecundum Iambus, vel ejus compar Tribrachys; primum & tertium Iambus, Spondæus, Anapæſtus, Dactylus aut Tribrachys. Quanquam Buchananus

1 Iambici perfectiſſimi ſunt, qui nullum alium admittunt pedem præter Iambum, quales ſunt Catulli in carmine 4, & Horatii ſecundi quique verſus Epod. 16. Id vero cum difficillimum Poëtæ experti eſſent, quod vocabula omnia (quæ pene innumera ſunt) in quibus duæ pluresve ſyllabæ aut longæ aut breves continue occurrant, vel ex concurſu conſonantium longæ evadant, hac lege ipſis eſſent interdicta; ut anguſtiis hiſce ſemet exſolverent, in locis imparibus Spondæum ſubſtituerunt: neque hoc contenti, poſtea etiam, ut facilius carmina iſtiuſmodi componerent, vice Iambi & Spondæi eorundem compares, ſive ejuſdem quantitatis pedes, ſurrogarunt, *h. e.* cum ex Grammaticorum placitis, ſyllaba longa duobus temporibus, brevis vero uno tempore conſtet, adeoque una longa duabus brevibus æquipolleat, inde eſt, quod Poëtæ loco Iambi, qui tribus temporibus enunciatur, Tribrachym, qui totidem poſtulat tempora, poſuerint; & pro Spondæo itidem, qui 4 temporibus conſtat, Anapæſtum aut Dactylum, qui 4 etiam temporibus efferuntur, collocarint. Notandum tamen (quamvis par videatur ratio) Trochæum aut Amphibrachym nunquam in carmine Iambico recipi; Proceleuſmaticum vero apud Tragicos pro Spondæo nonnunquam admitti. Sed, ut ad Buchananum redeam, ille Senecam præcipue ſequutus, (ut Spondæum omittam ſæpius locis imparibus quam Iambum adhibitum) hanc fere rationem ſervat, ut ſedes prima & quinta eoſdem plerumque pedes recipiant, hoc eſt, ſæpiſſime

nus nunquam, quod meminerim, tertio loco Tribrachym [1] aut Dactylum uſurpat. Cæterum dimetros quibus ille uſus eſt, hoc modo metiri poſſis;

1	2	3	4
v-	v-	v-	v-
--	vvv	--	vv
vv-		vv-	
vvv			
-vv			

Tertii generis Pſalmi ſunt 28.

3. Heu quanta numero viribuſque factio.
6. Dum fervet ira, Domine, dum mens æſtuar.
10. Quonam uſque cuſtos gentis humanæ tuos.
21. Quod hoſte victo Rex triumphat gaudio.
22. Cur me relinquis, o Deus, Deus meus.
27. Deus in tenebris cum mihi prælucear.
34. Seu læta fors me foverit, ſeu triſtior.
38. Ne me furoris æſtuante incendio.
39. Quum ſævus hoſtis me meo lætus malo.
41. Beatus ille qui miſertus pauperis.
44. Vetuſta ad aures fama noſtras attulit.
48. Rector beate cœlitum; cui nil viget.
53. Opinionum fœda mentem toxico.
61. Mens acquieſcit unice mea in Deo.
74. Cur nos relinquis penitus, o rerum parens.
76. Gentes profanæ numinis loco colunt.
79. Hæreditatem, rector orbis, cur tuam.
87. Abramidarum cæteras urbes ſupra.
92. Te prædicare, laudibus te proſequi.
110. Sic alloquutus Dominus eſt Dominum meum.
112. Beatus ille qui Deum rerum patrem.
115. Te, magne rector orbis, haud victoriam.
120. Hinc me obſidebant bella, & hinc calumniæ.
127. Ni cœpta Dominus juverit, fruſtra ſtruis.
133. Nil caritate mutua fratrum, nihil.
134. Domini miniſtri, nocte qui cuſtodiæ.
139. Momenta vitæ nulla te latent meæ.
141. Aurem vocanti da parens propere, meas.

IV. Quartum genus, dicolon diſtrophon, quale eſt Horar. Carm. lib.

piſſime Anapæſtum, ſæpius tamen prima quam quinta, utraque ſed raro admodum Tribrachym admittant. In ſecundo autem & quarto loco quam ſæpiſſime dominatur Tribrachys, crebrius tamen in ſecundo. In tertio denique loco frequens eſt Dactylus, rarior in primo, rariſſimus in quinto: at nunquam in tertio per totam Pſalmorum Paraphraſin invenio Anapæſtum, quamvis in Tragœdiis interdum ſed rariſſime aſſumatur: ſed de hoc commodius ſequente capite agemus.

1 Idem fere de Senecæ dimetris obſervavit Ant. Delrius, qui Tribrachym raro, Dactylum nunquam, a Seneca tertia ſede poſitum invenerit.

lib. 1. Od. 7. Verſus prior eſt Hexameter heroicus, ut ſupra. Poſterior Alcmanius Dactylicus tetrameter acatalectus, quatuor ultimos habens pedes carminis heroici, hoc modo;

1	2	3	3
--	-vv	-vv	--
-vv	--		

Hujus generis Pſalmi ſunt duo.

4. O pater, o hominum Divumque æterna poteſtas.

111. Sive inter fidos tractem ſecreta ſodales.

V. Quintum genus, dicolon tetraſtrophon, quale eſt Catulli carmen 11. Horat. lib. 1. Od. 2. Statii Silv. 4. carm. 7. Prudentii Cathemerinōn Hymn. 8. &c. Verſus primus, ſecundus & tertius Sapphicus hendecaſyllabus pentameter acatalectus, conſtans Trochæo, [1] Spondæo, Dactylo & duobus Trochæis [vel ultimo Spondæo,] hoc modo;

1	2	3	4	5
-v	--	-vv	-v	-v

Quartus autem quiſque eſt Adonius pentaſyllabus dimeter acatalectus, conſtans Dactylo & Spondæo, ſeu duobus poſtremis carminis heroici pedibus, hoc modo;

1	2
-vv	--

Hoc genere carminis uſus eſt Pſalmis 10.

5. O potens rerum Deus, aure leni.

17. Æquus exaudi, bone rector orbis.

51. O

1 Semel tamen, Pſalmo ſcil. 90. ſtrophe 7. Trochæum admiſit loco ſecundo, in illo verſu,

Mox humi comis jacet areſactus;

quod etſi nuſquam ab Horatio, Statio, Prudentiove ſit factum, licentia tamen Poëtica neutiquam eſt exiſtimanda: vetuſtus enim Sapphicus, teſte Scaligero, Poët. lib. 2. cap. 16. talis fuit: & Alcæus & Sappho eo loco trochæum ſæpe adhibuerunt, ut

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα. &

Παῖ Διὸς δολόπλοκε λίσσομαί σε.

Quos ſequutus eſt etiam Catullus, veluti Car. 11.

Seu Sacas ſagittiferoſque Parthos. &

Pauca nunciate meæ puellæ. & Car. 52.

Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt.

In illo quoque Senecæ verſu Troad. Act. 3. 836. Choræum ſecundam ſedem tenere contendit Scaliger,

An ferax varii lapidis Caryſtos.

duæ namque (ut vult ille) *vocales in unam coaluere*: verum Farnabius (cui potius hac in re aſſentior) *Dactylum hic in ſecundo loco poſitum* affirmat, *qui alibi pluries apud Senecam reperiatur*; veluti

Sumere innumeras ſolitum figuras. &

Quæque ad Heſperias jacet ora metas. &

Si qua Parrhaſia glacialis urſa.

Ut ut ſit, ejuſmodi *Sapphicos ſuaviſſimos eſſe* aſſerit Scaliger, *in quibus Dactylus duobus utrinque Trochæis medius interponitur; eoſque qui eam licentiam vocarunt Grammaticos pauca aut ſuiſſe memoriæ aut lectionis.* Rationem autem cur a Trochæo ſecunda regione data opera Horatius abſtinuerit, hanc reddit Cl. Bentlejus; ad lib. 2. Od. 11. ver. 15. *ut verſus illi tardiores graviteraſque venirent ad aures: nam ſine Spondeo celeres nimium volubileſque & ſine pondere feruntur.* Utcunque ſe habeat hæc res, ſatis ad Buchanani cauſſam tuendam facit, quod antiquiſſimorum Poëtarum, quin & principum hujus carminis auctorum exemplo, Trochæum ſecunda ſede, idque ſemel tantum, & tam longo opere adhibuerit. Id autem hoc præcipue loco ab eo factum videtur, ut lethi mortalibus correptiſſimo gradu imminentis velocitatem deſcribens, ſyllaba correpta in longæ vicem ſubſtituta, cum emphaſi oſtenderet, & quaſi animo repræſentaret. Cæterum, ſi qua culpa eſt ab Horatio deflectere, non ſolus peccavit Buchananus, ſed licentiæ (ſi modo licentia ſit dicenda) ſocios habuit maximos ſui ſeculi Poëtas, Paulum Meliſſum, & Michaëlem Marullum, quem divinum vatem Muretus nominat.

Digitized by Google

51. O ſalus rerum, lacrymis precantum.
55. Cœlitum rector bone, mitis aurem.
65. Te manent laudes, Deus, in Sione.
67. Arbiter mundi facilis bonuſque.
72. Da tuæ Regi, Deus, æquitatis.
90. Cœlitum rector bone, abuſque primis.
101. Te, ſalus rerum, cano, qui precanti.
103. Sit parens rerum mihi carmen, illum.

VI. Sextum genus, tricolon tetraſtrophon, ad exemplum Horatii lib. 1. Od. 9. quibuſdam carmen[1] Horatianum appellatum. Verſus primus & ſecundus eſt Dactylicus Alcaicus acatalectus, conſtans ex penthemimeri Iambica, i. e. Spondæo vel Iambo, (ſed ſæpius[2] Spondæo,) Iambo, & cæſura, ſeu ſyllaba[3] longa, deinde duobus Dactylis [vel ultimo Amphimacro, ſive Cretico,] hoc modo;

1	2		3	4
- -	v -	-	- v v	- v v
v -				- v -

Tertius eſt Iambicus Archilochius dimeter hypercatalectus: pes primus & tertius Spondæus, & nonnunquam Iambus; primus quidem rarius[4], tertius vero rariſſime,[5] ſecundus & quartus ſemper Iambus, cum ſyllaba in fine reſidua, hoc modo;

1	2	3	4	
- -	v -	- -	v -	-
v -		v -		v

Quartus eſt Dactylicus Alcaicus, vel, ut alii nominant, Pindaricus, in quo duos Dactylos continuos ſequuntur duo Trochæi [vel

1 Nullum carminis genus Horatio tantopere placuiſſe apparet ex uſu ejus frequentiore; verum Horatium illius primum auctorem non fuiſſe probant Alcæi fragmenta quædam, quæ hoc metro ſcripta adhuc exſtant.

2 Horatium majore cura Iambum prima ſede refugiſſe, quam Buchananum, ex hoc manifeſtum eſt, quod in 37 Odis hoc carminis genere conſcriptis, Iambum non niſi 19 vicibus adhibuerit Horatius; Buchananus vero in Pſalmis tantum 16, quibus hoc metro uſus eſt, non minus quam quadragies & bis eum admiſerit: in Alcaicis puris, quibus octies eſt uſus, 38 vicibus Iambum primo loco poſuerit. Idem quoque de tertio verſu dicendum, in cujus prima regione Iambus decies duntaxat apud Horat. reperitur, Buchanano vero vigeſies & quater uſurpatur. Statius vero & Prudentius, qui puris Alcaicis ſemel uſi ſunt, hic ult. hym. περὶ στεφανῶν, ille Silv. 4. car. 5. nunquam Iambum initio admiſerunt.

3 Semel tamen cæſuram illam, ſive ſyllabam reſiduam, brevem fecit noſter, Pſal. 77. ſtr. 3.

Surda abnuebat aure fidelium;

ſequutus non modo Alcæum, primum hujus metri auctorem, qui ſæpe ſyllabam brevem eo loco adhibuit, veluti,

Πᾶς μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει. &

Προκόψομεν γὰρ οὐδὲν ἀσάμενοι:

ſed Horatium ipſum, Car. III. 5.

Si non periret immiſerabilis.

agnoſcente ipſo Cl. Bentlejo ad Carm. III. 23. quanquam ille parum ſibi conſtans paullo ante ad Carm. III. 2. id nunquam ab Horatio factum contenderat.

4 Vide notam (2)

5 Quintam hujus verſus ſyllabam apud Horatium ſemper longam eſſe oſtendit Bentlejus ad lib. 2. Od. 19. verſ. 15. Buchananus tamen novies in Pſalmis Iambum hoc in loco admiſit, Pſal. videl. 7, Strophe 10. l 19, 13 l 46, 2. l 50, 7. l 56, ult. l 77, 8 & 18. l 82, 5. l & 91, 8. idque auctoritate Alcæi, a quo Iambum hic poſitum docti obſervant, ut

Ὦ Βακχί φάρμακον δ' ἄριστον. &

Μελιχρὸν αὐτὰρ ἀμφὶ κέρσα.

[vel ultimus Spondæus,] hoc modo;

1	2	3	4
-vv	-vv	-v	-v

Hujus generis Pſalmi ſunt 16.

7. In te ſalutis ſpem poſui meæ.
11. Quum ſpe ſalutis non dubia fruar.
15. Sanctæ Sionis templa quis incolet.
19. Inſanientis gens ſapientiæ.
30. Te noſtra ſemper carmina, te lyra.
46. Quum muniat nos præſidio ſuo.
50. Qui frenat æquis legibus arbiter.
56. Orbis creator me bonus adſpice.
58. Qui jura celſo de ſolio datis.
77. Te voce ſemper, te prece ſupplice.
82. Regum timendorum in proprios greges.
91. Si protegendam præſidio Dei.
123. Ad te levavi, Rex, pater & Deus.
125. Sionis arcem non Aquilo impotens.
140. Æterne rerum conditor, a malæ.
146. Te magne rerum conditor, & tuas.

VII. Septimum genus, dicolon diſtrophon. Verſus primus Sapphicus, de quo in V. genere; ſecundus Iambicus dimeter, de quo in III. genere ſupra egimus.

Eo utitur ſemel, Pſalmo ſcil.

8. Gentis humanæ pater atque cuſtos.

VIII. Octavum genus, tricolon tetraſtrophon, ad imitationem Horatii lib. 1. Od. 5. Verſus primus & ſecundus eſt Aſclepiadeus Choriambicus tetrameter acatalectus, qui quatuor habet regiones, quarum primam Spondæus, ſecundam & tertiam Choriambus, quartam Iambus [ſeu Pyrrhichius] obtinet, hoc modo;

1	2	3	4
--	-vv-	-vv-	v-
			vv

Alii autem metiuntur per Spondæum, Dactylum & cæſuram, 1 ſeu ſyllabam longam, ac deinde

1 Nuper ingenioſe admodum obſervavit Cl. Bentlejus, carminis Aſclepiadei hanc eſſe indolem & artificium, ut ſyllaba ultima Choriambi, in qua cæſura & pauſa fit, vocem terminet: ut

Dona | rem pateras | grataque commodus.

eamque ob cauſſam, præter ἀντοφωνίας crimen, cujus eum merito damnat, verſum illum lib. 4. Od. 8. 17. tanquam ſpurium, & a Monacho aliquo, non ab Horatio profectum, rejicit & explodit,

Non incendia Carthaginis impia.

in qua cæſura vocem mediam dirimit, ſic,

N n in | cendia Car | thaginis impia.

Ne quis autem forte erret ignarus, Lectorem admonet vir Cl. in verſibus ejuſmodi,

Exegi monumentum ære perennius.
Rejectaque retrorſum Hannibalis mina.

&c. M. cum ſua vocali rejici, & perinde eſſe ac ſi ſcriberetur,

Exegi monument | ære perennius, &c.

in unico autem illo verſiculo Carm. II. 12.

Dum flagrantia de | torquet ad oſcula.

affirmat, præpoſitionem *de* quaſi ſeparari a verbo *torquet*, quippe quæ non nativa vocabuli ejus pars ſit, ſed adventitia & externa, *&c.*

Excuſſis igitur omnibus qui apud Buchananum occurrunt verſibus Aſclepiadeis, eum hanc legem, & paullo quidem ſtrictius quam ipſum Horatium ſervaſſe invenio: toto enim opere ſemel tantum cæſura in penultimam vocis

Digitized by Google

de duos Dactylos, vel ultimum Amphimacrum, hoc modo;

1	2		3	4
--	-vv	-	-vv	-vv -v-

Tertius eſt Pherecratius heroicus, trimeter acatalectus, conſtans Spondæo, Dactylo & Spondæo hoc modo;

1	2	3
--	-vv	--

Quartus denique eſt Glyconius Choriambicus trimeter acatalectus, conſtans Spondæo, Choriambo & Iambo [ſeu Pyrrhichio,] hoc modo;

1	2	3
--	-vv-	v- vv

Hujus generis Pſalmi ſunt 4.

9. Rerum certa ſalus, te cano, gratias.
64. Audi, ſancte parens, non tetricus preces.
84. O Rex armipotens, qui creperis tuo.
130. Curarum rapidis fluctibus obrutus.

IX. Genus nonum, dicolon diſtrophon, quale eſt Horatii lib. 4. Od. 7. Prior quiſque verſus eſt hexameter heroicus, de quo ſupra. Alter vero Archilochius Dactylicus dimeter hypercatalectus, vel, ut alii volunt, penthemimeris heroica, conſtans duobus Dactylis & ſyllaba, hoc modo;

1	2	
-vv	-vv	-

Hoc genere ſemel utitur, Pſalmo ſcil.

12. Affer opem, ſervator opem fer, pulſa receſſit.

X. Decimum genus, monocolon. Verſus Iambicus dimeter, cujus in tertio genere meminimus. In hoc imitatus eſt Prudentium hymno I. Cathemerinωn &c. Sedulium hymno ultimo, hymnoſque complures Eccleſiaſticos: quemadmodum illi, ita Pſalmi hoc genere carminis compoſiti par tetraſticha progrediuntur.

Hujus generis Pſalmi ſunt 14.

13. Quouſque rector unice.
31. In te locavi ſpem meam.
37. Ne livor urat æmulus.
47. Telluris omnes incolæ.
52. Quid gloriaris impie.

54. Re-

vocis ſyllabam cadit, cujus ultima in M definens eliditur, videl. Pſal. 40. ſtrophe 11,

Promiſſique tenacem & miſeris opis:

cujuſmodi tamen octo ſunt apud Horatium verſus: neque Buchananus unquam præpoſitionem a ſuo verbo divellit, quod ab Horatio eſt factum. Verum (ne quid diſſimulem) unicus eſt locus, in quo adverſus Horatii normam peccaſſe videtur noſter, Pſal. ſcil. 144. ſtr. ult.

Felicem populum inter bona talia.

Forte tamen ſic excuſari poſſit, ſi Bentleji rationes paullulum invertamus, dicamuſque pauſam in ultimam ſyllabam vocabuli *populum* incidere, ſi verſiculi partem priorem (ex ipſius mente) a poſteriore diremtam ſpectemus, quemadmodum altero poſt verſu, ubi hemiſtichium illud repetitur, videmus fieri: quod autem ſyllaba illa poſtea perimatur, id ex caſu ortum videri poteſt, propterea quod alterum Aſclepiadei membrum a vocali incipiat. Ut ut ſe habeat hæc res, illud certiſſimum eſt (fatente ipſo Bentlejo) Græcos hanc regulam neglexiſſe: & quamvis Boëtius, Prudentius & Auſonius, in paucis illis quos hoc metri genere verſus condidere, eam accurate ſervaverint, nonnullos tamen qui poſt renatas literas floruere Poëtas, vel illam penitus ignoraſſe, vel parum attendiſſe, palam eſt; &, inter alios, non minus literis quam pietate eſt inſignis, Florentius noſter Voluſenus, in poëmatio illo quod Dialogo ſuo *De Animi tranquillitate* ſubnexuit, vicies (minimum) ab hac lege diſceſſit. Vid. quæ nos poſtea ad metrum XII.

54. Rerum parens me protege.
59. Ab hoſtis inclementia.
86. Da mitis aurem ſupplici.
96. Non uſitato pangite.
98. Non uſitato carmine.
117. Omnes ubique gentium.
148. Laudate Dominum cœlitum.
149. Cantate Domino canticum.
150. Laudate Dominum, lucidum.

Quibus addas Hymnum matutinum ad Chriſtum,

Proles parentis optimi.

XI. Undecimum genus, dicolon diſtrophon, ad exemplum Horatii lib. 1. Od. 3. Verſus prior eſt Glyconius trimeter; poſterior Aſclepiadeus tetrameter: de utroque hactenus in VIII. genere dictum eſt.

Eo utitur Pſalmis 3. *nempe*

14. Secum inſania callide.
35. Rerum ſancte opifex ades.
43. Vindex eſto mihi Deus.

XII. Duodecimum genus, tricolon triſtrophon, quali utitur Prudentius Præfat. Cathemer. Primus quiſque verſus eſt Glyconius trimeter, ſecundus Aſclepiadeus tetrameter, de quibus modo, & in VIII. genere egimus. Tertius autem quiſque eſt Choriambicus Alcaicus pentameter acatalectus, qui conſtat e Spondæo, tribus Choriambis, & Iambo [ſive Pyrrhichio] hoc modo [1];

1	2	3	4	5
--	-vv-	-vv-	-vv-	v- / vv

Hoc genere utitur ſemel, Pſalmo ſtil.
16. O rerum ſator & ſalus.

XIII. Genus decimum tertium, dicolon tetraſtrophon, quale eſt Horatii lib. 1. carm. 10. Verſus primus, ſecundus & tertius Aſclepiadeus tetrameter, quartus vero Glyconius trimeter, de quibus ſuperius egimus in genere VIII.

Hujus generis Pſalmi ſunt 6.

23. Quid fruſtra rabidi me petitis canes.
42. Non cervus fluvios ſic avet algidos.
75. Te nos carminibus, Rex bone, patriis.
99. Jam regnum Dominus, ſpirituum piis.
102. Exaudi, genitor ſancte, meas preces.
144. Quo te, Rex hominum, carmine proſequar.

XIV. Genus decimum quartum, monocolon, verſus Iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus, ad exemplum Horatii lib. 5. Epod. 17. Catulli car. 20. Prudentii Cathemerinῶn hymn. 7. &c. De eo ſupra in genere II.

Hujus

1 Quemadmodum ex eruditiſſimo Bentlejo ſuperius notavimus carminis Aſclepiadei primum Choriambum in integra voce apud Horatium, quem & noſter imitatus eſt, ſemper definere, ita ab eodem viro clariſſimo reque ipſa edocti, reperimus verſus hujus Alcaici (qui Aſclepiadeus eſt Choriambo auctus) ſecundum etiam Choriambum vocem ſemper apud Horatium terminare: niſi forte excipias ver. ult. Od. 18. lib. 1.

Arcanique fides prodiga perlucidior vitro:
quod tamen cum hac lege neutiquam pugnare contendit Bentlejus, quod *præpoſitio* per *non ſit genuina*, *ſed adventitia vocabuli pars*. V. ſupra notam ad genus IX. Buchananus tamen (qui ſedulo hanc regulam in Aſclepiadeis ſecutus eſt, in Alcaicis ſæpius eam neglexit, novies enim in hoc Pſalmo primus Choriambus vocem dividit, & ſecundus bis. Neque hæc licentia exiſtimanda eſt, cum non Græci ſolum Poëtæ ab hac lege diſceſſerint, ſed Catullus etiam carm. 31. in 12 verſibus, quater primo Choriambo vocem mediam diffindat, Prudentius vero ſemel; ſecundo autem Choriambo Catullus bis.

Hujus generis Pſalmi ſunt 3.

25. Hic fidat armis, plebe ſe clientium.

94. O fraudis ultor, ſceleris o vindex Deus.

106. Laudate Regem cœlitum, Regem bonum.

XV. Genus quintum & decimum, monocolon, quale eſt Stat. 4. Sil. 5. Claudiani carmen Feſceninum in nuptias Honorii & Mariæ, Prudentii hym. 14. περὶ στεφανῶν. Verſus Dactylicus Alcaicus acatalectus, quem in VI. genere explicavimus. Hic quoque obſervandum (quod de Iambicis dimetris ſupra monuimus) puros hoſce Alcaicos in tetraſticha ſemper diviſos eſſe.

Hujus generis Pſalmi ſunt 8.

26. Me vi tyrannus perſequitur palam.

29. Seu dives auro es, ſive opibus potens.

32. O ter beatum, cui patris optimi.

49. Audite gentes, ortus & occidens.

61. Audi vocantem me bonus, & meis.

71. In te ſalutis ſpem poſui meæ.

73. Tellus ut undis hoſpitium neget.

143. Audi vocantem rebus in aſperis.

XVI. Genus ſextum & decimum, monocolon, quale eſt Horatii lib. 1. Od. 1. Prudentii hymn. 5. Cathem. Verſus eſt Aſclepiadeus tetrameter (de quo ſupra genere VIII.) Notandum vero Buchananum (ad exemplum Prudentii) Aſclepiadeos hoſce quaternos junxiſſe.

Hujus generis Pſalmi ſunt 3.

28. Princeps ſtelliferis altior orbibus.

40. Quum circumfremerent me timor & minæ.

80. Hebræi generis paſtor, uti gregem.

XVII. Genus decimum ſeptimum, dicolon, diſtrophon, quo Boët. lib. 2. metr. 3. imitatur. Verſus primus eſt Sapphicus pentameter, de quo ſupra in genere V. Alter eſt Glyconius trimeter, de quo in genere VIII. diximus.

Hujus generis Pſalmi ſunt 4.

33. Vos quibus puræ eſt amor æquitatis.

70. O Deus, præſens ades, & periclis.

121. Dum ferox armis inimicus inſtat.

142. Invoco ſupplex Dominum, manuſque.

XVIII. Genus decimum octavum, dicolon diſtrophon ad exemplum Boëtii lib. 3. met. 3. Verſus primus eſt Iambicus trimeter, cujus in II. carminis genere meminimus. Secundus vero eſt pentameter Elegiacus acatalectus, cujus prima & ſecunda ſedes indifferenter Spondæum vel dactylum recipit, tertia ſemper poſtulat Spondæum, quarta & quinta Anapæſtum, hoc modo;

1	2	3	4	5
-vv	--	--	vv-	vv-
--	-vv			

Vel, ut aliis placet, verſu in duo quaſi membra diviſo, poſt Dactylum aut Spondæum prima & ſe-

ſecunda regione indiſcriminatim poſitum, ſequitur cæſura penthemimeris, qui primam partem terminat: alterum autem membrum poſt duos Dactylos altera itidem cæſura clauditur, hoc modo;

1	2		3	4	
-vv	--	-	-vv	-vv	-
--	-vv				

Hoc genere bis utitur, Pſalmo ſcil.

36. Ut exta flammis mille ſacrificis cremes.

63. Deus, ſalutis auctor & cuſtos meæ.

XIX. Genus decimum nonum, dicolon triſtrophon. Verſus primus & ſecundus eſt Trochaicus Alcmanius dimeter, ſeu quaternarius, [1] acatalectus, conſtans quatuor pedibus, quorum primus & tertius, ſeu loci impares, Buchanano ſemper eſt Trochæus, ſecundus præter Trochæum [2] Spondæum etiam, ejuſque compares Anapæſtum & Dactylum recipit, quartus denique eſt Trochæus [vel Spondæus,] hoc modo;

1	2	3	4
-v	--	-v	-v
	-v		--
	vv-		
	-vv		

Verſus autem tertius eſt Trochaicus Euripidæus dimeter catalectus [3], qui eoſdem habet pedes quos duo priores, præter ultimum, qui poſtrema ſyllaba detruncatur, hoc modo;

1	2	3	
-v	-v	-v	v
	--		-
	vv-		

Alii metiuntur [4] tanquam Iambicum dimetrum cujus initio deſit ſyllaba, hoc modo;

1/2	2	3	4
-	v-	--	v-
	vvv	--	

Hoc metro ſemel utitur, videl. Pſalmo

66. Incolæ terrarum ab ortu.

XX. Genus vigeſimum, dicolon diſtrophon. Verſus prior heroicus hexameter, de quo in I. genere. Poſterior Anapæſticus Partheniacus dimeter catalectus; qui conſtat tribus pedibus, quorum primus & ſecundus Anapæſtum vel Spondæum indifferenter recipit, tertius ſolum Anapæſtum, ac deinde ſupereſt ſyllaba, hoc modo;

1	2	3	
vv-	vv-	vv-	-
--	--		

Vel potius eſt [5] poſterior pars carminis hexametri heroci, cujus primetitur.

1 Vide quæ nos infra ad genus XXIV.

2 Vide quæ ad genus XXIV. infra notavimus.

3 Hic verſus idem eſt cum verſu priore Od. 18. lib. 2. Horatii, præterquam quod ille nullum alium admittat pedem præter Trochæum, Buchananus autem loco ſecundo Spondæum & Anapæſtum etiam interdum recipiat. Aldus Manutius, qui hoc genus carminis inter Iambica refert, quæ occurrunt apud Horatium, per Amphimacrum & duos Iambos metitur.

4 Vide infra genus XXIV. & quæ ibi notavimus.

5 Ea enim, ut multorum aliorum, ita præcipue carminis heroici indoles eſt, ut ſe quaſi in duas partes vel hemiſtichia dividat, in quorum medio vox paullum ſubſiſtit & moram aliquam facit: membrum autem prius carmen conſtituit de quo egimus genere IX. poſterius vero illud de quo nunc agitur.

primus pes una ſyllaba mutilus eſt, [1] ſemimetro tantum ſuperſtite, *h. e* ſyllaba longa, vel duabus brevibus, cui deinde tres ultimi pedes carminis hexametri ſubjunguntur, hoc modo;

1/2	2	3	4
- vv	-vv	-vv	--

Hoc genere ſemel utitur, Pſalmo ſcil.

68. O qui perpetuis orbem moderaris habenis.

XXI. Genus vigeſimum primum, dicolon diſtrophon, ut Horatii lib. 5. Epod. 14. Auſonii Epiſt. 10. Primus quiſque verſus eſt heroicus hexameter, ſecundus autem Iambicus dimeter: quorum ſupra in I. & III. metrorum generibus meminimus.

Hoc genere ſemel utitur, Pſalmo nempe

81. Exſultate Deo noſtro, bona dicite verba.

XXII. Genus vigeſimum ſecundum, dicolon diſtrophon. Carmen eſt Elegiacum omnibus notum, ex hexametro & pentametro junctis conflatum: de hoc in XVIII, de illo in I. genere ſuperius egimus.

Hujus generis Pſalmi ſunt 3.

88. Luce voco te, nocte voco te, ſola ſalutis.

114. Quum domus Iſacidum patrias remearet ad oras.

137. Dum procul a patria mœſti Babylonis in oris.

XXIII. Genus vigeſimum tertium, dicolon diſtrophon. Primus quiſque verſus eſt Trochaicus Euripidæus dimeter, de quo in genere XIX. dictum eſt. In illo autem verſiculo, *Agite feſtis laudibus*, Trochæi vicem occupat Tribrachys. Secundus autem eſt Iambicus dimeter, quem in III. genere enarravimus.

Eo utitur Pſalmo

100. Orbis omnes incolæ.

XXIV. Genus vigeſimum quartum, monocolon, quali uſi ſunt Plaut. Terent. Seneca, *&c.* Prudentius Cathem. hymn. 9. Auſon. dict. Solon. veteris illius carminis cui titulus eſt Pervigilium Veneris. auctor; Venanr. Fortunat. Hymn. de cruce Domini, *&c.* Verſus eſt Trochaicus octonarius [2] catalectus, conſtans ſeptem Trochæis & ſyllaba, rece-

1 Vide Scalig. Poët. lib. 2. cap. 6. & Nov. Method. p. 747.

2 Quidam ex unoquoque hujus carminis verſu binos faciunt, quorum primus ſit Trochaicus dimeter acatalectus, ſecundus Trochaicus dimeter catalectus, de quibus in XIX. genere dictum eſt. Et ſane, ſi primum ſecundumve Pſalmi 66. cum tertio uno verſu concludas, Trochaicum hunc octonarium catalectum efficies. In primis certe Editionibus Pſalmi 105, & 129, verſus geminos eſſe, atque Buchananum ita primitus ſcripſiſſe ad Pſal. 105. adnotavimus. Quamobrem autem hunc ordinem ipſe poſtea immutaverit, binoſque verſiculos ad unicum redegerit, nullam aliam invenio rationem, quam quod apud veteres, quos imitatus eſt, ſcriptores, Trochaicos iſtiuſmodi longe ſæpius conjunctos quam diviſos animadverteret: eamque ob cauſſam, ut bini verſiculi in unum coaleſcerent, neque in ipſorum commiſſuris ob vocalium concurſum hiatus aliqui orirentur, multa in poſterioribus editionibus mutanda, addenda, aut alio ordine ponenda habuit vocabula: id quod cuilibet exemplaria conferenti obvium eſt. Vid. quæ nos ad genus XXVIII.

Digitized by Google

recepto tamen in locis [1] imparibus Tribrachi; in paribus vero, præter Tribrachyn, Spondæo etiam, Dactylo & Anapæſto, [2] hoc modo;

1	2	3	4	5	6	7	8
-v	-v	-v	-v	-v	-v	-v	-
vvv	vvv	vvv	--	vvv	vvv		v
	--		-vv		--		
	vv-				vv-		
	-vv				-vv		

Hujus generis Pſalmi ſunt 4.

105. Canite Dominum, & invocate nomen ejus: exteris.

119. O beatos, qui ſequuntur orbitam legis Dei.

124. Ni faventis affuiſſet numinis præſentia.

129. Jure dicat grex bonorum, Mille me moleſtiis.

XXV. Genus vigeſimum quintum, monocolon, quali utitur Boët. lib. 1. met. 5. & Seneca paſſim in choris.

1 Quamvis carmina Trochaica & Iambica maxime oppoſita videantur, eo quod Iambica Trochæum omnino reſpuant, ſicut viciſſim Trochaica Iambum; facili tamen negotio hæc in illa, & e contrario, converti poſſunt. Syllaba enim principio Trochaici carminis addita Iambicum efficit: quemadmodum ſyllaba principio Iambici detracta, Trochaicum ſupereſt. Hoc tamen obiter advertendum, ſi Trochaicum fuerit catalectum, ſyllaba ei addita Iambicum conſtituet ejuſdem generis acatalectum: rurſus ſi Iambicum fuerit catalectum, ſyllaba ei detracta Trochaicum reddet inferioris generis acatalectum, *v. g.* ſi Trochaico octonario catalecto ſyllabam addideris, Iambicum octonarium acatalectum efficies: ſi vero Iambicum octonarium catalectum una in principio ſyllaba curtaveris, Trochaicum reſtabit ſeptenarium acatalectum. Porro, ſi tres ſyllabas, ſeu ſeſquimetrum, Trochaico ſuſtuleris octonario, reſtabit Iambicum ſenarium, & vice verſa. Atque ita deinceps de aliis dicendum. His rationibus adducti ſummi nominis Grammatici Trochaica univerſa ſub Iambicis complectuntur, quippe quæ non magis ab illis diſtinguantur, quam acatalecta a catalectis: neque enim ullo diſcrimine referre ajunt, ſive initio ſive fini verſus ſyllabæ adjiciantur aut auferantur. Accedit & illud ad eorum opinionem confirmandam, quod in Trochaicis, eodem modo in Iambicis, duo ſemper pedes ad unam menſuram conſtituendam requirantur; adeo ut in utriſque dimetrum ex quatuor, trimetrum ex ſex pedibus, *&c.* conficiatur. Sed, quod maximi momenti eſt, atque hanc rem extra dubium ponere videtur, quemadmodum Iambica in locis paribus vice Iambi Tribrachym recipiunt, in locis vero imparibus, præter Tribrachym Spondæum etiam, Dactylum & Anapæſtum admittunt: ita in Trochaicorum locis imparibus Trochæi vicem ſupplet Tribrachys, in paribus autem cum Tribrachi Spondæus item, Dactylus & Anapæſtus recipiuntur. Quod autem pedes qui in Iambicis locos impares occupant, in Trochaicis locis imparibus, & vice verſa collocentur, id exinde proficiſci videtur, quod ſi Trochaica ex Iambicorum legibus moduleris, defectumque adeo omnem in initio conſtituas, qui ex Trochaicorum norma ſedes impares obtinebant pedes, ii ad Iambicos numeros redacti in imparibus locis & contra conſiſtent. *v. g.* ſi hunc verſum,

Canite Dominum, & invocate nomen ejus: exteris.

ad modum Trochaicorum metiaris, ita pedes collocandi ſunt,

1	2	3	4	5	6	7	8
vvv	vvv	-v	-v	-v	-v	-v	-

ſi vero eundem ad Iambicorum regulas reducas, hoc modo pedes ſunt menſurandi;

dimid. 1	2	3	4	5	6	7	8
vv	vvv	v-	v-	v-	v-	v-	v-

Et hic,

Aucta nondum ſtirpe longis temporum decurſibus.

Trochaicus erit, hoc modo,

1	2	3	4	5	6	7	8
-v	--	-v	--	-v	--	-v	v vel-

metro autem paullum mutato, hunc Iambicum efficiet,

dimid. 1	2	3	4	5	6	7	8
-	v-	--	v-	--	v-	--	v- vel vv

2 Atque hæc ratio eſt, quod quemadmodum in Iambicorum prima & quinta ſede ſæpius

Digitized by Google

choris. Verſus eſt Anapæſticus Pindaricus [1] dimeter acatalectus, conſtans quatuor pedibus, in quorum ſingulis recipit Anapæſtum; cujus tamen vices promiſcue ſupplent Spondæus, & [2] Dactylus, [& ultimo etiam loco interdum Tribrachys, Amphimacer, vel Trochæus] hoc modo,

1	2	3	4
vv-	vv-	vv-	vv-
--	--	-vv	--
-vv	-vv	--	-vv
			vvv
			-v-
			-v

Eo ſemel tantum utitur, Pſalmo ſcil.
113. Pſallite Dominum pueri, Domini.

XXVI. Genus vigeſimum ſextum, dicolon tetraſtrophon, ad exemplum fere Catulli, carmine 34. Primi tres verſus ſunt Choriambici Glyconii trimetri acatalecti, Spondæo, Choriambo & Pyrrhichio [vel Iambo] conſtantes; ſed loco Spondæi interdum recipiunt Trochæum [3] hoc modo;

1	2	3
--	-vv-	vv
-v		v-

Quartus autem quiſque eſt Pherecratius [4] heroicus trimeter acatalectus, conſtans Spondæo, Dactylo & Spondæo, hoc modo;

1	2	3
--	-vv	--

Hujus generis Pſalmi ſunt 3.
115. Toto pectore diligam.
122. O lux candida, lux mihi.
128. Felix o ter & amplius.

XXVII. Genus vigeſimum ſeptimum, monocolon, ad exemplum Prudentii hymno 6. Cathemer. [5] Verſus eſt Iambicus Anacreontius dimeter catalectus, qui conſtat tribus Iam-

pius dominantur Anapæſtus & Dactylus, ita iidem pedes in Trochaicorum 2da & 6ta regione ſæpius collocati inveniuntur; & prout in tertia Iambicorum, ita in 4ta Trochaicorum, nuſquam toto opere Anapæſtus occurrit.

1 Aliis Anapæſticus Ariſtophanius nuncupatur.

2 Vide quæ nos infra ad cap. 2. claſſ. 2. gen. 2.

3 Catullus autem non Trochæum modo, ſed ſæpe etiam Iambum prima ſede admiſit: Boët. lib. 2do. met. 3. ſemel in prima regione recepit Iambum in illo verſu, *Bonis crede fugacibus.* In lib. autem 4. met. 3. ſemper utitur Trochæo primo in loco: Buchananus vero, licet plerumque primam ſedem Spondæo tribuerit, nonnunquam tamen Catulli Boëtiique exemplo ductus, non dubitavit Trochæum vice Spondæi ſubſtituere: & forte, eam ob cauſſam, Pſal. 116. ſtr. ult *Morte* potius quam *Morti* (prout in omnibus editionibus exhibetur) legendum.

4 *Id eſt*, tres ultimi pedes carminis hexametri: quamvis autem Boëtius interdum in prima ſede Anapæſtum, & Catullus ſemel Iambum, ſæpius vero Trochæum, poſuerint: noſter tamen Horatii exemplo Dactylum ſemper duobus Spondæis medium interponit, præterquam in unico hoc verſiculo Pſal. 128. *Comparata labore*, in quo Trochæus primo loco collocatur.

5 Utitur etiam Boët. in verſibus prioribus lib. 2. met. 4. in quibus Spondæus etiam tertia ſede nonnunquam aſſumitur; quod a Prudentio & noſtro nuſquam factum. Quiſquis autem fuit, qui eam edidit metrorum Buchananæorum expoſitionem, quæ plerumque Pſalmorum Paraphraſi ſubjungitur, ut in multis aliis, ita & hic turpiter hallucinatus eſt, qui hoc carminis genus idem eſſe exiſtimaverit cum eo quo uſus eſt Boët. lib. 3. met. 7. in illo enim primam ſedem ſemper occupat Anapæſtus.

Digitized by Google

Iambis & ſyllaba, recepto tamen ſæpiſſime in prima ſede etiam Spondæo, hoc modo;

1	2	3	
v-	v-	v-	-
--			v

Hujus generis Pſalmus eſt unus, videl.

131. Si ſpiritu impotenti.

XXVIII. Genus vigeſimum octavum, tricolon triſtrophon, quale eſt Horatii lib. 5. Od. 13. [1] Primus quiſque verſus eſt heroicus hexameter, de quo in primo genere: ſecundus autem eſt Iambicus dimeter, [2] de quo in genere III. egimus. Tertius vero eſt penthemimeris heroica, conſtans duobus Dactylis & ſyllaba, cujus in genere IX. meminimus.

Hoc genere utitur ſemel, Pſalmo nempe

138. Pectore te grato Dominumque Deumque fatebor.

XXIX. Genus undetrigeſimum, tricolon triſtrophon, idem fere cum præcedente, niſi quod ordo paullum ſit

1 Conqueritur Cl. Bentlejus peſſimum a Lambino flagitium admiſſum, qui alterum quemque verſum Epod. 11. & 13. lib. 5. Horatii (ad quorum imitationem ſcripti ſunt Pſalmi 138. 145.) in binos diviſerit, cum antea conjunctim ederentur. Cum autem Lambinus ſe Buchanani noſtri auctoritate motum id feciſſe affirmet, operæ pretium erit paullo altius inquire:e, quibus rationibus adductus Buchananus, & ipſe unamquamque horum Pſalmorum ſtrophen tribus verſiculis diſtinxerit, Odeſque illas Horatii eo ordine digerendas Lambino perſuaſerit. Rationes vero hæ fuiſſe videntur. 1ma. Quod non ſatis congruum exiſtimaret duo metrorum genera prorſus diverſa uno verſu concludere. 2da. Quod hoc pacto Flaccus, reclamantibus omnium carminum 'egibus, nunc ſyllabam brevem produxerit, nunc vocalem ante vocalem non abjecerit: veluti, Epod. 13.

Reducet in ſedem vice: nunc & Athemenio. &
Levare duris pectora ſollicitudinibus.

Sic Epod. 11.

Arguit, & latere petitus imo ſpiritus. &
Fervidiore mero arcana premoras loco.

Eodem quoque modo, ſi binos verſiculos ad ſingulos redegiſſet, in prædictas leges peccaſſet Buchan. Pſal. 138.

Coram ſuperbis Regibus, & tua facta canam. &
Ferens, tuaque gloria ad jubar attoniti.

& Pſal. 145.

Cumque ſuo ſcelere a ſtirpe vellis impios.

Neque e ideretur M cum ſua vocali, ut

Qui me laceſſit hoſtium: incolumique dabis. &
Natio nullo tuum in ſeculorum ſecula.

Sed has rationes, quantumvis ſpecioſas, facili negotio evertit Bentlejus, non modo omnium tam MSS. quan a nte Lambini tempora impreſſorum codicum fide, ſed etiam, quod maximi eſt momenti, veterum Grammaticorum & Scholiaſtarum auctoritate & teſtimonio, qui non ſolum hos Horatii verſus conjunctos citant, ſed inſuper de hujuſmodi verſuum (quos illi *Ἀσυναρτήτους, i. e. inconnexos*, vocabant, genere & artificio ſigillatim ſcripſere. Et, ut alios omittam a Bentlejo citatos, Terentianus Maurus diſertis verbis teſtatur *ex duobus colis unum verſum fieri*, proque exemplo adducit alteros verſus Epod. 11. & 13. Horatii. Quod ad ſyllabæ brevis productionem, eliſiones colliſioneſque neglectas attinet, Hephæſtion, qui horum *ἀσυναρτήτων* verſuum parentem & inventorem ſtatuit Archilochum, expreſſe docet, *ſyllabam ultimam prioris coli perinde eſſe communem, ac ſi integrum hexametrum vel Iambicum clauderet*: unde collegiſſe Bentlejus videtur, verſibus iſtiuſmodi, ex duobus colis conflatis, eandem indulgeri licentiam, ac ſi duos verſus omnino diſtinctos conſtituerent. Quod ſi ita eſt (& ita quidem eſſe ex ipſius mente neceſſe eſt) non magno diſcrimine referre arbitror, an junctim ſcribantur, an in duo diſſecentur hæc carmina: id ſaltem affirmare liceat, non tam triſte hac in re a Lambino, atque adeo a Buchanano noſtro, piaculum adm ſſum, *ut Daunia Muſa* (quod opinatur vir clariſſimus) *præ dolore lacrymarent.*

2 In Iambicis hiſce nullum alium adhibuit pedem Horatius præter Iambum, & locis imparibus nonnunquam Spondæum, qua in re eum æmulatus eſt Buchananus, excepto unico illo Pſal. 145. verſiculo,

Animal benigne recreas.

in quo primam ſedem occupat Anapæſtos.

Digitized by Google

ſit inverſus; nam qui illic ſecundum locum tenebant, hic tertium, & e contrario, verſus occupavere: cæterum Horatii Epod. 11. per omnia ſimile eſt, præterquam quod illi primus verſus eſt Iambicus ſenarius, Buchanano autem hexameter heroicus: ſecundus [1] vero utrique eſt penthemimeris heroica: tertius denique Iambus dimeter.

Hoc genere ſcriptus eſt Pſalmus 145. Te Regem Dominumque canam, dum lucida volvet.

CAP. II.

De generibus metrorum quibus in aliis ſuis operibus poëticis uſus eſt Buchananus.

GENERA metrorum quibus in reliquis ſuis carminibus utitur Buchananus, ad duas itidem claſſes poſſunt referri; quarum prima Poëmata ejus varia, Fratres nempe fraterrimos, Silvas, Epigrammata, Miſcellanea, de Sphæra libros, Satyram in Cardinalem Lotharingum, quæque a metri genere nomina ſunt ſortita, Elegias, Iambos & Hendecaſyllabos; ſecunda autem Tragœdias tam ſacras quam exteras, complectatur.

CLASSIS I.

IN altera G. Buchanani Poëmatum parte (exceptis Tragœdiis de quibus ſequente claſſe agendum) metrorum genera ſunt quatuordecim.

I. Monocolon. Verſus ſunt hexametri heroici, de quibus in primo Pſalmorum metri genere ſuperius egimus.

Hoc genere ſcripti ſunt,
Franciſcanus.
Silvarum liber.
Libri de Sphæra. &
Miſcellan. carm. 15, & 24.

II. Dicolon diſtrophon. Carmen Elegiacum omnibus notum, de quo ſupra.

Hoc genere utitur,
Frat. fraterrim. maxima parte.
Toto Elegiarum libro.
Epigramm. paſſim.
Miſcellan. nonnullis.

III. Monocolon, ad exemplum Catulli, Martialis, Statii, Prudentii, Auſonii, Boëtii, Sidonii Apollinaris, *&c.* Verſus ſunt Phaleucii hendecaſyllabi pentametri acatalecti, quinque conſtantes regionibus, quarum primam poſſidet Spondæus, (ſæpius etiam ejus loco Trochæus aut Iambus,) [2] ſecundam Dactylus, quem

1 Vide quæ nos modo ad genus XXVIII.

2 In Hendecaſyllabis ſuis imitatus eſt Buchananus præcipue Catullum, qui prima regione haud raro vice Spondæi Trochæum & Iambum ſubſtituit, veluti Car. 1.

Arida modo pumice expolitum. &
Meas eſſe aliquid putare nugas.
Item Car. 50.
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium Poëta.

Semel quidem apud Boëtium invenio Iambum lib. 3. met. 4. penult.

Quis illos igitur putet beatos.

Semel etiam apud Auſonium Epiſt. 5. ver. ult.

Bonorum mala carminum taberna.

Trochæum ſemel adhibuit Sidon. Apoll. Car. 13. ver. 38.

Marſyaque timet manum ac rudentem.

niſi forte penultimam vocis *Marſyæ* produxerit, quemadmodum alibi eandem ſyllabam in *Euripidis*, Car. 9. ver. 235.

Orcheſtram quatit alter Euripidis.

& ult. in *Eia*. Car. 14. ver. 6.

Eia Calliope nitente palma.

quem ſequuntur tres Trochæi, [vel ultimus Spondæus,] hoc modo;

1	2	3	4	5
-v	-vv	-v	-v	-v
--				--
v-				

Hoc genere utitur,

Toto Hendecaſyllabon libro.
Frat. fraterr. 14, 20, 21.
Epigram. lib. II. 32. & lib. III. 14, 15. & Ibid. Pomp. Deor. Ruſt. 3.
Miſcell. 5, 20.

IV. Monocolon. Verſus Iambicus trimeter, de quo ſuperiore cap. met. II. egimus.

Eo utitur,

Toto libro Iambon, *aut ſolo, aut cum dimetro Iambico alternatim ſubjuncto.*
Frat. fraterr. 1, 2, 28.
Epigram. lib. II. 8, 17, 19, 33.
Miſcell. 14, 31, 32, 38.

V. Monocolon. Verſus Iambicus dimeter, de quo cap. I. met. X.

Eo utitur ſolo,

Epigram. lib. I. 30. & lib. III. Pomp. Deor. Ruſt. 2.
Miſcell. 16, 36.

VI. Dicolon diſtrophon. Verſus primus Iambicus ſenarius; ſecundus Iambicus quaternarius, de quibus in met. III. cap. I.

Hoc genere utitur,

Toto fere libro Iambon.
Præfat. Frat. fraterr.
Epig. lib. I. 49.
Miſcell. 23.

VII. Dicolon diſtrophon. Verſus prior hexameter heroicus, poſterior Iambicus dimeter: idem cum genere XXI. cap. I.

Hoc genere utitur,

Frat. fraterr. 4.
Miſcell. 22.

VIII. Dicolon diſtrophon. Verſus prior hexameter heroicus; poſterior Iambicus trimeter: ejuſdem generis eſt cum II. cap. I.

Hoc genere utitur,

Epigramm. lib. III. Pomp. Deor. Ruſt. 4. Valent. I.

IX. Tricolon tetraſtrophon: idem cum [1] genere VI. priore capite memorato.

Hoc

Vid. infra cap. III. n. 14. Sed miſſis hiſce, Martialis,

Qui Muſas coluit ſeveriores,

nuſquam in Phaleuciis, quibus tamen frequentiſſime utitur, alium initio quam Spondæum pedem adhibuit: in illo enim Epig. lib. 2. 6.

Rapta ſcribere ſed Vitellianis.

ultima τῶ *rapta* propter duas conſonantes ſequentes, licet vocis diverſæ, producitur, quemadmodum lib. 5. Epig. 70.

Quid gladium demens Romana ſtringis in ora.

Idem de Prudentio dicendum, qui prima ſede ſemper Spondæum collocat, illo namque περὶ στεφ. 6. 98.

Celſa ſcandere contigit Tonantis,

Celſa ultimam habet longam, ob prædictam rationem, prout idem in Pſychomachia, ver. 252.

Imbuere, fragilique viros fœdare triumpho.

1 Buchan. in 8 carminibus hoc metri genere ſcriptis 17 vicibus Iambum primo loco verſus 1 & 2di adhibuit; & ter in primo verſus tertii loco. Syllaba autem 5ta tertii verſus quinquies illi brevis eſt, Horatio nunquam. Vide quæ ad gen. VI. cap. I. annotavimus.

Hoc genere utitur,

Frat. fraterr. 5, 30.
Miſcell. 1, 3, 4, 8, 11, 28.

X. Monocolon. Verſus eſt Anacreontius, de quo ſupra cap. I. gen. XXVII.

Hoc genere utitur,

Epigramm. lib. I. 65.

XI. Monocolon. Verſus Anapæſticus, qualem genere XXV. cap. I. deſcripſimus.

Hoc genere utitur,

Epigramm. lib. III. Pomp. Deor. Ruſt. 1.

XII. Dicolon tetraſtrophon, in quo tres Sapphicos continuos ſequitur Adonius; prout in genere V. cap. 1.

Hoc genere utitur,

Miſcell. 2, 9.

XIII. Monocolon. Qualis eſt ſecundus quiſque verſus Horat. lib. I. Od. 4. vel potius ſecundus quiſque lib. 2. Od. 18. [1] Verſus eſt Iambicus Archilochius trimeter catalectus, conſtans quinque Iambis & ſyllaba, receptis tamen in locis imparibus etiam Spondæo aut Anapæſto, & ſecunda regione nonnunquam Tribrachi, [2] hoc modo;

1	2	3	4	5	
v -	v -	v -	v -	v -	-
- -	vvv	- -			
vv -					

Alii ſic metiuntur, ut primo loco ponatur Iambus, vel Spondæus, vel Anapæſtus; ſecundo Iambus, vel Tribrachys, cum ſyllaba reſidua ſeu cæſura; deinde tres Trochæi, [vel ultimus Spondæus,] hoc modo;

1	2		3	4	5
v -	v -	-	- v	- v	- v
- -	vvv	v			- -
vv -					

XIV. Scazon ſive Choliambus: quo nomine appellari conſuevit Iambicus trimeter, ſeu ſenarius, cujus ultima ſede Spondæus vice Iambi collocatur; quali uſus eſt Catullus car. 8. Perſius in Præfat. Martialis lib. 1. Epig. 3. Boët. lib. 2. met. 1. Hujus generis unicum tantum apud Buchan. verſum reperio, Epig. lib. 3. Pomp. Deor. Ruſt. 5.

Ni forte malis avios per anfractus.

CLAS-

1 Nulla autem re alia hi Horatii verſus ab illis diſtinguuntur, præterquam quod in prioribus ſyllaba poſt duos pedes reſidua ſemper ſit longa, quæ in poſterioribus (quamvis rarius) ſit brevis.

2 Veluti in illo verſu,

Captare capreis non minus fugaces.

In illo autem,

Secreta Oreades damus tenellos.

(ita enim legendum alibi oſtendimus) *Oreades* triſſyllabum eſt, per *συνίζησιν*, ut apud Maronem *alvearia* tetraſyllabum, adeoque Iambus ſecundam tenet ſedem, non vero Amphibrachys, utpote pes peregrinus; nec Tribrachys, ſecundam enim ſyllabam longam eſſe monſtrat & vocis origo, Græce *Ὀρειάδες*, & Virgilii auctoritas Æn. 1.

Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero. ———

Quod ad illum verſum attinet,

Ni forte malis avios per anfractus.

quidam forte exiſtimaverint *avios* diſſyllabum eſſe, adeoque Spondæum ea regione poſitum, quod mihi in hoc genere durum & inſolens videtur. Ego potius ad aliud metrum referrem, de quo gen. mox ſequente.

Anapæſt: 4. ſede.

Bapt. [1] *Ne malle quiſquam præcipitare te putet.*
Amet parentem, & officiis quibus poteſt.
Errore gentes, quam populum qui ſe Dei.
Meminiſſe toties ſceleris eum ſui puta.
Torquere flamma poterit inevitabili.
Med. *Ferre huc novorum conſiliorum nuncium.*
Lethale gnatæ ne exitium ſtruas meæ.
Hei mihi, quid aïs? ut me jugulaſti, fœmina.
Alceſt. *Nam par rependi pretium animæ nullum poteſt.*
Aliena quamvis juncta neceſſitudine.

Hoc metri genere ſcripta eſt maxima Tragœdiæ cujuſque pars: nam totam fere fabulæ actionem complectitur.

II. Anapæſticus dimeter acatalectus, de quo in cap. I. genere XXV. ſuperius egimus. Ejus in choris frequentiſſimus eſt uſus [2].

III. Aſcle-

1 At quod 4to etiam loco Anapæſtum aſſumſerit, non ita facile excuſandus Buchan. videtur: nam, ſi Avantio credimus, id nuſquam a Seneca factum: quanquam ipſe fateatur interpretes quoſdam hac in re deceptos, ſive (ut videtur) rei metricæ inſcitia, ſive potius pravorum codicum vitio, quod forte etiam Buchananum noſtrum fefellit. Poëtices quidem Gieſſenæ auctores, quamvis Dactylo quartam ſedem Iambicorum interdicant, Anapæſtum tamen, quod a brevi ſyllaba, ut Iambus, incipit, aliquo modo tolerari poſſe cenſent. Porro, in Iambicis dimetris hypercatalectis Anapæſtum 4ta etiam ſede ab ipſo Seneca collocatum obſervarunt Fabricius & Delrius, veluti Agam. 616.

Caruſque Pelidæ nimium feroci. & 619.
Aut cum ipſe Pelides animos feroces.

Verum, ſi a tantis viris diſſentire liceret, verſus hoſce Sapphicis potius hypercatalectis quam Iambicis annumerarem, quibus ſcil. una ſyllaba in principio redundet. Vid. Novam Meth. p. 775. & quæ nos ſupra ad gen. XXIV. cap. I.

2 Quia Anapæſticum carmen, ut ſuaviſſimum, ita poſt Iambicum, Tragœdiarum ſcriptoribus longe frequentiſſimum eſt, idemque nonnulla tanquam ſibi propria vindicare videtur, non ab re facturus exiſtimabor, ſi peculiarem ejus indolem & ſtructuram paullo fuſius explicavero. Et, 1mo. quidem, genuini Anapæſtici nullam obſervant cæſuram, adeoque quod in aliis fere omnibus vitioſum eſt, hic gratiam meretur: unde optimi ſunt quorum ſinguli pedes ſingulas voces complectuntur, veluti

Pictaque tacito ſidera mundo. &
Omine læto reducem potius. &
Oculos denſa condunt tenebræ.

Proximi his ſunt, quibus unaquæque dipodia vocem terminat, ut

Ut perpetua ſerie latum. &
Nec perſpicuis animi quiſquam
Oculis radios cernere potis eſt
Veri ſimplicis ———

Atque hanc forte ob cauſſam Servius Anapæſtos dipodia menſurandos voluit, non item Dactylicos, utpote hac lege immunes: quod non ſatis attendentes Scaliger & Delrius, contra Servii auctoritatem, quaternarios tetrametros, non dimetros, appellandos cenſent. Hanc autem legem adeo ſtricte ſervandam ſibi veteres ſtatuerunt, Seneca in primis & Boëtius, ut qui in aliis multum ſibi indulgeant, ab hac ne vel ſemel, quod ſciam, diſceſſerint, ita ut inter dipodias nunquam Ecthlipſin vel Synalœpham intervenire ſint paſſi: excipio unum Herculis OEtæi locum, v. 1887.

Poſcite magno Alciden gemitu.

Quod, inter alia, doctiſſimi Nic. Heinſii, qui hanc Tragœdiam Senecæ merito abjudicavit, ſententiam haud leviter confirmat. Buchananus autem, (ne quid diſſimulem) qui in Pſalterio, Jephthe & Baptiſte hanc regulam immotam ſervat, in Medea eam ſæpius neglexit, ut

Cum patre, ac tota domus pereat. &
Æſtus compoſuit, ſare, age, anus. &
Intra atria clamorem, haud lætor. &
Mulier, quod tandem immoderatum
Thalami deſiderium cogit,
Stulta, accelerare horam fati.

Quibus

III. Aſclepiadeus Choriambicus tetrameter, qualem gen. VIII. cap. I. explicavimus. Eo utitur primo choro Jephthæ.

IV. Gly-

Quibus addatur unus Alceſtidis verſus, cui colliſio media intervenit,

Qua mutata anima animam eriperes.

Ut verſus eos prætercam, quibus aliqua regione Dactylus, nulla vero Anapæſtus ineſt, quoſque, eam ob cauſſam, Dactylicis potius quam Anapæſticis, licet iis undique ſtipatos, quidam forte accenſeri malint.

2do. Geo. Fabricius, qui Senecæ verſus accurate deſcripſit, nuſquam Dactylum ſecundo loco poſitum animadvertit, quem tamen Buchananus haud raro adhibuit, veluti Jeph.

Non mutaverit opibus Craſi. &
Licet injuria tibi faterum. &
Virginibus tibi thalami expertes.

Medea.

Infelix ergo miſeris curis. &
Neve accedite limina propius. &
At te pacifer hinc Mercurius.

Alceſt.

Iterum injurius es Diis Stygiis. &
Minime: ſed neque famulum quiſquam. &
Ne me deſere, ne per ſuperos.

Delrius quidem ſe bis Dactylum apud Senecam ſecundam ſedem occupantem deprehendiſſe exiſtimat, ſemel ſcil. in Agamem. v. 607.

Qui vultus Acheronteis atri.

Et ſemel in Octav. v. 779.

Aut quid pectore portas anhelo?

Sed (quod pace tanti viri dixerim) prior ex his Anapæſticus non eſt, quippe qui hoc pacto Trochæum tertio loco haberet, quem omnium ſuffragio Anapæſtici reſpuunt: ego potius Sapphicum brachycatalectum, ſive uno pede in principio mutilum, eum exiſtimaverim. Alterum vero, præterquam quod ex ea Tragœdia eſt, quam viri docti jamdudum genuinum Senecæ fœtum non agnoſcunt, Dactylicum potius quam Anapæſticum cenſendum quidam exiſtimabunt. Quod ſi ejuſmodi verſus Anapæſticis permixtos Anapæſticorum numero habere voluerimus, Boetius Buchananum defendit, qui haud raro ſecundum illis locum attribuit. Proxime ergo diſquirendum venit, an verſus illi quaternarii, veris Anapæſticis undique circumvallati, quamvis nullus iis inſit Anapæſtus, Anapæſticis annumerari debeant. Et ſane nullo eos diſcrimine Buchananum habuiſſe ex dictis fere palam eſt: neque eos diſtinxiſſe Boëtius videtur, utpote qui eos nullo ordine Anapæſticis immiſcuit, qui alias ſemper aut uno carminis genere, aut ſummum duobus certo ordine recurrentibus uti conſuevit. In eadem fuere ſententia omnes fere Grammatici, qui de hoc carmine ſcripſere, in eo enim omnes Anapæſto pares admittunt pedes, Dactylum, Spondæum, nonnulli & Proceleuſmaticum, nulla ei propria ſervata ſede: adeo ut toto in verſu Anapæſtico ſæpe Anapæſtus nullus inveniatur. Julio quidem Scaligero Poët. lib. 2. cap. 36. Dactylus contra leges admiſſus videtur, quod, quamvis Dactylus Anapæſto potentia ſit æqualis, diſpoſitione tamen contraria ſit, ut Iambo Trochæus, qui ſimul eundem verſum ingredi nequeunt. Eruditiſſimus vero, & vir, ſi quis alius, in rebus iſtiuſmodi perſpicaciſſimus, Rich. Bentlejus, quamvis id plane & diſertis verbis non affirmet, nullum pro Anapæſtico videtur agnoſcere, niſi cui vel inſit Anapæſtus, vel qui ſaltem ex ſolis Spondæis conſtet. Ego omnium fere Grammaticorum hac in re conſenſum potiorem arbitror, tantiſper ſaltem dum rationes cur ab iis diſſentiat, vir celeberrimus in medium adducat.

3tio. De ultima Anapæſticorum regione major exorta eſt controverſia, idem enim ille in literis vir ſummus R. Bentlejus, in Notis ſuis ad Joan. Antiochenum Malalam, p. 26. gravem hujus & ſuperioris ævi Poëtis, & in his Buchanano noſtro, impegit dicam, quod carminis Anapæſtici legum ignari, ultimam cujuſque verſus ſyllabam, aliorum pene omnium carminum more, communem exiſtimaverint, adeoque Anapæſtos ſuos Tribrachi, vel Trochæo, vel Cretico, idque ubi nulla eſſet clauſula vel interpunctum, terminare, vel etiam vocali aut litera M finire, verſu proximo ab alia vocali vel H incipiente, non dubitarint; quum, ex ipſius ſententia, ejuſmodi carmina apud veteres (Græcos præſertim) uno tenore, & quaſi unicus eſſet verſus, a primo ad ejus generis ultimum progrediantur. Et quamvis vir non minus ſcriptis ſuis quam generis ſplendore illuſtris, Car. Boylius, recentium Poëtarum partes animoſe tueatur, Cl. tamen Bentlejus, tantum abeſt ut ſententiam mutet, ut ſcripto Anglico de Epiſtolis Phalaridis, ac nuper in Notis ad Horat. Car. III. 12. eam ulterius confirmare pergat. Non noſtrum eſt tantas inter tantos viros lites componere: quum autem ſuſceptum carminis Buchananæi enarrandi officium id poſtulet, dabunt mihi æqui rerum æſtimatores hanc ve-

niam,

IV. Glyconius Choriambicus, de quo in cap. I. gen. VIII. Eo utitur interdum in choris, & nominatim Jeph. p. 189. ab illo verſu,

Jamjam diſcite perfidi.

ad

niam, ut abſque gratia & odio, quorum cauſſas procul habeo, quid hac in re ratione maxime ſubnixum mihi videatur, modeſte, & ea qua par eſt erga tam ſplendida nomina obſervantia, paucis proferam. Et quidem veteres illos dedita opera ab hiſce abſtinuiſſe, quæ recentioribus a Bentlejo vitio vertuntur, mihi veriſimillimum videtur, hoſque rectius magisque ex ordine fuiſſe facturos, ſi illorum veſtigiis paullo preſſius inſtitiſſent. Neque enim credibile eſt temere ac fortuitu factum, ut tam raro illi, hi tam frequenter hanc legem migrarent. Accedit etiam ad Bentleji cauſſam aliqua ex parte juvandam, quod priſci illi Poetæ nullas (uti dixi) ſyllabarum eliſiones Anapæſticis ſuis medias intervenire permiſerint, quæ apud recentiores nimis crebro occurrunt. Verum, hanc legem non ita ſtricte veteres ſibi ſervandam ſtatuiſſe, vel illud indicio eſt, quod nonnunquam ab ea diſcedant. Atque, ut Græcos omittam, e quibus quæ peti poſſunt exempla, Bentlejus nobis ivit ereptum, dum ea ad ſuam mentem, levibus, fateor, ac ingenioſis, ſed forte nimis audacibus mutationibus pertrahere nititur, e Latinis quidem Boetius hanc regulam vel ignoraſſe vel parum attendiſſe videtur, niſi fortaſſe verſus quibus abeſſet Anapæſtus, hoc numero eximendo cenſuerit, quod ob ſuperius allatam rationem mihi non ſit veriſimile: lib. certe 1. met. 5. etiam in veris Anapæſticis adverſus hanc legem bis continue peccat, v. 44.

Operis tanti pars non vilis.
Homines quatimur Fortunæ ſalo.
Rapidos, rector, comprime fluctus.

ubi primus verſus Trochæo, ſecundus Cretico, ex Bentleji ſententia, terminatur. Quod ad Senecam attinet, Bentlejus ait, *Adeo de induſtria* eum *temperaviſſe, ut ſemel tantum atque iterum Trochæo Anapæſtos clauſerit, nec niſi finita ſententia*; nobiliſſimus contra Boylus id plus minus quinquagies, idque nulla vel minima interveniente pauſa, factitatum exiſtimat, uterque parum ex vero pronunciantes. In genuinis enim Senecæ Tragœdiis, nulla vel levi interpunctione ſubjecta, quater tantum in fine invenio Trochæum, Hip. ſcil. v. 13. Herc. fur. v. 170. Med. v. 344. & Agam. 380. Interveniente puncto ter. Hip. v. 347. OEdip. v. 186 Tro v. 101. Tribrachyn autem ſemel, Tro. 131. ut verſus eos prætercam, quos, quamvis Anapæſticis hinc atque hinc cinctos, Bentlejus Dactylicorum nomine habiturus videtur; quales occurrunt Herc. fur. v. 1056. Thy. 868, & 878. Agam. 85, & 356. Tro. 707. In Herc. autem OEtæo & Octavia, quas licet Senecæ viri quidam docti abjudicent, antiquas tamen eſſe omnes fatentur, ſæpius ab hac regula diſceſſum; Herc. OEt. 181, 594, 1281, 1877, & 1914. Octav. 62, 204, 768, 776, 777, 809, 899, 936, 978. annumeratis etiam Dactylicis. Quibus aliquis forte addat Herc. OEt. v. 1152.

Jam Theſſalica Pelion Oſſa
Premet. ———

quemadmodum in Delrii, Thyſii, Scriverii, & antiquioribus fere omnibus codicibus legitur. Et ſane hanc lectionem haud parum confirmat, quod Seneca ſemper, alii plerumque *Oſſam Pelio imponant*, Vid. Herc. fur. v. 971. Agam. 338. Virg. Geo. 1. 281. Ovid. Met. 1. 155. Gronovius tamen legit,

Jam Theſſalicam Pelion Oſſam.

ex MS. Flor. Quam lectionem eo ſtabilire nititur, quod Statius & Claudian. *Pelio Oſſam ſubiiciant*: ſed in promtu erat aliud & firmius ſubſidium, quod nimirum, ſi *Theſſalica Oſſa* legamus, Tribrachys, pes alienus, ſecundam ſedem invaderet: niſi dicamus, ob ſpiritus inter dipodias moram, ſyllabam brevem nonnunquam longam fieri, ut in Troad.

Bis pulſata Dardana Graio.

& Octav.

Deflere vetat, in quo fuerat.

Quod ad alteram regulæ Bentlejanæ partem ſpectat, qua negat veteres *Anapæſtos ſuos vocali vel litera M finire, verſu proximo ab alia vocali, vel H, incipiente*, hanc quoque ab ipſo Seneca nonnunquam reperio neglectam, Herc. fur. 1190. Med. 306 Thy. 849, 859, & 948. Tro. 73 nulla vel parva mediante interpunctione. Interjecto autem colo, Herc. fur. 1113. Med. 373. Denique abſoluta periodo, Thy. 820, 958. Hipp. 8, 337. Tro. 94. Agam. 61, Ut taceam Herc. OEt. 1989, & Troad. 96. quem quiſpiam forte Dactylica baſi terminatum cauſſetur. Hæc exempla (& plura forſan repererit curioſus harum rerum indagator) duram iſtam Cl. Bentleji ſententiam, qua *Buchananum* noſtrum, *Scaligerum*, *Grotium*, *omneſque adeo qui poſt renatas literas Tragœdias ſcripſere, ſi ſtante re Græca vel Romana ſuas fabulas edidiſſent, ſibilis & κλωγμοῖς explodendos fuiſſe* edicit, ſi non penitus averruncare,

Digitized by Google

ad chori uſque exitum: toto item choro Bapt. p. 242.

Tandem livor, & impiis. &c.

Et Alceſt. p. 587. 588. & 597; Trochaicis dimetris [1] & Pherecratiis, nonnunquam & Anapæſticis ternariis, temere quaſi intermixtis. In Alceſtide tamen ſæpius adhibuit prima ſede Trochæum [2], ſemel etiam in Baptiſte,

Sola non metuis graves.

V. Iambicus dimeter, cujus in cap. I. gen. III. meminimus. Eo utitur nonnunquam in choris: veluti initio chori ſecundi Jeph. p. 189. Bapt. chor. 3. p. 239. Med. chor. p. 553. verſus unus p. 567. a.

Qui de tua ſtirpe aurea.

quatuor p. 577. b.

Nec ante portas conſpicor, &c.

ſeptem p. 555. a.

Sors, ſors ineluctabilis, & ſeqq.

VI. Verſus Pherecratius, de quo ſuperiore cap. gen. VIII. Eo utitur toto choro Jephthæ p. 194. & ſexies Alceſt. p. 587. b. 588 a. & p. 596. b. & 597. a. quindecies, aliis metrorum generibus varie interjectis.

VII. Verſus Sapphicus, cujus ſtructuram gen. V. cap. I. ſupra oſtendimus. Eo utitur primo choro Jeph. primo & ultimo choro Bapt. item in initio Alceſt. p. 578. a Quandoque tertius quiſque verſus Adonio clauditur, quandoque rarius, & ad Poëtæ arbitrium, Adonius interjicitur.

VIII. Dactylicus tetrameter acatalectus, conſtans quatuor Dactylis, vel eorum loco Spondæis, excepto ultimo, [3]

Eo utitur p. 563. b. ut,

Subtili librare examine,
Num deceat diſquirere fœminas
De rebus ſubtilibus anxie. &c.

IX. Anacreontius, qualem exhibuimus cap. I. gen. XXVII. Eo ſcripti ſunt verſus quinque Medea p. 567. a.

O terra lucidumque. & ſeqq.

Alceſt. p. 577. a. verſus unus,

In conjugem fuiſſe.

& pag. 595. a. verſus tres,

Subi, ſubi tenebras. & ſeqq. [4]

X. Alc-

mollire ſaltem ac mitigare poſſe videntur: præſertim ſi & illud adjecerimus, nullam de hac regula Bentlejana ſive Græcorum ſive Latinorum Grammaticorum uſquam exſtare præceptionem. Ut autem fateatur vir celeberrimus multo facilius eſſe leges condere, quam ſervare, ipſe, qui Nob. Boylium, & merito reprehenderat, quod in hac Græci diſtichi ex Phalar. Epiſt. 87. verſione,

Multo videtur ſatius, timentem nihil
Futura fata, quam timentem perpeti:

Iambicorum legibus vim intuliſſet, Trochæo vice Iambi collocato, ipſe, inquam, dum alium in viam reducens, pro *timentem metuentem* ſubſtitui jubet, in erratumque licet non æque grave, prolabitur: eo enim pacto Dactylus quartam ſedem occupaverit, qui locus ab Horatio, Seneca, aliove quoquam probo auctore, ei nunquam eſt tributus.

1 Forte qui in Alceſtide p. 587. occurrunt, Trochaicis dimetris catalectis, quibus permixti ſunt, annumerandi potius ſunt quam Choriambicis; eo enim nomine a Fabricio cenſentur qui in Senecæ OEdip. ver. 882. & ſeqq. pari modo Trochaicis interfuſi reperiuntur: Delrius contra utroſque Choriambicos trimetros appellat, ſubſtituto, ait, nonnunquam in locum Choriambi Moloſſo.

2 Trochæum vice Spondæi ſæpius adhibuit Seneca & Boëtius: ſemel etiam Horat. Car. I. 15.

Ignis Iliacas domos.

3 Tanta eſt licentia carminis Anapæſtici, ut a Dactylico interdum diſcerni nequeat. Vid. ſupra ad hujus cap. gen. II.

4 Verſus tamen poſtremus,

Digna lacrymis tuliſti.

Dactylum habet prima regione: vel inter Trochaicos cenſeri poteſt, prima in *lacrymis* ob mutam & liquidam continue ſequentes producta.

X. Alcmanius Dactylicus trimeter hypercatalectus, quale eſt illud Virgilii, *Munera lætitiamque dii.* Conſtat autem tribus Dactylis, cum ſyllaba in fine reſidua. Hujus generis verſus novem una ſerie occurrunt Alceſt. p. 584. b.

O Peliæ mihi nata, vale, & ſeqq.

XI. Trochaicus Alcmanius dimeter acatalectus, de quo ſupra cap. I. gen. XIX. dictum. Eo utitur quinquies Alceſt. p. 580. a. Trochaico dimetro catalecto alternis ſubjuncto,

Certa res eſt, certa, amici,

Sed precemur numina. &c.

XII. Trochaicus dimeter catalectus, qualis eſt tertius quiſque verſus gen. XIX. cap. I. Eo utitur alternatim cum Trochaico dimetro acatalecto (ut modo diximus) p. 580. a. interdum ſolo, ut quater aut quinquies ibid. quindecies Alceſt. pag. 588. a.

Limpidum propter lacum. & ſeqq. duobus Glyconiis interjectis, aliiſque utrinque ſtipantibus. [1] Item ter p. 595. a.

Calamitatem lugubrem. [2] &c.

Et p. 595. b. duodecies,

Qui beatos dicerent. &c.

XIII. Anapæſticus ternarius, conſtans tribus pedibus, quorum ſingulos (ad modum aliorum Anapæſticorum) Anapæſtus vel Spondæus vel Dactylus promiſcue obtinet. Hi in choris, Anapæſticis quaternariis, interim ſinguli, interim bini, nonnunquam & terni, interſperſi occurrunt, veluti Med. p. 542. b.

Socium lugendo tori.

p. 548. b. *Phœbus paria audiſſet.*

p. 549. a. *Sed Regina potentior* [3]

p. 557. b. *Et ſancta Deum ſoboles.* &

Fama novem peperiſſe

Narrat flavam Harmonien.

duo item p. 561. duo p. 563. In Alceſt. autem p. 580. tres; p. 594. b. unus.

XIV. Dactylicus trimeter acatalectus, conſtans tribus Dactylis, vel ultimo Amphimacro, quales, quod ſciam, tres tantum, & in Alceſt. p. 597. a. b. Pherecratiis & Glyconiis ſinguli interjecti occurrunt.

Mors etiam notha pignora. &

Aggere quæ tumuli premunt. &

Hæc moriendo viri ſui.

Duo autem reperiuntur p. 563. b. quibus primum ſecundumque pedem facit Spondæus,

Mecum ſæpe exactius.

Sum conata expendere, ac.

XV. Anapæſticus monometer, ſeu binarius, conſtans duobus pedibus, quorum alteruter vel Anapæſtus ſit, vel Spondæus, vel Dactylus. Is nunquam niſi ſemel uno in loco, & raro quidem occurrit, idque poſt multos Anapæſticos quaternarios (unde & baſis Anapæſtica nuncupatur,) quemadmodum Adonius (cum quo interdum confunditur) multorum Sapphicorum agmen claudit: unus p. 541. b. duo 543. a. unus p. 547.

[1] Vid. Notam ad hujus claſſ. gen. IV.

[2] In hoc verſu Tribrachys primam obtinet ſedem: in ſequente prima in *lacrymæ* ob mutam & liquidam producitur.

[3] Notandum Anapæſticos hoſce Glyconios nonnunquam evadere, ut,

Sed Regina potentior:

interdum & cum Pherecratiis coïncidere, ut

Sponſa ornabitur Orco.

Nos tamen ejuſmodi verſus eorum numero habuimus cum quibus proxime conjuncti ſunt.

p. 547. b. unus p. 549. a. unus p. 580. a. unus p. 585. a.

XVI. Iambicus dimeter brachycatalectus, in quo tres ſedes; quarum ſecundam Iambus vel Tribrachys, primam & tertiam Spondæus quoque, ejuſque diſſolutiones, Anapæſtus vel Dactylus occupare poſſunt, cujus generis duos tantum verſus reperio p. 567. a.

In liberos verterit. &
Ducunt originem.

XVII. Adonius dimeter, de quo hoc cap. claſſ. I. gen. VII. & XV. ac cap. I. gen. V.

CAP. III.

Animadverſiones quædam de Metris a Buchanano uſitatis, deque ſyllabarum quarundam quantitate, &c.

ABSOLUTA ſuperioribus capitibus (quantum in nobis eſt) metrorum omnium, quæ apud Buchananum occurrunt, expoſitione; ſupereſt demum, ut de metris ipſius in genere, aliiſque ad rem metricam ſpectantibus, animadverſiones quaſdam hic in calce ſubnectamus.

§. I. 1. Nullam adhibuit Buchananus carminis ſpeciem, niſi quam exemplo prævit aliquis antiquorum Poëtarum Latinorum, vel Claſſicus, vel Claſſicis proximus, inter quos Prudentium, Auſonium & Boëtium numeramus: id quod ſequente Diagrammate perſpicuum reddemus, in quo omnes apud Buchananum occurrentes verſuum ſpecies, auctoreſque quos in quibuſque eſt imitatus, uno quaſi conſpectu exhibentur.

Verſuum ſpecies a Buchanano uſitatæ.	*Metrorum genera in quibus occurrunt.*	*Poëtæ veteres quos Buchananus imitatur.*
I. Heroïcus hexameter.	1, 2, 4, 9, 20, 21, 22 28, 29. cap. I. & 1, 2, 7, 8. cap. II. claſſ. I.	Virgilius, Lucretius, Horatius, Ovidius, &c.
II. Pentameter Elegiacus.	18, 22. cap. I. & 2. cap. II. claſſ. I.	Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, &c.
III. Sapphicus pentameter.	5, 7, 17, cap. I. 12. cap. II. claſſ. I. & 7. claſſ. II.	Catullus, Horatius, Statius, Prudentius, Boëtius, Seneca.
IV. Phaleucius hendecaſyllabus.	3, cap. II. claſſ. I.	Catullus, Statius, Martialis, Pruden. Auſonius, Boëtius.
V. Iambicus trimeter acatalectus.	2, 3, 14, 18. cap I. 4, 6, 8. cap. II. claſſ. I. & 1. claſſ. II.	Catullus, Horatius, Martialis, Prudentius, Auſonius, Boëtius.

VI. Iambicus dimeter acatalectus.	3, 7, 10, 21, 23, 28, 29. cap. I. 5, 7, cap. II. claſſ. I. & 5. claſſ. II.	Iidem.
VII. Iambicus ſenarius Scazon acatalectus.	14. cap. II. claſſ. I.	Catullus, Perſius, Martialis.
VIII. Iambicus Anacreontius dimeter catal.	27. cap. I. 10. cap. II. claſſ. I. & 9. claſſ. II.	Prudentius.
IX. Iambicus Archilochius dimeter hypercatal.	6. cap. I & 9. cap. II. claſſ. I.	Horatius.
X. Iambicus Archilochius trimeter catal.	13. cap. II. claſſ. I.	Horatius.
XI. Iambicus dimeter brachycatal.	16. cap. II. claſſ. II.	Seneca.
XII. Choriambicus Glyconius trimeter	8, 11, 12, 13, 17. 26. cap. I. & 4. cap. II. claſſ. II.	Catullus, Horatius, Seneca, Prudentius, Boëtius.
XIII. Choriambicus Aſclepiadeus tetrameter.	8, 11, 12, 13, 16. cap. I. & 3. cap. II. claſſ. II.	Horatius, Prudentius, Boëtius.
XIV. Choriambicus Alcaicus pentameter.	12. cap. I.	Catullus, Horatius, Prudentius.
XV. Trochaicus octonarius catal.	24. cap. I.	Prudentius, Seneca, *&c.*
XVI. Trochaicus Alcmanius dimeter acatal.	19. cap. I. & 11. cap. II. claſſ. II.	Seneca.
XVII. Trochaicus Euripidæus dimeter catal.	19, 23. cap. I. & 12. cap. II. claſſ. II.	Iidem.
XVIII. Anapæſticus Pindaricus quaternarius acatalectus.	25. cap. I. 11. cap. II. claſſ. I. & 2. claſſ. II.	Seneca, Boëtius.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Anapæſticus Partheniacus quaternarius catalectus.	20. cap. I.	Boëtius.
XX. Anapæſticus ternarius acatalectus.	15. cap. II. claſſ. II.	Seneca.
XXI. Anapæſt. binarius acatal.	15. cap. II. claſſ. II.	Idem.
XXII. Dactylicus Alcmanius tetrameter acatal.	4. cap. I.	Horatius, Boëtius.
XXIII. Dact. Alcmanius tetram. acatal. alter.	8. cap. II. claſſ. II.	Seneca.
XXIV. Dactylicus Alcaicus tetrameter acatalectus, ſemi-Iambicus.	6, 15. cap. I. & 9. cap. II. claſſ. I.	Horatius, Statius, Prudentius.
XXV. Dactylicus Alcaicus tetram. acatal. ſemi-Trochaicus.	6, cap. I. & 9. cap. II. claſſ. I.	Horatius.
XXVI. Dactyl. Pherecratius, trimeter acatal.	8. 26. cap. I. & 6. cap. II. claſſ. II.	Horatius, Boëtius.
XXVII. Dactylicus Alcmanius trimeter hypercatal.	10. cap. II. claſſ. II.	Virgilius.
XXVIII. Dactylicus trimeter acatalectus.	14. cap. II. claſſ. II.	Seneca.
XXIX. Adonius dimeter acatalectus.	5. cap. I. 12. cap. II. claſſ. I. & 17. claſſ. II.	Catullus, Horatius, Statius, Boëtius, Seneca.
XXX. Dactylicus Archilochius dimeter hypercatalectus.	9, 28, 29. cap. I.	Virgilius, Horatius.

2. Quam-

2. Quamvis autem Buchananus (ut ex præcedente hoc ſchemate palam eſt) nullas novas verſuum ſpecies excogitaverit, in eorum tamen variis combinationibus non adeo fuit religioſus antiquorum imitator: quinque enim occurrunt apud eum metrorum genera, ex diverſis carminum ſpeciebus conflata, quorum nullum inter priſcos Latinos ſupereſt exemplum, *videl.*

1. Sapphicus cum Iambico dimetro. *Pſal.* 8.

2. Duo Troch. acatalecti, cum Troch. catal. *Pſal.* 66.

3. Hexam. heroicus cum Anapæſt. Parthen. *Pſal.* 68.

4. Troch. dimet. acatal. cum Iamb. dimetro. *Pſal.* 100.

5. Hexameter heroicus cum Archil. dimet. hypercat. & Iambico dimetro. *Pſal.* 145.

Neque libertas hæc Poëtica Buchanano aut cuiquam vitio vertenda eſt: quamvis enim ambigi poſſit, an ullæ apud Horatium occurrant variorum carminum Συζυγίαι: niſi quas a Græcis ſit mutuatus, nemo tamen id ei licuiſſe negaverit: Boëtius certe tot non modo verſuum conjugationes, ſed & verſuum genera exhibuit, qualium apud vetuſtioris ævi Poëtas, qui ad noſtram ætatem perennarunt, nullum quidem exſtat veſtigium, ut bonam eorum partem vel ipſe primus excogitaſſe, vel novo atque inuſitato ordine non ſine affectatione copulaſſe a doctis exiſtimetur. Multam etiam hac in re recentiores, & Buchanani fere æquales Poëtæ ſibi indulſere licentiam, Beza, Scaliger, Buchnerus, & in primis Paulus Meliſſus, *&c.* Cæterum Buchananus Horatium Lyricorum principem exemplar ſibi præcipuum propoſuit; poſt hunc vero Prudentium & Boëtium Poëtarum Chriſtianorum Coryphæos: interdum tamen, ne ſervilis prorſus imitator videri poſſet, ingenio ſuo, licet rarius, ſervivit.

3. In Tragœdiis ſacris graviſſimus eſt, eamque ob cauſſam multo rarius quam Seneca metri genera commutat: præterea quocunque carminis genere quis ſcenam loquens ingreditur, eodem fere ſemper eam relinquit.

4. In Tragœdiis e Græcis converſis, Euripidis non ſententiam tantum, ſed & carminis genus ut plurimum eſt ſecutus: adeoque, ut in illo, ita & in Buchanano Iambici in dramatis actione, Anapæſtici in choris fere dominantur; quomodo & in Euripide fabulæ diſtinguuntur: Buchananus tamen ab hac lege nonnunquam diſcedit, Sapphicis, Glyconiis, aliiſque in aliorum ab Euripide uſitatorum carminum vicem ſurrogatis.

§. II. Reliquum eſt ut Poëticas, quas vocant, licentias, aliaque ad rem metricam ſpectantia, ſive a viris doctis, ſive a nobiſmetipſis obſervata, excutiamus. Omnis autem licentia metrica, vel in ſyllabarum quantitate immutata, vel eliſionum neglectu, vel pedum alienorum, vel alieno loco poſitorum uſu, vel denique in craſibus diæreſibuſque inuſitatis conſiſtit. Ex his quædam ſuperius attigimus, reliqua huc tanquam in commodiorem locum rejicere viſum eſt: in quibus quæ Poëtarum veterum exemplis ſuffulta, quæ auctoritate deſtituta, quæque demum incerta atque ambigua videntur, ſuo ordine atque ſingulatim, quatenus ea nobis indagare licuit, oſtendemus.

1. Non dubitavit Buchananus vocabulorum quorundam Hebraicorum menſuram mutare: veluti primam in *Rabini*, altera B rejecta brevem facit; quemadmodum & ſecundam in *Iſacus* & *Iſacidæ*, contra quam Hebræis efferuntur. Sed hoc ſolenne Latinis ac in more poſitum fuiſſe dudum monſtrarunt viri docti, qui in vocibus barbaris, præcipue propriis, non tantum ab ea, quam in primæva ſua lingua habuerant, quantitate diſceſſerunt, ſed & primas ſæpiſſime ſyllabas, & haud raro medias, ancipites fecerunt; quod permultis exemplis Butlerus oſtendit 2 Rhet. libro.

2. Quidam exiſtimant penultimam in *fortuitus* male produci Pſal. 19.

Non fortuito res caducas.

Et Pſal. 110.

E fortuitis dum fugam premet, ſitim.

Et in Alceſtide,

Dein fortuitos apparatus inſolens.

Cum ea ſyllaba, inquiunt, a Juvenale corripiatur, Sat. 13.

Non quaſi fortuitus, nec ventorum rabie, ſed.

Quibus (Voſſii verbis) reſpondeo, invalidum hoc eſſe argumentum, cum dici poſſit ſecundam & tertiam in *fortuitus* contrahi κατὰ συνίζησιν, quomodo & Horatius dixit, lib. 1. Ep. 1.

Præcipue ſanus niſi cum pituita moleſta eſt.

Nam produci primam in *pituita* liquet ex illo Catulli,

Mucuſque & mali pituita naſi.

Sane Plautus penultimam τοῦ *fortuitu* liquido producit in illo Trochaico,

Si eam ſenex anum prægnantem fortuitu fecerit.

Apud Horatium quoque legere eſt lib. 2. Od. 15.

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem.

Et apud Auſonium in *ludo Sapientum* eſt iſte Trochaicus,

Non erunt honores unquam fortuiti muneris.

Imo tantum abeſt ut hic errarit noſter, ut Janus Douſa in Præcidaneis ad Horatium lib. 2. cap. 16. τὸ I in hujuſmodi male corripi putet.

3. Primam in *profiteor* produxit Buchananus Pſal. 62.

Id profitentem audivimus.

quæ Horatio ſemper corripitur. Art. 27.

Deficiunt animique: profeſſus grandia turget. &

Inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis.

Et Epiſt. lib. 1. 18.

Scurrantis ſpeciem præbere, profeſſus amicum.

Item Ovidio, Statio, & ipſi quidem Buchan. verſu immediate præcedente. Ennius tamen producit illo verſu apud Nonium,

Te ipſum hoc oportet profiteri & proloqui.

Et Juvencus,

Profeſſi rapiunt alieno nomine prædam.

Et pari ratione prima in *profeſſio* Aratori longa eſt,

Æterni, ſcitote, Dei profeſſio vera.

Eamque ob cauſſam ea ſyllaba Poëtices Gieſſenæ auctoribus anceps ſtatuitur.

4. Ultima in adverbiis hiſce *ſubito*, *denuo*, *imo*, *aſſiduo*, noſtro correpta leguntur. Pſal. 69. ſtr. 20.

Supplex opem orat: ſubito miſerum ſublevа.

Pſal. 104.

In cinerem, inſpirante animam te denuo, ſurgit.

Bapt.

Digitized by Google

Bapt. p. 222. b.

Brevi peribit, imo perit, imo periit.

Alceſt. p. 598. b.

Qui poterit inter aſſiduo juvenes agens.

Quod ad primum ſpectat, alibi nuſquam niſi productum illud reperio. Ob adverbium autem *denuo* in fine correptum acriter in Buchananum invehitur Egliſemmius; at non impune tuliſſe paſſus eſt egregius Buchanani vindex, atque harum rerum judex peritiſſimus, Gul. Barclajus: & quoniam ad Grammaticos Egliſemmius provocarat, adducit ille ex antiquis Victorinum, qui vocem *denuo* Dactylum eſſe diſerte affirmat. Sedulius etiam minime ſpernendus auctor, qui floruit circa annum 430, ultimam corripit, illo verſu,

Vox domini ſuperexſtat aquas, vox denuo verbum.

Imo autem Martialis corripit lib. 1. Epig. 86.

Vendere: nil debet, fœnerat imo magis.

Quod ad quartum attinet, puta *aſſiduo*, nuſquam illud adverbialiter aut in ſoluta aut ligata oratione invenio, uno Plauto excepto, apud quem occurrit tribus tantum in locis, in quibus ipſius quantitas nequit dignoſci. Exiſtiment forte nonnulli Anapæſtum in verſu allato quarta ſede eſſe poſitum, quem a Buchanano nonnunquam admiſſum monſtravimus, p. 625. Ego vero ultimam in *aſſiduo* correptam, adeoque & Tribrachym potius arbitror; cum, ſi Anapæſtum eo loco adhibere voluiſſet, in promtu ipſi fuerat adverbium *aſſidue*, ab aliis omnibus (ut diximus) præter unum Plautum, uſitatum. Atque, ut libere dicam quid ſentiam, videtur mihi Buchananus exiſtimaſſe, (renitentibus licet Grammaticorum filiis) in hiſce atque ſimilibus adverbiis ab ablativis ſecundæ deductis, ultimam ſemper ſyllabam communem eſſe, hoc eſt, aliquando (licet rarius corripi poſſe. Et ſane quod id ſibi fas eſſe veteres crediderint, fidem fere facit permagna quæ in ejuſmodi vocabulis apud eos occurrit inconſtantia. *Modo* apud Victorinum longum legitur, ſed apud Horatium alioſque breve. *Imo* Martialis corripit, *Quinimo* Prudentius; Victorinus producit. *Cito* Horatius corripit, Syrus Mimus producit. *Quomodo* Catullus producit, Martialis corripit & Horatius. *Sero* a Tibullo producitur, a Martiale & Juvenale corripitur. Terentiano Mauro breve eſt *profecto*. *Vero* Valerio Flacco & Auſonio breve, Virgilio longum. *Omnino* Virgilius producit, Proſper corripit. Eadem videtur *gerundiorum* ratio, quæ a Virgilio fere producuntur, ſed ab aliis Poëtis communiter uſurpantur.

5. Mediam in *præſtolor* Buchananus corripit Pſal. 27.

Vitæ beatæ præſtolor.

quæ tamen Grammaticorum vulgo producitur, quod etiam a Valla factum eſt in tralatione oraculi apud Herodotum in 7.

Terrenaſque acies ne præſtolare, ſed hoſti.

Horum, præcipue Deſpauterii, auctoritate fretus Taubmannus Buchananum corripientem reprehendit: ſed a Buchanani partibus ſtant Beemannus, Voſſius & Cellarius, qui analogia & origine vocis adducti mediam ſtatuunt brevem: *præſtolor* enim eſt a diminutivo *præſtulus*, antique *præſtolus*, quod a *præſtus* nomine

mine obſoleto, unde [1] *præſto* adhuc ſupereſt.

6. At huic normæ plane contrarium a Buchanano admiſſum eſt in voce *ſaluber*, cujus ſecundam invita analogia (a *ſalute* enim deducitur) correptam adhibuit, Pſal. 99. ſtr. 3. in illo Choriambico,

Nomen, qui ſalubri temperie modum.

Quod Voſſio, Munckero aliiſque diſplicet. Non tamen omni prorſus auctoritate diſtituitur Buchan. Helvius enim Cinna, qui ante Chriſtum floruit, etiam corripuit illo verſu,

Hoſtica quod [2] ſalubrem cuſpis haberet opem.

7. In illo verſu Iambico Bapt. p. 229. a.

Cave lenitatis falſa ſpecies avocet.

ultimam verbi *cave* corripuit, quanquam ex Grammaticorum regulis, & probatiſſimorum auctorum uſu, iſtiuſmodi ſecundæ conjugationis imperativi poſtremam ſyllabam habeant productam: & nominatim ipſa hæc vox producitur a Lucretio lib. 2. ver. 754.

Proinde colore cave contingas ſemina rerum.

Horat. lib. 1. Ep. 6. ver. 32.

Lucum ligna? cave ne portus occupet alter.

Et Epod. 6.

Cave, cave: namque in malos aſperrimus.

Ovid. lib. Met. 2. fab. 1.

Nate cave, dum reſque ſinit tua corrige vota.

Stat. Theb. 11. ver. 111.

Prævaleat, plebeſque, cave, Lernæa moretur.

Et Claudian. 4. Con. Hon. v. 332.

Obſidio, tum vota cave ſecura remittas.

Et ipſe Buch. in Franc.

Ergo cave ne te falſo ſub nomine mendax.

Tuetur tamen Buchan. ejuſdem Horatii auctoritas qui corripuit Epiſt. I. 13.

Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.

Et Sat. II. 3. ver. 38.

Me capite in flumen: dexter ſtetit, & cave faxis.

Et ibid. ver. 177.

Tu cave ne minuas, tu ne majus facias id.

Et Sat. II. 5. ver. 75.

Laudato. Scortator erit? Cave te roget: ultro.

Et Ovid. 1. Triſt. Eleg. 1.

Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis.

Et lib. de Ponto 3. Eleg. 1.

Huic cave degeneres: ut ſint præconia noſtra.

Pari modo *vale* & *vide* ultimam ſyllabam nonnunquam habent correptam. Cujus rei hanc reddit Voſſius rationem, quod multa verba ſecundæ olim fuerant & tertiæ.

8. Primam in *denique* corripere videtur Buch. p. 229. a.

Regina denique gravius æquo iraſcitur.

ſi nempe ita metiamur verſum,

Regi | na deni | que gravi | us æ | qu'i- ra | ſcitur.

cum Tribrachi in ſecunda regione: cujus tamen ſyllabæ correptæ nullum, quod ſciam, apud probatæ claſſis Poëtam exſtat exemplum: ne igitur ſyllabæ dimenſioni vis inferatur, ita potius carmen exiſtimo menſurandum,

Regi | na de | nique gra | vius æ | qu'i- ra | ſcitur.

Cum

1 *Præſto*] [Vid. & Martini Lexicon Etym. in hoc verbo.].

2 *Salubrem*] [Vide Pincier. Parerg. lib. 11. cap. 19.]

Cum Anapæſto in quarta ſede, quem pedem interdum eo loco admiſiſſe Buch. alibi docuimus: aut forte dici poſſit *gravius* hic diſſyllabum eſſe per συνίζησιν.

9. In illo verſu Bapt. p. 240.b.

Ecquid animo æquo fers dignitatem tuam.

primam in *dignitatem* corripuit: ſecus enim in metri legem peccaverit, ſi Spondæum eo in loco (quarta nimirum ſede) adhibuiſſe illum dicamus. Verum (quamvis forte prima in hac voce nuſquam brevis reperiatur) non tamen deſunt exempla, in quibus ſyllabæ, quas muta aliqua cum liquida M aut N (nam cum L & R innumera occurrunt) continue conſequantur, breves inveniuntur, veluti Horat.

Donatura cycni ſi libeat ſonum.

& Petron.

Atque urbana Progne ——

Ne quid tamen diſſimulem, Princeps Grammaticorum Voſſius vocalem ante mutam & liquidam N in vocibus Græcæ originis duntaxat ancipitem poni contendit.

10. Idem quoque de *Publicanus* dicendum, cujus primam corripuit Frat. p.283.b.

Publicanus eſſe non recuſet. Pauperum,

quanquam a nemine alio id factum legamus: neque enim obſtat vocis origo, a *populo* enim deducitur, cujus prima eſt brevis.

11. Quod itidem primam in *ichneumon* corripiat, Franc. p. 262.

Semper erit tardus, lea ſæva, doloſus ichneumon,

non tantum pari ratione nititur, ſed etiam Martialis auctoritate confirmatur lib. 7. Epig. 86.

Delectat Marium ſi pernicioſus ichneumon.

12. Quidam forte exiſtimaverint ult. in *ergo* male corripi a Buch. Franc. p 259.

Ergo cave ne te falſo ſub nomine mendax.

quam abſque ulla diſtinctione Marius Victorinus, eumque ſequutus Novæ Methodi auctor, ſemper produci affirmant. Fateor equidem cum pro *cauſſa* accipitur, nuſquam niſi longam inveniri; & etiam quando pro ἂν, ſeu *igitur*, ſumitur, a Lucretio, Virgilio, Horatio, Tibullo, Manilio ſemper produci: at non deſunt exempla quamplurima quibus correpta reperiatur: & in genere Martialis eam ſemper corripit, Statius ubique niſi uno in loco; & nominatim

Ovid. Ep. OEn.

Votis ergo meis alii rediture rediſti.

Claud. Epiſt. ad Olyb.

Deſpicis ergo tuum, ſi fas eſt credere, vatem.

Et Juven. Sat. 1.

Impune ergo mihi recitaverit ille togatos.

13. Secundam in *parricidis* producit Buchananus Franc. p. 262.

De parricidis, de furibus atque cinædis.

contra Grammaticorum regulas & Horatii auctoritatem lib. 3. Od 29.

Telegoni juga parricidæ.

Non tamen exemplo prorſus caruit noſter, ante enim Auſonius produxerat, tetraſticho de Severo Imp.

Ut parricidæ regna adimat Didio.

quod & clariſſimus Voſſius, ſi non tuetur, ſaltem excuſat, Art. Gram. lib. 2. cap. 20.

14. Ul-

14. Ultimum vocis *Eia* producendam ſtatuit Probus, atque ita uſus eſt Sidonius: corripuit tamen Buchan. Pſal. 147. ter.

Eia Deum laudate, Deo date carmina digna. &

Eia Deum cantate, Deo perſolvite grates. &

Eia Dei laudes Solymæa pangite turres.

ad imitationem Valerii Flacci Argon. lib. 8. ver. 100.

—— Eia per ipſum
Scande ——

quod & tutius Voſſius cenſet.

15. Penultimam nominis *locuples* non dubitavit Buchan. longam efferre, eo quod ſequantur muta cum liquida, in Bapt p. 250. a.

Et locupletis Solomonis arces.

Neque obſtat quod Voſſius in fine hexametri ſo illam vocem uſurpaturum negat, lib. 2. cap. 15. ob inſolitum, ut videtur, atque auribus ingratum ſonum, qui hic neutiquam locum habet: Horatius enim eam ſyllabam protractam extulit Car. II. 18.

Parum locuples continenti ripa.

16. Ultimam adverbii *uti* corripuit in Medea p. 547. a.

Adhuc moleſta, mulier, eris, uti video.

Et p. 549 a.

Minime faceſſunt: perge, uti facis, dicere.

Et pag. 552. b.

Cupidinem uxoris: ſed (uti dixi prius)

cujus ſane nullum reperio exemplum. Virg. certe producit Æn. 1.

Namque canebat uti bellantes Pergama circum.

Horat. item lib. 1. Od. 15.

Quem tu cervus uti vallis in altera.

Et ipſe, Med. p. 552. b.

Meis uti de ſtirpe fratres regia.

Et p. 568. b.

Illos peremtos, hanc uti pœnam exigam.

Et Pſal. 80. v. 1.

Hebræi generis paſtor uti gregem.

Buchananus tamen non nuſquam correptam legiſſe videtur, unde & in Proſodia ſua communem ponit, niſi forte eum decepit compoſitum *ſicuti*, cujus ultimam Lucretius corripit lib. 2. ver. 536.

Sicuti quadrupedem cum primis eſſe videmus.

17. Buchanano vitio datur a Cl. Voſſio quod primam in *citimus* produxerit lib. 2. Sphæræ

—— Quæ citima fulgent,
Sidera ——

& pari modo etiam in *citerior*, Ibid.

Et quo citerior quiſque, magis impetus illum.

quam ſyllabam Fulgentius in Aſtronomicis corripit,

Qua citimus limes diſpeſcit turbida puris.

Quin & ipſe Buchan. primam in *citroque* facit brevem,

Ultro citroque verba commutaveris.

Sed cum ex nullo idoneo auctore dignoſci queat quantitas præpoſitionis *cis*, unde *citimus* & *citerior* ſunt deducta; Fulgentiuſque [1] ille, & ipſe non ſatis certæ ætatis, nec probatæ fidei ſcriptor, nec forte Buchanano niſi poſt ſcriptos de Sphæra libros unquam conſpectus, primumque, quod ſciam, in Joſ. Scaligeri Ap-
pend.

[1] De hujus auctoris nomine & ætate diſputantes videſis Turnebum Adverſ. lib. XIX. cap. 3. Salmaſ. Exerc. Plin. in Solini Polyhiſtora p. 796. edit. Traj. ad Rhenum. 1689.

pend. Virgilii Anno 1573. prodierit: cumque denique primam in *citra* & *citro* ejuſdem originis vocabulis a Lucretio Horatioque productam inveniret; danda eſt tanto Poëtæ venia, ſi idonea auctoritate deſtitutus, eam huic ſyllabæ, quæ terſiſſimis ipſius auribus potiſſima eſt viſa, quantitatem tribuerit.

18. Quidam forte opinentur primam in *totus* male corripi lib. V. Sphæræ,

Tum quota pars Lunæ Solis ſubtenditur orbi,
Pars ferruginea latitat tota Solis in umbra.

eo quod Aldus Manutius in ſua Grammatica, & eo longe antiquior Cledonius Conſtantinopolitanus, primam τῦ *totus* a *tot* contra primogenii modulum produci affirment: at illis impoſuiſſe videtur, quod *totus*, pro *integro*, priorem habeat longam; quam vocem non a *tot*, ſed a Græco τὸ ὅλον Voſſius deducit. *Totus* certe a *tot*, ſive redditivum τῦ *quotus*, originariam ſuam ſervare menſuram aperte indicat Manilius lib. 3. ver. 447.

Detrahitur ſummæ tota pars, quota demitur inde.

Et Lucretius lib. 6. ver. 652.

Nec tota pars homo terrai, quota totius unus.

quam e membranis ſuis depromtam lectionem magnus Voſſius ut elegantiſſimam veriſſimamque tuetur, tametſi impreſſi fere omnes libri exhibeant,

Et quota pars homo terrai ſit totius unus.

19. Inſcitiam ſuam produnt, qui Buchananum Iambicorum leges turbaſſe ſomniant, verſu 2. Pſal. 110.

Aſſide dexteram ad meam.

tanquam prima ſede Trochæum, ſecundaque Spondæum collocaſſet, quod utrumque Iambici ex æquo reſpuunt; non animadvertentes penultimam τῦ *aſſide* hic longam enunciari, utpote quod non ab *aſſideo* ſecundæ, ſed ab *aſſido* tertiæ conjugationis deducatur: hoc vero eodem ſignificatu quo illud uſurpari, teſtes ſunt ſatis locupletes, Terent. Heaut.

Aſſido, accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt.

Cic. 1. Acad.

Et ſimul aſſidamus, inquam, ſi videtur.

Plaut. Aul.

In ara hic aſſidam ſacra.

20. Synalœpham nuſquam a Buchanano neglectam reperio, niſi forte in illo Anapæſtico Med. 561. a.

Acceptum capiti imponet.

qui ſic menſurandus videtur,

Accep | tum capi | ti im | ponet.

ad exemplum Senecæ in Troad.

Contenta ſono, Hectora flemus.

Et Ibid.

Canuit Ide, Ide noſtris.

[quemadmodum libri antiquiores Buchanano conſpecti exhibent;] niſi fortaſſis ſit Anapæſticus dimeter, aut Dactylicus quaternarius catalectus, aut Glyconius cum Trochæo in fine vice Pyrrhichii.

21. Quod ad illud attinet Med. p. 561. b. *Æ, e,* Euripidi ipſi αἰ, αἰ, vix vocis articulatæ, nedum verſus nomine cenſendum eſt.

22. Syllabam brevem ob cæſuram productam reperio lib. 2. de Sphæra, p. 453.

Ambitus æqualis omni quæ parte coërcet.

idem alibi obſervavit Ad. Regius. Sed cum ejuſmodi exempla apud optimos Poëtas crebra occurrant, non eſt quod omnibus quæ apud Buchananum

Digitized by Google

nanum reperiuntur recenſendis immoremur.

23 Atque eam ob cauſſam, quamvis in illis verſibus Pſal. 9.

Ut qua mole Sion creſcit in æthera
Late conſpicua, laudibus efferam
Te ——

conſpicua jungi poſſit cum *mole*, atque adeo ablativi caſus eſſe; mihi tamen concinnius, & Latini ſermonis genio accommodatius videtur ad *τὸ Sion* referri, atque adeo in nominandi caſu eſſe poſitum: exemplo autem præiverat eodem carminis genere Horat. Car. I. 13.

Certa ſede manet, humor & in genas.
Et III. 16.
Quam ſi quicquid arat impiger Annibal.
Ita I. 3.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Et hoc Alcaico, Car. II. 13.
Cæca timet aliunde fata.

24. De *pedibus alienis* partim ſupra egimus, in carmine ſcil. Sapphico, in cujus ſecunda ſede nonnunquam adhibuit Trochæum, veluti

Mox humi eomis jacet areſactis.

Cui addantur alii duo verſus, unus Jeph. chor. 1. p. 185. b.

Nec tibi Syrus, neque dirus Ammon.
Alter Bapt. p. 250. b.
Numinis favor ſpatium relictis.[1]

25. Item in Glyconio, cujus primam regionem Trochæum etiam occupaſſe in genere XXVI. cap. I. & IV. claſſ. II. cap. II. annotavimus.

26. Ibid. etiam in genere I. obſervavimus Anapæſtum quandoque, licet rariſſime, in 4ta carminis Iambici ſenarii ſede collocatum.

27. In illo autem verſu Bapt. p. 221. a.

Rex Antipatri Semiarabis pronepos.

mendum irrepſiſſe videtur, non ſolum quod ea ratione Trochæus, qui omnium ſuffragio a carmine Iambico debet exulare, quintam ſedem obtinebit, ſed etiam quod veritati hiſtoricæ pugnet, Herodes enim ille filius erat Herodis Aſcalonitæ filii Antipatri Idumæi: adeoque legendum *nepos* non *pronepos*, verſuſque ſic metiendus,

Rex An | tipa | tri Se | mia | rabis | nepos.

Neque tamen exiſtimes quartum locum occupare Pyrrhichium, eo quod prima in *Arabs* Poëtis ſit brevis: Buchananus enim hic, contra primitivæ vocis normam, tertiam in *Semiarabis* produxit: neque id ei magis vitio vertendum, quam Poëtarum principibus, qui vocabulis uſuri, quæ aliter ægre admodum, aut non omnino, iſtud carminis quo ſcribebant genus ingredi potuerant, quo facilius iſta verſibus

1 Vid. ſupra cap. I. gen. V. ubi Senecam majore licentia Dactylum ſecundo loco vice Spondæi poſuiſſe oſtendimus. Idem quoque Iambum ſecundum adhibuit Agam. ver. 854.

Fugitque in auras leviore ramo.
Et OEdip. 714.
Lavitque Dirce Tyrios colonos.

Imo Dactylum admiſit primo loco, Agam. 631.

Et licuit verſare dolos, ut ipſi
Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.

Anapæſtum etiam primo, & Iambum ſecundo loco, Agam. 836.

Vetuitque collo pereunte naſci. & 860.
Triplici catena, tacuit, nec ullo.

& Choriambum primo, Agam. 650.

Servitium contemptor levium Deorum.

denique inverſo ordine Spondæum prima, Trochæum ſecunda ſede collocavit, Ibid. 615.

Quam non Pelei Thetidoſque natus.

niſi forte voces ſint trajectæ, legendumque,

Pelei quam non Thetidoſque natus.

bus ſuis poſſent accommodare, a primogeniorum quantitate diſcedere non dubitarunt, & præcipue in nominibus propriis, quorum (ut ſupra animadvertimus) ne originaria quidem ſatis certa fuerat & legibus definita ſyllabarum menſura. Ita prima in *Priamides* & *Italia* ſummis Poëtis ſemper longa eſt, quæ tamen in *Priamus* & *Italus* ſemper eſt brevis. Sic prima in *Apulus* ſemper eſt longa, in *Apulia* anceps; ſecunda in priori ſemper brevis, in poſteriori ſemper longa. Sic quoque Auſonius ſecundam in *Regifugium* metri neceſſitate coactus produxit, & ſecundam itidem in *parricida* Auſonium ſequutus Buchananus ob eandem, ut videtur, rationem, fecit longam; &, quod Buchananum vel omni culpæ ſuſpicione eximit, Propertius, ob eandem cauſſam, primam in *Arabia* & *Arabius* ſemper producit, lib. II. El 10. ver. 16.

Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

Et lib. I. 14, 19.

Illa neque Arabium metuit tranſcendere limen.

Et lib. II. 3, 15.

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

28. Porro, ut de *Craſibus* & *Diæreſibus* apud Buchananum occurrentibus aliquid adjiciam; (omiſſis quæ optimis omni ævo Poëtis in frequentiſſimo fuere uſu, quæque nemini in re metrica paullulum verſato ignota eſſe poſſunt:) quædam ſunt quas rariſſime ab aliis uſurpatas reperio. Iſtius generis craſibus (ſive Epiſynalœphas aut Synereſes mavis appellare) referri poſſunt *eo*, *eam*, *eum*, &c. in unam ſyllabam contracta, quorumque exempla ſuperius adduximus pag. 624. Et quamvis iis in locis concedamus Anapæſtum quartam Iambici ſenarii ſedem obtinere, adeoque voces eas diſſyllabas eſſe, in illo autem Iambico, Bapt. 223. b.

Eos erudivit cuncta ſpiritus Dei.

Eos neceſſe eſt monoſyllabum eſſe, niſi vel prima regione Bacchium, vel ſecunda Amphimacrum collocare velimus, quorum neuter in Iambico locum habere poteſt. Primam in vocibus iſtis literam a Comicis nonnunquam abſorptam non ignoro; id autem a Tragicis aliiſve factitatum nuſquam reperio. Huc etiam ſpectat *tua* monoſyllabum Pſal. 37.

Tua faciet ut ſit æquitas.

(niſi Proceleuſmaticus primo loco adhibeatur, cujus in trimetris rariſſimum, in dimetris nullum exemplum invenio.) Comici quidem *tua*, *ſua*, &c. per unam ſyllabam efferunt, nulli autem quod ſciam alii: In illo enim Sapphico Senecæ Agam. ver. 632.

Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.

Dactylus primam ſedem tenere videtur, ut in verſu immediate præeunte,

Et licuit verſare dolos, ut ipſi.

Vid. ſupra Notam ad n. 24. Quod ad illum Maronis verſum ſpectat, Eclog. VII. ver. 54.

Strata jacent paſſim ſua quæque ſub arbore poma.

Voſſius quidem uno in loco, libro ſcil. 2. cap. 14. *ſua* eſſe ablativum ſtructuram indicare, eundemque quem prima in *ſuavis* diſſyllabo ſonum habere affirmat: lib. vero 6. cap. 7. ſibi aperte contradicit, Canterumque ita dicentem damnat. *Nam* (ipſius cito verba) *ut alibi diximus*, ſua *hic omni-*

no nominandi caſu prolatum. Ubinam id alibi dixerit non reperio, plane contrarium dixiſſe modo indicavi: ſed δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι, cum poſteriore enim Voſſii ſententia conſentiunt ſummi in Virgilium Commentatores, quanquam in priore opinione fuiſſe Buchananum haud ægre crediderim.

29. Huc etiam referri poteſt *vietus*, in illo verſu Silv. 3. p. 330.

Quantum ver hyemem, vietum puer integer ævi.

quod potius diſſyllabicōs enunciari malim per ſynezeſin, quam per tres ſyllabas, quarum adeo mediam corripi poſtularet carminis lex. A verbo enim parum uſitato *vieo* ſecundæ conjugationis deſcendit; participia autem ab ejuſmodi verbis in *etus* exeuntia penultima producta ſemper l·guntur, quemadmodum & hoc ipſum apud Lucretium 3. 386.

Nec ſupra caput ejuſdem cecidiſſe vietam

Veſtem ——

utcunque vero ſe res habeat, Buchananum tuetur Horatii Epod. 12. auctoritas,

Quis ſudor vietis, & quam malus undique membris.

30. Eadem fere ratione abſorberi videtur diphthongus in *præoccupans* in initio Alceſtidis,

Lethi imminentis, præoccupans Parcas dolo.

eodem prorſus modo, quo *coperuiſſe* pro *cooperuiſſe* apud Lucretium, *vemens* pro *vehemens* apud Catullum & Horatium, *coneſto* pro *coboneſto* apud Attium legimus.

31. *Synæreſi* contraria eſt *Diæreſis*, cujus unicum reperio exemplum quod alibi nuſquam obſervaverim, vocem ſcil. *ſuavis* triſſyllabam, & ſæpius forte quam oportuit, veluti Pſal. 45.

Et myrrhæ paſſim lacrymæ, ſtactæque ſuavis.

Pſal. 119.

Faucibus meis ſuavi melle ſuavioribus.

Et in Alceſt.

Suave lumen hoc ſuave cernere.

Quanquam exemplo haud exiſtimem deſtitutum Buchananum, niſi forte analogias jure idem ſibi licere in hac voce ſit arbitratus, quod aliis in *ſuaſit*, *ſuetus*, &c. quæ triſſyllaba nonnunquam efferuntur.

§. IV. Atque hæc ſunt quæ in univerſis Buchanani operibus Poëticis, quatenus ſcil. carminis ipſius ratio ſtructuraque ſpectatur, animadverſione digna videbantur: ſuperſunt adhuc loca aliquot in quibus non Buchanani, ſed librariorum & typographorum vitio, metrorum legibus vis illata eſt, veluti;

1. Pſal. 59. ver. ult.

Tuetur ut arx ænea:

prout in 7 variis editionibus legitur, 4 ſcil. Steph. Plant. Arg. & Tho. Vautrollerii, ubi in ſecunda ſede vicem Iambi occupat Pyrrhichius; legendum igitur ut in aliis,

Tuetur arx ut ænea.

2. Pſal. 69. ver. 43.

Tu teſtis probri mihi ignominiæque ſuperbæ.

habent duæ Steph. duæ Plant. & Argent. adeoque prima in *ignominiæ* erit brevis, quod exemplo prorſus caret: quamvis enim concurrat muta cum liquida, G & N, ſyllabam autem exinde ancipitem tantummodo

do fieri in vocibus iis quas a Græcis accepimus cenſet magnus Voſſius aliique. In illo autem Ovidii verſu, quem in contrarium adducunt nonnulli,

Debuit illius miſereri, & ignoſcere nobis.

in optimis ſive ſcriptis ſive impreſſis libris deeſt &, adeoque in poſterioribus Pſalmorum editionibus rectius legitur,

Tu teſtis mihi probri ignominiæque ſuperbæ.

3. Eodem modo Pſal. 86. ver. 4.

Nec iræ ſemper vindicis.

prout in 5 antiquis codicibus editum eſt, dimetrorum normæ repugnat: pro quo recte in poſterioribus,

Nec ſemper iræ vindicis.

4. Similiter etiam in Pſal. 87. circa finem, duæ Steph. una Plant. & Argent. habent,

Et noſtra ſi quid vox audiendum ſonet. pro,

Et noſtra ſi quid audiendum vox ſonet.

5. Pſal. itidem 92. ver. 13. in iiſdem libris legitur,

O opera! facta o vere magna! o ſub cava. pro,

O opera! facta o magna vere! o ſub cava.

In omnibus hiſce locis turbatus eſt, typographorum vel exſcriptorum culpa, vocum ordo, in editionibus antiquioribus, qui in recentioribus, ipſius ut videtur auctoris juſſu, eſt reſtitutus.

6. Pſal. autem 113. ver. 4. rectius ſe habent vetuſtiores libri, tres ſcil. Steph. uterque Plant. & Argent. in quibus legitur,

Ut ſeclorum in ſecula longi.

non *ſeculorum*, quemadmodum in nuperius impreſſis, adverſus legem Anapæſticorum.

7. Pſal. vero 94. ver. 19. male exhibent editi antiquiores

Formavit orbes, ipſe nihil videt? vagas.

Eo enim pacto Anapæſtus 4tam Iambici ſedem occupaverit, cujus nuſquam toto Pſalterio exſtat exemplum: facili autem mutatione in poſterioribus emendatur, *nihil* in *nil* converſo.

8. Illa autem lectio duorum Steph. & Argent. Pſal. 98. ver. 20.

Lætis tubis & clangoribus:

non modo carminis ſtructuræ repugnat, ſed & ſenſum ineptum reddit: editores feſelliſſe videtur diphthongus *æ* pro *is:* quippe ſi hoc egiſſent, nullo negotio ſe vera lectio prodebat,

Lætis tubæ & clangoribus.

uti in recentioribus editum eſt.

9. Pſal. 119. ſtrophe 5. ver. 6. legendum,

Languidum excita: face ut te timeat animus ac amet.

non *fac*, ut in editione poſtrema And. Hart, & Lond. 1686. *fac* enim docente Cl. Voſſio ſemper producitur: iis enim locis quibus Deſpauterius, Giſanius, aliique corripi exiſtimabant, cum optimis MSS. *face* legendum. Et ita noſter in Alceſtide conſentientibus omnibus libris,

Domini face iſti ſint domus: nec liberis.

10. In Jeph. cho. 1. ver. penult. legendum,

Ni fallit animus, advenit ab exercitu.

non *venit* ut in una Steph. duabus Plant. editionibus.

Digitized by Google

§. V. Sed miſſis hiſce, in quibus codicum unus ſemper aut alter lucem fœneratur, ſuperſunt adhuc vitia verſibus nonnullis illata, quæ uno quaſi tenore libros omnes pervaſerunt.

1. Ut ſupra notavimus § II. n. 22. in illo Jephth.

Rex Antipatri Semiarabis pronepos.

legendum *nepos*. Quanquam enim *pronepos* corripiat Sidonius; a nullo tamen purioris ævi Poëta id factum. Vide etiam ibi aliam iſtius lectionis cauſſam.

2. Bapt. p. 225. a.

Et quando apud vos nil reperio præſidi.

non *præſidii*.

Et 3tio poſt verſu,

Et tu monenti obtempera. Sed conſili

non *conſilii*, prout in omnibus libris habetur.

Silvarum tamen carmine 2.

Tu procul hinc ſteriles rupes colis immemor Agrii.

non ſine cauſſa *Agrii* videtur retinendum (quamvis Apocopen patiatur) ut ab *agri* diſtinguatur, quemadmodum perperam in Baſil. editum eſt.

3. In Iambōn carmine penult. metrum poſtulat ut legamus,

Patiens adiri propius indomitum furit.

quamvis in omnibus libris *indomitumque* legatur.

4. Ob eandem etiam rationem Epig. lib. 2. 24. legendum,

Dat meritum duro cultus in exilio.

reclamantibus licet omnibus libris, in quibus adverſus carminis legem verborumque ſenſum *cuſtos* legitur.

5. Libro itidem Epig. 3. Pomp. ult. pro

Secreta Orcades nunc damus tenellos.

inter alia legendum eſſe

Secreta Oreades ——

oſtendit carminis genus, de quo ſupra actum eſt p. 623.

6. Item in Alceſtide p. 588. a. contra omnium librorum fidem legendum,

Famuli cadaver rite compoſtum ad rogum.

non *compoſitum*, quod hucuſque in iis conſpicitur.

7. Denique Med. p. 563. b. hoc Anapæſticum ita ſcribendum,

Primum ut honeſte educant, vitæ-

non autem *educent*, prout habetur in omnibus libris. *Educo* enim tertiæ conjugationis penultimaque producta, eodem ſenſu ſæpenumero accipitur quo *educo* primæ, penult. correpta, veluti, Terent. Eunuch.

Eduxit mater pro ſua.

Liv. lib. 1.

Puerum a parvo eductum.

Juven. Sat. 10.

Quos genuit quos eduxit.

§. VI. Reſtant tandem verſus quatuor quæ ad ſupra tradita carminum genera nequeunt reduci: unus occurrit Bapt. p. 245. b.

Quo cunctus ibit orbis ſerius ocyus.

Alter Alceſt. p. 597. b.

Abdere quod ægre eſt: amici haberes me ut loco.

De quibus ut primum dicam, quamvis uterque in medio multorum Iambicorum ſit poſitus, adeoque ad eorum genus referendus videatur:

Digitized by Google

deatur: in priore tamen pes quartus hoc pacto Palimbacchius evadet, qui nuſquam in Iambico locum habet: in poſteriore vero Amphimacer, pes in Iambicis non minus ignotus, tertiam ſedem occupabit. Nulla autem alia hiſce anguſtiis noſmet, aut Buchananum potius, expediendi ratio reſtare videtur, quam ut dicamus verſus hoſce ejus eſſe generis quos veteres ἀσυναρτήτους appellarunt, *i. e.* ex diverſis metris ſibimet coagmentatis compoſitos: adeoque eorum primus duabus partibus conſtare videtur, quarum prior eſt Iambicus dimeter catalectus,

Quo cunctus ibit orbis.

qualis eſt ille Prudentii,

Ades pater ſupreme:

poſterior vero eſt Dactylicus dimeter, ſeu duo Dactyli, quales ſunt illi Senecæ, Agam.

Non acies feras. &
Cervaque Parrhaſis.

ſive poſtrema pars Dactylici Alcaici, ut in illo Horat.

Verſatur urna, ſerius ocyus.

cui ſi adimas penthemimerim Iambicam, reſtabit hoc hemiſtichium, quod ab Horatio Buchananus eſt mutuatus. In poſteriore autem verſu clarius ſe duorum carminum coagmentatio oſtendit: prior enim pars eſt Iambicus monometer brachycatalectus, niſi quod primo loco (jure Iambicorum) pro Iambo vel Spondæo habeat Dactylum,

Abdere | quod æ | gr' eſt.

Poſterior autem pars eſt Iambicus dimeter acatalectus,

Ami | c'a be | res m'ut | loco.

Neque hæc carminum diverſorum conjungendi ratio adeo mira videri debet; multa enim ejuſmodi apud Senecam occurrentia dudum monſtravit Geo. Fabricius, & Græcos iis cebro fuiſſe uſos oſtendit Hephæſtion, Marius Victorinus & alii.

2. Tertius reperitur, Med. pag. 563. b.

Sit genuiſſe; anxietatibus.

quem, cum Anapæſtici utrinque circumſiſtant, eorum numero habere par eſt. Aut igitur Anapæſticus eſt quaternarius catalectus, cujus ſcil. pedi ultimo deeſt ſyllaba; aut legendum, ut acatalectus fiat,

Sit genuiſſe; atque anxietatibus.

3. Quartus denique Med. pag. 567. b.

Quæ deſeruiſti, anguſtas fauces.

videtur Anapæſticus quaternarius hypercatalectus, cujus nempe prima vel ultima ſyllaba redundat.

Rudimenta Grammatices THOMÆ LINACRI, Ex *Anglico* ſermone in *Latinum* verſa, INTERPRETE GEORGIO BUCHANANO SCOTO.

ILLUSTRISSIMÆ MARIÆ

Invictiſſimi *Angliæ Franciæque* Regis, ac Fidei Defenſoris filiæ, *Cornubiæ* & *Walliæ* Principi,

THOMAS LINACRUS

Medicus, cum omni obſervantia, S. D.

QUUM tibi, illuſtriſſima Maria, *datus ab invictiſſimo Rege patre tuo, pro tua ſanitate tuenda, ſim comes, nec id miniſterium obire per valetudinem licuerit: cogitavi mecum, quanam alia ratione tibi eſſe uſui potiſſimum poſſem. Itaque cernens in te, præter indolem quandam ad omne virtutum genus, quæ eminere in muliere poſſunt, incredibilem, nunc quoque feliciſſimi ingenii tui ad ſtudia literarum generoſum impetum; hunc mihi quam maxime, pro meo virili, juvandum fovendumque cenſui, vel intermiſſi diu officii mei ſarciendi, vel literatorum omnium cauſſa: quibus ipſa in literis proficiens, maximo procul dubio futura es tum ornamento, tum adjumento. Accipies igitur ea vultus ſerenitate, qua reliqua ſoles, hæc* Latinæ Linguæ Rudimenta: *quæ alias* Anglis *tuis per me edita, nunc in ſummam quam potui redegi claritatem. Non poteſt (fateor) niſi rude eſſe munus, ſicuti ipſo nomine præ ſe fert. Sed ſi aptum tibi principium ad majora diſcenda erit, vel opportunitate ſua, principii gratiam, quod, juxta proverbium, plus eſt quam dimidium, licet totam nec mereatur, nec ſperet: tamen nec ea in totum (ut ſpero) deſtituetur. Diu vivas* Anglorum *deliciæ, decus.*

Digitized by Google

Summæ ſpei & indolis adoleſcenti

GILBERTO KENNEDO

COMITI CASSILISSÆ,

GEORGIUS BUCHANANUS

S. P. D.

QUUM *ſuperiore anno tibi curſim & memoriæ confirmandæ cauſſa hæc* Linacri Rudimenta *prælegerem, placuit mihi ſupra modum in eo viro, etiam in rebus minimis, citra curioſitatem exacta diligentia, & ordinis lux, quanta in tam confuſa rerum congerie eſſe poteſt, & quædam (ut reor) ſani judicii lectoribus in argumento vulgato non ingrata futura novitas. Quare viſus ſum mihi, tum ob hæc, tum ob alia multa, operæ pretium facturus, ſi eum libellum e vernaculo* Anglorum *ſermone, quo primum ab auctore eſt editus, in* Latinum *verterem: aut quod ne in hac quidem parte doctiſſimi viri judicium eſſet ignotum, aut quod hinc felicius, velut e puriſſimo quodam fonte, atque adeo ipſa* Hippocrene, *pueri* Grammatices Rudimenta *poſſent auſpicari, quam ex triviali iſthac ſorde, quæ eis a Gymnaſiarchis pleriſque obtruditur: aut denique ut adoleſcentes ſub optimo imperatore ſacramento* Muſarum *adacti, majore quadam fiducia ea præcepta imbibant, quæ doctiſſimi viri auctoritate nixa, divina potius oracula, quam humanæ imbecillitatis commenta exiſtimant. Sed non deerunt, ſat ſcio, qui hæc etiam, antequam legant, in tanta veterum ſcriptorum turba, ſupervacua putabunt: quippe quibus perſuaſum eſt nihil dici jam poſſe, quod a veteribus, & publico gymnaſiorum conſenſu receptis auctoribus ſit prætermiſſum: aut ſi quid præterea*

dicatur

Digitized by Google

dicatur (*qualia hic pleraque de* nominum declinatione, *de* relativis, *de quibuſdam* verborum temporibus & modis,) *id adeo nihil eſſe, ut ſcriptum non fuiſſe longe præſtiterit. Sed hæc querela cum ſit aut hominum inſigniter indoctorum, aut eorum qui adeo privatis affectionibus miſere dediti ſunt, ut, cum nonnulla ſecus dici videant, quam aut ipſi didicerint, aut hi, quos pro ſacroſanctis habent, præcipiant, non jam temeritatis, ſed impietatis cujuſdam alios arguunt, qui veſtigiis* (*ut ipſi ajunt*) *patrum relictis, præcepta illa tanquam leges ſanctiſſimas nobis data, refigere atque etiam abrogare audeant. Contra quorum arrogans illud ſupercilium doctos omnes & humanitatis ſtudioſos appello, quibus* Linacer (*niſi fallor*) *in majori opere ſatisfaciet. Interim hoc opuſculum ſub tuo nomine, atque adeo in tuam gratiam, ſtudioſis adoleſcentibus communicatum prodeat: qui ſi boni noſtram operam conſulent, abunde mihi laboris mei fructum relatum eſſe credam. Vale.*

RUDIMENTA DECLINATIONUM.

OCTO ſunt partes orationis, *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*, *Præpoſitio*, *Adverbium*, *Interjectio*, *Conjunctio*.

Harum octo partium quædam declinantur, ut *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum* & *Participium* : quædam ſunt indeclinabiles, ut *Præpoſitio*, *Adverbium*, *Interjectio*, *Conjunctio*.

Earum quæ declinantur, hæ tres, *Nomen*, *Pronomen* & *Participium* declinantur per genera, caſus & numeros.

Genera ſunt tria: *Maſculinum*, *Fœmininum* & *Neutrum*.

Caſus ſex: *Nominativus*, *Genitivus*, *Dativus*, *Accuſativus*, *Vocativus* & *Ablativus*.

Numeri duo: *Singularis* & *Pluralis*.

PRIMA DECLINATIO NOMINUM.

Nominum quædam hoc pacto declinantur,

Maſculinum genus, *Nominativus ſingularis*, Poëta, *Genitivus* poëtæ, *Dativus* poëtæ, *Accuſativus* poëtam, *Vocativus* poëta, *Ablativus* poëta. *Nom. plur.* poëtæ, *Gen.* poëtarum, *Dat.* poëtis, *Acc.* poëtas, *Voc.* poëtæ, *Abl.* poëtis.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Muſa,

Digitized by Google

Muſa, *Gen.* muſæ, *Dat.* muſæ, *Acc.* muſam, *Voc.* muſa, *Abl.* muſa. *Nom. plur.* muſæ, *Gen.* muſarum, *Dat.* muſis, *Acc.* muſas, *Voc.* muſæ, *Abl.* muſis.

Hic quidem notandum eſt, quod in plurali numero omnium *vocativus* eſt ſimilis *nominativo*, & *ablativus dativo.*

Præterea omnia nomina quæ ad hanc formam inflectuntur, ſunt primæ declinationis.

SECUNDA DECLINATIO.

Maſculinum genus, *Nom. ſing.* Magiſter, *Gen.* magiſtri, *Dat.* magiſtro, *Acc.* magiſtrum, *Voc.* magiſter, *Abl.* magiſtro. *Nom. plur.* magiſtri, *Gen.* magiſtrorum, *Dat.* magiſtris, *Acc.* magiſtros, *Voc.* magiſtri, *Abl.* magiſtris.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Alvus, *Gen.* alvi, *Dat.* alvo, *Acc.* alvum, *Voc.* alve, *Abl.* alvo. *Nom. plur.* alvi, *Gen.* alvorum, *Dat.* alvis, *Acc.* alvos, *Voc.* alvi, *Abl.* alvis.

Hic vero ſciendum, quod in hac declinatione, ſi nominativus finietur in *us*, vocativus definet in *e*, ut *dominus*, o *domine*: *radius*, o *radie*. Excepto nomine *filius*, quod facit *fili*: & propriis virorum nominibus finitis in *ius*, quæ vocativos faciunt in *i*, remota ſyllaba *us*, ut *Virgilius*, *Virgili*. Alioqui & in hac declinatione, & in reliquis omnibus, vocativus erit ſimilis nominativo.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Templum, *Gen.* templi, *Dat* templo, *Acc.* templum. *Voc* templum, *Abl.* templo. *Nom. plur.* templa, *Gen.* templorum, *Dat.* templis, *Acc.* templa, *Voc.* templa, *Abl.* templis.

Ad hanc formam omnia neutra habent tres caſus ſimiles in utroque numero, nominativum, accuſativum & vocativum. Verum tres caſus plurales, in *a* ſemper poſitionem habebunt: excipe *ambo* & *duo*.

Omnia vero nomina quæ ad hanc formam declinantur, ſunt ſecundæ declinationis: una cum maſculinis & neutris horum octo nominum, *Unus*, *ullus*, *uter*, *ſolus*, *alter*, *alius*, *totus*, *quis*: quæ una cum ſuis fœmininis faciunt genitivos in *ius*, & dativos in *i* ut *Unus*, *unius*, *uni*: *una*, *unius*, *uni*: *unum*, *unius*, *uni*. In cæteris caſibus declinantur ad formam aliorum nominum primæ & ſecundæ declinationis: atque ob eam cauſſam hæc vocatur ſecunda forma ſecundæ declinationis.

TERTIA DECLINATIO.

Quædam etiam hoc pacto declinantur,

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Panis. *Gen.* panis, *Dat.* pani, *Acc.* panem, *Voc.* panis, *Abl.* pane. *Nom. plur.* panes, *Gen.* panum, *Dat.* panibus, *Acc.* panes, *Voc.* panes, *Abl.* panibus.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Nubes, *Gen.* nubis, *Dat.* nubi, *Acc.* nubem, *Voc.* nubes, *Abl.* nube. *Nom plur.* nubes, *Gen.* nubium, *Dat.* nubibus, *Acc.* nubes, *Voc.* nubes, *Abl.* nubibus.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Sedile, *Gen.* ſedilis, *Dat.* ſedili, *Acc.* ſedile, *Voc.* ſedile, *Abl.* ſedili, *Nom. plur.* ſedilia, *Gen.* ſedilium, *Dat.* ſedilibus, *Acc.* ſedilia, *Voc.* ſedilia, *Abl.* ſedilibus.

Hoc loco notandum eſt, omnia nomina hujus declinationis, & dua-

rum proxime ſequentium, habere tres caſus ſimiles in plurali numero, nempe nominativum, accuſativum & vocativum.

Hujus item formæ pleraque una ſyllaba excreſcunt in genitivo, & plerifque aliis caſibus, idque variis modis: velut hæc quæ ſequuntur exempla demonſtrant: *Arabs. Arabis*; *Fæx, fæcis*; *Pes, pedis*; *Lapis. lapidis*; *Glans, glandis*; *Frons, frondis*; *Rex, regis*, *Fel, fellis*; *Hiems, hiemis*; *Ren, renis:* & in neutro, *Nomen, nominis*. Similiter, *Cato, Catonis*; *Virgo, virginis*; *Princeps, principis*; *later, lateris:* & in neutro, *Uber, uberis*. Similiter, *As, aſſis*; *Arpinas, Arpinatis*; *Dens, dentis*; *Ars, artis*; *Præceps, præcipitis*; *Nix, nivis*. Atque omnia quæ declinantur ad inſtar alicujus horum, ſunt tertiæ declinationis.

QUARTA DECLINATIO.

Quædam vero ſic declinantur,

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Viſus, *Gen.* viſus, *Dat.* viſui, *Acc.* viſum, *Voc.* viſus, *Abl.* viſu. *Nom. plur.* viſus. *Gen.* viſuum, *Dat.* viſibus, *Acc.* viſus, *Voc.* viſus, *Abl.* viſibus.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Manus, *Gen.* manus, *Dat.* manui, *Acc.* manum, *Voc.* manus, *Abl.* manu. *Nom. plur.* manus, *Gen.* manuum, *Dat.* manibus, *Acc.* manus, *Voc.* manus, *Abl.* manibus.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Cornu, *in omnibus caſibus ſingularibus*, *Nom. plur.* cornua, *Gen.* cornuum, *Dat.* cornibus, *Acc.* cornua, *Voc.* cornua, *Abl.* cornibus Et quæcunque hoc pacto flectuntur, ſunt quartæ declinationis.

QUINTA DECLINATIO.

Quædam etiam nomina ſic declinantur,

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Meridies, *Gen.* meridiei, *Dat.* meridiei, *Acc.* meridiem, *Voc.* meridies, *Abl.* meridie. *Nom. plur.* meridies, *Gen.* meridierum, *Dat.* meridiebus, *Acc.* meridies, *Voc.* meridies, *Abl* meridiebus.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Res, *Gen.* rei, *Dat.* rei, *Acc* rem, *Voc.* res, *Abl* re. *Nom. plur.* res, *Gen.* rerum, *Dat.* rebus, *Acc.* res, *Voc.* res, *Abl.* rebus. Et quæcunque hoc pacto declinantur, vocantur quintæ declinationis.

NOMINA NUMERALIA.

Numeralia ab *uno* ad *centum*, ſunt omnia pluralis numeri, & declinantur hoc modo,

In maſculino genere, *Nom.* Duo, *Gen.* duorum, *Dat.* duobus, *Acc.* duos, *Voc.* duo, *Abl.* duobus.

In fœminino genere, *Nom.* Duæ, *Gen.* duarum, *Dat.* duabus, *Acc.* duas, *Voc.* duæ, *Abl.* duabus.

In neutro genere, *Nom.* Duo, *Gen.* duorum, *Dat.* duobus, *Acc.* duo, *Voc.* duo, *Abl.* duobus.

Similiter per tria genera declinatur *Ambo, ambæ, ambo*.

In maſculino & fœminino genere, *Nom.* Tres, *Gen.* trium, *Dat.* tribus, *Acc.* tres, *Voc.* tres, *Abl.* tribus.

In neutro genere, *Nom.* tria, *Gen.* trium, *Dat.* tribus, *Acc.* tria, *Voc.* tria, *Abl.* tribus.

Quæcunque vero hæc ſequuntur, ad *centum* uſque, ſunt indecli-

declinabilia omnia: ut *Quatuor*, *quinque*, *ſex*, *viginti*, *centum*, in omnibus caſibus & generibus.

GRADUS COMPARATIONIS.

Tres ſunt gradus comparationis, *Poſitivus*, *Comparativus*, & *Superlativus*.

Poſitivus is vocatur, unde comparativus & ſuperlativus formantur.

Comparativus & ſuperlativus formantur a proximo caſu poſitivi in *i* finito: addendo pro comparativo hanc ſyllabam *or*, & pro ſuperlativo *ſ* & *ſimus*: ut *docti*, *doctior*, *doctiſſimus*: *forti*, *fortior*, *fortiſſimus*.

At ſi poſitivus finietur in *r*, ſuperlativus formabitur a nominativo, addendo *rimus*: ut *pulcher*, *pulcherrimus*.

Quædam præterea nomina in *lis* finita, ſuperlativum efficiunt, *is* mutato in *limus*: ut *humilis*, *humillimus*: *ſimilis*, *ſimillimus*: *facilis*, *facillimus*.

A regulà generali excipiuntur quinque nomina; *Bonus*, quod facit *melior* & *optimus*; *Malus*, quod facit *pejor* & *peſſimus*; *Magnus* quod facit *major* & *maximus*; *Multus*, quod facit *plus* & *plurimus*; *Parvus*, quod facit *minor* & *minimus*.

PRONOMEN.

Pronominum quædam ſunt *primitiva*: ut *Ego*, *tu*, *ſui*, *ille*, *iſte*, *hic*, *is*, *ipſe*. Reliqua omnia *derivativa* ſunt.

Primitiva quidem declinantur hoc modo,

In omnibus generibus, *Nom. ſing.* Ego, *Gen.* mei, *Dat.* mihi, *Acc.* me, *Voc.* deeſt, *Abl.* me. *Nom. plur.* nos, *Gen.* noſtrum *vel* noſtri, *Dat.* nobis, *Acc.* nos, *Voc.* deeſt, *Abl.* nobis.

Hoc loco intelligendum eſt, omnia pronomina carere vocativis, his quatuor exceptis, *Tu*, *meus*, *noſter* & *noſtras*.

In omnibus generibus, *Nom. ſing.* Tu, *Gen.* tui, *Dat.* tibi, *Acc.* te, *Voc.* tu, *Abl.* te. *Nom. plur.* vos, *Gen.* veſtrum *vel* veſtri, *Dat.* vobis, *Acc.* vos, *Voc.* vos, *Ablativo* vobis.

In omnibus generibus, & utroque numero, *Nom.* deeſt, *Gen.* ſui, *Dat.* ſibi, *Acc* ſe, *Voc.* deeſt, *Abl.* ſe.

Cætera primitiva declinantur ad inſtar ſecundæ formæ ſecundæ declinationis nominum, hoc pacto.

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Ille, *Gen.* illius, *Dat.* illi, *Acc.* illum, *Voc.* deeſt, *Abl.* illo. *Nom. plur.* illi, *Gen.* illorum, *Dat.* illis, *Acc.* illos, *Voc.* deeſt, *Abl.* illis.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Illa, *Gen* illius, *Dat.* illi, *Acc* illam, *Voc.* deeſt, *Abl.* illa. *Nom. plur.* illæ, *Gen.* illarum, *Dat.* illis, *Acc.* illas, *Voc.* deeſt, *Abl.* illis.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Illud, *Gen.* Illius, *Dat.* illi, *Acc.* illud, *Voc.* deeſt, *Abl.* illo, *Nom. plur.* illa, *Gen.* illorum, *Dat.* illis, *Acc.* illa, *Voc.* deeſt, *Abl.* illis.

Similiter in *maſculino gen.* Iſte, iſtius, iſti, iſtum, iſto.

In *fœminino genere*, Iſta, iſtius, iſti, iſtam, iſta.

In *neutro genere*, Iſtud, iſtius, iſti, iſtud, iſto.

Similiter eodem pacto in maſculino genere, *Nom. ſing.* Hic, *Gen.* hujus, *Dat.* huic, *Acc.* hunc, *Voc.* deeſt, *Abl.* hoc. *Nom. plur.* hi, *Gen.*

Digitized by Google

horum, *Dat.* his, *Acc.* hos, *Voc.* deeſt, *Abl.* his.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Hæc, *Gen.* hujus, *Dat.* huic, *Acc.* hanc, *Voc.* deeſt, *Abl.* hac. *Nom. plur.* hæ, *Gen.* harum, *Dat.* his, *Acc.* has, *Voc.* deeſt, *Abl.* his.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Hoc, *Gen.* hujus, *Dat.* huic, *Acc.* hoc, *Voc.* deeſt. *Abl.* hoc. *Nom. plur.* hæc, *Gen.* horum, *Dat.* his, *Acc.* hæc, *Voc.* deeſt, *Abl* his.

Similiter in maſculino genere, *Nom. ſing.* Is, *Gen.* ejus, *Dat.* ei, *Acc.* eum, *Voc.* deeſt, *Abl.* eo. *Nom. plur.* ii, *Gen.* eorum, *Dat.* eis *vel* iis, *Acc.* eos, *Voc.* deeſt, *Abl.* eis *vel* iis.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Ea, *Gen.* ejus, *Dat.* ei. *Acc.* eam. *Voc.* deeſt, *Abl.* ea. *Nom. plur.* eæ, *Gen.* earum, *Dat.* eis *vel* iis, *Acc.* eas, *Voc.* deeſt, *Abl.* eis *vel* iis.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Id, *Gen.* ejus, *Dat.* ei, *Acc.* id, *Voc.* deeſt, *Abl.* eo. *Nom. plur.* ea, *Gen.* eorum, *Dat.* eis *vel* iis, *Acc.* ea, *Voc.* deeſt, *Abl.* eis *vel* iis.

Similiter in maſculino genere, *Nom. ſing.* Ipſe, *Gen.* ipſius, *Dat.* ipſi, *Acc.* ipſum, *Voc.* deeſt, *Abl.* ipſo. *Nom. plur.* ipſi, *Gen.* ipſorum, *Dat.* ipſis, *Acc.* ipſos, *Voc.* deeſt, *Abl.* ipſis.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Ipſa, *Gen.* ipſius, *Dat.* ipſi, *Acc.* ipſam. *Voc.* deeſt, *Abl.* ipſa. *Nom. plur.* ipſæ, *Gen.* ipſarum, *Dat.* ipſis, *Acc.* ipſas, *Voc.* deeſt. *Abl* ipſis.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Ipſum, *Gen.* ipſius, *Dat.* ipſi, *Acc.* ipſum, *Voc.* deeſt, *Abl.* ipſo. *Nom. plur.* ipſa, *Gen.* ipſorum, *Dat.* ipſis, *Acc.* ipſa, *Voc.* deeſt, *Abl.* ipſis.

Duo item nomina eodem modo quo hæc declinantur, nempe *Idem* & *Quis*, hoc pacto,

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Idem, *Gen.* ejuſdem, *Dat.* eidem, *Acc.* eundem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eodem. *Nom. plur.* iidem, *Gen.* eorundem, *Dat.* eiſdem *vel* iiſdem, *Acc.* eoſdem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eiſdem *vel* iiſdem.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Eadem, *Gen.* ejuſdem, *Dat.* eidem, *Acc.* eandem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eadem. *Nom. plur.* eædem. *Gen.* earundem, *Dat.* eiſdem *vel* iiſdem, *Acc.* eaſdem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eiſdem *vel* iiſdem.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Idem, *Gen.* ejuſdem, *Dat.* eidem, *Acc.* idem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eodem. *Nom. plur.* eadem, *Gen.* eorundem, *Dat.* eiſdem *vel* iiſdem, *Acc.* eadem, *Voc.* deeſt, *Abl.* eiſdem *vel* iiſdem.

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Qui, *Gen.* cujus, *Dat.* cui, *Acc.* quem, *Voc.* deeſt, *Abl.* quo. *Nom. plur.* qui, *Gen.* quorum, *Dat.* queis *vel* quibus, *Acc.* quos, *Voc.* deeſt, *Abl.* queis *vel* quibus.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Quæ, *Gen.* cujus, *Dat.* cui, *Acc.* quam, *Voc.* deeſt, *Abl.* qua. *Nom. plur.* quæ, *Gen.* quarum, *Dat.* queis *vel* quibus, *Acc.* quas, *Voc.* deeſt, *Abl.* queis *vel* quibus.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Quod, *Gen.* cujus, *Dat.* cui, *Acc.* quod, *Voc.* deeſt. *Abl.* quo. *Nom. plur.* quæ, *Gen.* quorum, *Dat.* queis *vel* quibus, *Acc.* quæ, *Voc.* deeſt, *Abl.* queis *vel* quibus.

Derivativa vero declinantur hoc modo,

Digitized by Google

In maſculino genere, *Nom. ſing.* Meus, *Gen.* mei, *Dat.* meo, *Acc.* meum, *Voc.* mi, *Abl.* meo. *Nom. plur.* mei, *Gen.* meorum, *Dat.* meis, *Acc.* meos, *Voc.* mei, *Abl.* meis.

In fœminino genere, *Nom. ſing.* Mea, *Gen.* meæ, *Dat.* meæ, *Acc.* meam, *Voc.* mea. *Abl.* mea. *Nom. plur.* meæ, *Gen.* mearum, *Dat.* meis, *Acc.* meas, *Voc.* meæ, *Abl.* meis.

In neutro genere, *Nom. ſing.* Meum, *Gen.* mei, *Dat.* meo, *Acc.* meum, *Voc.* meum, *Abl.* meo. *Nom. plur.* mea, *Gen.* meorum, *Dat.* meis, *Acc.* mea, *Voc.* mea, *Abl.* meis.

Similiter Tuus, tui: tua, tuæ: tuum, tui.

Suus, ſui: ſua, ſuæ: ſuum ſui.

Noſter, noſtri: noſtra, noſtræ: noſtrum, noſtri.

Veſter, veſtri: veſtra, veſtræ: veſtrum, veſtri.

Duo autem derivativa declinantur hoc modo,

In maſculino genere & fœminino, *Noſtras*, *noſtratis*, *noſtrati*: *Veſtras*, *veſtratis*, *veſtrati*: ſicut nomina tertiæ declinationis, cum hoc nomine *Cujas*, *cujatis*, *cujati*, ſimiliter.

VERBUM.

VERBUM declinatur per modos, tempora, perſonas & numeros.

Modi ſunt quinque, *Indicativus*, *Imperativus*, *Optativus*, *Subjunctivus*, & *Infinitus*.

Tempora item ſunt quinque, *Præſens*, *Præteritum imperfectum*, *Præteritum perfectum*, *Præteritum plus quam perfectum*, & *Futurum*.

Perſonæ tres, *Prima*, ut *Amo*: *Secunda*, ut *amas*: *Tertia*, ut *amat*.

Numeri ſunt duo, *Singularis*, ut *Amo*: *Pluralis*, ut *amamus*.

Verborum tria ſunt genera, unum in *o*, alterum in *or*, & tertium quod *ſubſtantiæ* verbum appellatur, nempe *Sum*.

Verba in *o* declinantur hoc pacto,

In prima Conjugatione activorum.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens, *ſing.* Amo, amas, amat.

Plurale, amamus, amatis, amant.

Præteritum imper. ſing. Amabam, amabas, amabat.

Plurale, amabamus, amabatis, amabant.

Præteritum perf. ſing. Amavi, amaviſti, amavit.

Plur. amavimus, amaviſtis, amaverunt *vel* amavere.

Præteritum plus quam perf. ſing. Amaveram, amaveras, amaverat.

Plur. amaveramus, amaveratis, amaverant.

Futurum ſingulare, Amabo, amabis, amabit.

Plur. amabimus, amabitis, amabunt.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & præteritum imperfectum ſing. Ama *vel* amato, amet *vel* amato.

Plur. amemus, amate *vel* amatote, ament *vel* amanto.

Præteritum perfectum, & *plus quam perfectum* deeſt in omnibus Latinis verbis, ſed pro illis utimur ſimilibus ſubjunctivi modi temporibus, e quo modo ſunt etiam hæ tres voces, *amemus*, *ametis*, *ament*.

Futurum deeſt in omnibus verbis.

Digitized by Google

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Amem, ames, amet.

Plur. utinam amemus, ametis, ament.

Præteritum imperf. ſing. utinam Amarem, amares, amaret.

Plur. utinam amaremus, amaretis, amarent.

Præteritum perf. ſing. utinam Amaverim, amaveris, amaverit.

Plur. utinam amaverimus, amaveritis, amaverint.

Præt. plus quam perfectum, ſing. utinam Amaviſſem, amaviſſes, amaviſſet.

Plur. utinam amaviſſemus, amaviſſetis, amaviſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Amem, ames, amet.

Plur. cum amemus, ametis, ament.

Præteritum imperf. ſing. cum Amarem, amares, amaret.

Plur. cum amaremus, amaretis, amarent.

Præteritum perf. ſing. cum Amaverim, amaveris, amaverit.

Plur. cum amaverimus, amaveritis, amaverint.

Præteritum plus quam perfectum ſing. cum Amaviſſem, amaviſſes, amaviſſet.

Plur. cum amaviſſemus, amaviſſetis, amaviſſent.

Futurum ſing. cum Amavero, amaveris, amaverit.

Plur. cum amaverimus, amaveritis, amaverint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & præteritum imperfectum, Amare.

Præteritum perf. & plus quam perf. Amaviſſe.

Futurum in omnibus verbis tam activis quam paſſivis deeſt: ſed loco ejus ſumere ſolemus in activa voce participium in *rus*, & [*eſſe*,] ut *Amaturus* vel *amaturum eſſe*, pro appellativi adjuncti ratione.

Gerundi voces, Amandi, amando, amandum.

Supina, Amatum, amatu.

Participia præſentis temporis in omni genere, Amans.

In *futuro*, Amaturus.

Hic antequam declinemus verbum in *or*, quod multa tempora ſupplere oporteat quæ in ejuſmodi verbis deſunt, primum verbum [*Sum*] declinare oportet hoc modo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Sum, es, eſt.

Plur. ſumus, eſtis, ſunt.

Præteritum imperf. ſing. Eram, eras, erat.

Plur. eramus, eratis, erant.

Præteritum perf. ſing. Fui, fuiſti, fuit.

Plur. fuimus, fuiſtis, fuerunt *vel* fuere.

Præteritum plus quam perf. ſing. Fueram, fueras, fuerat.

Plur. fueramus, fueratis, fuerant.

Futurum ſing. Ero, eris, erit.

Plur. erimus, eritis, erunt.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & præteritum imperf. ſing. Sis, es *vel* eſto, ſit *vel* eſto.

Plur. ſimus, eſte *vel* eſtote, ſint *vel* ſunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Sim, ſis, ſit.

Plur. utinam ſimus, ſitis, ſint.

Præ-

Digitized by Google

Præteritum imperf. ſing. utinam Eſſem, eſſes, eſſet.

Plur. utinam eſſemus, eſſetis, eſſent.

Præt. perf. ſing. utinam Fuerim, fueris, fuerit.

Plur. utinam fuerimus, fueritis, fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet.

Plur. utinam fuiſſemus, fuiſſetis, fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Sim, ſis, ſit.

Plur. cum ſimus, ſitis, ſint.

Præt. imperf ſing. cum Eſſem, eſſes, eſſet.

Plur. cum eſſemus, eſſetis, eſſent.

Præt. perf. ſing. cum Fuerim, fueris, fuerit.

Plur. cum fuerimus, fueritis, fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet.

Plur. cum fuiſſemus, fuiſſetis, fuiſſent.

Futurum ſing. cum Fuero, fueris, fuerit.

Plur. cum fuerimus, fueritis, fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Eſſe.

Præt perf. & *plus quam perf.* Fuiſſe.

Futurum, Futurum eſſe.

Participium præſentis in uſu non eſt.

Prima Conjugatio paſſiva.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Amor, amaris *vel* amare, amatur.

Plur. amamur, amamini, amantur.

Præt. imperf. ſing. Amabar, amabaris *vel* amabare, amabatur.

Plur. amabamur, amabamini, amabantur.

Præt. perf. ſing. Amatus ſum *vel* fui, amatus es *vel* fuiſti, amatus eſt *vel* fuit.

Plur. amati ſumus *vel* fuimus, amati eſtis *vel* fuiſtis, amati ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Amatus eram *vel* fueram, amatus eras *vel* fueras, amatus erat *vel* fuerat.

Plur. amati eramus *vel* fueramus, amati eratis *vel* fueratis, amati erant *vel* fuerant.

Fut. ſing. Amabor, amaberis *vel* amabere, amabitur.

Plur. Amabimur, amabimini, amabuntur.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Amare *vel* amator, ametur *vel* amator.

Plur. amemur, amamini *vel* amaminor, amentur *vel* amantor.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Amer, ameris *vel* amere, ametur.

Plur. utinam amemur, amemini, amentur.

Præt. imperf. ſing. utinam Amarer, amareris *vel* amarere, amaretur.

Plur. utinam amaremur, amaremini, amarentur.

Præt. perf. ſing. utinam Amatus ſim *vel* fuerim, amatus ſis *vel* fueris, amatus ſit *vel* fuerit.

Plur. utinam amati ſimus *vel* fuerimus, amati ſitis *vel* fueritis, amati ſint *vel* fuerint.

Præt.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Amatus eſſem *vel* fuiſſem, amatus eſſes *vel* fuiſſes, amatus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam amati eſſemus *vel* fuiſſemus, amati eſſetis *vel* fuiſſetis, amati eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Amer, ameris *vel* amere, ametur.

Plur. cum amemur, amemini, amentur.

Præt. imperf. ſing. cum Amarer, amareris *vel* amarere, amaretur.

Plur. cum amaremur, amaremini, amarentur.

Præt. perf. ſing. cum Amatus ſim *vel* fuerim, amatus ſis *vel* fueris, amatus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum amati ſimus *vel* fuerimus, amati ſitis *vel* fueritis, amati ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Amatus eſſem *vel* fuiſſem, amatus eſſes *vel* fuiſſes, amatus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum amati eſſemus *vel* fuiſſemus, amati eſſetis *vel* fuiſſetis, amamati eſſent *vel* fuiſſent.

Futurum ſing. cum Amatus fuero, amatus fueris, amatus fuerit.

Plur. cum amati fuerimus, amati fueritis, amati fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Amari.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Amatus *vel* amatum *eſſe*, pro ratione nominis adjecti.

Futuri autem loco, Amandum *vel* amandus eſſe.

Gerundi voces, Amandi, amando, amandum.

Supinum, Amatu.

Participium præteriti temporis, Amatus.

Futuri, Amandus.

Quæcunque verba ſecundum alterutram harum formarum declinantur, vocantur primæ conjugationis.

In ſecunda Conjugatione activa.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Doceo, doces, docet.

Plur. docemus, docetis, docent.

Præt. imperf. ſing. Docebam, docebas, docebat.

Plur. docebamus, docebatis, docebant.

Præt. perf. ſing. Docui, docuiſti, docuit.

Plur. docuimus, docuiſtis, docuerunt *vel* docuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Docueram, docueras, docuerat.

Plur. docueramus, docueratis, docuerant.

Futurum ſing. Docebo, docebis, docebit.

Plur. docebimus, docebitis, docebunt.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Doce *vel* doceto, doceat *vel* doceto.

Plur. doceamus, docete *vel* docetote, doceant *vel* docento.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Doceam, doceas, doceat.

Plur. utinam doceamus, doceatis, doceant.

Præt. imperf. ſing. utinam Docerem, doceres, doceret.

Plur. utinam doceremus, doceretis, docerent.

Præt. perf. ſing. utinam Docuerim, docueris, docuerit.

Plur. utinam docuerimus, docueritis, docuerint.

Præt.

Digitized by Google

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Docuiſſem, docuiſſes, docuiſſet.

Plur. utinam docuiſſemus, docuiſſetis, docuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Doceam, doceas, doceat.

Plur. cum doceamus, doceatis, doceant.

Præt. imperf. ſing. cum Docerem, doceres, doceret.

Plur. cum doceremus, doceretis, docerent.

Præt. perf. ſing. cum Docuerim, docueris, docuerit.

Plur. cum docuerimus, docueritis, docuerint.

Præt plus quam perf. ſing. cum Docuiſſem, docuiſſes, docuiſſet.

Plur. cum docuiſſemus, docuiſſetis, docuiſſent.

Fut. ſing. cum Docuero, docueris, docuerit.

Plur. cum docuerimus, docueritis, docuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *imperf.* Docere.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Docuiſſe.

Futurum, Doctūrum eſſe.

Gerundi voces, Docendi, docendo, docendum.

Supina, Doctum, doctu.

Participium præſentis temporis, Docens.

Futuri, Docturus.

In ſecunda Conjugatione paſſiva.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Doceor, doceris *vel* docere, docetur.

Plur. docemur, docemini, docentur.

Præt. imperf. ſing. Docebar, docebaris *vel* docebare, docebatur.

Plur. docebamur, docebamini, docebantur.

Præt. perf. ſing. Doctus ſum *vel* fui, doctus es *vel* fuiſti, doctus eſt *vel* fuit.

Plur. docti ſumus *vel* fuimus, docti eſtis *vel* fuiſtis, docti ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Doctus eram *vel* fueram, doctus eras *vel* fueras, doctus erat *vel* fuerat.

Plur. docti eramus *vel* fueramus, docti eratis *vel* fueratis, docti erant *vel* fuerant.

Fut. ſing. Docebor, doceberis *vel* docebere, docebitur.

Plur. docebimur, docebimini, docebuntur.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Docere *vel* docetor, doceatur *vel* docetor.

Plur. doceamur, docemini *vel* doceminor, doceantur *vel* docentor.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Docear, docearis *vel* doceare, doceatur.

Plur. utinam doceamur, doceamini, doceantur.

Præt. imperf. ſing. utinam Docerer, docereris *vel* docerere, doceretur.

Plur. utinam doceremur, doceremini, docerentur.

Præt. perf. ſing. utinam Doctus ſim *vel* fuerim, doctus ſis *vel* fueris, doctus ſit *vel* fuerit.

Plur. utinam docti ſimus *vel* fuerimus,

Digitized by Google

mus, docti ſitis *vel* fueritis, docti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Doctus eſſem *vel* fuiſſem, doctus eſſes *vel* fuiſſes, doctus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam docti eſſemus *vel* fuiſſemus, docti eſſetis, *vel* fuiſſetis, docti eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Docear, docearis *vel* doceare, doceatur.

Plur. cum doceamur, doceamini, doceantur.

Præt imperf. ſing. cum Docerer, docereris *vel* docerere, doceretur.

Plur. cum doceremur, doceremini, docerentur.

Præt. perf. ſing. cum Doctus ſim *vel* fuerim, doctus ſis *vel* fueris, doctus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum docti ſimus *vel* fuerimus, docti ſitis *vel* fueritis, docti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Doctus eſſem *vel* fuiſſem, doctus eſſes *vel* fuiſſes, doctus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum docti eſſemus *vel* fuiſſemus, docti eſſetis *vel* fuiſſetis, docti eſſent *vel* fuiſſent.

Fut. ſing. cum Doctus fuero, doctus fueris, doctus fuerit.

Plur. cum docti fuerimus, docti fueritis, docti fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *imperf.* Doceri.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Doctus *vel* doctum eſſe *vel* fuiſſe.

Fut. Docendus *vel* docendum eſſe.

Gerundi voces, Docendi, docendo, docendum.

Supinum, Doctu.

Participium præteriti temporis, Doctus.

Quæcunque verba ſecundum has formas declinantur, vocantur ſecundæ conjugationis.

In tertia Conjugatione activa.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Lego, legis, legit.

Plur. legimus, legitis, legunt.

Præt. imperf. ſing. Legebam, legebas, legebat.

Plur. legebamus, legebatis, legebant.

Præt. perf. ſing. Legi, legiſti, legit.

Plur. Legimus, legiſtis, legerunt *vel* legere.

Præt plus quam perf. ſing. Legeram, legeras, legerat.

Plur. legeramus, legeratis, legerant.

Fut. ſing. Legam, leges, leget.

Plur. legemus, legetis, legent.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Lege *vel* legito, legat *vel* legito.

Plur. legamus, legite *vel* legitote, legant *vel* legunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Legam, legas, legat.

Plur. utinam legamus, legatis, legant.

Præt. imperf. ſing. utinam Legerem, legeres, legeret.

Plur. utinam legeremus, legeretis, legerent.

Præt. perf. ſing. utinam Legerim, legeris, legerit.

Plur. utinam legerimus, legeritis, legerint.

Præt.

Digitized by Google

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Legiſſem, legiſſes, legiſſet.

Plur. utinam legiſſemus, legiſſetis, legiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Legam, legas, legat.

Plur. cum legamus, legatis, legant.

Præt. imperf. ſing. cum Legerem, legeres, legeret.

Plur. cum legeremus, legeretis, legerent.

Præt. perf. ſing. cum Legerim, legeris, legerit.

Plur. cum legerimus, legeritis, legerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Legiſſem, legiſſes, legiſſet.

Plur. cum legiſſemus, legiſſetis, legiſſent.

Fut. ſing. cum Legero, legeris, legerit.

Plur. cum legerimus, legeritis, legerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *imperf.* Legere.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Legiſſe.

Fut. Lecturus *vel* lecturum eſſe.

Gerundi voces, Legendi, legendo, legendum.

Supina. Lectum, lectu.

Participium præſentis temporis, Legens.

Futuri, Lecturus.

In tertia Conjugatione paſſiva.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Legor, legeris *vel* legere, legitur.

Plur. legimur, legimini, leguntur.

Præt. imperf. ſing. Legebar, legebaris *vel* legebare, legebatur.

Plur. legebamur, legebamini, legebantur.

Præt. perf. ſing. Lectus ſum *vel* fui, lectus es *vel* fuiſti, lectus eſt *vel* fuit.

Plur. lecti ſumus *vel* fuimus, lecti eſtis *vel* fuiſtis, lecti ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Lectus eram *vel* fueram, lectus eras *vel* fueras, lectus erat *vel* fuerat.

Plur. lecti eramus *vel* fueramus, lecti eratis *vel* fueratis, lecti erant *vel* fuerant.

Fut. ſing. Legar, legeris *vel* legere, legetur.

Plur. legemur, legemini, legentur.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Legere *vel* legitor, legatur *vel* legitor.

Plur. legamur, legimini *vel* legiminor, legantur *vel* leguntor.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Legar, legaris *vel* legare, legatur.

Plur. utinam legamur, legamini, legantur.

Præt. imperf. ſing. utinam Legerer, legereris *vel* legerere, legeretur.

Plur. utinam legeremur, legeremini, legerentur.

Præt. perf. ſing. utinam Lectus ſim *vel* fuerim, lectus ſis *vel* fueris, lectus ſit *vel* fuerit.

Plur. utinam lecti ſimus *vel* fuerimus,

mus, lecti ſitis *vel* fueritis, lecti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Lectus eſſem *vel* fuiſſem, lectus eſſes *vel* fuiſſes, lectus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam lecti eſſemus *vel* fuiſſemus, lecti eſſetis *vel* fuiſſetis, lecti eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Legar, legaris *vel* legare, legatur.

Plur. cum legamur, legamini, legantur.

Præt. imperf. ſing. cum Legerer, legereris *vel* legerere, legeretur.

Plur. cum legeremur, legeremini, legerentur.

Præt. perf. ſing. cum Lectus ſim *vel* fuerim, lectus ſis *vel* fueris, lectus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum lecti ſimus *vel* fuerimus, lecti ſitis *vel* fueritis, lecti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Lectus eſſem *vel* fuiſſem, lectus eſſes *vel* fuiſſes, lectus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum lecti eſſemus *vel* fuiſſemus, lecti eſſetis *vel* fuiſſetis, lecti eſſent *vel* fuiſſent.

Fut. ſing. cum Lectus fuero, lectus fueris, lectus fuerit.

Plur. cum lecti fuerimus, lecti fueritis, lecti fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Legi.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Lectus *vel* lectum eſſe *vel* fuiſſe.

Fut. Legendus *vel* legendum eſſe.

Gerundi voces, Legendi, legendo, legendum.

Supinum, Lectu.

Participium præteriti temporis, Lectus.

Futuri, Legendus.

Omnia vero quæ ad hunc modum declinantur, vocantur tertiæ conjugationis.

In quarta Conjugatione activa.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Audio, audis, audit.

Plur. audimus, auditis, audiunt.

Præt. imperf. ſing. Audiebam, audiebas, audiebat.

Plur. audiebamus, audiebatis, audiebant.

Præt. perf. ſing. Audivi, audiviſti, audivit.

Plur. audivimus, audiviſtis, audiverunt *vel* audivere.

Præt. plus quam perf. ſing. Audiveram, audiveras, audiverat.

Plur. audiveramus, audiveratis, audiverant.

Fut. ſing. Audiam, audies, audiet.

Plur. audiemus, audietis, audient.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *imperf. ſing.* Audi *vel* audito, audiat *vel* audito.

Plur. audiamus, audite *vel* auditote, audiant *vel* audiunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Audiam, audias, audiat.

Plur. utinam audiamus, audiatis, audiant.

Præt. imperf. ſing utinam Audirem, audires, audiret.

Plur. utinam audiremus, audiretis, audirent.

Præt.

Præt. perf. ſing. utinam Audiverim, audiveris, audiverit.

Plur. utinam audiverimus, audiveritis, audiverint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Audiviſſem, audiviſſes, audiviſſet.

Plur. utinam audiviſſemus, audiviſſetis, audiviſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Audiam, audias, audiat.

Plur. cum audiamus, audiatis, audiant.

Præt. imperf. ſing. cum Audirem, audires, audiret.

Plur. cum audiremus, audiretis, audirent.

Præt. perf. ſing. cum Audiverim, audiveris, audiverit.

Plur. cum audiverimus, audiveritis, audiverint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Audiviſſem, audiviſſes, audiviſſet.

Plur. cum audiviſſemus, audiviſſetis, audiviſſent.

Fut. ſing. cum Audivero, audiveris, audiverit.

Plur. cum audiverimus, audiveritis, audiverint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Audire.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Audiviſſe.

Fut. Auditurum *vel* auditurus eſſe.

Gerundi voces, Audiendi, audiendo, audiendum.

Supina, Auditum, auditu.

Participium præſentis temporis, Audiens.

Futuri, Auditurus.

In quarta Conjugatione paſſiva.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Audior, audiris *vel* audire, auditur.

Plur. audimur, audimini, audiuntur.

Præt. imperf. ſing. Audiebar, audiebaris *vel* audiebare, audiebatur.

Plur. audiebamur, audiebamini, audiebantur.

Præt. perf. ſing. Auditus ſum *vel* fui, auditus es *vel* fuiſti, auditus eſt *vel* fuit.

Plur. auditi ſumus *vel* fuimus, auditi eſtis *vel* fuiſtis, auditi ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Auditus eram *vel* fueram, auditus eras *vel* fueras, auditus erat *vel* fuerat.

Plur. auditi eramus *vel* fueramus, auditi eratis *vel* fueratis, auditi erant *vel* fuerant.

Fut. ſing. Audiar, audieris *vel* audiere, audietur.

Plur. audiemur, audiemini, audientur.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Audire *vel* auditor, audiatur *vel* auditor.

Plur. audiamur, audimini *vel* audiminor, audiantur *vel* audiuntor.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Audiar, audiaris *vel* audiare, audiatur.

Plur. utinam audiamur, audiamini, audiantur.

Præt. imperf. ſing. utinam Audirer, audireris *vel* audirere, audiretur.

Plur. utinam audiremur, audiremini, audirentur.

Præt. perf. ſing. utinam Auditus ſim

vel fuerim, auditus ſis *vel* fueris, auditus ſit *vel* fuerit.

Plur. utinam auditi ſimus *vel* fuerimus, auditi ſitis *vel* fueritis, auditi ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Auditus eſſem *vel* fuiſſem, auditus eſſes *vel* fuiſſes, auditus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam auditi eſſemus *vel* fuiſſemus, auditi eſſetis *vel* fuiſſetis, auditi eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Audiar, audiaris *vel* audiare, audiatur.

Plur. cum audiamur, audiamini, audiantur.

Præt. imperf. ſing. cum Audirer, audireris *vel* audirere, audiretur.

Plur. cum audiremur, audiremini, audirentur.

Præt. perf. ſing. cum Auditus ſim *vel* fuerim, auditus ſis *vel* fueris, auditus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum auditi ſimus *vel* fuerimus, auditi ſitis *vel* fueritis, auditi ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Auditus eſſem *vel* fuiſſem, auditus eſſes *vel* fuiſſes, auditus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum auditi eſſemus *vel* fuiſſemus, auditi eſſetis *vel* fuiſſetis, auditi eſſent *vel* fuiſſent.

Fut. ſing. cum Auditus fuero, auditus fueris, auditus fuerit.

Pluraliter, cum auditi fuerimus, auditi fueritis, auditi fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Audiri.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Auditus *vel* auditum eſſe *vel* fuiſſe.

Fut. Audiendus *vel* audiendum eſſe.

Gerundi voces, Audiendi, audiendo, audiendum.

Supinum, Auditu.

Participium præteriti temporis, Auditus.

Futuri, Audiendus.

Omnia verba quæ declinantur ad alterutram harum formarum, vocantur quartæ conjugationis.

DECLINATIO VERBORUM ANOMALORUM.

Quædam ſunt verba quæ non ſequuntur formam harum quatuor conjugationum in omnibus temporibus; velut hæc quæ ſequuntur, cum nonnullis aliis.

Eo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Eo, is, it.

Plur. imus, itis, eunt.

Præt. imperf. ſing. Ibam, ibas, ibat.

Plur. ibamus, ibatis, ibant.

Præt. perf. ſing. Ivi, iviſti, ivit.

Plur. ivimus, iviſtis, iverunt *vel* ivere.

Præt. plus quam perf. ſing. Iveram, iveras, iverat.

Plur. iveramus, iveratis, iverant.

Fut. ſing. Ibo, ibis, ibit.

Plur. ibimus, ibitis, ibunt.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *imperf. ſing.* I *vel* ito, eat *vel* ito.

Plur. eamus, ite *vel* itote, eant *vel* eunto.

OPTA-

Digitized by Google

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Eam, eas, eat.

Plur. utinam eamus, eatis, eant.

Præt. imperf. ſing. utinam Irem, ires, iret.

Plur. utinam iremus, iretis, irent.

Præt. perf. ſing. utinam Iverim, iveris, iverit.

Plur. utinam iverimus, iveritis, iverint,

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Iviſſem, iviſſes, iviſſet.

Plur. utinam iviſſemus, iviſſetis, iviſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Eam, eas, eat.

Plur. cum eamus, eatis, eant.

Præt. imperf. ſing. cum Irem, ires, iret.

Plur. cum iremus, iretis, irent.

Præt. perf. ſing. cum Iverim, iveris, iverit.

Plur. cum iverimus, iveritis, iverint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Iviſſem, iviſſes, iviſſet.

Plur. cum iviſſemus, iviſſetis, iviſſent.

Fut. ſing. cum Ivero, iveris, iverit.

Plur. cum iverimus, iveritis, iverint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Ire.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Iviſſe *vel* iſſe.

Fut. Iturum eſſe.

Gerundi voces, Eundi, eundo, eundum.

Supina, Itum, itu.

Participium præſentis temporis, Iens.

Futuri, Iturus.

QUEO ſimiliter declinatur.

Volo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Volo, vis, vult.

Plur. volumus, vultis, volunt.

Præt. imperf. ſing. Volebam, volebas, volebat.

Plur. volebamus, volebatis, volebant.

Præt. perf. ſing. Volui, voluiſti, voluit.

Plur. voluimus, voluiſtis, voluerunt *vel* voluere.

Præt. plus quam perf. ſing. Volueram, volueras, voluerat.

Plur. volueramus, volueratis, voluerant.

Fut. ſing. Volam, voles, volet.

Plur. volemus, voletis, volent.

Deeſt huic verbo modus Imperativus.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Velim, velis, velit.

Plur. utinam velimus, velitis, velint.

Præt. imperf. ſing. utinam Vellem, velles, vellet.

Plur. utinam vellemus, velletis, vellent.

Præt. perf. ſing. utinam Voluerim, volueris, voluerit.

Plur. utinam voluerimus, volueritis, voluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet.

Plur. utinam voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Velim, velis, velit.

Plur.

Digitized by Google

Plur. cum velimus, velitis, velint.

Præt. imperf. ſing. cum Vellem, velles, vellet.

Plur. cum vellemus, velletis, vellent.

Præt. perf. ſing. cum Voluerim, volueris, voluerit.

Plur. cum voluerimus, volueritis, voluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet.

Plur. cum voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.

Fut. ſing. cum Voluero, volueris, voluerit.

Plur. cum voluerimus, volueritis, voluerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Velle.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Voluiſſe.

Fut. deeſt.

Participium præſentis temporis, Volens.

Nolo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Nolo, non-vis, non-vult.

Plur. nolumus, non-vultis, nolunt.

Præt. imperf. ſing. Nolebam, nolebas, nolebat.

Plur. nolebamus, nolebatis, nolebant.

Præt. perf. ſing. Nolui, noluiſti, noluit.

Plur. noluimus, noluiſtis, noluerunt *vel* noluere.

Præt. plus quam perf. ſing. Nolueram, nolueras, noluerat.

Plur. nolueramus, nolueratis, noluerant.

Fut. ſing. Nolam, noles, nolet.

Plur. nolemus, noletis, nolent.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Noli *vel* nolito, nolit *vel* nolito.

Plur. nolimus, nolite *vel* nolitote, nolint *vel* nolunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſ. ſing. utinam Nolim, nolis, nolit.

Plur. utinam nolimus, nolitis, nolint.

Præt. imperf. ſing. utinam Nollem, nolles, nollet.

Plur. utinam nollemus, nolletis, nollent.

Præt. perf. ſing. utinam Noluerim, nolueris, noluerit.

Plur. utinam noluerimus, nolueritis, noluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam noluiſſem, noluiſſes, noluiſſet.

Plur. utinam noluiſſemus, noluiſſetis, noluiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Nolim, nolis, nolit.

Plur. cum nolimus, nolitis, nolint.

Præt. imperf. ſing. cum Nollem, nolles, nollet.

Plur. cum nollemus, nolletis, nollent.

Præt. perf. ſing. cum Noluerim, nolueris, noluerit.

Plur. cum noluerimus, nolueritis, noluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Noluiſſem, noluiſſes, noluiſſet.

Plur. cum noluiſſemus, noluiſſetis, noluiſſent.

Fut.

Digitized by Google

Fut. ſing. cum Noluero, nolueris, noluerit.

Plur. cum noluerimus, nolueritis, noluerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Nolle.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Noluiſſe.

Futurum deeſt.

Participium præſentis temporis, Nolens.

Malo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Malo, mavis, mavult.

Plur. malumus, mavultis, malunt.

Præt. imperf. ſing. Malebam, malebas, malebat.

Plur. malebamus, malebatis, malebant.

Præt. perf. ſing. Malui, maluiſti, maluit.

Plur. maluimus, maluiſtis, maluerunt *vel* maluere.

Præt. plus quam perf. ſing. Malueram, malueras, maluerat.

Plur. malueramus, malueratis, maluerant.

Fut. ſing. Malam, males, malet.

Plur. malemus, maletis, malent.

IMPERATIVUS deeſt.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Malim, malis, malit.

Plur. utinam malimus, malitis, malint.

Præt. imperf. ſing. utinam Mallem, malles, mallet.

Plur. utinam mallemus, malletis, mallent..

Præt. perf. ſing. utinam Maluerim, malueris, maluerit.

Plur. utinam maluerimus, malueritis, maluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Maluiſſem, maluiſſes, maluiſſet.

Plur. utinam maluiſſemus, maluiſſetis, maluiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Malim, malis, malit.

Plur. cum malimus, malitis, malint.

Præt. imperf. ſing. cum Mallem, malles, mallet.

Plur. cum mallemus, malletis, mallent.

Præt. perf. ſing. cum Maluerim, malueris, maluerit.

Plur. cum maluerimus, malueritis, maluerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Maluiſſem, maluiſſes, maluiſſet.

Plur. cum maluiſſemus, maluiſſetis, maluiſſent.

Fut. ſing. cum Maluero, malueris, maluerit.

Plur. cum maluerimus, malueritis, maluerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Malle.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Maluiſſe.

Futurum, deeſt.

Voces item *Gerundi* & *Supina*. deſunt.

Fero.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Fero, fers, fert.

Plur. ferimus, fertis, ferunt.

Digitized by Google

Præt. imperf. ſing. Ferebam, ferebas, ferebat.

Plur. ferebamus, ferebatis, ferebant.

Præt. perf. ſing. Tuli, tuliſti, tulit.

Plur. tulimus, tuliſtis, tulerunt *vel* tulere.

Præt. plus quam perf. ſing. Tuleram, tuleras, tulerat.

Plur. tuleramus, tuleratis, tulerant.

Fut. ſing. Feram, feres, feret.

Plur. feremus, feretis, ferent.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Fer *vel* ferto, ferat *vel* ferto.

Plur. feramus, ferte *vel* fertote, ferant *vel* ferunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Feram, feras, ferat.

Plur. utinam feramus, feratis, ferant.

Præt. imperf. ſing. utinam Ferrem, ferres, ferret.

Plur. utinam ferremus, ferretis, ferrent.

Præt. perf. ſing. utinam Tulerim, tuleris, tulerit.

Plur. utinam tulerimus, tuleritis, tulerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Tuliſſem, tuliſſes, tuliſſet.

Plur. utinam tuliſſemus, tuliſſetis, tuliſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Feram, feras, ferat.

Plur. cum feramus, feratis, ferant.

Præt. imperf. ſing. cum Ferrem, ferres, ferret.

Plur. cum ferremus, ferretis, ferrent.

Præt. perf. ſing. cum Tulerim, tuleris, tulerit.

Plur. cum tulerimus, tuleritis, tulerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Tuliſſem, tuliſſes, tuliſſet.

Plur. cum tuliſſemus, tuliſſetis, tuliſſent.

Fut. ſing. cum Tulero, tuleris, tulerit.

Plur. cum tulerimus, tuleritis, tulerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Ferre

Præt. perf. & *plus quam perf.* Tuliſſe.

Fut. Laturum eſſe.

Gerundi voces, Ferendi, ferendo, ferendum.

Supina, Latum, latu.

Participium præſentis temporis, Ferens.

Futuri, Laturus.

Feror.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Feror, ferris *vel* ferre, fertur.

Plur. ferimur, ferimini, feruntur.

Præt. imperf. ſing. Ferebar, ferebaris *vel* ferebare, ferebatur.

Plur. ferebamur, ferebamini, ferebantur.

Præt. perf. ſing. Latus ſum *vel* fui, latus es *vel* fuiſti, latus eſt *vel* fuit.

Plur. lati ſumus *vel* fuimus, lati eſtis *vel* fuiſtis, lati ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Latus eram

eram *vel* fueram, latus eras *vel* fueras, latus erat *vel* fuerat.

Plur. lati eramus *vel* fueramus, lati eratis *vel* fueratis, lati erant *vel* fuerant.

Fut. ſing. Ferar, fereris *vel* ferere, feretur.

Plur. feremur, feremini, ferentur.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Ferre *vel* fertor, feratur *vel* fertor.

Plur. feramur, ferimini *vel* feriminor, ferantur *vel* feruntor.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Ferar, feraris *vel* ferare, feratur.

Plur. utinam feramur, feramini, ferantur.

Præt. imperf. ſing. utinam Ferrer, ferreris *vel* ferrere, ferretur.

Plur. utinam ferremur, ferremini, ferrentur.

Præt. perf. ſing. utinam Latus ſim *vel* fuerim, latus ſis *vel* fueris, latus ſit *vel* fuerit.

Plur. utinam lati ſimus *vel* fuerimus, lati ſitis *vel* fueritis, lati ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Latus eſſem *vel* fuiſſem, latus eſſes *vel* fuiſſes, latus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam lati eſſemus *vel* fuiſſemus, lati eſſetis *vel* fuiſſetis, lati eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Ferar, feraris *vel* ferare, feratur.

Plur. cum feramur, feramini, ferantur.

Præt. imperf. ſing. cum Ferrer, ferreris *vel* ferrere, ferretur.

Plur. cum ferremur, ferremini, ferrentur.

Præt. perf. ſing cum Latus ſim *vel* fuerim, latus ſis *vel* fueris, latus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum lati ſimus *vel* fuerimus, lati ſitis *vel* fueritis, lati ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Latus eſſem *vel* fuiſſem, latus eſſes *vel* fuiſſes, latus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum lati eſſemus *vel* fuiſſemus, lati eſſetis *vel* fuiſſetis, lati eſſent *vel* fuiſſent.

Fut. ſing. cum Latus fuero, latus fueris, latus fuerit.

Plur. cum lati fuerimus, lati fueritis, lati fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Ferri.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Latum eſſe *vel* fuiſſe.

Fut. Ferendum eſſe.

Gerundi voces, Ferendi, ferendo, ferendum.

Supinum, Latu.

Participium præteriti temporis, Latus.

Futuri, Ferendus.

Edo.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Edo, edis *vel* es, edit *vel* eſt.

Plur. edimus, editis *vel* eſtis, edunt.

Præt. imperf. ſing. Edebam, edebas, edebat.

Plur. edebamus, edebatis, edebant.

Præt. perf. ſing. Edi, ediſti, edit.
Plur. edimus, ediſtis, ederunt *vel* edere.
Præt. plus quam perf. ſing. Ederam, ederas, ederat.
Plur. ederamus, ederatis, ederant.
Fut. ſing. Edam, edes, edet.
Plur. edemus, edetis, edent.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Ede *vel* edito, edat *vel* edito.
Plur. edamus, edite *vel* editote, edant *vel* edunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Edam, edas, edat.
Plur. utinam edamus, edatis, edant.
Præt. imperf. ſing. utinam Ederem *vel* eſſem, ederes *vel* eſſes, ederet *vel* eſſet.
Plur. utinam ederemus *vel* eſſemus, ederetis *vel* eſſetis, ederent *vel* eſſent.
Præt. perf. ſing. utinam Ederim, ederis, ederit.
Plur. utinam ederimus, ederitis, ederint.
Præt. plus quam perf ſing. utinam Ediſſem, ediſſes, ediſſet.
Plur. utinam ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Edam, edas, edat.
Plur. cum edamus, edatis, edant.
Præt. imperf. ſing. cum Ederem *vel* eſſem, ederes *vel* eſſes, ederet *vel* eſſet.
Plur. cum ederemus *vel* eſſemus, ederetis *vel* eſſetis, ederent *vel* eſſent.
Præt. perf. ſing. cum Ederim, ederis, ederit.
Plur. cum ederimus, ederitis, ederint.
Præt. plus quam perf. ſing, cum Ediſſem, ediſſes, ediſſet.
Plur. cum ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.
Fut. ſing. cum Edero, ederis, ederit.
Plur. cum ederimus, ederitis, ederint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Edere *vel* eſſe.
Præt. perf. & *plus quam perf.* Ediſſe.
Fut. Eſurum eſſe.
Gerundi voces, Edendi, edendo, edendum.
Supina, Eſum, eſu.
Participium præſentis temporis, Edens.
Futuri, Eſurus.

Fio.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Fio, fis, fit.
Plur. fimus, fitis, fiunt.
Præt. imperf. ſing. Fiebam, fiebas, fiebat.
Plur. fiebamus, fiebatis, fiebant.
Præt. perf. ſing. Factus ſum *vel* fui, factus es *vel* fuiſti, factus eſt *vel* fuit.
Plur. facti ſumus *vel* fuimus, facti eſtis *vel* fuiſtis, facti ſunt, fuerunt *vel* fuere.
Præt. plus quam perf. ſing. Factus eram *vel* fueram, factus eras *vel* fueras, factus erat *vel* fuerat.
Plur. facti eramus *vel* fueramus, facti eratis *vel* fueratis, facti erant *vel* fuerant.

Fut.

Fut. ſing. Fiam, fies, fiet.
Plur. fiemus, fietis, fient.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Fito, fiat *vel* fito.

Plur. fiamus, fite *vel* fitote, fiant *vel* fiunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Fiam, fias, fiat.

Plur. utinam fiamus, fiatis, fiant.

Præt. imperf. ſing. utinam Fierem, fieres, fieret.

Plur. utinam fieremus, fieretis, fierent.

Præt. perf. ſing. utinam Factus ſim *vel* fuerim, factus ſis *vel* fueris, factus ſit *vel* fuerit.

Plur. utiam facti ſimus *vel* fuerimus, facti ſitis *vel* fueritis, facti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Factus eſſem *vel* fuiſſem, factus eſſes *vel* fuiſſes, factus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. utinam facti eſſemus *vel* fuiſſemus, facti eſſetis *vel* fuiſſetis, facti eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Fiam, fias, fiat.

Plur. cum fiamus, fiatis, fiant.

Præt. imperf. ſing. cum Fierem, fieres, fieret.

Plur. cum fieremus, fieretis, fierent.

Præt. perf. ſing. cum Factus ſim *vel* fuerim, factus ſis *vel* fueris, factus ſit *vel* fuerit.

Plur. cum facti ſimus *vel* fuerimus, facti ſitis *vel* fueritis, facti ſint *vel* fuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Factus eſſem *vel* fuiſſem, factus eſſes *vel* fuiſſes, factus eſſet *vel* fuiſſet.

Plur. cum facti eſſemus *vel* fuiſſemus, facti eſſetis *vel* fuiſſetis, facti eſſent *vel* fuiſſent.

Fut. ſing. cum Factus fuero, factus fueris, factus fuerit.

Plur. cum facti fuerimus, facti fueritis, facti fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Fieri.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Factum eſſe *vel* fuiſſe.

Futurum, Faciendum eſſe.

Gerundi voces, Faciendi, faciendo, faciendum.

Supinum, Factu.

Participium præteriti temporis, Factus.

Futuri, Faciendus.

Poſſum.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Poſſum, potes, poteſt.

Plur. poſſumus, poteſtis, poſſunt.

Præt. imperf. ſing. Poteram poteras, poterat.

Plur. poteramus, poteratis, poterant.

Præt. perf. ſing. Potui, potuiſti, potuit.

Plur. potuimus, potuiſtis, potuerunt *vel* potuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Potueram, potueras, potuerat.

Plur. potueramus, potueratis, potuerant.

Fut. ſing. Potero, poteris, poterit.

Digitized by Google

Præt. perf. ſing. Edi, ediſti, edit.

Plur. edimus, ediſtis, ederunt *vel* edere.

Præt. plus quam perf. ſing. Ederam, ederas, ederat.

Plur. ederamus, ederatis, ederant.

Fut. ſing. Edam, edes, edet.

Plur. edemus, edetis, edent.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Ede *vel* edito, edat *vel* edito.

Plur. edamus, edite *vel* editote, edant *vel* edunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Edam, edas, edat.

Plur. utinam edamus, edatis, edant.

Præt. imperf. ſing. utinam Ederem *vel* eſſem, ederes *vel* eſſes, ederet *vel* eſſet.

Plur. utinam ederemus *vel* eſſemus, ederetis *vel* eſſetis, ederent *vel* eſſent.

Præt. perf. ſing. utinam Ederim, ederis, ederit.

Plur. utinam ederimus, ederitis, ederint.

Præt. plus quam perf ſing. utinam Ediſſem, ediſſes, ediſſet.

Plur. utinam ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Edam, edas, edat.

Plur. cum edamus, edatis, edant.

Præt. imperf. ſing. cum Ederem *vel* eſſem, ederes *vel* eſſes, ederet *vel* eſſet.

Plur. cum ederemus *vel* eſſemus, ederetis *vel* eſſetis, ederent *vel* eſſent.

Præt. perf. ſing. cum Ederim, ederis, ederit.

Plur. cum ederimus, ederitis, ederint.

Præt. plus quam perf. ſing, cum Ediſſem, ediſſes, ediſſet.

Plur. cum ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

Fut. ſing. cum Edero, ederis, ederit.

Plur. cum ederimus, ederitis, ederint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Edere *vel* eſſe.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Ediſſe.

Fut. Eſurum eſſe.

Gerundi voces, Edendi, edendo, edendum.

Supina, Eſum, eſu.

Participium præſentis temporis, Edens.

Futuri, Eſurus.

Fio.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Fio, fis, fit.

Plur. fimus, fitis, fiunt.

Præt. imperf. ſing. Fiebam, fiebas, fiebat.

Plur. fiebamus, fiebatis, fiebant.

Præt. perf. ſing. Factus ſum *vel* fui, factus es *vel* fuiſti, factus eſt *vel* fuit.

Plur. facti ſumus *vel* fuimus, facti eſtis *vel* fuiſtis, facti ſunt, fuerunt *vel* fuere.

Præt. plus quam perf. ſing. Factus eram *vel* fueram, factus eras *vel* fueras, factus erat *vel* fuerat.

Plur. facti eramus *vel* fueramus, facti eratis *vel* fueratis, facti erant *vel* fuerant.

Fut.

Fut. ſing. Fiam, fies, fiet.
Plur. fiemus, fietis, fient.

IMPERATIVUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf. ſing.* Fito, fiat *vel* fito.
Plur. fiamus, fite *vel* fitote, fiant *vel* fiunto.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Fiam, fias, fiat.
Plur. utinam fiamus, fiatis, fiant.
Præt. imperf. ſing. utinam Fierem, fieres, fieret.
Plur. utinam fieremus, fieretis, fierent.
Præt. perf. ſing. utinam Factus ſim *vel* fuerim, factus ſis *vel* fueris, factus ſit *vel* fuerit.
Plur. utiam facti ſimus *vel* fuerimus, facti ſitis *vel* fueritis, facti ſint *vel* fuerint.
Præt. plus quam perf. ſing. utinam Factus eſſem *vel* fuiſſem, factus eſſes *vel* fuiſſes, factus eſſet *vel* fuiſſet.
Plur. utinam facti eſſemus *vel* fuiſſemus, facti eſſetis *vel* fuiſſetis, facti eſſent *vel* fuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Fiam, fias, fiat.
Plur. cum fiamus, fiatis, fiant.
Præt. imperf. ſing. cum Fierem, fieres, fieret.
Plur. cum fieremus, fieretis, fierent.
Præt. perf. ſing. cum Factus ſim *vel* fuerim, factus ſis *vel* fueris, factus ſit *vel* fuerit.
Plur. cum facti ſimus *vel* fuerimus, facti ſitis *vel* fueritis, facti ſint *vel* fuerint.
Præt. plus quam perf. ſing. cum Factus eſſem *vel* fuiſſem, factus eſſes *vel* fuiſſes, factus eſſet *vel* fuiſſet.
Plur. cum facti eſſemus *vel* fuiſſemus, facti eſſetis *vel* fuiſſetis, facti eſſent *vel* fuiſſent.
Fut. ſing. cum Factus fuero, factus fueris, factus fuerit.
Plur. cum facti fuerimus, facti fueritis, facti fuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Fieri.
Præt. perf. & *plus quam perf.* Factum eſſe *vel* fuiſſe.
Futurum, Faciendum eſſe.
Gerundi voces, Faciendi, faciendo, faciendum.
Supinum, Factu.
Participium præteriti temporis, Factus.
Futuri, Faciendus.

Poſſum.

INDICATIVUS MODUS.

Præſens ſing. Poſſum, potes, poteſt.
Plur. poſſumus, poteſtis, poſſunt.
Præt. imperf. ſing. Poteram poteras, poterat.
Plur. poteramus, poteratis, poterant.
Præt. perf. ſing. Potui, potuiſti, potuit.
Plur. potuimus, potuiſtis, potuerunt *vel* potuere.
Præt. plus quam perf. ſing. Potueram, potueras, potuerat.
Plur. potueramus, potueratis, potuerant.
Fut. ſing. Potero, poteris, poterit.

Plur. poterimus, poteritis, poterunt.

IMPERATIVUS MODUS deeſt.

OPTATIVUS MODUS.

Præſens ſing. utinam Poſſim, poſſis, poſſit.

Plur. utinam poſſimus, poſſitis, poſſint.

Præt. imperf. ſing. utinam Poſſem, poſſes, poſſet.

Plur. utinam poſſemus, poſſetis, poſſent.

Præt. perf. ſing. utinam Potuerim, potueris, potuerit.

Plur. utinam potuerimus, potueritis, potuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. utinam Potuiſſem, potuiſſes, potuiſſet.

Plur. utinam potuiſſemus, potuiſſetis, potuiſſent.

SUBJUNCTIVUS MODUS.

Præſens ſing. cum Poſſim, poſſis, poſſit.

Plur. cum poſſimus, poſſitis, poſſint.

Præt. imperf ſing. cum Poſſem, poſſes, poſſet.

Plur. cum poſſemus, poſſetis, poſſent.

Præt. perf. ſing. cum Potuerim, potueris, potuerit.

Plur. cum potuerimus, potueritis, potuerint.

Præt. plus quam perf. ſing. cum Potuiſſem, potuiſſes, potuiſſet.

Plur. cum potuiſſemus, potuiſſetis, potuiſſent.

Fut. ſing. cum Potuero, potueris, potuerit.

Plur. cum potuerimus, potueritis, potuerint.

INFINITUS MODUS.

Præſens & *præt. imperf.* Poſſe.

Præt. perf. & *plus quam perf.* Potuiſſe.

Participium præſentis temporis, Potens.

PARTICIPIA.

Participia finita in *ans* vel in *ens*, imitantur tertiam nominis inflexionem, *Amans*, *amantis : legens*, *legentis*.

Cæterorum participiorum maſculina & neutra imitantur ſecundam declinationem : fœminina vero primam, ſicut adjectiva finita in *us*, *a um*, declinari ſolent, ut *Amaturus*, *amatura*, *amaturum*; Genitivus, *amaturi*, *amaturæ*, *amaturi : Amandus*, *amanda*, *amandum*; Genitivus, *amandi*, *amandæ*, *amandi*.

PRÆPOSITIONES.

Præpoſitiones ſunt hæ, *Ad*, *apud*, *ante*, *adverſus* vel *adverſum*, *cis*, *citra*, *circum*, *circa*, *circiter*, *contra*, *erga*, *extra*, *infra*, *intra*, *inter*, *juxta*, *ob*, *pone*, *prope*, *propter*, *per*, *præter*, *poſt*, *penes*, *ſecus*, *ſecundum*, *trans*, *ultra*, *uſque*, *verſus*. *A*, *ab*, *abs*, *abſque*, *cum*, *coram*, *de*, *e*, *ex*, *pro*, *præ*, *palam*, *ſine*, *tenus*. *Clam*, *in*, *ſub*, *ſuper*, *ſubter*.

ADVERBIA.

Adverbia, aut temporis ſunt, ut *Hodie*, *cras*, *heri*, *perendie*, *quotidie*, *quum*, *quando*, *dum*, *jam*, *nunc*, *modo*, *mox*, *diu*, *ſemper*, *aliquando*, *dudum*, *pridem*, *olim*, *ſæpe*, *raro*, *nunquam*.

Aut loci, *Ubi? hic*, *iſtic*, *illic*, *ibi*, *intus*, *foris*. *Quo? huc*, *iſtuc*, *illuc*,

Digitized by Google

illuc, *intro*, *foras*. *Unde?* *hinc*, *iſthinc*, *illinc*. *Qua?* *hac*, *iſthac*, *illac*. *Quorſum?* *horſum*, *iſthorſum*, *illorſum*, *prorſum*, *retrorſum*.

Aut numeri, ut *Semel*, *bis*, *ter*, *quater*.

Aut ordinis, ut *Inde*, *deinde*, *dehinc*, *deinceps*.

Aut interrogandi, ut *Cur*, *quare*, *quamobrem*, *ubi*, *unde*, *quo*, *qua*, *quorſum*, *qualiter*, *quomodo*, *quando*.

Aut vocandi, ut *Heus*.

Aut reſpondendi, ut *Hem*.

Aut affirmative reſpondendi, ut *Etiam*, *ſic*, *ita*, *quidni?*

Aut affirmationis *ſeu* confirmationis, ut *Certe*, *profecto*, *ſane*, *ſcilicet*, *videlicet*.

Aut negandi, ut *Non*, *haud*, *minime*, *nequaquam*.

Aut jurandi, ut *Ædepol*, *caſtor*, *hercle*, *mediusfidius*.

Aut hortandi, ut *Eia*, *age*, *agedum*.

Aut prohibendi, ut *Ne*.

Aut optandi, ut *Utinam*, *ſi*, *oſi*, *o*.

Aut congregandi, ut *Simul*, *una*, *pariter*, *non modo*, *non ſolum*.

Aut eligendi, ut *Potius*, *imo*.

Aut ſeparandi, ut *Seorſum*.

Aut qualitatis, ut *Docte*, *pulchre*, *fortiter*.

Aut quantitatis, ut *Multum*, *parum*, *modicum*, *minimum*, *minime*, *paullulum*, *nimium*.

Aut comparandi, ut *Tam*, *quam*, *magis*, *minus*, *maxime*, *minime*.

Aut intendendi, ut *Valde*, *perquam*, *longe*.

Aut contrariæ ſignificationis, nempe remittendi, ut *Vix*, *ſenſim*, *paullatim*, *ægre*.

Aut rei non plane peractæ, ut *Pene*, *fere*.

Aut demonſtrandi, ut *En*, *ecce*.

Aut dubitandi, ut *Forſan*, *forſitan*, *fortaſſis*, *fortaſſe*.

Aut eventus, ut *Forte*, *fortuito*.

Aut ſimilitudinis, ut *Sic*, *ſicut*, *ſicuti*, *quaſi*, *ceu*, *tanquam*, *veluti*, *velut*.

INTERJECTIONES.

Interjectionum aliæ ſunt dolentis, ut *Hei*, *heu*, *o*, *ah*, *vah*.

Quædam exſultantis, ut *Evax*.

Quædam timentis, ut *Atat*.

Quædam admirantis, ut *Papæ*.

Quædam exclamantis, ut *Proh* Jupiter! *o* tempora, *o* mores!

CONJUNCTIONES.

Conjunctionum quædam ſunt copulativæ, ut, *Et*, *que*, *atque*, *ac*, *quoque*, *etiam*, *necnon*.

Quædam diſcretivæ, ut *Sed*, *quidem*, *autem*, *vero*, *at*, *aſt*.

Quædam disjunctivæ, ut *At*, *ne*, *vel*, *ſive*, *ſeu*.

Quædam rationis redditivæ, ut *Nam*, *namque*, *enim*, *etenim*, *quia*.

Quædam ſubcontinuativæ, ut *Quoniam*, *poſtquam*, *quando*, *quandoquidem*.

Quædam perfectivæ vel abſolutivæ, velut *Ut* & *Quo*. Et una quæ definitiva vocari poteſt, ut *Quod*.

Quædam continuativæ, ut *Si*, *ſin*, *ni*, *niſi*.

Quædam dubitativæ, ut *Ne*, *an*, *utrum*, *necne*.

Quædam illativæ, ut *Ergo*, *ideo*, *igitur*, *quare*, *quamobrem*.

Quædam adverſativæ, ut *Etſi*, *quan-*

Digitized by Google

quanquam, *quamvis*, *licet*. Et redditivæ earundem, ut *Tamen*, *attamen*.

Quædam electivæ, ut *Quam*.

Quædam elattoticæ ſeu diminutivæ, ut *Saltem*.

RUDIMENTA DEFINITIONUM.

NOMEN.

NOMEN eſt pars orationis, quæ caſibus inflexa, ſignificat aliquid ſine ulla temporis adſignificantia. Nomen *proprium* eſt, quod ſignificat rem non communem, ſed propriam uni individuo: ut *Maro*, *Roma*, *Tybris*.

Nomen *appellativum* eſt, quod rem multis communem ſignificat: ut *Homo*, *animal*, *albedo*.

Interim appellativorum vim obtinent infiniti verborum modi, ut [*ſtudere*] in hac oratione, *Studere eſt honeſtum:* interim vero ſenſus integer, velut [*ut diſcas*] in hac oratione, *Expedit ut diſcas*.

Adjectivum nomen eſt, quod ſignificat rem communem multis, & proprii vel appellativi ſignificationem determinat: & eſt fere trium generum, aut ſub tribus diverſis terminationibus, ut *Albus*, *alba*, *album*; aut ſub duabus, ut *fortis*, *forte*; aut ſub una, ut *Velox:* nec per ſe in oratione conſiſtere poteſt, ſed ſemper cum proprio aut appellativo aut expreſſo aut intellecto ponitur, niſi ſit neutrius generis.

Interrogativum nomen eſt, per quod de re aliqua quærimus. Eſt autem duplex. Nam per ipſum aut de proprio vel appellativo nomine interrogamus, & *ſubſtantiæ interrogativum* vocatur, ut *Quis? uter?* aut de adjectivo, & tum vocatur *accidentis*, ut *Qualis?* Of what ſort? (Hoedanig?) *Quantus?* How great? (Hoe groot?) *Cujus cuja, cujum?* Whoſe? (Van wie?) *Cujas?* Of what Countrey? (Waar van dan?) *Quotus?* Of what Number? De hoe menigſte?) *Quot?* How many? (Hoe veel?) Prædicta vero nomina interdum nihil quærunt: ſed aut ſubjunguntur hujuſcemodi verbis, *Scio*, *intelligo*, *video:* ut *Scio qualis ſis:* & tum *infinita* vocantur. Aut nos ad aliud notius remittunt, & tum fiunt *relativa:* ut *Hermolaus erat doctus*, *qualis etiam Politianus erat*.

Nomen *redditivum* eſt quod interrogativis reſpondet, quando relativi vim induunt: velut hæc, *Talis*, *tantus*, *tot*. Exemplum, *Talis erat Politianus*, *qualis Hermolaus*. Hæc autem interdum demonſtrative accipiuntur, veluti cum hominem demonſtrantes dicimus, *Talis erat Theodorus*.

Nomen *partitivum* eſt quod aut multos ſigillatim ſignificat, ut *Uterque*, *unuſquiſque:* aut unum ex multis, ut *Alter*, *alius*.

Ad-

Digitized by Google

Adjectivum nomen, ſi comparationem recipere poteſt, *poſitivum* aut *abſolutum* vocatur.

Comparativum nomen eſt quod ſignificat exceſſum alicujus qualitatis, reſpectu unius, aut plurium, & reſolvitur per hoc adverbium *Magis:* ut *Prudentior illo*, vel *illis*, **He is wiſer than he / or than they**: pro *magis prudens.*

Superlativum nomen eſt quod ſignificat exceſſum alicujus qualitatis reſpectu plurium, & reſolvitur per adverbium *Maxime :* ut *Doctiſſimus omnium*, **The moſt learned of all**: pro *maxime doctus.*

Nomen *poſſeſſivum* eſt quod ſignificat rem ut poſſidentis, aut ejus ad quem pertinet: ut *Paternus*, *hortenſis*, *herilis.*

Nomen *materiale* eſt quod ſignificat rem tanquam ex materia e qua fit: ut *Lapideus*, *teſtaceus*, *triticeus.* Quæ vero rem ſignificant, ut ex urbe, aut oppido, vocantur *patria:* ut *Eboracenſis*, *Romanus.* Quæ rem ſignificant, ut ex gente, aut natione, appellantur *gentilia :* ut *Græcus*, *Italus*, *Hiſpanus*, *Anglus.*

Nomen *numerale* eſt quod numerum ſignificat, ut *Unus*, *duo*, *tres:* & ejus generis nomina, *cardinalia* vocantur. Aut ut *Primus*, *ſecundus*, *tertius*, quæ *ordinalia* vocantur. Aut ut *Singuli*, *bini*, *terni*, quæ *diſtributiva* vocantur.

Nomen *collectivum* eſt quod ſub una voce ſingulari multa ſignificat: ut *Populus*, *gens*, *turba.*

GENERA.

Maſculinum genus eſt quod ad mares tantum pertinet in eo genere rerum quod utrumque ſexum recipit: ut *Vir*, *Theodorus*, *Poëta.* In his autem quæ maris & fœminæ diſcrimen non recipiunt, id nomen maſculinum appellatur, quod apud probatos ſcriptores ſolis maſculinis jungi ſolet: ut *Lapis*, *niger*, *qui.*

Fœmininum genus eſt quod ad fœminas tantum pertinet in eo rerum genere quod utrumque ſexum recipit: ut *Cornelia*, *mulier*, *textrix.* In his vero rebus quæ ſexus diſcrimen non recipiunt, fœmininum eſt quod cum vocibus fœminini generis jungitur: ut *Petra*, *nigra*, *quæ.*

Neutrum genus eſt quod nec mari proprium eſt, nec fœminæ, quodque in communi loquendi uſu cum dictionibus jungitur quæ nec maſculinæ nec fœmininæ ſunt: ut *Saxum*, *jumentum.*

Ea vero nomina quæ pariter marem & fœminam ſignificant, & maſculini & fœminini ſunt generis, *Communia duum* generum appellantur: ut *Bos*, *ſus.* Exceptis paucis quæ vocantur *Epicœna :* ut *Paſſer*, *aquila*, *muſtela*, *milvus :* quæ ſub uno genere ſignificant utrumque ſexum. Quemadmodum e contrario quædam vocantur *Dubii* generis, quod unam rem ſignificent, nunc in maſculino, nunc in fœminino genere, ſolo auctorum arbitrio: ut *Margo*, *dies*, *ſilex.* Quæcunque vero nomina vocibus cujuſque generis poſſunt convenire, ea *Communia trium* appellantur: ut *velox.*

CASUS.

Nominativus caſus eſt qui ſignificat rem abſolute, vel citra ullam circumſtantiam aut reſpectum ad aliam: & is caſus *Rectus* vocatur: cæteri vero *obliqui.*

Digitized by Google

Aliter.

Nominativus eſt qui aut præcedit verbum certæ perſonæ & numeri, & reſpondet huic quæſtioni [*quis?*] aut [*quid?*] præpoſitæ verbo. Aut ſi non præcedit verbum, ab hujuſcemodi nominativo dependet.

Genitivus eſt qui ſignificat rem ut poſſidentis: atque ideo poteſt frequenter in poſſeſſiva verti. Ejus vero articulus ſive nota, præcipue poſt appellativa & propria nomina, eſt hæc vox Of.

Dativus eſt qui ſignificat rem, ut cui acceſſio, damnum, gratificatio, miſſio, ſimilitudinis vel æqualitatis collatio ſit. Ejus autem nota poſt adjectiva aut appellativa eſt hæc vox To vel for: ut, I am profitable/ unprofitable / like or equal to thee: *Sum utilis, inutilis, ſimilis*, vel *æqualis tibi.*

Accuſativus eſt qui fere verborum activorum tranſitum & actionem excipit, & qui quaſdam præpoſitiones ſequitur quæ conſtruuntur cum accuſativo.

Vocativus ſignificat rem ut vocatam vel compellatam, ut *Tityre:* & frequenter jungi ſolet adverbiis: ut *Heus Angele, o Hermolae:* & ſemper abſolute ſine ullo verbo conſiſtit.

Ablativus eſt qui ſignificat tempus, pretium; vel inſtrumentum, & Anglice has habet notas, With/ from/ in/ by.

NUMERI.

Singularis numerus unam rem ſignificat, ut *Homo*, A Man. *Pluralis* plura ſignificat, ut *Homines*, Men. Nomina vero quæ *collectiva* vocantur, qualia ſunt, *gens*, *populus*, in ſingulari numero obtinent vim numeri pluralis. Similiter duo aut plura appellativa vel propria nomina, vel primitiva pronomina, conjuncta per conjunctionem copulativam, ut *Petrus & Paulus*, *Grammaticus & rhetor*, *Ego & tu.*

PRONOMEN.

Pronomen eſt pars orationis, quæ inflexa caſibus, ſignificat rem ſine certi temporis differentia, & ſemper definitam ſignificat perſonam.

Aliter.

Quæ rem ſignificat tanquam demonſtratam, relatam aut poſſeſſam, cum aliqua certæ perſonæ differentia: atque ideo quædam vocantur *demonſtrativa*, quædam *relativa*, quædam *poſſeſſiva*.

Pronomen *demonſtrativum* eſt quod rem demonſtrat, ut *Ego*, *tu*, *hic*, *ille.*

Relativum eſt quod aliquid ex præcedenti oratione repetit, ut *Virgilius legitur*, *& hic eſt præcipue audiendus.*

Poſſeſſivum eſt quod ſignificat rem tanquam poſſeſſam, interdum ab uno, ut *Meus*, *tuus*; interdum a pluribus, ut *Noſter*, *veſter.*

Pronomen *patrium* eſt quod ſignificat patriam, cum differentia certæ perſonæ, ut *Noſtras*, *veſtras.*

PERSONÆ.

Prima perſona pronominis eſt quæ ſignificat rem ut loquentem, ut *Ego.* Voces autem primæ perſonæ ſunt Anglicæ, I/ me/ we/ us.

Secunda perſona ſignificat rem ut compellatam, ſive ad quam ſit ſermo,

mo, ut *Tu*, atque ideo omnis vocativus caſus eſt ſecundæ perſonæ, ut *Petre*. Voces autem ſecundæ perſonæ Anglicæ ſunt hæ, **Thou/thee/you/ye.**

Tertia perſona eſt quæ ſignificat rem, ut de qua fit ſermo. Sub hac perſona continentur omnia nomina, participia & pronomina, præter duo primitiva, *ego* & *tu*, & vocativos caſus, ut antea dictum eſt.

GENERA.

Maſculina pronomina ſunt quæ demonſtrant aut referunt mares, aut quæ ſolent in publico Latini ſermonis uſu dictionibus maſculinis jungi.

Fœmininum eſt quod fœminas refert aut demonſtrat, aut quod in ſermone Latino cum fœmininis dictionibus ſolet jungi.

Neutrum genus refert aut demonſtrat rem neutram, hoc eſt, neque maſculinam neque fœmininam, nec ſolet jungi cum dictionibus maſculinis aut fœmininis.

VERBUM.

VERBUM eſt pars orationis, quæ modis & temporibus inflexa, aut eſſe, aut agere, aut pati ſignificat, cum certi temporis differentia: ut *Sum*, *eram: amo*, *amabam: amor*, *amabar*.

Unum eſt verbum *Subſtantiæ*, quod eſt *Sum*, *es*, *fui*. Aliorum verborum ea quæ per ſe ſenſum abſolvunt, nec dictionem poſt ſe expectunt, quæ tranſitum ipſorum excipiat, vocantur *Abſoluta:* ut *Sto*, *jaceo*, *ambulo*. Reliqua omnia *Tranſitiva* vocantur, quorum quædam ſunt *Activa*, quædam *Paſſiva*, quædam *Communia*, quædam *Neutra*, quædam *Deponentia*.

Activum eſt quod deſinit in *o*, & poteſt fere verti in paſſivum ſenſu non mutato: ut *Amo te*, *Tu amaris a me*.

Paſſivum eſt quod finitum in *or* poteſt mutari in activum ſenſu non mutato: ut *Tu amaris a me*, *ego amo te*.

Verbum *Commune* eſt quod deſinit in *or*, & activorum & paſſivorum ſignificationem complectitur: ut *Largior*, *experior*.

Verbum *Neutrum* eſt quod finitum in *o* non poteſt Latine verti inſtar activi, ut *Eo*, *palleo*.

Verbum *Deponens* eſt quod in *or* finitum habet ſignificationem aut activi, ut *Sequor:* aut neutri, ut *Glorior*.

MODI.

Modi ſunt ſex, *Indicativus*, *Imperativus*, *Optativus*, *Potentialis*, *Subjunctivus* & *Infinitus*.

Indicativus modus eſt qui rem ut narratam ſignificat, ut *Amo*, **I love.** Interdum ut interrogatam, aut *Amo ego?* **Do I love?**

Imperativus modus rem ſignificat ut imperatam, aut juſſam: ut *Ama*, **Love thou.**

Optativus modus rem ſignificat ut optatam, & nonnunquam cum adverbio optandi, interdum ſine eo: ut *Utinam amer*, **I wiſh I be loved.**

Potentialis modus eſt qui ſignificat potentiam aut debitum: notæ ejus Anglicæ ſunt hæ, **I can/ or I ought/** pro præſenti & præterito perfecto **I might/ or I could/ or I ſhould/** pro præterito imperfecto. **I might/ or I**

could / or I ſhould have or had / pro plus quam perfecto. I will have / pro futuro.

Habet autem in omni verbo quinque tempora ſubjunctivi temporibus (quod ad vocem attinet) ſimilia: ut *Amem*, I can love. *Amarem* / I might love / or I ſhould love. *Amaverim*, I would willingly love. *Amaviſſem*, I might have or had loved. *Amavero* / I will love.

Hic autem modus poteſt etiam interrogative, aut dubitative ſumi: ut: *Amemne ego inimicum?*

Subjunctivus modus indicativo quidem ſignificatione ſimilis eſt, ſed nunquam eo utimur niſi poſt aliud verbum aut expreſſum aut ſubauditum: ut *Rogo ut facias.*

Infinitus modus ſignificat eſſe, agere, aut pati, ſine numero aut perſona.

TEMPORA.

Præſens tempus ſignificat actionem quæ nunc agitur, ut I love / *Amo.*

Præteritum imperfectum actionem præteritam, non tamen abſolutam ſignificat: ut I loved / *Amabam.*

Præteritum perfectum, actionem præteritam & abſolutam ſignificat: ejus nota Anglica eſt, I have: ut I have loved / *Amavi.*

Præteritum plus quam perfectum ſignificat rem perfectam, ſed reſpectu præteriti: & ejus nota Anglice eſt, I had: ut I had loved / *Amaveram.*

Futurum tempus ſignificat rem in futurum gerendam: ejus autem notæ Anglicæ ſunt hæ, I ſhall / or I will / ut I will love / *Amabo.*

PARTICIPIUM.

PArticipium eſt pars orationis caſibus inflexa, quæ ſignificat actionem cum differentia temporis: in voce quidem activa præſentis temporis aut futuri, ut *Amans*, *amaturus*: in paſſiva vero præteriti aut futuri, ut *Amatus*, *amandus.*

PRÆPOSITIO.

PRæpoſitio eſt pars orationis indeclinabilis, ſignificans circumſtantiam aut habitudinem rei in loco, ordine, aut cauſſa: ut *In*, *poſt*, *propter.*

ADVERBIUM.

ADverbium eſt pars indeclinabilis, quæ determinat ſignificationem verbi, velut adjectiva propriorum & appellativorum: ut *Bene facis, male facis: Clare legis, male legis.*

INTERJECTIO.

INterjectio eſt pars orationis indeclinabilis, quæ ſub rudi, imperfecta, & incondita voce aliquam animi affectionem ſignificat, utpote dolorem, metum, indignationem, vel admirationem.

CONJUNCTIO.

COnjunctio eſt pars orationis indeclinabilis, quæ connectit & ordinat clauſulas.

RUDI-

Digitized by Google

RUDIMENTA CONSTRUCTIONUM.

PARASCEUE GENERALIS AD CONSTRUCTIONEM.

UT Verba recte in oratione connectas & coagmentes, primum omnium ſciendum eſt, quod verbum certæ perſonæ & numeri ſemper habeat ſecum nominativum aut poſitum aut ſubauditum: ut *Ego audio.*

Item, quod omne adjectivum ſuam vim ſervans, habeat ſecum junctum aut proprium aut appellativum, aut aliquid quod eorum vim obtineat: ut *Magnus Alexander*, *Gratus diſcipulus*, *Velle tuum.*

Item, quod relativum [*qui*] ſemper habeat ſecum aut expreſſum aut ſubauditum aliquod verbum e præcedenti clauſula, quod vocatur *Antecedens:* ut *Maro legitur, qui imitatus eſt Homerum.* Ibi cum relativo [*qui*] ſubauditur *Maro.*

Item, quoties duo verba continuamus in una clauſula, nullo interveniente nominativo, aut expreſſo, aut ſubaudito, poſterius erit infiniti modi: ut *Cupio diſcere.*

Item, præpoſitio ſuam vim ſervans, non poteſt conſiſtere ſine dictione per caſus inclinabili, in eo caſu poſita quem ea præpoſitio exigit: ut *Ad templum*, *ab urbe.*

De conſtructione intranſitiva.

PRIMA INTRANSITIVA.

Præceptor docet, Quare verbum [*docet*] eſt ſingularis numeri & tertiæ perſonæ? Quia verbum certi numeri & perſonæ ſemper debet convenire cum nominativo caſu in duobus accidentibus, numero & perſona: *Ego ſcribo, tu legis.*

Quanam ratione deprehendes quis ſit proprius alicujus verbi nominativus? Per hanc quæſtionem [*quis*] vel [*quid*] verbo præpoſitam. Ea enim dictio quæ huic quæſtioni reſpondebit, erit verbi nominativus, ut in hac oratione, *Ego lego*, nominativus eſt [*ego.*] quia reſpondet huic quæſtioni, *Quis* vel *quid legit?*

SECUNDA CONSTRUCTIO INTRANSITIVA.

Gratus diſcipulus laudat præceptorem, [*Gratus*] quare eſt nominativi caſus, maſculini generis, & ſingularis numeri? Quia neceſſe ad adjectivum conſentire cum proprio aut appellativo in tribus, nempe caſu, genere & numero: ut vir *bonus*, *Mulier proba.* Præterea omnia nomina interrogativa, relativa accidentis, cum ſuis redditivis; item partitiva, comparativa, ſuperlativa, numeralia, & pronomina, tum demonſtrativa, tum poſſeſſiva; item participia, quæ eandem obtinent cum ſuis propriis & appellativis conſtructionem, quam habent adjectiva: *Quanta turba*, *Tanta moles*, *Neutra acies*, *Melior fortuna*, *Maximus latro*, *Tres*

fratres,

fratres, *Hic vir*, *Illa anus*, *Noſter herus*, *Homo armatus.*

Qua ratione deprehendes proprium aut appellativum quod ad adjectivum ſpectat? Per hanc quæſtionem [*quis*] aut [*quid*] adjectivo ſubjectam: ut in hac oratione, *Velox equus*; *velox*, quid? *equus.*

TERTIA INTRANSITIVA.

Vir ſapit qui pauca loquitur, Quare eſt hæc vox [*qui*] nominativus, maſculini generis & ſingularis numeri? Quia relativum [*qui*,] & breviter omnia nomina & pronomina relativa, cohærent cum ſuo proprio aut appellativo, aut pronomine primitivo, quod ex ſuperiore clauſula repetunt, in tribus, caſu, genere & numero: ut *Vir ſapit qui pauca loquitur*, *Ego ſcribo & idem doceo*, *Eſt homo ſtudioſus*, *qualis es tu*: in quibus exemplis, cum, [*qui*] ſubauditur *vir*; cum [*idem*] *ego*; cum [*qualis*] *homo.*

Quæ eſt vox quæ ex clauſula præcedenti repetitur ibi cum relativo [*qui?*] Hoc appellativum [*vir*].

Cur ſubaudis hoc appellativum [*vir*] poſt relativum in nominativo caſu? Quia ita præcipit regula. Dic regulam:

1. Si nullus interveniat nominativus inter relativum & verbum, tum ea vox quæ cum relativo repetitur, erit nominativus verbi.

2. Quod ſi quis interveniat nominativus inter relativum & verbum, tum ea dictio quæ repetitur a relativo, talis erit caſus, qualem verbum poſt ſe expetit: ut *Audio fabulam quam Terentius dedit.* Aut talis caſus, qualem dictio aliqua, quæ verbum ſequitur, expetit poſt ſe. Quæ quidem dictio interim nomen eſt appellativum: ut *Cujus numen adoro.*

Interim adjectivum, idque variis modis: ut

Cujus inopem foviſti.
Quorum optimum ipſe habeo.
Cui ſimilem non vidi.
Quo dignum judicavi.
Quo majorem non vidi.

Interim infinitus modus, participium, gerundi vox, aut ſupinum: ut,

Quem cupio videre.
Cui velim te obſequentem.
Quem videndo obſtupuit.
Quem ſalutatum venit.

Interim præpoſitio, vel adverbium: ut,

A quo videor amari.
Quo melius nemo ſcribit.

Aliter.

Relativum convenit cum ſuo antecedente in tribus, genere, numero & perſona. Quod autem ad caſum attinet, ſi nullus nominativus interveniat inter relativum & verbum, tum relativum erit verbi nominativus. Sin autem aliquis nominativus interveniat inter relativum & verbum, tum relativum talis erit caſus qualem verbum poſt ſe exigit; aut talis caſus qualem dictio ſequens verbum exigit poſt ſe, ut in ſuperioribus exemplis eſt demonſtratum.

Qua ratione deprehendemus dictionem clauſulæ præcedentis quæ cum relativo repeti debet? Per hanc quæſtionem [*Quis*] vel [*Quid*] verbo ſubjectam: ut in hac oratione, *Virgilius laudavit Æneam*, *qui erat Trojanus*; dictio quæ repetitur cum relativo, eſt [*Æneas*,] quia reſpondet

det ad hanc quæſtionem *Quis* vel *Quid* ſubjectam relativo, hoc pacto, *Quis erat Trojanus? Æneas.*

APPOSITIVA CONSTRUCTIO.

Plato eſt philoſophus, Cur eſt hæc dictio [*Philoſophus*] nominativi caſus? Quia dictio per caſus inclinabilis ſubjuncta verbo *Sum*, *es*, *fui*, verbis paſſivis, aut neutris abſolutis, ut *judicor*, *incedo*, modo nulla interveniat præpoſito, convenit caſu cum ea dictione quæ verbum præcedit: ut *Virgilius erat poëta*, *Virgilius vocabatur Maro*. *Incedo rectus.*

Sin autem dictio ſequens verbum, ſit adjectivum, aut dictio quæ inſtar adjectivi conſtruatur, neceſſe eſt conveniat cum dictione præcedente verbum in caſu, genere & numero: ut The Maſter is ſick. *Præceptor eſt æger.* (de Meeſter is ſiech.) Et hæc vocatur *Appoſitiva conſtructio.*

PARASCEUE GENERALIS AD CONSTRUCTIONEM TRANSITIVAM.

Audio Terentium quem tu edidiciſti, Cur accuſativus [*quem*] præcedit ſuum verbum? Quia ita jubet regula. Quænam eſt ea?

In univerſum, omne nomen, verbum, participium, adverbium, aut interjectio, ſolent obliquo caſui, quem regunt, præponi: ut *Domus Pompeji*, *Clementia Cæſaris*, *Video herum*, *Prope fontem*. Niſi forte obliquus hujuſcemodi ſit nomen interrogativum, aut relativum *qui*, *quæ*, *quod*: quæ in hoc genere conſtructionis ſemper ſolent præcedere dictiones a quibus reguntur: ut *Quem quæris? Utri faves? Quos tu perdideras.*

NOMINA CUM GENITIVO CONSTRUCTA.

Codex Virgilii, [*Virgilii*] quare eſt genitivi caſus poſt dictionem [*codex*?] Quia omne nomen appellativum poteſt conſtrui cum genitivo dictionis ſequentis, quæ quidem habeat ante ſe genitivi notam: ut The point of a knife/ *Mucro cultelli.* (De punt van het mes.)

Amator virtutis, [*Virtutis*] quare eſt genitivi caſus? Quia omnia nomina verbalia, quæ quidem appellativorum ſignificationem habent, modo ab activis verbis deriventur, poſſunt conſtrui cum genitivo dictionis ſequentis, quæ notam genitivi habet ante ſe: ut A lover of learned men/ *Amator doctorum:* (Een liefhebber der geleerde.) *Tegmen capitis*, *Lectio præceptoris.*

Dives pecoris, Cur [*pecoris*] eſt genitivi caſus? Quia nomina adjectiva, quæ copiam ſeu abundantiam ſignificant, ut *Dives*, *opulentus*, conſtruuntur cum genitivo dictionis, ſequentis, quæ habet ante ſe notam genitivi: ut I am rich of cattle/ *Sum dives pecoris*, (Ik ben ryk van vee.) *Capax amphoræ*, (Containing an *Amphora*, which is the name of a certain meaſure/ (houdende een anker.) *Plenus rimarum.* Sed *Plenus* frequenter cum ablativo conſtruitur: ut *Plena gypſo.*

Expers fraudis, Quare [*fraudis*] eſt genitivi caſus? Quia nomina ſignificantia inopiam aut penuriam, poſſunt conſtrui cum genitivo dictionis ſequentis, quæ rem quæ deeſt ſignificat, & notam genitivi ante ſe habet: ut Poor of all things/ (Van alles berooft ſyn.) *Pauper*, *egenus*, *inops*, *indigus*, *expers omnium*: *Inops auxilii*, *Expers fraudis.*

Cupidus laudis, Cur [*laudis*] eſt genitivi caſus? Quia nomina quæ ſignifi-

gnificant inopiam cum deſiderio, poſſunt conſtrui cum genitivo caſu dictionis ſequentis, cui nota genitivi præponitur: ut **Covetous of money** / *Avarus pecuniæ*. (**Geldgierig**.) **Deſirous of learning** / *Cupidus, avidus literarum*. (**Leergierig**.) Horum vero quædam conſtrui poſſunt cum voce gerundi in *di* finita: ut *Cupidus vivendi*, *Avidus bibendi*.

Neſcius fraudis, Cur [*fraudis*] eſt genitivi caſus? Quia nomina ſignificantia ſcientiam aut inſcitiam, conſtruuntur cum genitivo dictionis ſequentis, quæ habet ante ſe notam genitivi: ut *Peritus*, *gnarus*, *ignarus rerum*: *Anceps*, *dubius ſententiæ*: *Neſcius fraudis*: *Certus*, *incertus conſilii*: *Prudens*, *imprudens*, *conſcius fati*: & cum his *Compos*, *Securus*, *Potens*, *Reus*.

Alter geminorum, Cur [*geminorum*] eſt genitivi caſus? Quia nomina partitiva conſtruuntur cum genitivo plurali dictionis ſequentis, quæ ante ſe genitivi notam habet: ut *Alter*, *uterque noſtrum*: *Quiſque*, *unuſquiſque majorum*: *Nemo*, *unus*, vel *ſolus hominum*. Adde hæc tria interrogativa, *Quis*, *uter*, & *quot*.

Primus ſedentium, Cur [*ſedentium*] eſt genitivi caſus? Quia omnia nomina numeri, quæ ordinalia vocantur, conſtruuntur cum genitivo plurali omnium dictionum habentium ante ſe notam genitivi: ut *Primus*, *ſecundus*, *tertius fratrum*.

Saniſſima corporum, Quare [*corporum*] eſt genitivi caſus? Quia nomina ſuperlativi gradus conſtruuntur cum genitivo plurali dictionum ſequentium, quæ ante ſe habent genitivi notam: ut *Saniſſima corporum*, *Minimus fratrum*. Hic autem genitivus ſæpe reſolvitur in ablativum cum præpoſitione *e* vel *ex*: ut *Minimus e fratribus*.

NOMINA CUM DATIVO CONSTRUCTA.

Gratus præceptori, Cur [*præceptori*] eſt dativi caſus? Quia omnia nomina ſignificantia gratificationem, commodum, vel incommodum, conſtruuntur cum dativo dictionis ſequentis, quæ notam dativi ante ſe habet: ut **Labour is profitable to the body** / *Labor eſt utilis corpori*. Hujuſcemodi adjectiva ſunt, *Utilis*, *inutilis*, *damnoſus*, *periculoſus*, *commodus*, *incommodus*, *jucundus*, & *ſupplex*, cum ſimilibus.

Similis regi, Quare [*regi*] eſt dativi caſus? Quia nomina ſignificantia ſimilitudinem aut æqualitatem, aut quæ his ſunt contrariæ ſignificationis, aut quæ relationem ad aliud ſignificant, velut compoſita cum præpoſitione [*con*,] conſtruuntur cum dativo ſequenti, cui nota dativi præponitur: ut *Similis*, *diſſimilis*, *par*, *impar*, *æqualis*, *inæqualis*, *contubernalis*, *commilito*, *conſervus*, *cognatus mihi*. Similiter etiam *Socius* & *comes*.

NOMINA CUM ACCUSATIVO CONSTRUCTA.

Latus palmum, Quare [*palmum*] eſt accuſativi caſus? Quia adjectiva menſuram ſignificantia, conſtruuntur cum accuſativo nominis ſignificantis definitam menſuram: ut *Latus*, *longus*, *craſſus pedem unum*: *Altus*, *profundus palmum*.

Aptus ad regendum, Cur potius dicis [*ad regendum*] quam [*regere*,] poſt

poſt adjectivum *Aptus*? Quia poſt hujuſcemodi adjectiva *Aptus*, *idoneus*, *commodus*, *ſegnis*, *invitus*, *diligens*, *vehemens*, utimur gerundi voce in *dum* finita, cum præpoſitione *Ad*: infinito non item, etiamſi eadem ſit utriuſque ſignificatio, ut *Aptus ad dicendum*.

NOMINA CUM ABLATIVO CONSTRUCTA.

Dignus laude, Cur [*laude*] eſt ablativi caſus? Quia hæc adjectiva *Dignus*, *indignus*, *vacuus*, *viduus*, *orbus*, *præditus*, *contentus*, conſtruuntur cum ablativo caſu: ut *Vacuus cerebro*, *Viduus pharetra*.

Difficilis auditu, Quare [*auditu*] eſt poſterius ſupinum? Quia multa adjectiva, cum ſignificatio infiniti modi in ſermone vernaculo eis ſubjicitur, cum poſteriore ſupino conſtruuntur: ut *Facilis*, *difficilis auditu*. *Suave*, vel *acerbum dictu*. *Horridum viſu*. *Incredibile*, *dignum*, *indignum memoratu*.

Frigidior glacie, Cur [*glacie*] eſt ablativi caſus? Quia omnia comparativa conſtruuntur cum ablativo dictionis ſequentis, quæ habet ante ſe hanc notam Anglicam, Than/ (Als) ut Colder than Ice/ (Kouder als ys/) *Frigidior glacie*. Hic vero ablativus poteſt reſolvi in conjunctionem electivam, *Quam*, & nominativum ejuſdem numeri: ut *Doctior Platone*, *Doctior quam Plato*.

CONSTRUCTIO VERBORUM ACTIVORUM.

Amo eſt verbum activum. Cur ita? Quia in prima ſua perſona ſingulari finitur in *o*, & præter nominativum ſuum poteſt admittere hanc quæſtionem [*quam rem*,] hoc pacto, *Quam rem amo*, *doceo*, *aro*, *ædifico ego?* Omnia vero hujuſcemodi verba (exceptis paucis, quæ quum ſint activa, inter neutra tamen numerantur) poſſunt recipere paſſivam vocem, nempe quando hujuſcemodi quæſtio mutatur in nominativum caſum, ſignificatio activi in paſſivam, dictio ſignificans rem agentem in ablativum caſum, hoc pacto, *Quæ res amatur*, *docetur*, *aratur*, *ædificatur a me?* Excipiuntur autem ut quæ paſſivam vocem non admittant, *Volo*, *nolo*, *malo*, *doleo*, *poſſum*, *odi*, *memini*. Et quædam verba tertiæ perſonæ, quæ *Defectiva* vocantur, ut *Decet*, cum paucis aliis: quibus etiam ſi activa ſunt, tamen eis conſuetudo ſermonis Latini paſſivam vocem non dedit, ut *Facio* cum compoſitis quæ *a* ſervant, velut *Flocciſacio*, *parviſacio*; quorum paſſiva ſupplemus per verbum *Fio*, & ejus compoſita: ut *Stupefio*, *parviſio*.

Amo ſtudioſos, Cur [*ſtudioſos*] eſt accuſativi caſus? Quia omne verbum activum ſolet conſtrui cum accuſativo caſu: ut *Doceo literas*, *Aro terram*, *Ædifico ædem*.

Cupio equitare, Cur, [*equitare*] eſt infiniti modi poſt verbum *cupio*? Quia multa verba activa, loco accuſativi caſus, poſſunt conſtrui cum infinito modo, velut *Cupio*, *volo*; *nolo*, *malo*, *propono*, *paro*, *affirmo*, *nego*, *incipio*, *cenſeo*, *ſentio*, *judico*, *indico*, *dico*, *puto*, *exiſtimo*, *ſcio*, *timeo*, *audeo*, *ſuadeo*, *jubeo*, *impero*, *opto*, *diſco*, *debeo*, cum aliis præterea nonnullis, quæ ſimilem habent ſignificationem alicui horum verborum, & quædam ex eorum paſſivis:

ut *Volo diſcere*, *Nolo te ire*, *Puto te audiſſe*, *Cogor adeſſe*.

CONSTRUCTIO VERBORUM PASSIVORUM.

Amor quale verbum? Paſſivum. Quare? Quia in prima perſona ſingulari finitur in *or*, & ſemper Anglice habet unam harum notarum, Am / art / is / are / was / wert / were / ſhall or will be / ſhalt or wilt be.

Sunt autem paſſivorum tria genera: Unum quod omnes perſonas habet & numeros: ut *Amor*, *doceor*, *dicor*. Alterum quod fere tertiam perſonam habet in utroque numero: ut *Bibitur*, *bibuntur*: *Arantur*. Tertium quod tertiam perſonam recipit in ſingulari numero tantum, quod vulgo *Imperſonale* vocatur: ut *Curritur*, *ſtatur*.

Lædor ab hoſte, Cur ablativus cum præpoſitione ſubjungitur verbo *Lædor*? Quia verba paſſiva primi aut ſecundi generis habent ante ſe nominativum dictionis ſignificantis rem patientem; poſt vero, ablativum dictionis ſignificantis rem agentem cum una harum præpoſitionum, *A*, *ab*, vel *abs*. Res *agens* intelligitur quæ in ſermone vernaculo ſequitur notam ablativi caſus: ut I am taught by the Maſter / *Ego doceor a præceptore*. *Ager ſeritur a Camillo*. *Pharmacum bibitur ab Alexandro*. Et fere ablativus qui ſequitur verba paſſiva, poteſt verti in dativum caſum: ut *Amor a te*, vel *tibi*.

CONSTRUCTIO VERBORUM COMMUNIUM.

Criminor quale verbum? Commune. Cur ita? Quia finitur in *or*, & habet ſignificationem & activi & paſſivi.

Criminor te vel *a te*, Cur ponimus accuſativum vel ablativum cum præpoſitione poſt verbum *Criminor*? Quia verbum commune, quum eo velut activo utimur, conſtruitur inſtar activi: quum vero ut paſſivo, utimur inſtar paſſivi.

Communia verba fere vulgo numerantur, *Largior*, *experior*, *veneror*, *moror*, *oſculor*, *hortor*, *criminor*, *amplector*, *interpretor*, *hoſpitor*.

CONSTRUCTIO VERBORUM NEUTRORUM.

Sum quale verbum? Neutrum. Quare? Quia in prima perſona ſingulari deſinit in *um*, & non poteſt verti in paſſivam ſignificationem, nec regere poteſt poſt ſe accuſativum caſum.

Diſtat abhinc mille paſſus, Quale verbum eſt *Diſtat*? Neutrum. Quare? Quia in prima perſona ſingulari deſinit in *o*, nec admittit ante ſe hanc quæſtionem [*quam rem:*] nec recipit paſſivam interpretationem, velut activa verba ſolent: nec poteſt regere accuſativum, niſi menſuræ ſolum: ut *Diſtat mille paſſus*.

Surgo quale verbum? Neutrum abſolutum. Quare? Quia cum ſuo nominativo ſenſum perfectum abſolvit: atque ideo cum nullo alio caſu naturaliter ſolet conſtrui.

Hujus generis ſunt verba quæ Latine deſinunt in *ſco*, & quæ plerumque affectionem ſignificant, aut corporis habitudinem: ut *Sto*, *jaceo*, *ſedeo*, *ſurgo*, *vigilo*, *dormio*, *nauſeo*, *rubeo*, *turgeo*, *horreo*. Multa præterea quæ motum corporis ſignificant: ut *Curro*, *eo*, *vado*, *ambulo*, *venio*. Excipiuntur ex verbis in *ſco* finitis,

finitis, *Diſco*, *conquiniſco*, & *aſſueſco* pro *aſſueſio*.

Eo in ſilvam, Cur accuſativus cum præpoſitione ſequitur verbum *Eo*? Quia neutra abſoluta, quæ motum ſignificant, conſtruuntur cum accuſativo caſu appellativorum qui reſpondet ad hanc quæſtionem [*quo,*] cum præpoſitione AD vel IN, velut *Ego eo*. Quo? *In ſilvam*. Aut cum ablativo cum præpoſitione *A* vel *AB*, qui reſponderi poteſt ad hanc quæſtionem, *Unde*.

Eo dormitum, Quare ſupinum in *um* ſequitur verbum *Eo*? Quia neutra abſoluta ſignificantia motum, conſtruuntur cum ſupino in *um* dictionis quæ reſpondet ad hanc quæſtionem, What to do! ut I go. What to do! To ſleep. *Dormitum.*

Placeo quale verbum? Neutrum tranſitivum. Cur ita? Quia cum ſuo nominativo non efficit ſenſum perfectum ſine alia dictione per caſus inclinabili.

Placeo præceptori, Cur [*præceptori*] eſt dativi caſus? Quia omnia hæc verba ſubjecta regunt poſt ſe dativum, *Pareo*, *obedio*, *ſervio*, *inſervio*, *obtempero*, *ſatisfacio*, *acquieſco*, *placeo*, *diſpliceo*, *ſubvenio*, *ſuccurro*, *reſiſto*, *obſiſto*, *obſto*, *repugno*, *faveo*, *ſtudeo*, *aſpiro*, *noceo*, *officio*, *invideo*, *inſulto*, *aſto*, *hæreo*, *adhæreo*, *incumbo*, *impendet*, *tempero*, pro *moderor*: *propinquo*, *fido*, *confido*, *invigilo*, *inſto*, *ſuccenſeo*, *præfideo*, *præſto*, *prævaleo*, *præniteo*, *diffideo*, *conſulo*, pro eo quod eſt *conſilium do*: & compoſita ab hoc verbo *Sum*, ut *Adſum*, *deſum*, *inſum*, *obſum*, *præſum*, *proſum*, *ſubſum*: excipe *poſſum*.

Abundo frugibus, Cur [*frugibus*] eſt ablativi caſus? Quia hæc neutra tranſitiva conſtruuntur cum ablativo caſu, *Affluo*, *abundo*, *exubero*, *gaudeo*, *careo*, *egeo*, *indigeo*: ut *Affluo pecuniis*, *Abundo libris*. Hæc autem duo, *Egeo*, *Indigeo*, etiam cum genitivo conſtruuntur: ut *Egeo conſilii*, *Indigeo patris*.

Deſine maledicere, Cur [*maledicere*] eſt infiniti modi? Quia hæc neutra, *Deſino*, *ceſſo*, *perſevero*, & *pergo* pro *perſevero*, conſtruuntur ſolum cum infinito modo, velut interdum etiam verbum *Gaudeo*.

CONSTRUCTIO VERBORUM DEPONENTIUM.

Sequor quale verbum? Deponens. Quare? Quia deſinit in *or*, & habet ſignificationes activi vel neutri.

Sequor majores, Cur [*majores*] eſt accuſativi caſus? Quia omnia deponentia quæ habent ſignificationem activorum, regunt poſt ſe accuſativum rei patientis, velut activa: ut *Sequor*, *inſequor*, *aggredior*, *furor*, *populor*, *prædor*, *opinor*: breviterque omnia quæ, præter nominativum ante ſe, admittunt quæſtionem [*quam rem*] de patiente quærentem: ut *Precor mortem*, *Loquor juſta*: exceptis paucis deponentibus neutris, quæ inferius recenſebuntur.

Opinor rediiſſe, Cur [*rediiſſe*] eſt infiniti modi? Quia hæc deponentia, *Conor*, *molior*, *inficior*, *reor*, *opinor*, *vereor*, *hortor*, *precor*, *gratulor*, conſtruuntur cum infinito modo verbi ſignificantis actionem: ut *Molior auferre*.

Reminiſcor hujus rei vel *hanc rem*, Cur ſine diſcrimine genitivum vel accu-

Digitized by Google

accuſativum ponis poſt verbum *Reminiſcor?* Quia hæc deponentia, *Recordor*, *reminiſcor*, *obliviſcor*, poſſunt conſtrui cum genitivo vel accuſativo.

Lamentor quale deponens? Abſolutum. Quare? Quia, nulla dictione per caſus declinabili ſequente, cum ſuo nominativo ſenſum perfectum reddit audientibus. Hujuſcemodi verba ſunt, *Philoſophor*, *ruſticor*, *expergiſcor*, *morior*, *jocor*, *nugor*, *ſpatior*, *vagor*, *labor*, *peregrinor*, *periclitor*, *ratiocinor*, *luctor*, *crapulor*, *pergræcor*, *proficiſcor*, *ingredior* pro *gradior*, *revertor*, *congredior*, *altercor*, *tumultuor*, *graſſor*, *lamentor*, *orior*, *naſcor*, *renaſcor*.

Proficiſcor ad urbem, Cur accuſativus cum præpoſitione ſequitur verbum *Proficiſcor?* Quia neutra abſoluta quæ ſignificant motum, regunt poſt ſe accuſativos nominum appellativorum quæ reſpondent ad quæſtionem *Quo*, cum præpoſitione AD vel IN: ut *Ego proficiſcor*. Quo? *Ad urbem*. Et ablativum, cum præpoſitione A vel AB, reſpondentem quæſtioni *Unde*.

Proficiſcor viſum, Cur ſupinum in *um* ſequitur verbum *Proficiſcor?* Quia neutra abſoluta ſignificantia motum conſtruuntur cum ſupino in *um*, quod reſpondet ad quæſtionem hanc, What to do? ut I go. What to do? To ſee. *Viſum*.

Suffragor quale deponens? Tranſitivum. Quare? Quia ſignificatione ſimilis eſt neutro tranſitivo.

Suffragor amico, Cur [*amico*] eſt dativi caſus? Quia hæc deponentia tranſitiva *Auxilior*, *adminiculor*, *opitulor*, *ſuffragor*, *innitor*, *blandior*, *minor*, *adulor*, *aſſentior*, *medeor*, *adverſor*, *obſequor*, *moderor*, *inſidior*, & *dominor*, cum aliis hujuſcemodi, conſtruuntur cum dativo.

Utor palla veſte, Cur [*veſte*] eſt ablativi caſus? Quia hæc deponentia, *Utor*, *abutor*, *fruor*, *fungor*, *veſcor*, & *potior*, conſtruuntur cum ablativo: *Potior* vero etiam cum genitivo: ut *Potior rerum*. Cum genitivo etiam conſtruitur *Miſereor*, ut *Miſereor inopum*.

VERBA ACTIVA DIVERSARUM RERUM DIVERSOS CASUS REGENTIA.

1. *Quæ præter accuſativum regunt genitivum aut ablativum.*

Accuſavit illum ingratitudinis vel *ingratitudine*, Cur hoc verbum regit poſt ſe accuſativum cum genitivo vel ablativo? Quia omnia verba activa quæ ad accuſationem vel criminationem ſpectant, poſſunt, præter accuſativum, regere genitivum vel ablativum ſignificantem crimen: ut *Culpo*, *arguo*, *accuſo te furti* vel *furto*.

2. *Quæ accuſativum & dativum regunt.*

Dicavit illi librum, Cur hoc verbum habet poſt ſe dativum & accuſativum? Quia omne verbum activum, præter accuſativum, poteſt regere dativum ejus rei quæ reſpondere poteſt ad quæſtionem *Cui:* ut *Do*, *trado*, *dedo*, vel *demonſtro hominem tibi*. Eodem pacto conſtruuntur deponentia activæ ſignificationis: ut *Loquor*, *teſtor*, *teſtificor*, *gratificor hæc tibi*.

3. *Quæ duos accuſativos.*

Doceo te literas, Cur verbum [*doceo*] duos habet accuſativos poſt ſe? Quia

Quia hæc verba, *Doceo*, *rogo*, *interrogo*, *oro*, *quæro*, *flagito*, *peto*, *poſtulo*, *celo*, *calceo*, *induo*, *veſtio*, *cingo*, regunt poſt ſe binos accuſativos, quorum alter etiam in paſſiva voce ſervari poteſt: ut *Doceor grammaticen*, *Induor veſtem*. Ex prædictis autem verbis ea quæ ad corporis ornatum ſpectant, poſſunt loco accuſativi, id quod induimur ſignificantis, habere ablativum: ut *Induo te ſtola*, aut *toga*.

4. *Quæ accuſativum & ablativum.*

Spoliavit me libris, Cur hoc verbum regit accuſativum & ablativum? Quia hæc verba, *Spolio*, *privo*, *exonero*, *fraudo*, *levo*, *vacuo*, *impleo*, *farcio*, *refercio*, & hujus generis verba, præter accuſativum, adſciſcunt etiam ablativum: ut *Spolio te libris*, *Impleo cyathum vino*.

Paullo illum ſuperat, Cur verbum præter ſuum accuſativum adſciſcit hujuſcemodi ablativum? Quia in univerſum verba activa ſignificantia exceſſum aut præcellentiam, poſſunt præter ſuum accuſativum regere ablativum dictionis ſignificantis menſuram exceſſus aut præcellentiæ: ut *Præfero hunc multo*, *Paullo illum ſuperat*, *Aliquanto eum præcedit*.

5. *Quæ accuſativum cum dativo aut ablativo adſciſcunt.*

Abſtulit mibi vel *a me enſem*, Cur verbum præter accuſativum adſciſcit etiam dativum vel ablativum cum præpoſitione? Quia omne verbum quod ablationem ſignificat, velut *Aufero*, *eripio*, *adimo*, *furor*, etiam *arceo* & *amolior*, præter accuſativum feruntur in dativum vel ablativum cum præpoſitione: ut *Eripuit mibi* vel *a me librum*. Similiter etiam verba rogandi: ut *Peto a te*, *Oro a te*, *Flagito a te*.

COMMUNES OMNIUM VERBORUM TRANSITIONES.

1. *In inſtrumentum.*

Scripſi hæc calamo, Cur [*calamo*] eſt ablativi caſus? Quia omne verborum genus regere poteſt ablativum ejus rei quæ rationem inſtrumenti obtinet, præpoſitione [*cum*] ſemper quidem ſubaudita, ſed nunquam adhibita: ut *Alo te carne*, *Cædo te baculo*, *Servio tibi manibus*, *Sto pedibus*, *Video* & *videor oculis*.

2. *In pretium.*

Emi librum decem denariis, Cur [*denariis*] eſt ablativi caſus? Quia omne verborum genus poteſt tranſire in ablativum dictionis quæ rationem pretii obtinet, modo nomen ſit appellativum: ut *Vendidi auro*, *Emtus ſum argento*, *Tacet magna mercede*, *Loquitur parvo*, *Dormit nullo pretio*, *Vigilat magno pretio*.

Diverto extra muros, Cur poſt verbum [*diverto*] ſequitur præpoſitio cum ſuo caſu? Quia cuilibet verbo pro ratione rei ſubjectæ poteſt ſuccedere præpoſitio cum ſuo caſu: ut *Sum* vel *jaceo in ſuburbio*, vel *extra muros*, vel *prope flumen*. *Doceo* vel *doceor in ludo*. *Servio ad molas*. *Lætor*, *jocor cum amicis*, vel *ſine invidia*.

3. *In tempus.*

Habitavi hic annum, Cur [*annum*] hic eſt accuſativi caſus? Quia quodvis verbum poteſt tranſire in accuſativum dictionis ſignificantis tempus, quæ ad hanc interrogationem

Quamdiu, reſpondet, aut etiam in ablativum ſine præpoſitione: ut *Studui ſex menſes* vel *ſex menſibus*. Verum dictio, quæ velut ad quæſtionem *Quando*, reddita ponitur, in ablativo uſurpatur: ut *Veni hora prima*. Niſi eam præcedat præpoſitionum harum aliqua, *Ante*, *poſt*, *circiter*, *intra*, in ſermone vernaculo: tum enim Latine adhibere eam neceſſe eſt, ut *Veni poſt* vel *ante cœnam*, & *circiter horam ſextam*. *Abſolvam opus intra paucos dies*, vel *paucis diebus*. *Veni ad diem ſtatutum*, vel *in ipſo tempore*.

GENERALIS CONSTRUCTIO OMNIUM MODORUM, VOCUM GERUNDI, ET PARTICIPIORUM.

Utinam audiſſem Virgilium, Cur accuſativus [*Virgilium*] ſubjicitur optativo *Audiſſem?* Quia omnes modi & tempora verborum, cum vocibus gerundi & ſupinis, etiam regunt eum caſum poſt ſe quem regit indicativus modus: ut *Audiendi*, *audiendo*, *audiendum*, vel *auditum ſacrum*.

Conſtructio participiorum.

Ovidius dictus Naſo, Cur [*Naſo*] poſt participium *dictus*, ponitur in nominativo caſu? Quia participia habent conſtructionem ſuorum verborum, tum intranſitivam, ut *Simon creditus eſt amicus:* tum tranſitivam, ut *Amans virtutem*, *Superaturus hoſtem*, *Amatus a bonis*, *Amandus a civibus*.

Ablativus conſequentiæ.

Jacobo regnante hæc ſunt edita, Cur [*Jacobo*] eſt ablativi caſus? Quia in oratione poſt nomen & participium, aut pronomen & participium, quum ſequitur verbum cum nominativo diverſæ rei a nomine aut pronomine, tum nomen aut pronomen cum participio erunt ablativi caſus, qui vulgo appellatur ablativus conſequentiæ.

Exempla omnium temporum: ut

Cæſare imperante Virgilius eſt natus.
Me profecturo tu manebis.
Veteribus legendis refloruerunt literæ.
Audita lectione veniam.
Præceptoris lectione audita tu abis.

Tempus ferendi frumenta, Cur accuſativus [*frumenta*] ponitur cum voce gerundi? Quia omnes voces gerundi (ut antea dictum eſt) habent poſt ſe conſtructionem ſuorum verborum, ut

Studio videndi patres veſtros.
Paratus ad gratificandum amicis.
In tribuendo ſuum cuique.
Legendo veteres proficio.

Vocum Gerundi Conſtructio.

Vox activa gerundi in *di* finita ſequitur appellativa: ut *Tempus abeundi*. Et certa quædam adjectiva: ut *Cupidus vivendi*.

Vox gerundi in *dum* activæ ſignificationis ſubjicitur tribus præpoſitionibus,

Ad, ut *Ad dimicandum*.
Inter, ut *Inter agendum*, id eſt, *dum agis*.
Ante, ut *Ante domandum*, id eſt, *antequam domas*.

Alia etiam vox eſt huic quidem terminatione ſimilis in nominativo

&

& accuſativo caſu, & neutro tantum genere, cum verbo *Sum*, quæ ſignificat aut *debitum*, aut *neceſſitatem:* ut *Parendum eſt parentibus. Cenſui de his ad te ſcribendum*, vel *ſcribendum eſſe*.

Cum vero dicimus. *Cenſui hanc rem tecum*, vel *a te tractandum*, jam participium eſt, & cum eo ſubaudiendus eſt infinitus modus ESSE.

Vox gerundi in *do* activæ ſignificationis, interdum per ſe poſita pro participio præſentis temporis accipitur: ut *Hos occidendo, illos accuſando, totam civitatem labefactaſti*, pro *occidens* & *accuſans*.

Interdum ſubjicitur his præpoſitionibus, *In, de, ex, a* vel *ab, cum:* ut *In navigando. De tranſeundo in agrum. Ex defendendo, quam ex accuſando uberior gloria paratur. Cum a ſcribendo vacarem. Ratio recte ſcribendi conjuncta cum loquendo eſt.*

De vocibus gerundi paſſivæ ſignificationis.

Voces gerundi paſſivæ ſignificationis ſemper abſolute ſumuntur. Accuſativo paſſive ſumto utimur cum præpoſitione *Ad*, velut activo: ut

Satis illuſtria ad cognoſcendum.
Facilis ad diſcendum.

Ablativus item poſt verba & præpoſitiones abſolute accipitur: ut *Anguis crepat cantando.*

Item, ſupina in *u* abſolute ponuntur: ut *Difficile dictu, Incredibile memoratu.*

CONSTRUCTIO PRÆPOSITIONUM.

Apud forum audivi, Cur [*forum*] eſt accuſativi caſus? Quia hæ præpoſitiones conſtruuntur cum accuſativo caſu, *Ad, apud, ante, adverſum, cis, citra, circum, circiter, contra, erga, extra, inter, intra, infra, juxta, ob, per, prope, propter, pone, præter, poſt, penes, ſecundum, ſupra, ſecus, trans, ultra, verſus, uſque.* Hoc pacto, *Ad patriam, Apud villam, Ante ædes, Adverſum inimicos, Cis Rhenum, Citra forum, Circum vicinos, Circa templum, Circiter viginti annos, Contra hoſtem, Erga propinquos, Extra terminos, Inter naves, Intra mœnia, Infra tectum, Juxta macellum, Ob augurium, Per parietem, Prope feneſtram, Pone tribunal, Propter diſciplinam, Præter officium, Poſt terga, Penes arbitros, Secundum fores, Supra cœlum, Secus viam, Trans ripam, Ultra fines, Romam verſus, Uſque oceanum.*

Coram teſtibus, Cur [*teſtibus*] eſt ablativi caſus? Quia omnes hæ præpoſitiones conſtruuntur cum ablativo, *A, ab, abs, abſque, cum, coram, de, e, ex, pro, præ, palam, ſine, tenus:* ut *A domo, Ab hoſte, Abs te, Abſque invidia, Cum exercitu, Coram teſtibus, De foro, E rure, Ex præfectura, Pro clientibus, Præ timore, Palam omnibus, Sine labore, Pube tenus.*

Hæ quidem præpoſitiones, *In, ſub, ſuper, ſubter*, & *clam*, poſſunt conſtrui cum accuſativo & ablativo: hoc pacto.

Veni in urbem, Cur [*urbem*] eſt accuſativi caſus poſt *In*? Quia [*In*] quando ad locum ſignificat, cum accuſativo conſtruitur: ut *Eo in templum, in forum.* Quando vero ſignificat aliquid eſſe aut fieri in loco, conſtruitur cum ablativo: ut *Diſputo in hortis.*

Miſſus

Miſſus eſt ſub terram, Cur [*terram*] eſt accuſativi caſus? Quia [*ſub* quando ſignificat [*ſubter*] cum motu, habebit accuſativum caſum: ut *Sub terram ibit imago.* Item cum ſignificat [*ante*] vel [*per:*] ut

Viſa ſub obſcurum noctis.
Sub ipſum Arcturum. &
Sub lucem exportant calathis.

Cum vero ſignificat in loco, habet ablativum: ut *Sub quercu.*

Super mediam noctem, Cur [*noctem*] eſt accuſativi caſus poſt præpoſitionem *Super?* Quia quando [*ſuper*] accipitur pro *ultra*, conſtruitur cum accuſativo: ut

Super Garamantas & Indos.
Super mediam noctem ſtudet.

Alioqui cum ablativo: ut *Fronde ſuper viridi.*

Subter cameram, Cur [*cameram*] eſt accuſativi caſus poſt *Subter?* Quia *Subter* conſtruitur & cum accuſativo, ut *Pugnatum eſt ſupra ſubterque terram:* & cum ablativo, ut *Ferre juvat ſubter denſa teſtudine caſus.*

CONSTRUCTIO ADVERBIORUM.

Elegantius cæteris diſputavit, Cur [*cæteris*] eſt ablativi caſus cum adverbio comparativi gradus? Quia adverbia comparativi gradus & ſuperlativi habent caſum nominum comparativi & ſuperlativi gradus poſt ſe: ut *Magis illo*, *Maxime omnium.* Sed *Propius* & *Proxime*, præter caſum ſuorum nominum, etiam accuſativum admittunt: ut *Propius & proxime urbem.*

Parum fidei, Cur [*fidei*] eſt genitivi caſus? Quia adverbia quantitatis poſſunt conſtrui cum genitivo: ut *Parum pecuniæ*, *Satis fidei*

Pridie Calendarum, Cur [*Calendarum*] eſt genitivi caſus? Quia hæc adverbia temporis, *Pridie* & *Poſtridie*, poſſunt jungi cum genitivo: ut *Pridie Calendarum*, vel *hujus diei.* Aut etiam cum accuſativo: ut *Pridie Idus* vel *Calendas*, *Pridie Palilia*, *Poſtridie Nonas*, aut *Compitalia*

Ecce autem alter, Cur [*alter*] eſt nominativi caſus? Quia hæc adverbia demonſtrandi *En* & *Ecce*, poſſunt conſtrui cum nominativo: ut *En probitas*, *Ecce Deus.* Et cum accuſativo, ut *En habitum.*

CONSTRUCTIO CONJUNCTIONUM.

Xenophon & Plato fuere æquales, Cur [*Xenophon* & *Plato*] ponuntur in ſimili caſu? Quia conjunctiones copulativæ & disjunctivæ conjungunt in ſimili caſu dictiones per caſus inclinatas, quæ ad idem verbum referuntur: ut

Xenophon & Plato fuere æquales.
Socrates docuit Xenophontem & Platonem.

Item hæ quatuor, *Quam*, *niſi*, *præterquam* & *an*, inſtar copulativarum ſimiles caſus connectunt.

Quanquam animus horret, Cur [*horret*] eſt indicativi modi? Quia *Etſi* & *Quanquam* fere conſtruuntur cum indicativis modis verborum: ut

Quanquam animus horret.
Etſi vereor, judices.

Similiter *Tametſi:* ut *Tametſi jactat.*

Quam-

Digitized by Google

Quamvis & *Licet* fere cum ſubjunctivo modo junguntur: ut, *Quamvis exeat*, *Licet miretur*.

Si, *donec*, *dum* pro *donec*, *antequam*, *poſtquam*, *priuſquam* cum indicativis & ſubjunctivis jungi poſſunt. [*Ut*] pro *Quo* poſt verbum, cum ſubjunctivo tantum. Similiter [*Ut*] pro *Quamvis*.

SUPPLEMENTA.

VERUM ad ſupplementum regularum de conſtructione hactenus datarum, neceſſe erit hæc quæ ſequuntur cognoſcere.

APPOSITIO.

Plato philoſophus præcepit, Cur [*philoſophus*] eſt nominativi caſus? Quia ſemper quum in una clauſula plures dictiones ponuntur, velut agens aut patiens, aut tanquam res cui aliquid accedit velut commodum aut incommodum: aut ſi utraque res tanquam nominata ponatur, aut tanquam inſtrumentum, pretium, menſura, tempus aut locus: ſive verbum ſubſtantivum, aut vocandi interveniat, ſive nullum interveniat, in eodem caſu debent poni, etiamſi genere aut numero non conveniant: ut

Homerus fons poëtarum auditur a diſcipulo puero.
Erat ingratus mihi præceptori.
Petrus vocabatur Cephas.
Percuſſit fuſte gravi telo.
Emi centum aureis gravi ſumma.
Studui viginti annos magnam partem vitæ.
Habitat in urbe Roma.

Igitur quando nullum verbum intercedit inter dictiones ita conſtructas, ut in exemplis ſuperioribus eſt propoſitum, ea vocatur *prima conſtructio appoſitiva*. Altera vero, de qua in Rudimentis dictum eſt, *ſecunda*.

Aliter ſic.

Dictio per caſus inflexa, quæ cum altera tanquam eandem rem ſignificans conjungitur, in eodem caſu ponetur, ſive verbum intercedat, ſive non.

Exempla ubi verbum intervenit.

Tu es civis, aut hæres, aut æger.
Ego vocor Thomas.
Tu ſedes incurvus.
Ille diſcit invitus.

Exempla ubi nullum intervenit verbum.

Lilius præceptor.
Sequana flumen.
Taurus mons.
Lutetia urbs.

Quando hujuſcemodi dictiones pro eadem re ponentur, deprehendemus hac quæſtione *Quis* vel *Quid* priori dictioni præpoſita: nam ſi poſterior dictio ad hanc quæſtionem recte reſpon-

Miſſus eſt ſub terram, Cur [*terram*] eſt accuſativi caſus? Quia [*ſub* quando ſignificat [*ſubter*] cum motu, habebit accuſativum caſum: ut *Sub terram ibit imago.* Item cum ſignificat [*ante*] vel [*per:*] ut

Viſa ſub obſcurum noctis.
Sub ipſum Arcturum. &
Sub lucem exportant calathis.

Cum vero ſignificat in loco, habet ablativum: ut *Sub quercu.*

Super mediam noctem, Cur [*noctem*] eſt accuſativi caſus poſt præpoſitionem *Super?* Quia quando [*ſuper*] accipitur pro *ultra*, conſtruitur cum accuſativo: ut

Super Garamantas & Indos.
Super mediam noctem ſtudet.

Alioqui cum ablativo: ut *Frende ſuper viridi.*

Subter cameram, Cur [*cameram*] eſt accuſativi caſus poſt *Subter?* Quia *Subter* conſtruitur & cum accuſativo, ut *Pugnatum eſt ſupra ſubterque terram:* & cum ablativo, ut *Ferre juvat ſubter denſa teſtudine caſus.*

CONSTRUCTIO ADVERBIORUM.

Elegantius cæteris diſputavit, Cur [*cæteris*] eſt ablativi caſus cum adverbio comparativi gradus? Quia adverbia comparativi gradus & ſuperlativi habent caſum nominum comparativi & ſuperlativi gradus poſt ſe: ut *Magis illo*, *Maxime omnium.* Sed *Propius* & *Proxime*, præter caſum ſuorum nominum, etiam accuſativum admittunt: ut *Propius & proxime urbem.*

Parum fidei, Cur [*fidei*] eſt genitivi caſus? Quia adverbia quantitatis poſſunt conſtrui cum genitivo: ut *Parum pecuniæ*, *Satis fidei*

Pridie Calendarum, Cur [*Calendarum*] eſt genitivi caſus? Quia hæc adverbia temporis, *Pridie* & *Poſtridie*, poſſunt jungi cum genitivo: ut *Pridie Calendarum*, vel *hujus diei.* Aut etiam cum accuſativo: ut *Pridie Idus* vel *Calendas*, *Pridie Palilia*, *Poſtridie Nonas*, aut *Compitalia*

Ecce autem alter, Cur [*alter*] eſt nominativi caſus? Quia hæc adverbia demonſtrandi *En* & *Ecce*, poſſunt conſtrui cum nominativo: ut *En probitas*, *Ecce Deus.* Et cum accuſativo, ut *En habitum.*

CONSTRUCTIO CONJUNCTIONUM.

Xenophon & Plato fuere æquales, Cur [*Xenophon* & *Plato*] ponuntur in ſimili caſu? Quia conjunctiones copulativæ & disjunctivæ conjungunt in ſimili caſu dictiones per caſus inclinatas, quæ ad idem verbum referuntur: ut

Xenophon & Plato fuere æquales.
Socrates docuit Xenophontem & Platonem.

Item hæ quatuor, *Quam*, *niſi*, *præterquam* & *an*, inſtar copulativarum ſimiles caſus connectunt.

Quanquam animus horret, Cur [*horret*] eſt indicativi modi? Quia *Etſi* & *Quanquam* fere conſtruuntur cum indicativis modis verborum: ut

Quanquam animus horret.
Etſi vereor, judices.

Similiter *Tametſi:* ut *Tametſi jactat.*

Quam-

Digitized by Google

Quamvis & *Licet* fere cum ſubjunctivo modo junguntur: ut, *Quamvis exeat*, *Licet miretur*.

Si, *donec*, *dum* pro *donec*, *antequam*, *poſtquam*, *priuſquam* cum indicativis & ſubjunctivis jungi poſſunt. [*Ut*] pro *Quo* poſt verbum, cum ſubjunctivo tantum. Similiter [*Ut*] pro *Quamvis*.

SUPPLEMENTA.

VERUM ad ſupplementum regularum de conſtructione hactenus datarum, neceſſe erit hæc quæ ſequuntur cognoſcere.

APPOSITIO.

Plato philoſophus præcepit, Cur [*philoſophus*] eſt nominativi caſus? Quia ſemper quum in una clauſula plures dictiones ponuntur, velut agens aut patiens, aut tanquam res cui aliquid accedit velut commodum aut incommodum: aut ſi utraque res tanquam nominata ponatur, aut tanquam inſtrumentum, pretium, menſura, tempus aut locus: ſive verbum ſubſtantivum, aut vocandi interveniat, ſive nullum interveniat, in eodem caſu debent poni, etiamſi genere aut numero non conveniant: ut

Homerus fons poëtarum auditur a diſcipulo puero.
Erat ingratus mihi præceptori.
Petrus vocabatur Cephas.
Percuſſit fuſte gravi telo.
Emi centum aureis gravi ſumma.
Studui viginti annos magnam partem vitæ.
Habitat in urbe Roma.

Igitur quando nullum verbum intercedit inter dictiones ita constructas, ut in exemplis ſuperioribus eſt propoſitum, ea vocatur *prima conſtructio appoſitiva*. Altera vero, de qua in Rudimentis dictum eſt, *ſecunda*.

Aliter ſic.

Dictio per caſus inflexa, quæ cum altera tanquam eandem rem ſignificans conjungitur, in eodem caſu ponetur, ſive verbum intercedat, ſive non.

Exempla ubi verbum intervenit.

Tu es civis, aut hæres, aut æger.
Ego vocor Thomas.
Tu ſedes incurvus.
Ille diſcit invitus.

Exempla ubi nullum intervenit verbum.

Lilius præceptor.
Sequana flumen.
Taurus mons.
Lutetia urbs.

Quando hujuſcemodi dictiones pro eadem re ponentur, deprehendemus hac quæſtione *Quis* vel *Quid* priori dictioni præpoſita: nam ſi poſterior dictio ad hanc quæſtionem recte reſpon-

ſponderi poterit, tum judicabimus utramque dictionem pro eadem re poſitam eſſe.

Exempla ubi verbum intervenit.

Tu es civis, *Tu es hæres*, *Tu es æger*. Hæ dictiones *Civis*, *hæres*, & *æger*, eandem rem ſignificant cum nominativo qui verbum præcedit, quia reſpondent ad hanc quæſtionem *Quis* vel *Quid* præpoſitam nominativo & verbo: hoc pacto, *Tu es*. Quid? *Tu es civis*, aut *æger*.

Exempla ubi nullum intercedit verbum, ut in his clauſulis:

Lilius magiſter, *Lutetia urbs*. Hæ dictiones *magiſter* & *urbs*, pro eadem re ponuntur cum dictione præcedenti: quia reſpondent ad has quæſtiones *Quis* vel *Quid* præpoſitas priori dictioni: ut *Lilius*. Quis? *Lilius magiſter*. *Lutetia*. Quid? *Lutetia civitas*.

DE SUPERLATIVO.

Superlativus gradus, ſi conſtruitur intranſitive, hoc eſt, ſi in caſu cum dictione præcedenti convenit, conveniet etiam in genere & numero inſtar adjectivi, cujuſcunque fuerit generis genitivus ſequens: ut,

Leo eſt fortiſſimus animalium.
Roſa eſt pulcherrima florum.

Quod ſi nulla hujuſcemodi dictio ſuperlativum præcedat, conveniet in genere cum genitivo ſequenti: ut

Maxima animalium degunt in aqua.

Eadem ratio etiam in partitivis obſervatur: ut

Unus hominum judicatus eſt ab Apolline ſapiens.
Boves ſolæ animalium retro ambulantes paſcuntur.

DE RECIPROCO USU GENITIVI PRO DATIVO.

Amicus Cæſaris, Cur [*Cæſaris*] eſt genitivi caſus? Quia nomina tranſeuntia in dativum, poſſunt etiam in genitivum tranſire, quum exhibent perſonam poſſidentis, aut ejus ad quem aliquid ſpectat: ut

Amicus, *inimicus Virgilii.*
Similis vel diſſimilis majorum.

Contra vero, nonnulla quæ in genitivum tranſeunt, poſſunt conſtrui cum dativis dictionum, quibus dativi nota præponitur: ut

Præceptor mihi, *Conſcius ſibi.*

DE COMPARATIVO.

Minor fratrum, Cur [*fratrum*] eſt genitivi caſus poſt nomen comparativi gradus? Quia comparativa quæ habent notam genitivi caſus ante nomina pluralis numeri, conſtruuntur cum genitivo inſtar partitivorum: ut **The elder of the two Brothers.** *Major duorum fratrum. Peritior noſtrum duorum.*

Paullo altior patre, Cur [*paullo*] eſt ablativi caſus, quum comparativus habeat alium ablativum, nempe *patre?* Quia omnis comparativus gradus, præter ablativum, de quo in Rudimentis dictum eſt, poteſt regere alium ablativum ſignificantem menſuram exceſſus: ut

Multo fortior, *Paullo altior.*

Hic autem ablativus communis eſt etiam ſuperlativis: ut

Multo jucundiſſimus.

Item, verborum tranſitionem excipit, quæ exceſſum aut præcellentiam

tiam

Digitized by Google

tiam ſignificant: ut

Multo præſtat, *prævalet*, *ſuperat*, aut *vincit*.

Item, quatuor adverbia hunc caſum recipiunt, nempe *Secus*, *aliter*, *ante*, *poſt*: ut

Multo ſecus, *Multo poſt*.

Genitivus item qui comparativa ſequitur, poteſt reſolvi in ablativum cum præpoſitione *e* vel *ex:* ut

Major juvenum, *Major ex juvenibus*.

CONSTRUCTIO PRONOMINUM.

Mei, *tui*, *ſui*, *noſtri*, & *veſtri*.

Non meminiſti noſtri, Cur hic potius dicimus [*noſtri*] quam [*noſtrum?*] Quia poſt omnia verba, voces gerundi, ſupina & participia, quæ cum genitivo conſtruuntur, utimur genitivis in *i* finitis duorum pronominum primitivorum, *Ego* & *tu*: ut *Miſereor tui* vel *veſtri*. *Indiges mei* vel *noſtri*. Excipe duo verba *Intereſt* & *Refert*, quæ adſciſcunt ſibi ablativos fœmininos pronominum poſſeſſivorum.

Intereſt vel *refert mea*, *tua*, *ſua*, *noſtra* & *veſtra*.

Memor noſtri, Cur dicimus [*noſtri*,] non autem [*noſtrum?*] Quia omnia adjectiva genitivum regentia, conſtruuntur cum genitivis pronominum in *i:* ut

Plenus vel *ſimilis mei*.
Neſcius vel *immemor tui*.
Compos vel *cupidus veſtri*.
Expers noſtri.

Excipe numeralia, partitiva, & ſuperlativa: quæ quoties cum genitivis pluralibus pronominum conſtruuntur, adſciſcunt genitivos in *um* finitos: ut

Unus vel *duo noſtrum*.
Quiſque vel *uterque veſtrum*.
Tertius vel *quartus noſtrum*.
Maximus vel *minimus veſtrum*.

SUI ET SUUS.

Pronomine *Sui* nunquam utimur, niſi quum ſubjectum nominibus aut pronominibus tranſitum verbi ad ipſa eadem reflectit, nempe ad eandem perſonam unde progreſſus eſt: ut *Cicero diligit ſe*, *Reminiſcitur ſui*, *Favet ſibi*, *Loquitur ſecum*. Aut interdum alterius perſonæ actionem ad prioris verbi nominativum reflectit, idque fere poſt unam harum trium conjunctionum, *Ut*, *ne*, & *quod:* aut infinitum verbi modum: ut *Rogat te ut venias ad ſe*, vel *venire ad ſe*, *Dicit quod obliviſceris ſui*, vel *te obliviſci ſui*.

Cum vero actio tertiæ perſonæ tranſit in rem ad ipſam ſpectantem, vel ab ea poſſeſſam, tum utemur pronomine poſſeſſivo *Suus:* ut

Cicero meminit clientum ſuorum.
Cicero profitetur rebus ſuis.

DE INFINITO MODO.

Cupio ſpatiari ſolus, Cur [*ſolus*] hic eſt nominativi caſus poſt infinitum modum? Quia quando infinitus modus eſt actio paſſiove ejus perſonæ quæ præcedit verbum finitum, tum infinitus modus poteſt ſimilem ei perſonæ caſum poſt ſe recipere: ut *Cupio equitare ſolus*.

Sin autem infinitus modus ſit alterius perſonæ actio, quam ejus quæ præceſſit verbum finitum, tum neceſſe eſt quod accuſativus ſignificans eam per-

Digitized by Google

perſonam cujus infinitus modus eſt actio, præcedat: ut *Jubeo te cubare ſolum.*

Quod ſi dativus caſus hujuſcemodi infinitum modum interdum præcedat, is caſus, non infiniti, ſed præcedentis eſt verbi: ut *Permitto tibi dicere.*

Delectat me vivere ruri, Quis eſt nominativus hujus verbi *Delectat?* Infinitus modus *Vivere*, cum his quæ ab eo pendent. Cur ita? Quia hæc tertiæ perſonæ *Juvat*, *decet*, *delectat*, *oportet*, poſſunt loco nominativi habere ante ſe infinitum modum cum his quæ ab eo pendent: poſt autem, accuſativum: ut *Juvat me incumbere literis*, præter *Oportet*, quod poſt ſe accuſativum non habet.

Juvat evaſiſſe hoc malum, Cur id quod eſt loco nominativi, ſequitur verbum? Quia quotieſcunque infinitus modus ponitur loco nominativi qui verbum præcedit, inter loquendum ſolet poſtponi verbo: ut *Delectat vivere in patria*, *Oportet proſpicere in futurum. Contigit ducere uxorem*, *Miſerum eſt ſemper timere mortem.*

VERBA IMPERSONALIBUS SIMILIA.

Ex neutris abſolutis quædam referuntur aut ad Deum, aut ad vocem aliquam cognatæ ſignificationis: atque ideo fere in tertiis tantum perſonis comperiuntur ſingula, ut *Pluit*, pro, *Deus pluit* vel *pluvia.* Similiter in his, *Tonat*, *ningit*, *grandinat*, *fulminat*, *gelat*, *luceſcit*, *veſperaſcit*, &c.

VERBA ABSOLUTA.

Quid facies? Scribo. Quod genus verbi eſt [*ſcribo*] in hac forma loquendi? Neutrum abſolutum. Cur ita? Quia quodvis verbum ita in oratione poſitum, tanquam reſpondeat ad unam harum quæſtionum [*Quid facio ego? Quid facis tu? Quid facit ille?*] poteſt fieri abſolutum: ut *Amo*, *ſcribo*, *loquor*, *ſervio:* ſi modo ponantur tanquam reſpondentes ad unam harum quæſtionum.

IMPERSONALIUM SIMILIA CUM DATIVO.

Non vacat mihi ludere, Cur [*mihi*] eſt dativi caſus? Quia hæc verba neutra tertiæ perſonæ, *Accidit*, *contingit*, *evenit*, *competit*, *placet*, *libet*, *licet*, *expedit*, *liquet*, *patet*, *conſtat*, *ſufficit*, *vacat:* ut *Contigit oppetere*, *Vacat ſcribere:* quum infinitum modum habent loco nominativi, poſſunt regere poſt ſe dativum: ut *Contingit tibi ducere uxorem.*

SUM CUM GENITIVO.

Hic ager eſt Pauli, Cur [*Pauli*] eſt genitivi caſus? Quia hoc verbum *Sum*, *es*, *fui*, conſtituitur tranſitive cum genitivo dictionis ſequentis, quæ rationem poſſidentis obtinet: ut *Hic codex eſt Georgii.* Præterea cum dativo, quando poteſt reſolvi per verbum [*habeo:*] ut *Eſt mihi noverca*: pro, *habeo novercam.*

VERBA CUM ABLATIVO.

Palleo timore, Cur [*timore*] eſt ablativi caſus? Quia dictiones quæ ponuntur tanquam ſignificantes cauſſam propter quam aut per quam aliquid fit, poſt quodvis verbi genus poſſunt poni in ablativo ſine præpoſitione, aut in accuſativo cum *ob* vel

Digitized by Google

propter: ut *Caleo igni*, & *propter ignem*. *Palleo* & *frigeo timore*, *Tremo frigore*, *Mendico egeſtate*, *Non largior penuria*, *Non maneo* vel *abeo pudore*.

DE ADJECTIVIS PRETII.

Pluris vendidi quam emi, Cur [*pluris*] eſt genitivi caſus? Quia octo ſunt adjectiva quæ ſine appellativis in ſignificatione pretii ponuntur in genitivo. Sunt autem hæc, *Tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris*, *quantivis*, *quantilibet*, *quanticunque*, & *tantidem*: ut *Quanti emiſti? Pluris conſtitit*. Quod ſi cum appellativis conjungantur, erunt ablativi caſus: ut *Quanto metiris pretio? Tanta ſumma emi*. Excipe *Tantidem*, quod ablativo caret.

PROPRIA NOMINA OPPIDORUM.

Profectus eſt Eboracum, Cur [*Eboracum*] eſt accuſativi caſus? Quia quandocunque verbo ſubjicitur proprium oppidi nomen, velut ad locum ſignificans, aut velut reſpondens ad hanc quæſtionem *Quo*, fere in accuſativo caſu ponetur ſine præpoſitione: ut *Eo Romam*. Duobus appellativis *Rus* & *Domus* eodem modo uti ſolemus: ut *Eo domum*, *Eo rus*.

Veni Roma, Cur [*Roma*] eſt ablativi caſus? Quia quum propria nomina oppidorum ponuntur poſt verbum velut e loco ſignificantia, aut velut reſpondentia quæſtioni *Unde*, erunt ablativi caſus citra præpoſitionem: ut *Veni Roma*, *Tarento*. Item, *Veni rure*, *domo*.

Eadem ratio eſt in his quæ per locum ſignificant: ut *Tranſivi Roma*, *Tarento*, *rure*, *domo*.

Severus Imperator mortuus Eboraci, Cur [*Eboraci*] eſt genitivi caſus? Quia propria nomina oppidorum primæ vel ſecundæ declinationis & ſingularis numeri, quæ reddi poſſunt ad quæſtionem *Ubi*, vel quæ ſubjiciuntur verbo ſignificanti ut in loco, erunt genitivi caſus: ut *Fui Romæ*, *Tarenti*: cum his quinque appellativis, *Domi*, *humi*, *militiæ*, *belli*, *foci*. Si nomen oppidi ſit pluralis numeri, aut alterius declinationis, erit ablativi caſus: ut *Fui Athenis*, *Sulmone*, *Neapoli*. Unum appellativum etiam in dativo uſurpamus, *Ruri*.

INTERIM PERSONALIA, INTERIM IMPERSONALIA.

Pœnitet me vidiſſe, Cur [*me*] eſt accuſativi caſus? Quia hæc ſex verba, *Pœnitet*, *tædet*, *miſeret*, *miſereſcit*, *piget*, & *pudet*, quando tanquam perſonalia ponuntur, & habent infinitum modum loco nominativi, tunc regunt poſt ſe accuſativum: ut *Pœnitet me videre hæc mala*. Interdum nec infinitum modum, nec ullum nominativum habent pro baſi & fundamento: tunc imperſonalia vocantur, & conſtruuntur cum genitivo & accuſativo, quæ diverſas res ſignificant: ut *Pœnitet me erroris*.

Sunt item non paucæ rationes privatæ conſtructionis verborum, quæ idiomata vocantur, de quibus alibi dicetur.

DE RATIONE MUTANDI VOCES GERUNDI ACTIVÆ SIGNIFICATIONIS IN PARTICIPIA PASSIVA.

Participia in *dus* interim adſignificant præſens tempus: ut *Amandus*,

Digitized by Google

Who is loved: ſed hoc genere frequentius in obliquis caſibus utimur. Interim habent ſignificationem futuri: ut *Amandus*, Who ſhall be loved.

Hoc loco ſciendum, voces gerundi cum accuſativis conſtructas, poſſe verti in participia in *dus*, conſtructione tranſitiva mutata in intranſitivam; nempe accuſativo cum participio conjuncto in eo caſu, in quo antea vox gerundi erat. Id autem interdum fieri poteſt in ſignificatione præſentis temporis, hoc pacto:

Per vocem gerundi in *di:* ut
Impediebar hodie occupatione ſcribendi literas.

Per participium præſens in *dus*,
Impediebar hodie occupatione literarum ſcribendarum.

Et per vocem gerundi in *do*,
Diſcendo hæc præcepta proficias.

Per participium præſens,
Diſcendis his præceptis proficias.

Per vocem gerundi in *dum*,
Inter agendum gratias hoc mihi contigit.

Per participium præſens,
Inter agendas gratias hoc mihi contigit.

Rurſus per participium futuri temporis, hoc pacto:

Per vocem gerundi in *di*,
Erit nobis cras libertas comedendi carnem.

Per participium futuri temporis,
Erit nobis cras libertas carnis comedendæ.

Per vocem gerundi in *do*,
Cras erit mihi negotium in enarrando poëtas.

Per participium futuri temporis,
Cras erit mihi negotium in poëtis enarrandis.

Per vocem gerundi in *dum*,
Ibimus cras ad colligendum nuces.

Per participium futuri temporis,
Ibimus cras ad colligendas nuces.

CONSTRUCTIO QUARUNDAM PRÆPOSITIONUM.

Uſque.

Quædam præpoſitiones privatam habent rationem conſtructionis, velut [*uſque*] quod cum alia præpoſitione conjungitur: ut *Uſque in Pamphyliam*, *Uſque ad Taurum*, *Uſque ad feſtum.* Præter propria nomina oppidorum, & duo appellativa *Rus* & *Domus*, cum quibus ſolitaria conſtruitur: ut *Romam uſque*, *Neapolim uſque.*

Tenus, *Verſus.*

Hæ duæ præpoſitiones *Tenus* & *Verſus* contra naturam præpoſitionum ſubjiciuntur dictionibus quas regunt: ut *Romam verſus*, *Pube tenus.* Interdum etiam [*cum*] ſubjicitur: ut *Quicum*, *quibuſcum*, *mecum*, *tecum*, *ſecum*, *nobiſcum*, *vobiſcum.* Etiam *Verſus*, cum dictionibus quæ non ſunt propria oppidorum, ſæpe jungitur cum *AD* & *IN:* ut *Ad Occidentem verſus*, *In Italiam verſus.* Sæpe etiam ſine his: ut *Italiam verſus navigaturus eram*, *Amanum verſus profecti ſumus.* *Tenus* item ſæpe conſtruitur cum genitivo, ſed ſemper pluralis numeri: ut *Aurium tenus*, *Crurum tenus.* Et cum abla-

Digitized by Google

ablativo ſingulari & plurali: ut *Pube tenus*, *Pectoribus tenus*, *Verbis tenus*.

CONSTRUCTIO QUARUNDAM INTERJECTIONUM.

Hei mihi, Cur [*mihi*] eſt dativi caſus? Quia hæ interjectiones *Hei* & *Væ* conſtruuntur cum dativo: ut *Hei mihi*, *Væ tibi*. *Heu* cum accuſativo: ut *Heu ſtirpem inviſam*. Interim & *Heu* & *Hei* cum nominativo: ut *Heu pietas*, *Hei miſeria*.

Proh cum nominativo & accuſativo: ut *Proh Jupiter*, *Proh dolor*, *Proh deum atque hominum fidem*.

O cum nominativo jungi poteſt: ut *O fortunati*, *quorum jam mœnia ſurgunt*. *O ego ne poſſem*. Cum accuſativo: ut *O fortunatos*. Et cum vocativo, ſed tum adverbium eſt compellandi aut vocandi: ut *O Melibœe*.

CONJUNCTIONES COPULATIVÆ DIVERSOS CASUS CONNECTENTES.

Emi equum centum denariis & pluris. Cur conjunctio copulativa hoc loco non conjungit ſimiles caſus? Quia, nonnunquam ipſarum dictionum proprietas in cauſſa eſt quo minus conjunctio ſimiles caſus jungere poſſit: ut *Emi equum centum nummis & pluris*. *Fui Romæ & Thebis*.

Figuræ conſtructionis ſunt.

ECLIPSIS, ZEUGMA, SYLLEPSIS, PROLEPSIS & ENALLAGE.

ECLIPSIS.

Quum nihil in oratione, quo minus perfecta ſit dictionum conſtructio, deeſt, tum oratio JUSTA & integra dici poteſt. Sin autem ad legitimam conſtructionem aliqua dictio abeſt, ſiquidem brevitatis gratia omiſſa ſit ex communi conſuetudine optimorum in lingua Latina auctorum, (quod facile ex his, quæ in oratione poſita ſunt, ſubaudiri poſſit,) tum oratio FIGURATA poteſt appellari. Ea vero *figura* vocatur *Eclipſis*: ut *Lego Virgilium*; ubi ut plenam efficias conſtructionem, neceſſe eſt ſubaudias pronomen *Ego*.

Subaudiuntur autem in linguæ Latinæ communi conſuetudine omnium fere partium voces. *Nomen*, ut poſt relativum [*qui*,] & poſt pronomina relativa, ea dictio quæ ex ſuperiore clauſula ſolet repeti in eodem caſu, genere, numero, & perſona cum relativo: ut *Virgilius recitat quem cupio videre*, ubi poſt [*quem*] ſubauditur *Virgilium*. Et, *Audio Virgilium qui longe præſtat cæteris poëtis*, ubi poſt [*qui*] ſubauditur *Virgilius*. In hoc autem genere fere figuratis utimur orationibus; juſtis autem & integris raro, niſi certis de cauſſis.

Item, poſt interrogativum [*quis*] in maſculino genere ſæpe ſubauditur *Homo* aut *Deus* pro rei ſubjectæ circumſtantia: ut *Quis currit?* pro *Quis homo currit?*, *Quis mundum creavit?* pro, *Quis Deus*.

Item, ante hujuſcemodi verba, *Pluit*, *tonat*, *luceſcit*, ſubauditur aut *Deus*, ut *Pluit*, pro, *Deus pluit*: aut vox cognatæ ſignificationis, velut *Pluvia*, *tonitru*, *lux*.

Item, pronomina fere ſubaudiri ſolent, velut ante verba primæ & ſecundæ perſonæ hi nominativi *Ego*, *tu*, *nos*, & *vos*: ut *Scribo*, ſubau-

ſubaudi *Ego: Scribimus*, ſubaudi *Nos.* In hoc autem genere frequentius figuratis quam integris utimur, niſi certis quibuſdam de cauſſis. Interdum abeſt pronomen *Ille*, aut aliud ſimilis ſignificationis: ut *Didymus eſt medicus, & tamen ſcribit pueris*, pro, *tamen ille*, vel *idem*, vel *is ſcribit pueris.*

Verba non raro ſubaudiuntur, præſertim verbum [*Sum*] fere in omnibus modis, temporibus, numeris & perſonis, præter imperativum: ut *Omnia vanitas*, ubi ſubauditur. *ſunt. Quamvis omnia vanitas*, ſubaudi *ſint. Hinc mihi prima mali labes*, ſubaudi *erat. Promiſi ultorem*, ſubaudi *futurum eſſe* vel fore.

Similiter quum ad interrogationes reſpondemus, ſi verbum in reſponſione non adhibeamus, neceſſe eſt id ſubaudiri quod in quæſtione poſitum eſt: ut *Quis ſcripſit hæc*? Si reſpondeas, *Thomas:* oportet ſubaudias, *ſcripſit.* Quod ſi in interrogatione verbum fuerit primæ perſonæ, in reſpondendo ſubaudietur verbum ſecundæ perſonæ: ut *Quot verſus ſcripſi*? Si alter reſpondeat, *Decem*, neceſſe ſubaudias *ſcripſiſti.* Sin verbum in quæſtione fuerit ſecundæ perſonæ, ſubaudietur in prima: ut hic, *Quot annos natus es*? Si reſpondeatur, *Decem*, ſubaudi *natus ſum.*

Quem vocas? *Nicolaum*, Cur [*Nicolaum*] eſt accuſativi caſus? Quia ſemper dictio per caſus inflexa, in reſpondendo conſentit in caſu cum dictione interrogationis ad quam reſpondet: ut *Quem recitas*? *Virgilium.* Niſi forte verbum cum aliis dictionibus aliam conſtructionis rationem obtineat in quæſtione, quam in reſponſione: ut *Emiſtine tanti*? *Imo vilius* vel *duplo. Damnatuſne es furti an ſacrilegii*? *Imo utroque. Cujus eſt hic liber*? *Meus*, non autem *mei.*

Similiter ante verba ſubjunctivi modi frequenter ſubauditur imperativus [*fac*] cum conjunctione *Ut:* velut *Mittas*, pro, *fac mittas*, vel *fac ut mittas.* Interim ſola conjunctio: ut *Velim mittas*, *Careat ſucceſſibus opto*, pro, *Ut mittas*, *ut careat.*

Similiter ſubaudiuntur participia: nempe ubi duo nomina, aut nomen cum pronomine ponitur in ablativo conſequentiæ ſine participio, neceſſe eſt participium *Ens*, etiamſi inuſitatum ſit, ſubaudire: ut *Cæſare* & *Bibulo Conſulibus*, pro, *entibus Conſulibus.* In hoc autem genere figurata conſtructio ſolum uſu recepta eſt.

Similiter præpoſitiones ablativo ſervientes ſæpe deſunt: veluti *A*, *cum*, *e*, vel *ex*, *pro*, & *in:* ut *Alcibiades inteſtino malo patria liberata*, pro, *ab inteſtino malo*, &, *Duo juvenes candidis equis apparuerunt*, pro, *cum candidis equis*; &, *Projice tela manu ſanguis meus*, pro, *e manu*; &, *Multum ille & terris jactatus & alto*, pro, *in terris*, *in alto.*

ZEUGMA.

Interdum duæ aut plures ſententiæ conjunguntur per unum verbum, adjectivum, aut participium ſingulare, quod in ſingulis clauſulis ſubauditur, in una ſolum adhibetur; & convenit cum aliqua dictione clauſulæ in qua ponitur: ut *Cicero ſcribit*, *& Homerus*, *& Virgilius. Catullus erat doctus*, *& Horatius.*

Hoc autem genus loquendi figuratum

ratum eſt, figura autem vocatur *Zeugma.*

SYLLEPSIS.

Interim diverſæ clauſulæ, hoc eſt, quæ habent dictiones diverſorum generum, numerorum, aut perſonarum, conjunctas cum verbo, adjectivo, aut participio, quod quidem ſingularis ſit numeri, convenit cum proximo appellativo aut nominativo caſu: ut

Tu quos ad ſtudium atque uſum formabis agreſtem.
Utinam aut hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit.
Hic illius arma, hic currus fuit.

Sin autem adjectivum aut participium ſit pluralis numeri, cum præſtantiore dictione aliarum clauſularum conveniet in genere & perſona.

Ex generibus maſculinum eſt præſtantius fœminino. Ex perſonis præſtat prima ſecundæ & tertiæ: ſecunda vero tertiæ.

Exempla generum.

Pater & mater mortui ſunt.

Perſonarum:

Ego & tu diſcimus, Tu & ille diſcitis.

Similiter in eadem clauſula in ſecunda forma appoſitivæ conſtructionis, ſi fuerint duo nominativi diverſarum perſonarum, verbum conveniet cum præſtantiore: ut *Ego Thomas ſcribo.* Hæc autem forma ſermonis eſt figurata: figura vero vocatur *Syllepſis.*

Multis item aliis modis dictiones in altera duarum clauſularum omittuntur, quas ex altera repeti neceſſe eſt, ut perfectam orationem efficias: ut *Multi mortales peſte periere, plures ferro cecidere*, pro, *plures mortales. Sol auget ventos & comprimit*, pro, *comprimit ventos. Eſt doctior quam ego*, pro, *quam ego ſum. Scribit melius quam ante*, pro, *quam ante ſcripſit*, aut *ſcribebat.*

Hujuſcemodi voces fere ſubaudiuntur, quum clauſulæ conjunguntur per dictiones quæ mutuam inter ſe habent connexionem, & quæ ſibi invicem reſpondent: cujuſmodi ſunt, *Tantus, quantus: Non modo, ſed etiam: Tam, quam: Ita, ſic: Adeo, ut:* cum ſimilibus.

Exempla.

Tantum repoſui, quantum tu, pro, *tu repoſuiſti.*

Non modo nobis invidet, ſed etiam tibi, pro, *tibi invidet.*

Sic vivit, ut ego, pro, *ego vivo.*

Tam eſt lactis abundans, quam pecoris, pro, *pecoris abundans.* In his omnibus ſubauditionibus, ſi dictio quæ ſubauditur, fuerit penitus eadem in omnibus ſuis accidentibus cum dictione quæ in alia clauſula adhibita eſt, figura vocatur *Zeugma.* Sin autem diverſi generis, numeri, caſus, perſonæ, modi aut temporis fuerit, figura erit *Sylleptis.*

PROLEPSIS.

Quum generalis dictio, quæ in multitudinis numero fere præcedit, rurſus in partibus intelligitur, nec adhibetur, figura vocatur *Prolepſis:* ut *Aquilæ volant, altera ab oriente, altera ab occidente:* in quo exemplo dictio [*aquila*] bis intelligitur, ut plenam efficias conſtructionem. *Nos ſcribimus, tu verſus, ego proſam:* ubi ſubaudiendum eſt *Scribis* & *Scribo.*

Duorum fratrum, alter indoctus, alter doctus: ubi bis ſubauditur *Frater*.

ENALLAGE.

Auctores etiam interdum aliam orationis partem pro alia ponunt, & tum ſermo figuratus eſt: figura vero appellatur *Enallage*, ut nomen pro adverbio: ut, *Sole recens orto:* &, *Sublime volat*, pro, *recenter* & *ſublimiter*.

Aut pronomen loco nominis: ut *Non ea vis animo*, pro, *tanta* vel *talis*. Et, *Quæ tua humanitas eſt*, pro, *qualis*,

Aut verbum loco nominis, ut *Scire tuum nihil*, pro, *ſcientia*.

Participium pro nomine tribus modis. Quum loco appellativorum ipſis utimur: ut *Cupiens litium*, *Fugiens laborum*. Quum recipiunt comparationem: ut *Doctus, doctior*. Quum aliter componuntur quam verba a quibus deſcendunt: ut *Doceo*, *indoctus*.

Præpoſitio pro adverbio, ut [*poſt*] pro *poſtea*, & [*ante*] pro *antea*.

Adverbium loco nominis, ut *Sic vita erat*, pro *talis*. *Genus unde Latinum*, pro, *a quo*. *Hinc illæ lacrymæ*, pro, *ex hoc*. Et conjunctionis loco, ut [*Cum*] quando ei ſubjungitur *Tamen:* ut *Cum prævideris, tamen non caviſti*.

Conjunctio pro adverbio, ut [*Quidem*] loco *Profectò*, aut *Certe*.

Interim unius partis orationis ſpecies commutantur, utpote appellativum pro adjectivo: ut *Dardana ſuſcitat arma*, pro, *Dardania*.

Aut unum pronomen pro alio ponitur: ut *Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta Jam ſua*, pro, *Veſtra*.

Aut verbum abſolutum pro activo: ut *Corydon ardebat Alexim*, pro, *Amabat*.

Aut activum pro abſoluto aut paſſivo: ut *Siſtunt amnes, terræque dehiſcunt*, pro, *Stant*, aut *ſiſtuntur*.

Sæpe etiam præterita verborum neutrorum abſolutorum quæ adſignificant locum, in ſignificatione paſſiva videntur poni: ut *Ivit*, He is gone. *Venit*, He is come. *Surrexit*, He is riſen.

Participium paſſivum pro activo: ut *Tacitus* pro *tacens*.

Una præpoſitio pro altera: ut *Multa ſuper Priamo rogitans*, pro, *de Priamo*.

Adverbia loci, pro adverbiis temporis: ut *Hic* & *Ibi*, pro *Tunc*.

Conjunctio copulativa, pro disjunctiva: ut *Subjectiſque urere flammis*, pro, *ſubjectiſve*.

Interim unum accidens ejuſdem partis pro alio ponitur, velut caſus pro caſu: ut *Projice tela manu ſanguis meus*, pro, *mi*. *It clamor cælo*, pro, *ad cælum*.

Genus pro genere: ut *Validi ſilices*, pro, *validæ*.

Numerus pro numero: ut *Medioque ex hoſte recepti*, pro, *mediis ex hoſtibus*, &, *Pars volucres factæ*.

Perſona pro alia: ut *Omnes aquæ quæ ſuper cælos ſunt*, pro *eſtis*.

Modus pro modo: ut *Facile omnes perferre ac pati*, pro, *perferebat ac patiebatur*.

Tempus pro tempore: ut *Accedo ad pediſſequas, quæ ſit rogo*, pro, *accedebam & rogabam:* vel *acceſſi & rogavi*. Et, *Samia mihi mater fuit*, pro, *erat*.

GEOR-

GEORGIUS BUCHANANUS
LECTORI.

QUUM jam ad umbilicum perductus eſſet hic Libellus, *mibi viſus ſum non ab re facere, ſi* Lodoici Vivis *epiſtolam* De ratione ſtudii *huc adjicerem, non tam ut vacuas explerem paginas, quam ut ne malos medicos imitatus eſſe videar, qui laborantibus ſæpenumero pharmaca præſcribunt, cæterum rationem illis utendi penitus omittunt: quam qui non in omnibus rebus tanquam ſcopum intuetur, is quæ alioqui utiliſſima ſunt, ea fruſtra & ad nullum uſum ſibi comparata eſſe ſciat. Præterea ut libellus ad filiam, ita epiſtola ad matrem, atque adeo ad filiam inſtituendam miſſa eſt: in qua quum de aliis rebus pluribus, tum de his* Rudimentis *habes eruditiſſimi viri judicium. Vale, & fruere.*

JOHANNES LODOICUS VIVES
DOMINÆ
CATHARINÆ
Reginæ Angliæ *Patronæ unicæ*, *S.*

JUSSISTI ut brevem aliquam rationem conſcriberem, qua in *Maria* filia tua inſtituenda præceptor ejus uti poſſet. Parui libens tibi, cui in rebus multo majoribus obſequi vellem, ſi poſſem. Et quoniam inſtitutorem illi doctum in primis hominem ac probum, ut par erat, delegiſti, res velut digito indicaſſe fui contentus: ille reliqua explicabit. Quæ tamen aut obſcure tradita, aut prætermiſſa a ſcriptoribus *Artis Grammaticæ* putavi, ea paullo pluribus conſignavi verbis. CHRISTUM precor ut hæc docendi ratio & ad eruditionem & ad virtutem filiam tuam impenſe juvet. Vale, & hunc meum animum addictiſſimum majeſtati tuæ ſcito. *Oxoniæ*, Non. Octob. M. D. XXIII.

Digitized by Google

JOHANNES LODOICUS VIVES
DE
RATIONE STUDII
PUERILIS.

LECTIO.

LITERARUM ſonos doceatur plane, diſerte & exacte proferre: neque enim parum ad inſequentem inſtitutionem intereſt, quomodo didicerit elementa & ſyllabas pronuntiare. Sciat ex literis alias eſſe *Vocales*, alias *Conſonantes*: quot ſint illæ, quot iſtæ, & cur ſic dictæ. Eſſe ex conſonantibus alias *mutas*, quæ a ſe incipiunt, & finiunt in vocalem: ut *b*, *c*, *d*: ſic vocantur, quod quum fari incipiant, niſi ſuccurrat vocalis, obmuteſcunt. Alias *ſemivocales* dici: ex iis quaſdam *liquidas*, ut *l*, *m*, *n*, *r*. Tum duas ex vocalibus, *i* & *u*, tranſire in conſonantes, quum poſt eas ſequitur vocalis, cui in ſono junguntur, ut *vivo*, *conjicio*, *vinum*, *vulpes*. At in Græcis dictionibus nunquam ἰῶτα fit conſonans: ideo nec *Iacobus*, nec *Iohannes* conſonantem *j* habent. *V* conſonans apud eos eſt βῆτα, vocalis *u* eſt υ diphthongus, quocirca aſſueſcat ſcribere *u* vocalem hac forma, propter Græcum υ quod ſæpenumero apud Latinos in *u* tranſit: ut *Sylla*, *Sulla*; *Tybur*, *Tubur*: & conſonantem hanc *v*, propter βῆτα Græcum. *Syllaba* dicitur quaſi comprehenſio literarum, ſed ex ſola vocali poteſt fieri ſyllaba: ut *Maria*, JESUS. Tum diſcat ſyllabam conſtare, aut ex vocali ſola, aut ex vocali & conſonante, aut ex vocali & conſonantibus. Sine vocali nunquam fit ſyllaba, & quot ſunt vocales, totidem ſyllabæ. Ex vocalibus fieri *Diphthongos* quatuor: duas ſcribi & proferri, duas ſcribi & non proferri, niſi quod paullo craſſior eſt ſonus, quam ſi eſſet vocalis ſimplex. Eadem in literis Græcis oſtendenda, ut emendate ſciat in utraque lingua legere. Infigenda hæc ſunt & inculcanda, ut recte literas & ſyllabas proferat, nec ullum inſit in ore vitium.

PARTES ORATIONIS.

Deinde ſciet eſſe apud Latinos octo *partes orationis*, quatuor *variabiles*, & quatuor *invariabiles*. Ex variabilibus, quæ ſignificant aliquid fieri, & inflectuntur per modos & tempora, dicuntur *Verba*. Quæ declinantur per caſus, & ſignificant aliquod fieri in tempore, dicuntur *Participia*. Certa quindecim ſunt *Pronomina*: reliqua *Nomina*. Ex invariabilibus certas quinquaginta eſſe *Præpoſitiones*. Eas vero quæ conjungunt partes orationis, vocari *Con-*

junctiones, *Convinctiones* olim: eſſe nonnullas ſubitum mentis affectum ſignificantes, quæ vocantur *Interjectiones*; reliquas *Adverbia* nominari. Hæc ſint a nobis craſſe ac ruditer utcunque oſtenſa, ſicut & alia in hoc libello omnia, magis ut intelligantur, quam ut exacte a nobis tradantur.

SCRIPTIO.

Inter hæc omnia det aliquid temporis formandis literis, non tam eleganter, quam velociter, ut ſi quid præceptor dictet, ipſa ſuis ſcribat digitis. Si quem auctorem legat, & vel verbum, vel ſententia placeat, excerpat. Magis hærent memoriæ, quæ nos ipſi ſcripſimus, quam quæ alii: interim etiam dum ſcribimus, animus a cogitatione rerum, ſive levium, ſive turpium, avocatur. Verſus, qui ad imitationem proponuntur, contineant gravem aliquam ſententiolam, quam juvet edidiciſſe; nam toties reſcribendo, neceſſe eſt retineatur. Dabitur opera ut initio ſaltem imitando caſtigate ſcribat.

MEMORIA.

Memoriam quotidie exerceat, ut nullus ſit dies in quo ipſa aliquid non ediſcat. Sic & acuetur ingenium, & facillimam ſibi ac promtiſſimam parabit memoriam, ut poſtea quæcunque libuerit, nullo retineat negotio, & firmiſſime. Durantque in reliquam vitam, quæ iſta ætate percipiuntur. Initio poterit de nocte cubitum itura, attente bis aut ter relegere quæ memoriæ mandari volet, & poſtridie mane a ſe repoſcere.

INFLEXIO NOMINUM.

Incipiet nomina inflectere, & diſcet eſſe ſex nominum genera, *Maſculinum*, quod ſignatur hac voce, *hic*. *Fœmininum*, quod iſta, *hæc*. *Neutrum*, quod *hoc*. *Commune*, quod *hic* & *hæc*. *Omne*, quod *hic*, *hæc*, *hoc*; aut per tres voces. *Dubium*, quod ſignatur per iſta duo, *hic* vel *hæc*: id eſt, quod, ſi volumus, poteſt eſſe maſculinum: &, ſi volumus, fœmininum: ut *Margo*, *cortex*: dicimus enim *Amarus cortex*, & *amara cortex*. Et inter commune & dubium hæc eſt differentia, quod quum omne genus pertineat ad adjectiva, communi quum additur adjectivum, reſpiciendum eſt de quo ſexu loquaris, & ſic addi genus adjectivi: quod poſtquam addidiſti, non potes mutare de eodem loquens. In ambiguo vero liberum eſt utrumcunque genus adjectivi libuerit addere, & poſtquam addideris, de eodem loquens potes mutare; ut ſi dicas, *Albus canis*, de mare, bene dicis, de fœmina, non bene. Et quum dixiſti de mare, *Albus canis*, de eodem non licebit dicere, *Alba canis*. At de quacunque cortice loquaris, dices ut voles, *Albus cortex*, ſive *Alba cortex*; & poſtquam illud dixeris, de eodem loquens cortice, dices: *Alba cortex*. *Promiſcuum*, quod Græci *epicœnum*, non eſt genus; nam hic de natura rerum non loquimur, ſed de qualitate vocum. *Subſtantiva*, ſive *ſubſtantialia*, ſive *appellativa* nomina dicuntur omnia præter illa quæ ſunt omnis generis, hæc vero dicuntur *epitheta*, ſive *adjectiva*. Illud annotabit propter ſola adjectiva, reperta eſſe in ſubſtan-

tivis genera, nam ſi adjectiva non eſſent, nihil eſſet opus generibus, ut quum dicimus *Revereor patrem*, *Ne lædas hominem*, *Exclude canem*, non refert cujus ſit generis; ſi ſit addendum adjectivum, tunc conſiderandum eſt cujus ſit generis.

Poſt hæc tradentur numeri duo; nam *dualem* Græcorum non recipimus Latini, nec magnopere obſervant Græci. Tum caſus ſeni in utroque numero: additur ſeptimus, cujus meminit Quintilianus, & poſt eum Servius, ut *Precibus Deum placo*. *Vocativus* ſemper ſimilis eſt nominativo, præterquam in quibuſdam nominibus primæ declinationis & ſecundæ. Nomina neutra habent accuſativum & vocativum ſimiles nominativo, & in plurali hi tres caſus finiuntur in *a*. Nomina *compoſita* ſic declinantur ut ſua *ſimplicia*. Hinc explicandæ *Declinationes* quinque: quomodo *Prima* cognoſcatur ex genitivo ſingulari vel plurali, & quot habeat finitiones in nominativo, & quemadmodum omnia nomina hujus declinationis finita in *as* vel in *es* ſint Græca. Hinc inflectet nomina hujus declinationis. *Secunda* quomodo cognoſcatur, & quot habeat fines. *Tertia* itidem, in qua ſunt undecim fines, *a*, *e*, *o*, *c*, *d*, *l*, *n*, *r*, *s*, *t*, *x*. Hinc ſequuntur *Quarta* & *Quinta*. Poſt hæc incipiet diſcere congruentiam adjectivi & ſubſtantivi in numero, genere, & caſu: in qua exerceatur aliquamdiu multis exemplis propoſitis.

DE VERBIS.

Jam ad *verba* veniendum, in quibus duo ſunt noſcenda; naturæ verborum, & ſyntaxes, ſive conſtructiones. Quinque ſunt *modi* in verbo: *Indicativus*, & quaſi *Narrativus*, per quem referimus aliquid; in quo ſunt quinque tempora, *Præſens*, *tria præterita*, & *futurum*. Inter *præterita* hoc eſt diſcrimen, quod *perfectum* ſignificat rem actam, ſicut nomen ipſum ſonat. *Imperfectum* ſignificat rem nondum fuiſſe perfectam aut tranſactam eo tempore de quo loquimur. *Plus quam perfectum* ſignificat rem perfectam ante aliam factam, ut *Veni ad te hora decima, tunc e lecto ſurgebas, & mater tua jam fecerat rem ſacram*. Ita *præteritum imperfectum* & *plus quam perfectum* ad aliquid aliud referuntur, cujus ratione aut imperfectam rem, aut plus quam perfectam denotant. Addunt nonnulli *futurum perfectum*, quod ſubjunctivi eſſe dicitur, id propterea perfectum nominatur, nam ſi dicas, *Quum cœnabo*, ſignificas, *inter cœnandum*: ſin vero, *Quum cœnavero*, id eſt, *perfecta cœna*. *Imperativus modus*, quod per illum imperamus: ſed & precamur hoc, & adhortamur. Duo dederunt huic tempora, *præſens* & *futurum ſubjunctivi* huic modo, ut *Dixeris*, *feceris*: præcipue cum negatione, *Ne dixeris*, *ne feceris*: & negatione *ne*, aut *neque*, *nunquam*, *non*. *Optativus*, per quem optamus. Huic placet eſſe quinque tempora, *præſens* & *præteritum imperfectum*, Utinam diſcerem, *præteritum perfectum*, Utinam didicerim, *præteritum plus quam perfectum*, Utinam didiciſſem, *futurum*, Utinam diſcam. *Subjunctivus*, quia ſubjungit aliam orationem: ut *Quum benefeceris*, *lætare*. Quinque ſunt huic tempora, & ſolent ea interdum

terdum

Digitized by Google

terdum capi pro temporibus indicativi. Dehinc *Infinitivus* cur dicatur, & quot habeat tempora. Addidit Thomas Linacer modum *Potentativum*, idque merito & docte. Hunc trades, quum paullo plus in literis promoverit. Exercenda eſt in modis & temporibus diligentiſſime, addita voci Latinæ voce Britannica, quæ illi reſpondet, & uſus oſtendendus: nam Britanni ex proprietate vernaculæ linguæ nonnunquam in temporibus peccant. Hæc ubi erunt cognita, ſciat numeros eſſe in verba geminos, perſonas ternas. Interea inflectet verba per quatuor *Conjugationes*; ſimul diſcet quibus hæ conjugationes inter ſe notis diſtinguantur: habebitque generalia quædam de illis præcepta, quæ ſpectent ad *præterita* & *ſupina*; ut in *Prima* declinatione *præteritum* terminari in *avi*, *ſupinum* in *atum*: in *Secunda* in *ui* vocales, & *ſupinum* in *tum* varie; in *Tertia* nonnulla *præterita* & *ſupina* exempli cauſſa adferentur, nam res eſt multiceps; in *Quarta præteritum* in *vi* ſyllabam, & *ſupinum* in *itum*. Quæ excipiantur ab iis canonibus, procedente tempore paullatim cognoſcet. Dehinc quæ tempora ex quibus manant, & quemadmodum formentur. Tum veniendum erit ad eam, quæ Græcis dicitur *Syntaxis*, Latine *Conſtructio*. Primum intelligat orationem nullam poſſe conſtare ſine verbo. Nec verbum poſſe poni ſine *ſuppoſito*, vel expreſſo, vel ſubintellecto, ut in prima perſona & ſecunda. Suppoſitum hoc & verbum quomodo debeant congruere, ne vitium admittatur. His cognitis, venietur ad quinque verborum genera. *Activum* quod finitur in *o*, & habet paſſivum in *or*. Huic datur *nominativus* in re agente, & hoc eſt *ſuppoſitum*: datur *accuſativus* in re patiente, ſeu recipiente actum verbi, ut *Maria amat matrem ſuam*. Sunt ex his verbis alia, quæ præter iſtos caſus admittunt *genitivum*, ut *Deus accuſat genus humanum ingratitudinis*, &, *Superbus poſtulat ſuperbum arrogantiæ*. Alia *dativum*, ut *Suade optima etiam inimicis*, *Da egenis neceſſaria*. Alia *accuſativum*, ut *Ne doceas philomelas cantum*, *Roga Deum bonam mentem*. Alia *ablativum* ſine præpoſitione, ut *Exue pavonem plumis, quibus ornes canem*. Alia *ablativum* cum præpoſitionibus *a*, vel *ab*, vel *e*, vel *ex*, vel *de*, ut *Audi jucundam fabellam a patre*, *ex patre*, *de patre*. Iſtæ poſſunt dici formæ ſive ſpecies verborum activorum. Et caſus iſti præter nominativum & accuſativum rei agentis & patientis dicantur caſus *ſpeciales*. *Paſſivum* verbum eſt, quod ex activo fit, addita *r*; ut *Amor* ab *amo*, in re patienti, ſeu quæ fit, habet *nominativum*, & hoc eſt *ſuppoſitum*: in re agenti, *ablativum* cum præpoſitione *a* vel *ab*, vel *dativum*; interdum *accuſativum* cum præpoſitione *per*. Caſus ſpeciales eodem modo manent in activa & paſſiva, ut *Maria amatur a matre*, *& ornatur ab ea virtutibus*. *Neutrum* eſt quod finitur in *o*, & non habet paſſivum in *or*, niſi in tertiis perſonis: quandoque nominativum habet pro ſuppoſito. Ex iſtis alia habent *genitivum* poſt ſe, vel *ablativum* ſine præpoſitione, ut *Bonus homo iracundia caret*, & *Indiget Dei ſolius*. Alia *dativum*, ut, *Maria inſervit matri*, & *Sapiens tempori paret*. Alia cum præpoſitione jun-

patre, *Cariturus vitio*, *Docendus a bono magiſtro.*

VERBALIA.

Sunt quædam voces, quæ habent participiorum faciem, & ſunt nomina quæ tempus non denotant: ut *Amans librorum*, *homo venerandus: verbalia* nominantur. Sunt & *verbalia* in *or*, quæ formantur ab ultimo ſupino: ut *Amator*, *ſuaſor:* & alia fœminina in *trix*, quæ fiunt a verbalibus in *tor*, ut *Amatrix:* genitivo junguntur. Sciet quæ *participia*, quibus verbis vel adſunt, vel deſunt: & verba quæ formulas generales in inflexione ſequuntur, quæ non. Illa etiam quæ *anomala* dicuntur; vel *defectu*, ut *Ajo*, *inquio*, *ſalve*, *vale*; vel *varia declinatione*, ut *Fero*, *tuli*. Poſtea quæ *multiplicem* habent *conſtructionem*, id eſt, quæ variis jungi poſſunt caſibus, ut *Recordor hanc rem*, & *illius rei*. *Poſtulo te hujus criminis*, & *de hoc crimine*. Qua de re ſcripſit libellum *Antonius Mancinellus*, quem *Theſaurum* appellavit. Hæc quum erunt ſemel utcunque expoſita (neque enim tradi exacte neceſſe eſt) adhibebitur compendium Grammaticæ *Thomæ Linacri*, & libellus *De conſtructione*, qui circumfertur *Eraſmi* nomine, ſimul & ejuſdem *Colloquia:* ex quibus retinebit aliquot vocabula, & loquendi formulas, quibus in ſermone quotidiano utetur: quas ſubinde expediet ab eo repoſcere ne excidant, & jubebitur alios ſic alloqui. Expediet conſcribi illi dialogos aliquot iis de rebus, in quibus quotidie verſatur, ut illis Latine nominandis aſſueſcat, velut de indumentis, de partibus ædium, de cibis, de partibus temporis, de inſtrumentis muſicis, de ſupellectile. Vocabulorum veræ & propriæ ſignificantiæ explanabuntur, ne impropriе utatur. Tum differentia inter illa quæ ſimilia videntur, & congruentia inter ea quæ diſſimilia. In hoc proderit non totum *Vallam* enarrare, ſed quædam ab illo excerpta, qualia *Nebriſſenſis* collegit, & *Antonius Mancinellus.* Sed acri opus eſt judicio, ne frivolas, aut parum obſervatas, aut falſas quoque præceptor tradat, cujuſmodi ſunt haud ſane paucæ in *Valla*, *Nonio*, *Servio*, *Donato*, ſed maxime in *Gellio.* *Etymologias* quoque multorum cur dicta ſint, accipiet. Sic enim verius & certius tum intelliget, tum continebit, & ea cognitione delectabitur: multumque in his latet peritiæ, modo recte & acute expendantur, nec undecunque frivolæ aut ridiculæ petantur, quod fecerunt patrum & avorum memoria, qui hanc partem tractandam ſuſceperant, Latini & Græci ſermonis penitus ignari. Annotabuntur ei, quæ uſu ineruditorum barbara vocabula uſurpantur, & quæ ſunt quidem Latina, ſed inverſæ ſignificationis.

EXERCITATIO LATINE SCRIBENDI.

Incipiet hoc loco oratiunculas ex Anglico in Latinum vertere, faciles initio, paullatim difficiliores, per omnia genera & formulas verborum, ſed partim graves & ſanctas, partim feſtivas & urbanas. Simul cum his diſcet *Catonis diſticha*, & *Mimos Publianos*, & *Sententias ſeptem ſapientum*, quæ omnia eodem libello *Eraſmus* conjunxit & explicavit. Ediſcet ex illis ſententiolis aliquot vi-

adderet accuſativum ante infinitivum, ut *Ego volo me eſſe literatam.* Jam in aliis, *Socrates non poteſt eſſe ferox*, *Maria exiſtimatur & dicitur eſſe caſtiſſima.* Et in hoc verbo [*videor*,] *Ego videor tibi eſſe literata*, *Tu videris mihi eſſe ſancta*, *Romani videntur nobis nimis cupidi belli & pecuniæ*, *Dico vos videri ſimias*, *Mihi licet eſſe doctæ*, *Tibi vacat eſſe diſerto.* Hinc de conſtructione gerundii & ſupini, quæ eſt apud *Vallam*, & ex illo apud recentiores iſtud annotabitur, gerundium adjectivum non venire niſi a verbo cui additur accuſativus, & ratione illius caſus: non enim dicimus, *Veni huc tui ſerviendi cauſſa*, vel *ad carendam voluptatem*; nec *ad ſcribendum te*, vel *ſcribendo tibi*, ut ſit adjectivum: ſed *Cauſſa obſervandi tui*, *Cogito de te docenda*, *Propter vos erudiendos.* Commodum nunc erit explanari vim potentativi modi, quæ ſunt voces temporum ſubjunctivi, ut *Tu virgo hoc dicas? Quis crederet mendaci? Peccaveris ſane, ſed ſemel*, *Nemo ſic dixiſſet*, *Nunquam acceſſero pravis conſultoribus.* His cognitis venietur ad ſignificationem & Syntaxim reliquarum partium orationis, de vi *pronominis*, de *adverbio*, de *præpoſitione*, de *conjunctione*, quibus addatur verbi *modis*, & quomodo conjungat. *Interjectio* cur ita ſit appellata, quod per affectum interponatur orationi, ut *Magnum heu! fecerat nefas.* Poterant iſta dici a me fuſius, ſed admonere ſatis habui, quæ ab aliis eſſent copioſe tractata: quæ omnia uſus & lectio auctorum explanabit & expoliet, reddetque, ut apertiora, ſic etiam certiora.

SERMO.

Loquatur cum præceptore & cum diſcipulis Latine, quas habeat tres aut quatuor; nam ſolam inſtitui non conducit: ſed nec plurimæ ſint, & eæ puellæ, atque etiam ſelectiſſimæ, liberaliter & ſanctiſſime educatæ, a quibus nihil audire poſſit, aut diſcere, quod mores corrumpat, quorum prima ſemper debet eſſe cura. Stimuletur modo præmiolis, modo contentione & æmulatione: laudetur ipſa, laudetur & alia, ipſa audiente. Conabitur exprimere quæ apud auctores legerit: & quemadmodum alios audierit loquentes, quos putet eruditos eſſe, attente auſcultatos, ſic & loquetur ipſa, in quo eſt imitatio, res in ſtudiis non parum utilis, præſertim teneræ ætati, quæ nihil melius, quam imitatur: nec ſolum voces æmulabitur, ſed pronuntiationem quoque, ne in accentibus peccet.

ACCENTUS.

De quibus cognoſcat initio generalia præcepta, duo in primis in ſermone Latino: penultima ſyllaba longa, in ea eſt accentus, ut *Parentis.* Altera, penultima brevi, in antepenultima eſt accentus, quantacunque ſit, ut *Hominis*, *Dominus.* In ultima nullæ Latinæ dictiones accipiunt accentum, præter pauca inflexibilia, ut *Porro*, *una*, *illo.* In diſſyllabis omnibus accentus eſt in penultima, præter ea quæ dixi indeclinabilia. Tum licebit univerſalia illa cognoſcere, de vocali ante vocalem, quæ eſt brevis, de vocali ante duas conſonantes, aut conſonantem vim

Digitized by Google

duarum habentem, quæ longa: & omnis ſyllaba diphthongo ſcripta, longa eſt. Anxia illa de ſyllabarum quantitate, vel alias diſcet, vel non eget fœmina, quod magis puto. Obſervabit inſtitutor, quemadmodum loquetur, vitiaque tum ſermonis, tum linguæ ſedulo repurgabit, ne hærere ſinat. Oſtendet rationem cur vel ſolœciſmum caſtigarit, vel barbariſmum, vel vitioſam pronuntiationem. Admonebit ut vitet, ne iterum idem peccet: ſi rurſus eodem relabatur, admoneat prioris errati.

ANNOTATIONES.

Habeat librum chartaceum majuſculum, in quo manu ſua annotet, tum verba, ſi qua inter legendum graves auctores inciderunt, vel utilia uſui quotidiano, vel rara, vel elegantia: tum loquendi formulas argutas, venuſtas, lepidas, eruditas: tum ſententias graves, facetas, acutas, urbanas, ſalſas: & hiſtorias ex quibus exemplum vitæ ſuæ poſſit petere. Advertet etiam, ubi, & quemadmodum grammaticorum ſerventur præcepta, ubi negligantur. Nam ars grammatica ex uſu auctorum nata eſt; ideo hic eſt arti præferendus, quum diſcrepant. Ars tamen neceſſaria eſt, quæ recte & emendate loqui ex obſervatione docet. Auctores in quibus verſabitur, ii erunt, qui pariter & linguam & mores excolant atque inſtituant; quique non modo bene ſcire doceant, ſed bene vivere. Hujuſcemodi ſunt, *Cicero*, *Seneca*, *Plutarchi opera*, quæ ſunt a variis verſa, aliquot *Platonis dialogi*, præſertim qui ad rempublicam gubernandam ſpectant; *Hieronymi epiſtolæ*, & quædam *Auguſtini opera*, *Eraſmi inſtitutio Principis*, *Enchiridion*, *Paraphraſes*, & alia ejus permulta pietati utilia; *Thomæ Mori Utopia*. Hiſtoriam poterit leviter cognoſcere ex *Juſtino*, & ex *L. Floro*, & *Valerio Maximo*. Inter hæc omnia, & quum ſurgit e lecto, & quum it cubitum, aliquid quotidie ex *Novo teſtamento* legat. Sunt & *Chriſtiani poëtæ*, quos jucundum fructuoſumque erit legere, velut *Prudentius*, *Sidonius*, *Paulinus*, *Arator*, *Proſper*, *Juvencus*, qui multis in locis poſſint cum quovis veterum certare, elegantia carminis dico: nam rebus tanto ſunt ſuperiores, quantum bona malis præſtant, & humanis divina. Quum hos leget, habeat *Vocabularium Latinæ linguæ*, *Calepinum* ſcilicet aut *Perottum*, ad quem recurrat hærens in Latina voce. Hanc puto eſſe rudem ſtudiorum delineationem: exactiora tempus admonebit, & prudentia tua inveniet.

F I N I S.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI SCOTI
DE
PROSODIA LIBELLUS.

VETERES Latini ſeptemdecim characteribus literarum erant contenti, *a b c d e f g i l m n o p r ſ t u*.

Adjecta eſt *h*, quæ formam literæ, vim aſpirationis haberet.

X, *y*, & z, peregrinæ ſunt; *q* & *k* non neceſſariæ. Nam *c*, *q* & *k* eundem ſonum reddunt. X ad pingendi modum compendium facit pro *cs* vel *gs*; pro *necs* & *legs*, ſcribitur *nex* & *lex*.

Y ad ſonum Græcarum vocum exprimendum eſt neceſſaria.

Loco τῦ z, veteres duplex *ſſ* ſcribebant: ut, pro *patrizo*, *patriſſo*.

Dividuntur literæ in *Vocales* & *Conſonantes*.

Vocales, *a e i o u*.

Conſonantes, *b c d f g l m n p r ſ t*.

Dividuntur Conſonantes in *mutas* & *liquidas*.

Mutæ, *b c d f g p t*. *Liquidæ*, *l m n r*.

Ad vocales adjiciunt *y* Græcum, medium inter *i* & *u*.

Nam *u* Latinum reſpondet *ου* Græcorum diphthongo.[1]

Vocales autem ſunt dictæ, quod ſingulæ per ſe ſyllabam & ſonum perfectum faciant, ut *Eoa*, *Io*, *urit*.

Conſonantes, quod perfectum ſonum, niſi cum vocali junctæ, non edant.

Mutæ vocantur, quod earum ſonus obtuſius, quam aliarum conſonantium, feriat aures.

Liquidæ autem, quod ſubjectæ mutis curſum orationis minus remorentur, & vocalem brevem præcedentem non neceſſario faciant longam.

Liquidæ etiam dici poſſunt, qua ratione liquidam vocem dicimus, quod earum frequentia orationem non modo minus languidam, quam mutæ; ſed etiam grandiorem & ſonantiorem reddat: ut

Virg. 8. Æneid.

—— *Rauco ſtrepuerunt cornua cantu.*

Lucan. lib. 1.

Pompejana reum clauſerunt ſigna Milonem.

Quam ob cauſſam reor eaſdem etiam *ſemivocales* appellatas, quaſi medio inter mutas & vocales ſono.

Duæ vocales, quoties in unam ſyllabam coaleſcunt, *diphthongum* efficiunt; ut *æs*, *Eurus*, *aula*, *fœtus*: eſt enim diphthongus duarum vocalium in una ſyllaba ſonus.

In hac tamen vocalium conjunctione, *j* & *v* ambiguam vim habent: nam cum prior in vocalem ſequentem incumbit, vim conſonantis induit, ut in *Juno*, *Venus*, *Jovis*.

J autem inter duas vocales interjecta, pro duplici conſonante accipitur; ut in *ajo*, *Vejovis*.

Digitized by Google

Sunt & aliæ *duplices*, *x* & *z* de quibus ſuperius eſt dictum.

Ut e literis ſyllabæ, ita e ſyllabis pedes, e pedibus fiunt verſus.

Hic, ordo naturæ poſcere videtur, ut primum de ſyllabis, mox de pedibus, ultimo loco de verſu dicatur: verum ordo reſolutionis hoc loco mihi videtur commodior, quam compoſitionis. Quare a verſu incipientes, eum in ſua membra reſolvemus. *Verſus* inde dictus videtur, quod, cum curſus orationis ad certum numerum ſyllabarum venerit, iterum alium ordimur: ut,

Virg.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit. ——

Is ex pedibus componitur, ſic,

-vv	-vv	-vv	--	-vv	--
Opti-ma	*quæque di*	*es miſe*	*ris mor*	*talibus*	*ævi.*

Hanc dimenſionem verſuum per pedes vulgo *ſcanſionem* appellant; eamque commode, ad captum puerorum, in ſiniſtræ manus digitos collocant.

Genus verſus maxime vulgatum eſt, quod a materia *Heroicum*, a numero pedum *Hexametrum* dicunt.

Pedes, unde verſus componuntur, diſſyllabi ſunt quatuor.

Pyrrhichius, e duabus brevibus, ut *Deus*, *v v*

Spondæus, e duabus longis, ut *Harpax*, --

Iambus, e brevi & longa, ut *erunt*, *v* -

Choreus, e longa & brevi, ut *ardor*, - *v*

Hunc poſtremum vulgo *Trochæum* vocant.

Trium ſyllabarum octo.

Tribrachys, e tribus brevibus, ut *ruere*, *v v v*

Moloſſus, e tribus longis, ut *fecerunt*, - - -

Dactylus, e longa & duabus brevibus, ut *omnibus*, - *v v*

Anapæſtus, ex duabus brevibus & longa, ut *homines*, *v v* -

Bacchius, e brevi & duabus longis, ut *parentes*, *v* - -

Antibacchius, e duabus longis & brevi, ut *mentiris*, - - *v*

Amphimacer, e longa, brevi & longa, ut *ſordidi*, - *v* -

Amphibrachys, e brevi, longa & brevi, ut *amare*, *v* - *v*

Cæteri pedes oratoribus quam poëtis ſunt uſitatiores: præter *Proceleuſmaticum*, e quatuor brevibus, qui loco *Dactyli* vel *Anapæſti* interdum ponitur; *Choriambum*, ex *Choreo* & *Iambo* compoſitum, qui ſui generis carmen *Choriambicum* facit.

Animadvertendum, non omnes pedes ſupra enumeratos in omnium carminum genera convenire, ſed alios aliis eſſe familiares. *Hexameter* verſus, qui & *Heroicus* vocatur, recipit in quatuor primis locis *Dact.* vel *Spond.* vel *ſolos*, vel *mixtos*, in quinto raro *Spondæum*, in ſexto raro *Dactylum*.

Ennius.

At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.

Virg. 1. Æneid.

Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit. ——

Idem, 1. Æneid.

Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſo.

Idem,

Digitized by Google

Idem, 1. Eclog.
Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.
Ovid. 13. Metamorph.
Longus in anguſtum qua clauditur Helleſpontus.
Virg. 2. Geor. v. 69.
Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et ſteriles platani malos geſſere valentes.

Obſervandæ ſunt in verſibus dimetiendis *figuræ*. Nam ultima ſuperioris dictionis vocalis a prima ſequentis eliditur.

Ovid. 1. Faſt.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Item, *m* cum ſua vocali eliditur: ut
Ovid. 1. Faſt.
Et mortem & nomen Druſo Germania fecit.

Item, in verſu *Hypermetro*, qui una ſyllaba juſto eſt longior, ultima vocalis verſus, aut *m* cum ſua vocali, a prima vocali ſequentis verſus eliditur.

Virg. 1. Georg. v. 295.
Aut dulcis muſti Vulcane decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.
Virg. 10. Æneid. v. 781.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Adſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.

Item ſyllabæ plures in unam coaleſcunt
Virg. 1. Æneid.
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.
Ovid. 6. Faſt.
Notus amor Phædræ, nota eſt injuria Theſei.

Virg. 6. Æneid.
—— Quin protinus omnia
Perlegerent oculis ——
Lucan. lib. 4. v. 216.
Quique fluat multo non deerit vulnere ſanguis.
Martial. lib. 2. Epig. 51.
Unus ſæpe tibi tota denarius area.
Idem, lib. 9 Epig. 103.
Denariis tamen hanc non emo, Baſſe, tribus.
Virg. 4. Georg.
Seu lento fuerint alvearia vimine texta.
Buchan. in Franciſcan.
Dum Papa omnipotens capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater coleatus habebit.

Eſt præterea quædam licentia poëtica, non illa quidem penitus rejicienda, ut qua uſi ſunt Poëtæ doctiſſimi; ſed non permittenda tironibus, donec ſint firmiori judicio, & ſcribendi exercitatione aliquam facultatem ſint conſequuti: cujus generis ſunt hæc; Quod vocalem aut diphthongum longam non elidunt, ſed ancipitem faciunt: ut,

Virg. 3. Æneid. v. 211.
Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ. ——
Virg. 5. Æneid.
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto
Idem, 1. Æneid.
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Ovid Epiſt. Penelop.
O utinam tunc cum Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Virg.

Virg. 2. Eclog.

Te Corydon, O Alexi, trahit ſua quemque voluptas.

Idem, 8. Eclog.

Credimus? an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Aut cum ſyllaba ſolvitur in duas: ut, *Terrai frugiferai*, pro *terræ frugiferæ*; *Mettieo Fufetieo*, pro *Mettio Fufetio*. Quintil. lib. 1. cap. 9. ex Ennio.

Seneca in Troade, ver. 824.

Miſit infeſtos Troiæ ruinis.

Interim ſyllaba adjicitur: ut,

Juven. Sat. 10.

Romanus, Graiuſque, ac Barbarus induperator.

Lucret. lib. 1. v. 83.

— viamque Indugredi ſceleris — pro *ingredi.*

Ennius apud Gell. lib. 12. cap. 4.

Conſilio indu foro, pro *in foro.*

Interim in omnibus cæſuris ſyllaba brevis pro longa ponitur: ut,

Virg. 4. Æneid.

—— pecudumque recluſis
Pectoribus inbians ſpirantia conſulit exta.

Idem, Eclog. 10.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Idem, 3. Æneid.

Dona dehinc auro gravia ſectoque elephanto.

Idem, Eclog. 6.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Hæc licentia videtur durior in aliis verſuum generibus.

Statius lib. 4. Silv. 7.

Fortis Herois Erato labores
Differ.——

De Syllabis.

SYllabæ accidunt *tempora* & *toni.* Longa ſyllaba duo habet tempora, brevis unum. *Tempus* enim nihil aliud eſt, quam mora in ſyllaba proferenda, quam muſici vocis tractu, aut inſtrumenti percuſſione longiore vel breviore metiuntur.

Cognoſcitur autem ſyllabæ *quantitas*, aut *exemplis*. aut *regulis:* exempla e doctorum Poëtarum ſcriptis petenda ſunt.

E REGULIS PRIMA ſit hæc.

VOcalis, etſi natura ſit brevis, tamen poſitione ſit longa, ſequentibus eam aut duabus conſonantibus, aut una duplice, in eadem cum vocali ſyllaba: ut *eſt*, *ſunt*, *nex*, *nox*; aut diverſis, ut *artis*, *partis*, *gaza*, *major:* aut in diverſis dictionibus, modo altera ſaltem conſonans adhæreat vocali. ut,

Juven. Sat. 10.

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

In hoc verſu, *ut*, *ſit*, *in*, ſyllabæ breves, propter conſonantes ſequentes, pro longis habentur.

ADMONITIO.

VOcalis natura brevis, ſequente muta & liquida, non eſt neceſſario longa: dicimus enim,

Tenebræ & *tenebræ.* (vv- / v--)

Ovid. Epiſt. Dejaniræ.

Hercule ſuppoſito ſidera fulſit Atlas.

Virg. 8. Æneid.

Electra, ut Graji perhibent, Atlantide cretus.

SECUN-

Digitized by Google

SECUNDA REGULA.

Vocalis ante vocalem in Latinis dictionibus eſt brevis: ut *Deus.*

EXCIPE, *aër:* ut

Lucan. lib. 1.

—— *Dum terra fretum, terramque levabit*
Aër, & longi volvent Titana labores.

Et *Dius*, ut

Perſ. Sat. 1.

—— *Ecce inter pocula quærunt*
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.

Fio, cum non habet *r*, primam habet longam, ut

Martial. lib. 12. Epig. 24.

Dic mihi ſi fias tu leo, qualis eris?

Alias brevem, ut

Ovid. 12. Metamorph.

Pars fieri potuiſſe negat. ——

Genitivi pronominum exeuntium in *ius:* item nomina ſimiliter declinata penultimam habent communem; præter *alterius*, quod penultimam ſemper habet brevem; & *alius*, quod genitivi penultimam ſemper habet longam, ut

Virg. 1. Æneid.

Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.

Idem, 1. Æneid.

Navibus (infandum! amiſſis unius ob iram
Prodimur. ——

Idem, 6. Æneid.

Quæ regio Anchiſen? quis habet locus? Illius ergo
Venimus. ——

Ovid. 1. Triſt. Eleg. 3.

Cum ſubit illius triſtiſſima noctis imago.

Diana primam habet communem. Item genitivi & dativi quintæ declinationis penultimam habent longam.

Lucret. lib. 1. v. 148.

Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ——

EXC. *Fidei, ſpei, rei,* quanquam in hoc Lucretius *rei* facit longam.

Genitivus primæ declinationis, cum diphthongus *æ* in *ai* ſolvitur, penultimam habet longam, ut

Virg. 3. Æneid. v. 354.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Eheu primam habet longam, *ohe* communem.

Virg. 2. Eclog.

Eheu! quid volui miſero mihi? ——

Mart. lib. 4. Epig. 91.

Ohe, jam ſatis eſt, ohe libelle.

Horat. lib. 1. Sat. 5

—— *Huc appelle: trecentos inſeris ohe*
Jam ſatis eſt. ——

TERTIA REGULA.

Diphthongus omnis longa eſt: ſequente vocali fit brevis;

Virg. 7. Æneid.

Stipitibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis.

Ovid. 12. Metamorph.

Raptaturque comis per vim nova nupta præhenſis.

QUARTA REGULA.

Præterita diſſyllaba priorem habent longam; ut

Virg. 8. Eclog.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

EXC. *Dedi, tuli, bibi, ſteti, ſcidi, fidi.*

QUINTA REGULA.

Supina diſſyllaba habent priorem longam; ut

Horat. lib. 1. Sat. 5.

Luſum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliuſque.

EXC. *Ditum*, *ſatum*, *ſtatum*, *ratum*, *itum*, *quitum*, *litum citum*, a *cieo*; *ſitum*, a *ſino*, *rutum*, a *ruo* in compoſitis.

SEXTA REGULA.

DErivata naturam ſequuntur originis; ut

Lego, *legam*, *lege*, *legerem*, prima brevi; *legi*, *legeram*, *legerim*, *legiſſem*, *legero*, *legiſſe*, prima longa.

EXC. *Lucerna*, *laterna*, *tegula*, *regula*, cum paucis aliis, quæ uſus docebit

Mart. in Apophor. 61.

Dux laterna viæ clauſis feror aurea flammis:

Et tuta eſt gremio parva lucerna meo.

SEPTIMA REGULA.

PRæpoſitiones in compoſitione ſervant quantitatem quam ſeorſum habebant, ut *Abeo*, *adamo*, *deduco*, *amoveo*.

EXC. *Pro* in compoſitis interim brevis eſt, ut in *profiteor*, *profugus*, *profugo*, *proficiſcor*, *procio*, *profari*, *procella*, *protervus*, *pronepos*, *profanus*, *profeſtus*.

Communem habent primam ſyllabam, *procuro*, *profundo*, *propello*, *propago*.

Di & *ſe* præpoſitiones inſeparabiles, longæ ſunt,

Virg. 7. Æneid. v. 144.

Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor.

Idem, 1. Æneid.

Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum

Efficit.——

EXC. *Dirimo* & *diſertus*, quæ primam corripiunt.

Reliquæ præpoſitiones fere corripiuntur. *Aperio* ab *ad* potius quam ab *a* compoſitum videri poteſt.

Refert autem pro *intereſt*, non a præpoſitione *re*, ſed a nomine *re*, componi arbitror, quia priorem habet longam.

OCTAVA REGULA.

COmpoſita a verbis ſecundæ conjugationis, qualia ſunt *liquefactus*, *tepefactus*, ſecundam habent communem: cætera, quæ ex corruptis, aut ex corrupto & integro componuntur, ſi prior pars in *e* vel in *i* exeat, eam vocalem corripiunt: ut *terrifico*, *cauſſidicus*, *nefas*, *nefaſtus*.

EXC. *Nequicquam* & *pridie*, quæ primam; *veneficus* & *meridies*, quæ ſecundam producunt: *quotidie* ſecundam habet communem, *tibicen* longam.

NONA REGULA.

MEdiæ verborum ſyllabæ ex conjugationibus cognoſcuntur.

De ultimis ſyllabis.

ULtima cujuſque verſus eſt communis.

A in fine.

A in fine brevis eſt: ut

Virg. 1. Æneid.

Arma virumque cano.——

EXC. Imperativos primæ conjungationis; ut *ama*. Ablativos primæ declinationis; ut,

Horat. lib. 1. Sat. 9.

Ibam forte via ſacra.——

Item, numeri nomina indeclinabilia; ut,

Virg.

Digitized by Google

Virg. 3. Æneid. v. 391.

Triginta capitum fœtus enixa jacebat.

Manilius tamen hanc ſyllabam ſæpe facit brevem.

Item, *ſupra*, *ultra*, *contra*, *citra*, *fruſtra*, *infra*, *intra*, *circa*, *præterea*, *interea*, *antea*, *poſtea*, quæ interdum corripiuntur: ut,

Horat. lib. 1. Sat. 1.

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Ovid. Faſt. lib. 1.

Poſtea mirabar, cur non ſine litibus eſſet

Prima dies.——

E in fine.

E in fine brevis eſt; ut,

Ovid. Triſt. lib. 4. Eleg. 10.

Sæpe pater dixit, ſtudium quid inutile tentas?

EXC. Ablativos quintæ declinationis; ut *fide*, *ſpe*, *re*; item *fame* (nam *fames* antiquis fuit quintæ declinationis;) & pluralia in *e*; ut *cete*, *Tempe*.

Item, imperativos ſecundæ conjugationis; ut *doce*, *mone*.

Item, adverbia ab adjectivis ſecundæ declinationis facta; ut *ſancte*, *ſanctiſſime*.

Bene tamen & *male* ultimas habent breves; *ferme* & *fere* longas; ut

Juvenal. Sat. 1.

Mobilis & varia eſt ferme natura malorum,

Cum ſcelus admittunt.——

Item, monoſyllaba, *me*, *te*, *ſe*, *de*, *e*, & *ne* prohibendi, longa ſunt.

I in fine.

I in fine longum eſt; ut *domini*, *ſervi*.

Communem habent ultimam, *mihi*, *tibi*, *ſibi*, *uti*, *ubi*, *ibi*, & ab eis compoſita.

Græcorum dativi & vocativi ſunt breves; ut

Stat. in Achill.

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum

Forte diem.——

Ovid. Epiſt. Laodam.

Dux Pari Priamide damno formoſe tuorum.

Sed dativi interim Latinis producuntur, ut

Catull.

Qualis adeſt Thetidi, qualis concordia Peleo.

O in fine.

O in fine commune eſt, ut *amo*, *quomodo*.

Item voces gerundii in *do*, quanquam vim ablativi habeant; ut

Virg. Eclog. 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Tibull. lib. 3. Eleg. 6.

Aufer & ipſe meum pariter medicando dolorem.

Dativi & ablativi producunt *o*; item *adeo*, *ideo*, *falſo*, & *eo*, cum ſimilibus: *modo* & *imo* brevem ſemper habent ultimam.

Monoſyllaba omnia producuntur; ut *do*, *ſto*, *pro*.

U.

U in fine ſemper longum eſt; ut *cornu*, *gelu*.

B, *D*, *T.*

B, *D*, *T*, corripiuntur, ut *ab*, *ad*, *at*.

C.

In *C* finita longa ſunt; ut *dic*, *duc*.

EXC. *Fac*, *nec* & *donec*, brevia; *hic* pronomen anceps.

L in fine.

L breve eſt; ut *nihil*.

EXC. *Sol*, *ſal*, & *nil*, quæ longa ſunt.

Digitized by Google

N.

N breve eſt; ut *nomen*, *numen*.

EXC. *Ren*, *ſplen*, *lien*, *quin*, *ſin an*, *non*, & Græca multa; ut *Titan*, *Pæan*, *Trœzen*, *Salamin*, *Delphin*, *Pandion*, *Actæon*, & ſimilia.

Item, accuſativos primæ declinationis a nominativis in *as* & *es*, ut *Ænean*, *Anchiſen*.

R.

R in fine brevis eſt, cum quavis vocali; ut *vir*, *uxor*.

EXC. *Par*, *impar*, *compar*, *Nar lar*, *far*, *ver*, *cur*, *fur*: & quædam Græca tertiæ declinationis; ut *aër*, *æther*.

Celtiber ultimam habet communem.

As.

In *as* longa ſunt; ut *ætas*.

EXC. accuſativos Græcos tertiæ declinationis Latinorum; ut *Troadas*: & nominativos fœmini generis, ut *Pallas*.

Es.

In *es* producunt ultimas; ut *rupes*, *mones*. Item, *paries*, *pes*, *aries*, *abies*, *locuples*, & *Ceres*.

EXC. Reliqua quibus genitivi creſcunt; ut *miles*, *hoſpes*, *eques*.

Item, Græca nominativi pluralis, ut *Troades*: & neutra ſingularis numeri, ut *cacoëthes*: & *es* verbum, & *penes* præpoſitionem.

Is.

In *is* brevem habent ultimam; ut *finis*, *funis*.

EXC. Pluralia in *is*, *dominis*, *bonis*, *quis*, *vobis*, *vis*, nomen & verbum, cum compoſitis, ut *quidvis*.

Item, ſecundas perſonas verborum quartæ conjugationis; ut *ſcis*, *audis*: & ſecundas perſonas ſubjunctivorum; ut *poſſis*, *velis*, *nolis*: & quæ habent in genitivo *iris* vel *itis*; ut *glis*, *lis*, *Samnis*.

Item, in ſecundis perſonis ſingularibus futuri ſubjunctivi, ut *dixeris*, *miſcueris*, *is* eſt ambiguum.

Os.

Os longum eſt; ut *dos*, *mos*.

EXC. *Os*, *oſſis*, *compos*, *impos*; & Græca quædam neutri generis, ut *Chaos*: etiam maſculini & fœminini, ut *Atticos*, *Delos*, *Ilios*: & genitivos Græcos, ut *Pallados*.

Us.

Us breve eſt, ut *tempus*, *unus*.

EXC. Monoſyllaba, ut *pus*, *rus*, *mus*: & fœminina quæ creſcunt in genitivis; ut *ſalus*, *tellus*. Item gen. ſing. nom. acc. & voc. plur. quartæ declinationis, ut *fructus*, *luſus*.

Ys.

Græca in *ys* brevia ſunt; ut *Capys*.

Toni, ſeu Accentus.

Accidunt & ſyllabis *toni tres*; *acutus*, qui eas attollit, ut *dominus*: *gravis*, qui deprimit, ut in ſyllabis *mi* & *nùs*: *circumflexus*, qui & tollit & deprimit, ut *môs*. Sed corruptus pronunciandi uſus fere acutum cum circumflexo confundit.

REGULA PRIMA.

Monoſyllaba omnia attolluntur, & quæ longa natura ſunt, circumflectuntur, ut *laûs*, *fraûs*.

EXC. Tres particulas, quæ vocantur *Encliticæ*, quod accentum præcedentis dictionis ad ſe retrahant, ac ſic legantur, tanquam pars ejus eſſent. Hæ enim, non ſecus atque in una dictione, adjectione ſyllabæ, mutant accentum; ut *corpora*, *corporaque*, ſic, *homines*, *hominesque*.

Virg.

Digitized by Google

Virg. 3. Georg. v. 344.

—— tectumque, laremque, Armaque Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram.

SECUNDA REGULA.

IN diſſyllabis, penultima habet accentum; ut in *bónus*, *rarus*, *pánis*.

REGULA TERTIA.

IN polyſyllabis, e tribus ultimis una ſemper attollitur, nec ultima unquam. Si in polyſyllabis penultima longa ſit, ea attollitur, ut *Románus*, *ſenéſco*.

Si penultima brevis ſit, quæ eam præcedit, attollitur; ut *Dóminus*, *Virgílius*, *Virgílii*, *corpóribus*, *córpori*.

Hæc eſt vera accentuum ratio, cui qui plura adjiciunt, mihi videntur timuiſſe, ne hæc pars abſque magiſtri opera comprehendi poſſet, ideoque rem per ſe facilem (objectis tenebris) obſcurare voluiſſe. Eorum errorem vir doctiſſimus *Julius Scaliger* ſatis luculenter in libro *De cauſſis linguæ Latinæ* redarguit.

DE GENERIBUS CARMINUM.

I. DE *Hexametro Heroico* dictum eſt ſuperius: ei ſolet plerumque adjungi *Pentameter Elegiacus.*

1	2		3	4	
- - -v v	- - - vv	-	vv-	vv-	-

Catull.

Quin tu animum obfirmas, atque iſthinc te uſque reducis:
Et Diis invitis deſinis eſſe miſer?

Ovid. Epiſt. Laodam.

Mittit, & optat amans quo mittitur ire, ſalutem
Æmonis Æmonio Laodameia viro.

Tibull. Eleg. 4. lib. 2. ver. 8.

Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis.

Ibid. ver. 10.

Naufraga quam vaſti tunderet unda maris.

Quidam ſic metiri volunt,

1	2	3	4	5
-vv - -	-vv - -	- -	vv-	vv-

II. Sapphicus hendecaſyllabus pentameter.

1	2	3	4	5
-v	-v - -	-vv	-v	-v

Catull.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt.

Horat. lib. 2. Od. 16.

Otium Divos rogat in patenti
Prenſus Ægæo ——

III. Phaleucius hendecaſyllabus pentameter.

1	2	3	4	5
- - -v v-	- vv	-v	-v	-v - -

Catull.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu ſolebas,
Meas eſſe aliquid putare nugas.

IV. Glyconius, ſive choriambicus trimeter.

1	2	3
- -	-vv	-v- -vv

Xx x x 3.

Horat.

Horat. lib. 1. Od. 3.

Sic te Diva potens Cypri.

Alii ſic metiuntur,

1	2	3
--	-vv-	vv v-

V. Aſclepiadeus, ſive Choriambicus tetrameter.

1	2		3	4
--	-vv	-	-vv	vv -v-

Aliter ſic,

1	2	3	4
--	-vv-	-vv-	vv v-

Horat. lib. 1. Od. 1.

Mæcenas atavis edite regibus,

VI. Choriambicus pentameter.

1	2	3	4	5
--	-vv-	-vv-	-vv-	vv v-

Horat. lib. 1. Od. 18.

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem.

VII. Verſus Iambicus acatalecticus dimeter.

1	2	3	4
-- v- vvv -vv vv-	v- vvv	-- v- vvv -vv vv-	v- vv

Sedulius.

Herodes hoſtis impie,
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.

Hoc genere carminis a *Prudentio* tota *Romani* vita deſcripta eſt.

VIII. Verſus Iambicus acatalecticus trimeter.

1	2	3	4	5	6
-- v- vvv -vv vv-	v- vvv	-- v- vvv -vv vv-	v- vvv	-- v- vvv -vv vv-	v- vv

Laudes feracis prædicemus hortuli.

F I N I S.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI
S C O T I
AD
Viros ſui ſeculi clariſſimos,
Eorumque ad eundem
EPISTOLÆ,
Ex ipſis autographis magna ex parte deſcriptæ.

Digitized by Google

L E C T O R I S.

DOLENDUM ſane eſt ex innumeris fere quas inter *Georgium Buchananum* & doctiſſimos iſtius ſeculi viros *Epiſtolas* interceſſiſſe credibile eſt, adeo paucas ſupereſſe. Sed quo pretioſioris theſauri naufragium fecerit Reſp. literaria, eo majore ſtudio laborandum nobis videbatur, ut hæ reliquiæ, ex ipſis quaſi mortis faucibus ereptæ, non modo extra omnem deinceps periculi metum ponerentur, ſed etiam quam fieri poſſet incorruptæ, ſuiſque auctoribus dignæ prodirent. Maximam quidem harum Epiſtolarum partem laudabili inſtituto primus collegit, ac publici juris fecit *Jacobus Oliphantus Scotus* Anno M. DCC. XI. Sed partim depravatiſſimorum exemplarium, partim typographorum vitio, tot ubique erroribus deformatur illa editio, ut tam illuſtria nomina parum inde laudis retuliſſe videantur. Cui malo ut felicius mederemur, commode admodum ipſorum magna ex parte autographorum, quæ *ὁ πάνυ Archibaldus Pitcarnius* M. D. inſtructiſſimæ *Juridicorum Bibliothecæ* donaverat, nobis facta eſt copia: ad quæ tanquam obruſam non *Londinenſem* modo editionem, ſed exemplaria eorundem MSS. in eadem Bibliotheca repoſita, ſumma diligentia exegimus. Ubi autem *autographa* deerant, quod proximum erat, exemplaria illa *apographa* in ſubſidium vocavimus; eorumque ope haud pauca editionis *Lond.* ſphalmata ſuſtulimus. Supererant demum tres quatuorve *Epiſtolæ*, quæ in ſola *Londinenſi* exſtarent; quibus non niſi ex noſtra conjectura, & parce admodum, remedium adhibere licuit. Ut autem ubique noſtra hac in re fides lectori magis probaretur, ad uniuſcujuſque *Epiſtolæ* calcem, unde ea deprompta ſit indicare viſum eſt. Ubicumque vero noſtra (quod infinitis pene locis contingit) a *Londinenſi* diſcrepat editio, ea aut cum ipſis *autographis*, aut cum illis quorum ſupra meminimus MSS. conſentit; id quod ſemel monuiſſe ſuffecerit, ne *variantium lectionum* farragine Lectori faſtidium crearemus. Quamvis autem ſumma ope & diligentia nixi ſimus, ut alias *Buchanani* Epiſtolas, ſicubi deliteſcerent, huic numero adjiceremus, nullas tamen præter ſeptem, II. ſcil. III. VIII. XXVIII. XXXIV. XXXIX. & XLI. reperire potuimus. Quod ad earum ordinem ſpectat, etſi vir doctus in iis digerendis *temporis* rationem habuiſſe videatur, in multis tamen ab ea deſcivit: unde factum eſt, ut nobis *temporis* ſeriem paullo accuratius inveſtigantibus *Epiſtolæ* diverſo multum ab eo quo ille eas ordine poſuerat, eſſent collocandæ; quod & in ima pagina, ubi uſus poſtulabat, monſtratum exhibuimus. Ne quis autem *Geo. Buchanani* ad *Moraviæ* Comitem *Epiſtolam*, quæ in *Edit. Lond.* quarta occurrit, incuria noſtra intercidiſſe cauſſari poſſit, monendus eſt eam ſuo loco ante *Franciſcanum* (cujus nuncupatoria eſt) eſſe repoſitam. Atque hæc de noſtra hac *Editione* in genere ſint dicta: cæterum, quo induſtriam noſtram æquo Lectori melius teſtaremur, pauculas etiam viſum eſt ſubjicere *Animadverſiones*.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII BUCHANANI SCOTI

AD

Viros ſui ſeculi clariſſimos,

Eorumque ad eundem

E P I S T O L Æ.

* E P I S T O L A I.

Lucas Fruterius † Brugenſis *clariſſimo & doctiſſimo viro* D. Georgio Buchanano.

PERLEGE, nec dubita ſubitas evolvere nugas,
O decus, o ſecli gloria rara tui.
Forſitan & magno Culicem ſic mittere Caro
Auſus eras, Latii prime Poëta chori.
Atque erit hic aliquid, ſi nos bene novimus ipſi,
Quod tibi ſubtiles aſſeret auriculas.
Atque erit hic aliquid, quod te mihi reddet amicum:
Tu modo ne dubita perlegere iſta mea.
Si quid & offendet, ſcribe offendiſſe fateri,
Acribus in limis ſtat mihi ſtricta manus.
Plura quidem potui, ſed nolim plura poteſſe,
Ne quid in his nugis ponderis eſſe putes.

Tuus quem noſti,

LUCAS FRUTERIUS Brugenſis.

Ex autographo in Bibliotheca Juridica Edinburgenſi.

* *Hanc Epiſtolam ordine primam poſuimus, quod ea ſequentem tempore praeceſſiſſe videatur, & forte tum ſcripta, cum ex* Conjectaneis *ſuis* Veriſimilibus *aliqua ad Geo. Buchananum mitteret, de quibus in ſequente facit mentionem. De anno autem quo vel hæc vel illa ad eum data fuerit, nihil conjicere poſſumus aliud, quam utramque vel alteram ſaltem ſcriptam videri ante annum Æræ Chriſtianæ vulgaris* 1566, *æſtate enim ejus anni Lucas Fruterius fatis conceſſit, teſtante Jac. Auguſto Thuano, Hiſtoriarum lib.* 38. *ſub finem.*

† *Lucas Fruterius*] Infinito proximum eſſet omnes Editionis Londinenſis errores recenſere: ex iis quæ in brevi hac Epiſtola occurrunt, de aliis facile Lector conjiciet. In *Lond.* enim pro *Fruterius*, *Truterius*; pro *nec dubita*, *ne* (*dubita*;) pro *aſſeret*, *aſperet*; pro *fateri*, *fatere*; ut alia leviora omittam, inveniet.

*EPISTOLA II.

Lucas Fruterius Georgio Buchanano *S. D.*

QUOD te nuper a nobis proficiſcentem, vir clariſſime, ſolemni more non dimiſimus, ſane, uti debet, moleſtiſſimum eſt nobis: & tamen celeritas profectionis tuæ, ut nobis eſſe æquior evaleas, efficere una poteſt, quod ego quidem facturum te mihi perſuadeo. Audio, mi Buchanane, non paucis diebus te ventorum faſtidia tuliſſe, & nuper tamen

Ventis iiſſe tuis dulciſſimæ
Ad alta tecta patriæ,
Quæ te tuoſque canulos jamdudum amat
Vincire caris oſculis.
Quid hic amica gaudia eloquar tua?
Quid gaudia illa regia?
O ter beata ſorte devinctum caput,
Quod Rexque, paterque, equeſque amant!

Vide, mi Buchanane, cujus hæc curæ ſint carmina, quæ mihi cum charta & calamo oborta ſunt, aborta velim dicere. Sed quid attinet, dum a Fruterio tuo, qui amicorum auribus & uti & abuti identidem poteſt? Aliquid majus exſpecta, vir clariſſime, cum mihi ingenium fecerint verſus tui, quos meis *Veriſimilibus* præfigi curabo: tunc me

Ditibus auſpiciis audax juvet ire per æquor,
Et caput æternis addere ſideribus.

Tu, ſi quid meis *Veriſimilibus* per te accidere cupis, ut memini velle te, cum iſthic eſſes, quæſo commodus imperti quidvis: ego me quidem hoc tuo beneficio beatum putabo, & ſtudioſi homines non minori ſe beneficio a te affectos fatebuntur, ſcio. Nunc ego, mi Buchanane, aliquid doctæ cogitationis tibi appingam; ſic enim decrevi nullas omnino literas dare, dummodo ad literatos, in quibus non de literis plurima ſint. Sed tu, mi Buchanane, unico Plauti loco in præſens uteris fruerisque, dum Fruterius tuus plura alia tibi diffingit, quæ adhuc quidem obtuſam aciem ferient, ſed brevi tamen limabuntur, ſpero. Locus eſt elegantiſſimus in Pro-

* *Deſumta eſt hæc Epiſtola e* Lucæ Fruterii Epiſtolis Philologicis, *a* Jano Grutero *editis* Francofurti *anno* 1605, Theſaur. Crit. tom. V. pag. 392. *Quo autem tempore ſcripta fuerit, non ita facile eſt ſtatuere. Ex ipſius quidem verbis id ſaltem elici poſſe videtur, eam ante annum* 1566, *aut ſummum ante ejus anni tempus æſtivum, exaratam fuiſſe, quemadmodum ad primam Fruterii Epiſtolam ſupra docuimus, ac alio etiam loco, cum de* G. Buchanani *vita agemus, plenius ſumus oſtenſuri.*

Digitized by Google

Prologo Amphitruonis, ubi Mercurius ſpectatoribus factioſis legem ponit hujuſmodi: ſed ego ut totus locus legi debeat, ita eum ſubſcribam:

Nunc hoc me orare a vobis juſſit Juppiter,
Conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant per totam caveam ſpectatoribus.
Si quoi favitores delegatos viderint,
Uti bis in cavea pignus capiantur togæ,
Sive etiam qui ambiſſit palmam hiſtrionibus,
Seu quoiquam artifici, ſeu per ſcriptas litteras,
Sive ipſe ambiſſit, ſeu per internuntium,
Sive adeo Ædiles perfidioſe quoi duint,
Sirempſe lege juſſit eſſe Juppiter
Quaſi magiſtratum ſibive altrive ambiverit.

Ecce, vir clariſſime, facinus, quod hic feci: multa erant, quæ non ſatis pro legum more concepta erant, quæ leviſſima & leniſſima tamen immutatione a me ſunt reſcripta, ut cum *ambiſſit* ſcribo pro *ambiſſent*, quod eſt in vulgatis: ſed aliud eſt, quod te ignorare nolo, uno in verſu me tria quatuorve verba gloſſatoribus ſuis remiſiſſe; ſunt vero iſthæc:

Similem rem ipſe in legem juſſit eſſe Juppiter,
Quaſi magiſtratum ſibive altrive ambiverit.

Primum, hic neſcias mendum latere, ita omnia hæc rotundarunt inepti quidam mendatores; ſed miror tamen de verſu abiſſe illos, cum trimeter eſſe debeat: ſed paucis dicam, quod volo. Pompejus Feſtus (quo auctore nihil omnino præſtantius eſt) *Siremps apud Catonem ſignificare* ait *Similis res ipſa*, quod omne pulcherrime ſentitur in illis:

Similem rem ipſe in legem juſſit eſſe Juppiter.

Soſipater autem Chariſius, doctiſſimus Grammaticus, *Siremps ab hac Sirempſe* facere docet, ut præter duos caſus non ferat hoc verbum. Itaque cum quibus verbis & elocutionibus hæ legum partes conſtarent, non ignorarem, vidi ſtatim legendum:

Sirempſe lege juſſit eſſe Juppiter,
Quaſi magiſtratum ſibive altrive ambiverit.

Ut dicat Plautus Jovem illum populi ambitum, quem huic vel illi ex hiſtrionibus præſtat, ea lege ſancire, qua ſancitur ambitus in judiciis, vel pro aliorum magiſtratu, vel pro ſe conceptus. Omnino ſcire ex te cupio, mi Buchanane, quid tibi de hac noſtra conjectura animi ſit: certe illa

mihi Plauto digniſſima videtur, atque in legibus diſerte ſcribebatur antiquis, SIREMPS LEX ESTO, ut nuper ex Inſcriptionibus duabus didici, tu videbis. Vale, vir clariſſime, & Fruterium tibi & poſteris tuis commenda. Ipſis Calendis Februarii, Pariſiis.

Ex J. Gruteri Theſ. Critico vol. 5.

EPISTOLA III.

Georgius Buchananus Petro Danieli *ſuo S. P. D.*

INTER occupationes aulicas, & incommoda valetudinis, vix quicquam temporis potui ſuffurari, quod vel amicis vel mihi impenderem: eoque factum eſt, ut ad amicos rarius ſcribam, & mea quæ ſparſim jacent carmina non recolligam. Quod ad me attinet, non magnopere laborabam uti ea ab interitu revocarem; argumenta enim fere levia ſunt, & quorum hanc ætatem neſcio pigeat magis an pudeat. Sed quia tantopere amici, quibus nihil denegare vel debeo vel poſſum, ea expetebant, in quibus in primis eſt *Petrus Montaureus*, quædam per otium recollegi, & in capita conjeci. Liber eſt Elegiarum unus, Silvarum unus, Hendecaſyllabōn unus, quos ad te in præſentia mitto: tu ea velim, cum per otium licebit, *Montaureo* & *Memmio*, aliiſque amicis philologis oſtendas, nihilque niſi ex eorum ſententia facias. Mittam, ut ſpero, brevi Iambōn librum unum, Epigrammatum unum, Lyricōn unum, & ſi qua alia hujus erunt generis: in quibus omnibus liberum amicorum volo eſſe judicium, quando ſemel ſtatui plus illis, quam mihi ipſi credere. In Pſalterio multa typographorum errata correxi, quædam etiam mea non pauca mutavi: quamobrem velim cum *Stephano* agas, ne me inconſulto id operis iterum emittat. De Sphæra mundi nondum vacavit abſolvere ſecundum librum, ideoque primum nondum deſcripſi: ut quodque erit abſolutum, ad te mittam. Saluta Aurelianenſes omnes meo nomine, dein cæteros, ut erit commodum. Vale, Edinburgi 24 die Julii 1566.

Hæc Epiſtola præfixa eſt Editioni Elegiarum &c. Lutetiæ apud Mam. Patiſſonium 1579.

EPISTOLA IV.

Clariſſimo viro D. Georgio Buchanano, *Poëtæ noſtræ ætatis principi, amico magno & ſingulari. S. P.*

SUPERIORIBUS menſibus, Buchanane, ad te ſemel atque iterum literas dedi, æquitate & facilitate tua maxime fretus. Nunc ſcribo tertium, quando ſuperiores tibi redditas non putem; idque eo facilius, quod hujus mei facinoris auctores habeam populares tuos, *Gordonium, Cunn-*

Cunyngamum, *Guthræum*, alios, [1] adoleſcentes, ut audio tibi cariſſimos, quibus hic ſumma cum voluptate & utilitate mea familiariter utor. Quare ſi meæ hæ literæ moleſtæ (quod abominor) tibi accidant, cogita quos tibi auctores adducere & allegare poſſim, qui nunquam auctoritatem defugere velint: is candor, ea eſt fides, & in me immerentem eorum ſtudium. Scripſeram prioribus illis literis neſcio quæ de Cæſaris quibuſdam locis, meo judicio ſubobſcuris, ut ea nobis explicare velles. Nunc hoc peto, ut ſi quid habeas (ut habere te non dubito) quod in Cæſaris Commentariis obſervaris, id nobiſcum [ut] communices. Dabo operam ego, ut & ipſe, & alii intelligant, quam non aliena (quod objecit nimis impudenter nobis [2] *Dionyſius* ille) pro meis venditem, ſed gratiſſimo animo ſuum cuique vindicem, & in primis tuum tibi adſcribam, qui liberaliter homini fere ignoto & extero ea impertiri ſis dignatus. Etſi autem non ignorem, te in omni genere ſcriptorum apprime & callide verſatum eſſe; in Cæſare tamen præter cæteros opem tuam adeſſe mihi volui, quod eum cum Notis noſtris brevi edere in lucem conſtituerim. Si tamen aut ex Livio, aut ex Ovidio aliiſve quid adjeceris, tanquam [3] ἐπιελχὶν & corollarium, eo me licet ante addictiſſimum, nunc tamen [4] addictiorem tibi reddideris; & qui ante plurimum multis nominibus tibi deberem, multo plus tamen debiturum fatebor. Eſt unum præterea, quod te ſcire velim, quodque fere ſolum huic Epiſtolæ ſcribendæ cauſſam mihi attulit. *Plantinus* typographus Flander, tibi, ni fallor, notus, cum optima quæque ſemper formis ſuis deſcribere conſuerit, tum valde Epigrammata Græca, aut omnia, aut majorem partem, illa, quæ in libro pervulgato *Epigrammata Græca* continentur, Latine converſa cuperet edere: eaque re, cum de popularibus illis tuis intelligerem multa te de Græco in Latinum convertiſſe, & Plantino noſtro quas poſſem undique copias comparare ſolitus ſim, peropportune accidit ſane, ut in hunc mercatorem Scotum inciderimus, qui & te noſſet optime, & recta iſthuc contenderet: neque enim dubito, quin ubi ex literis his noſtris inſtitutum *Plantini* acceperis, id ſis probaturus, & primo quoque tempore miſſis aliquot Epigrammatis a te redditis, etiam adjuturus. Quod equidem te oro, mi domine, quod tamen tuo commodo fiat, ne te nimium urgere videamur. Eſt vir ille dignus, quem & tuis verſibus adjutes & ſtudio: ille jam Pſalmos tuos elegantiſſime formis ſuis deſcripſit, & nihil aliud fere, quam tua ardet ſuis typis expo-

1 *Adoleſcentes*] in autogr. *adoleſcentes*, & paullo inferius *Epiſtulæ*, & ita libri quidam antiqui & lapides: ſed nos potius vocum originem & vulgatum ſcribendi morem ſequendum duximus.

2 [Lambinum intelligit; mutuæ inter eos inimicitiæ, expoſtulationes & querelæ de plagio notæ ſunt viris doctis. Vide & quæ nuper ad Epiſtol. Falkenburgii ad Lipſium v. notavimus.]

3 ἐπιελχὶν] Hanc vocem, qua ἐπιμέτρον, ſive *auctarium*, innuere videtur auctor, alibi nuſquam reperio

4 *Addictiorem tibi reddideris*] Lond. *multo addictiorem.*

expolire. De rebus aliis, etſi a multis abunde ad te perſcribatur, aliquid tamen ſi adferam, non ingratum fore confido. Jephthes tua & Franciſcanus in hac urbe formis deſcribuntur Gallice redditi a *Chriſtiano* tuo. Baſileæ editus eſt proxime Lycophron a *Cantero* noſtro, cum *Scaligeri* filii verſione antiquitatis plena, ſtylo Pacuviano. Tua Aſtronomica omnes avidiſſime exſpectant. *Auratus* hiſce diebus Poëtæ Regii titulo donatus, & ſatis amplo honorario, & annona annua: docendi munus, ni fallor, omittet. *Ramus* Prolegomenta quædam Mathematica doctiſſima dicitur quoque in vulgus protuliſſe. De republicæ Chriſtianæ rebus ruinam extremam verentur multi: inſtat Turca, & ἀρτολατρεῖς mira machinantur, maxime aut primum in Flandriam. Deus Eccleſiam tamen ſervabit, quicquid moliantur impii. Vale, vir clariſſime, meque ut in tuorum numero habere pergas, omnibus a te precibus oro & contendo,

Aureliano, 17. *Cal.* Feb. 1567.

Tui ſtudioſiſſimus

OBERTUS GIFANIUS.

Si quid ad me ſcriptum miſſumque voles, dabis id omne ad typographos Pariſienſes, vel *Andream Wechelum*, vel *Martinum Juvenem*.

Iidem illi populares tui, familiares mei, eſſe nunc iſthic doctiſſimum virum D. *Ramſæum*, qui olim Vitebergæ Profeſſor fuit, & vertiſſe eum quoque multa Epigrammata commemorabant. Quare cum ille tibi perfamiliaris ſit, rogo te, mi domine, ut & eum admoneas ut ſuam ſymbolam conferat.

Ex autographo in Bibl. Jurid. Edinb.

EPISTOLA V.

Domino Danieli Rogerſio, *ſumma virtute & doctrina viro.*

Georgius Buchananus Danieli Rogerſio *ſuo S. P. D.*

ACCEPI literas tuas, poſt tertium quam ſcriptæ fuerunt menſem, ob quas maximas tibi gratias ago, rogoque ut in poſterum quoad potes commode nos facias certiores de ſtatu rerum Gallicarum. De novo iſto matrimonio etſi prope certa huc feruntur, mihi tamen perſuaderi non poteſt; propemodum enim videre videor tantos motus, tantaſque rerum perturbationes id ſecuturas, ut Galliam & Angliam ſint everſuræ, ſtatum religionis prope commiſſuræ, ac reliquis circumcirca nationibus tantum belli incendium ſuſcitaturæ, quantum noſtra memoria numquam in Europa viſum eſt. Id ego miror homines prudentiſſimos utrinque non vide-

Digitized by Google

videre [1]. Quod ſi tecum pauculas horas mihi confabulari liceret, facile me demonſtraturum reor, quanta pernicies ex hoc fonte ſit emanatura. Nam, ut cætera præteream, qui privatus fratrem majorem ferre non poteſt, quomodo tot ditionibus, tot titulis, tot factionum opibus auctus eum feret? Deinde, ut ſpem in exitu belli ſibi Anglia proponat, is primum incertus eſt, deinde ita vires & pecuniam utriuſque regni exhauriet, ut quicunque vincat, Cadmæam plane ſit relaturus victoriam. Et, ut cætera omittam, qui exitium Reginæ Angliæ hoc imminere non videt, plane meo judicio nihil videt; ſiquidem Ægiſthus in Clytæmneſtram ſemel oculos conjiciat. Quod ad noſtras res attinet, ſi quis apud vos non videt, quam veſtræ Reginæ, magis quam noſtræ interſit, ut melior pars hic rerum potiatur, is quoque nihil videt: ſi quis autem videt & diſſimulat, prius gentis ſuæ proditor, quam noſtræ hoſtis eſt: res enim nunc in eo ſunt ſtatu, ut oſtentatione tantum auxilii communes inimici opprimi poſſint; quæ occaſio ſi prætermiſſa fuerit vereor ne omiſſam fruſtra requiramus. De ſtatu religionis & literarum quæ ſcripſiſti mihi valde grata fuerunt. Vale, Lethæ ad 4 Cal. Aug. 1571.

Si quando ad me ſcribas, jube ut literæ dentur Comitiſſæ *Leviniæ*, Reginæ veſtræ propinquæ, & Proregis noſtri uxori, in aula Anglica; ita commodiſſime perferentur.

Ex Editione Londinenſi 1711.

1 *Utrumque non videre.*] Editio Lond. *utrumque*, quod nullo pacto cum prioribus convenire poteſt. Legendum itaque *utrinque i. e.* Anglos & Gallos.

*EPISTOLA VI.

Geo. Buchananus Henrico Scrimgero, *S. P. D.*

SCRIPSI ad te ſæpiuſcule hoc biennio proximo, quam tuæ conſuetudinis cupidus eſſet Comes *Leviniæ*, qui nuper erat Prorex, quamque prolixe de ſua voluntate me promittere juſſiſſet. Deſtinarat enim non modo curæ publicæ, & bonorum partem aliquam in te tranſponere, ſed etiam, ſi quod tempus a laboribus vacuum eſſet, in tua ſuavitate conquieſcere. Is quamvis nuper deceſſerit, tamen qui in ejus locum eſt ſuffectus *Joannes Areskinus* Marriæ Comes, eiſdem de cauſſis eandem rem multo etiam vehementius urget, ſpondetque etiam omnium ſuarum & fortunarum & ſucceſſuum te participem fore. Si quid vero ſecus acciderit, id te hominem iſta virtute, doctrina & rerum uſu, defugere non decet; præſertim patriæ cauſſa, cui deeſſe ſine ſummo ſcelere non potes. Neque hic ego te, hominem in Chriſtiana & peregrina Philoſophia eruditum,

* *Hanc Epiſtolam ad illud præcipue exemplar quod in Actis publicis aſſervatur, exegimus, utpote cui poſtremus ipſius Auctoris cura acceſſiſſe videatur.*

ditum, habeo neceſſe admonere, quid a te patria, quid amici & propinqui poſtulare ſuo jure poſſint. Ac multo minus opus habeo revocare in memoriam eorum exempla, qui in rebus deſperatiſſimis patriæ libenter vitam impenderint. Illud tantum adjiciam ad ea, quæ ſuperioribus literis ſcripſeram, ſi qua tum erant, quæ voluntatem tuam (de qua nunquam dubitavi) aliqua ex parte remorari poſſent, nunc ea omnis excuſatio tibi ademta eſt; & rebus paullo melioribus, & homine in ſummo magiſtratu collocato, non modo tibi magis noto, ſed cui etiam tutius credi poteſt. Quid? quod eodem te hortatur orbitas liberorum, quam Epaminondas vir præſtantiſſimus ſponte eſt amplexus, ut minore cum moleſtia pro patria, cum res poſceret, moreretur. Quod ſi tu is eſſes, qui emolumentorum & otii magis, quam honeſti negotii rationem haberes, tamen nec opinio, quam tot annos peregrinando apud exteras nationes præclaram comparaſti, nec familiæ ſplendor, nec patriæ poſtulantis juſtæ preces in has tam ſordidas cogitationes te prolabi ſiverint, niſi omnia prioris vitæ decora uno momento velis evertere. Neque hæc eo pertinent, ut te commiſſurum putem, ut quicquam quod non ſit te, tuis, & anteacta honeſte vita dignum, credam facturum; ſed ut ne ſis neſcius quid de te homines in utramque partem & nunc ſentiant & in poſterum ſint exiſtimaturi. De meo erga te ſtudio nihil in præſentia ſcribam, ac de *Petro Junio* multo minus, qui omni genere officiorum erga me perfecit, ut jam non minus meum quam tuum eum exiſtimem. Sed utriuſque voluntatem malo ex præſentis obſervantia, quam ex literis abſens cognoſcas. D. *Bezam* & *Henricum Stephanum* velim meo nomine diligenter ſalutes. Knoxius noſter vivit quidem, ſed præceps ad terminum fertur. Vale, Sterlino, ad undecimum Cl. Oct.

Ex autographo in Bibl. Jurid. & ejuſdem Exemplari in Actis publicis.

EPISTOLA VII.

Henricus Scrimgerus Georgio Buchanano *ſuo*, *S. P. D.*

TERNAS tuas epiſtolas, eodem prope argumento ſcriptas, poſtremas vero, quas nepos ex ſorore mea attulit, eodem exemplo geminas, cum hæc ad te ſcribere volebam, omnes in manibus habebam, ac diligenter & libenter (quod ſæpe antea feceram) relegebam. Quibus omnibus graviſſime & prudentiſſime ſcriptis, ſingularis & prope incredibilis tuæ in me benevolentiæ ſignificatio elucebat: quam ego tanto illuſtriori gratia amplector, quanto eſt ipſa nullis meis unquam, quod memini, vel officiis vel beneficiis provocata. Sed quantum me eo nomine tibi debere ſtatuam, alio tempore, vel coram aliquando, Deo concedente, profitebor. Nunc autem ad ea, quæ illuſtriſſimorum & ſummorum virorum Proregum mandato ſcribis, reſpondendum erit. Ego vero,

Digitized by Google

mi Buchanane, a teneris annis, quibus patriam reliqui, omnes peregrinationis meæ curas cogitationeſque in eo ſemper fixi, ut ſi quando ſtudiis meis ac primæ juventutis laboribus conſequi poſſem, quo patriam mihi cariſſimam, ſi non ornare, juvare ſaltem & colere valerem; eaque peregre apud exteros diſcerem, quæ aliquando domi docerem, meiſque civibus communicarem. Nec me penitus ea ſpes fruſtrata fortaſſe eſſet, niſi communium temporum inſtabiles motus, & reipublicæ noſtræ converſiones crebræ, eædemque diſſimiles, totius animi noſtri cogitationes de certo & perpetuo ſtudiorum curſu depuliſſent. Quo enim, quæſo, vitæ tuæ rationes, contentioneſque ſenſuum dirigas, ſi quem tibi ſcopum propoſueris, is derepente ab oculis ſublatus eſt; alius vero, a quo tu longiſſime aberrare cupias, ſubſtituatur? Quod ſi ſpatium præteriti temporis animo revolvere ac conſiderare volumus, conſecuta ſunt tempora ab ea tua ætate, Buchanane, qua tu magna cum tua laude patriam illuſtrare ſcriptis cœpiſti tuis, in quibus, præter rerum omnium confuſionem, & regni deformitatem, diu abſens nil audieris, præſens vero nihil niſi luctuoſum & tetrum aſpexeris. Quod ſi aliquando Deus cœleſtis pater noſtrum miſertus pacatæ erga nos mentis ſignum aliquod attulerat, noſque ad melius de ſumma rerum ſperandum excitarat, ſubito peccatis irritatus noſtris illud e medio velut indignis eripiebat. Quæ res non modo multorum hominum mentibus metum incutere ſolet, ſed etiam denſiſſimas tenebras, & conſiliorum omnium perturbationes offundere. Et ipſe quidem, tametſi mihi nihil unquam deliberatius foret, quam patriæ, ſi quando occaſio daretur, quibuſcunque vel mentis vel ingenii opibus (quæ certe tenuiſſimæ ſunt & prope nullæ) [1] illi tamen adeſſe, ac pro viribus opem ferre; tamen ingraveſcente jam ætate atque inclinata, non putavi mihi pertimeſcendum, ne patriam aut deſeruiſſe aut neglexiſſe viderer, ſi tanquam portum aliquem quietis, & domicilium ſenectuti delegiſſem, ubi a populari honore, a quo ſemper abhorrui, & illuſtri ſplendore, quem ferre nequirem, ſeniculus deliteſcerem. Quibus tamen in latebris neque patriæ memoriam, neque calamitatum ipſius mœrorem nunquam abjecerim, neque minus amavi afflictam, quam florentem deſiderandam mihi arbitrabar.

At, inquis, nunc tandem finem cogitationum ratiocinationumque modum facito, nam eo loco res ſunt, ea ſpes & exſpectatio meliorum rerum omnium, ut neque dubitare amplius, nec ſuſpenſos homines tenere debeas. Fateor equidem, mi Buchanane: at, ut annoſam quercum, quæ altiſſime radices egit, non facile, ac vix ſine periculo dimoveas, quantam ruinam trahet rei meæ familiaris præceps & improviſa mutatio, quæ quanto eſt anguſtior, tanto minus ſine pernicie ac periculo, loco quo fixa eſt

1 *Illi tamen adeſſe*] Lond. in qua ſola occurrit hæc Epiſtola, habet *illis*: non dubitavimus tamen *illi* reponere.

eſt detrahi poſſit? [1]Taceo uxorem, filiolam, taceo etiam alia multa, quæ ipſe per te facile intelligis, quæ impediunt. Nam itineris moram, ſumtum, incommoda prætereo. Sed quæ mihi hic cum multis rationes reſque contractæ ſunt, quam difficile expediri queant? Neque enim hactenus ita vixi, ut non ſit mihi multis tantæ mutationis ratio reddenda. Quibus tamen omnibus illuſtriſſimorum dominorum voluntates & juſtas petitiones opponerem, eorumque auctoritatem in re tam æqua, omnium ſermonibus ac vocibus facile obtenderem, ſi pacis ac quietis artes ac ſtudia, quarum ego ſemper cultor fuerim, in pretio eſſe, & a noſtris hominibus amari cernerem. Sed quæ ad nos perferuntur quotidie homicidia, & ſceleratiſſimorum hominum non ſolum perdita conſilia, ſed etiam audaciſſima crudeliſſimaque facinora, ea vero non patiuntur nos de [2]rerum ſummarum tranquillitate, ut cupimus, brevi conſtituenda ſperare. Duo tamen mihi ad melius feliciuſque augurandum quaſi [3]ſigna propoſui, quorum alterum falli non poteſt, alterum non fallere. Quod verbi Dei ſinceram prædicationem, numiniſque apud bonos omnes reverentiam nondum nobis eripit impietas, indicium eſt paterni erga nos animi Dei, calamitates ad modum quendam immittentis, quibus perpurget meſſem ſuam, non perurat: quem laborem vobis ſalutarem, illi glorioſum futurum non dubito. Nec falli illud aut decipi ſignum ullis Satanæ artibus poterit. Quod vobis Regio throno incredibili ſpe puerum obtulit, quod ſanctiſſima & integerrima diſciplina cum primo ubere pietatis amorem ſugere voluit, quod tantæ ſpei alumnos & protectores viros innocentiſſimos delegerit. Hæc duo ſpem nobis faciunt tandem fore, ut lætioribus & melioribus temporibus fruamur. Cujus ego felicitatis non auditor, ſed ſpectator, ſi Deus concedat, eſſe cuperem. Interea abſens, quod facio, Deum precabor, ut miſericordia ſua regnum illud tueatur, Regiam majeſtatem benignitate ſua conſervet, vitæ proſperitate & gratiis Spiritus indies cumulet, bonos omnes & [4]bonarum artium amatores, foveat ac protegat, teque tuique non diſſimiles Regi noſtro quam plurimos conſervet. *Beza* noſter ad vos ſcribit, & ad *Joannem Knoxium*. Buchanane, vir doctiſſime ac integerrime, vale. Genevæ, 3 Id. April. 1572.

De *Petro Junio* nepote meo, quem tibi plus quam mihi debere judico,

1 *Taceo uxorem, filiolam.*] Hæc pugnare cum Epiſtola VI. videntur, qua Buchananus inter alia argumenta Scrimgero in patriam reditum perſuadere nititur ex eó *quod liberis eſſet orbus.* Aut igitur mendax fama Buchananum fefellit, quod ægre crediderim; aut filiolam hanc non Scrimgeri, ſed uxoris ejus alio patre prognatam fuiſſe oportet

2 *Rerum ſummarum tranquillitate*] Forte *rerum ſummæ* quidam ſcribendum malint: ſed nulla mutatione opus; Corn. enim Nepos in Eum. 7. *de rebus ſummis conſilia capere*, & ibid. 9. *de rebus ſummis deſperare*, utitur.

3 *Signa propoſui*] Ita omnino legendum, non *præpoſui*, ut Lond.

4 *Bonarum artium amatores.*] Lond. *bonarum rerum artium*: unde ſe importune intruſit hæc vox, *rerum*?

co, **tantum hoc dicam, eumque ea de re monui, niſi omnibus in rebus, tuis prudentiſſimis amiciſſimiſque monitis obtemperet**, niſi te ut patrem colat ac revereatur, recuſare non poterit, quin omnis humanitatis & pietatis expers haberi debeat: quod eum non commiſſurum, ſed tibi obſequentiſſimum ſemper fore confido.

Ex Editione Lond.

* E P I S T O L A VIII.

From Mr. Henry Scrymger *to the Regent.*

MY Lord, efter my maiſt humble Commendatioun of Service to zour Grace, I reſſavit zour Graces Letter the ſecund Day of *Januar*, writtin at *Striveling* the laſt Day of *September*; and red te ſamyn with gryt Blythnes and Contentatioun of my Hart, perſaving zour Graces guidwill and mynd to my Proffeit and Honour, havand rememberance and thocht of me, quha is ſa far out of zour Graces ſicht, and hes bein ſa lang Tyme of te Cuntrie. I pray God Almychtie preſerue zour Grace in Helth and Weilfair, and eik zour Grace mair and mair daylie with his ſprituall Giftis and Graces, to the mantenance and furthering of his Glorie, to the virteuus upbringing of our Soverane Lordes Majeſtie, and to the guid gyding and ordering of the Commonweill of the Cuntrie.

My Lord, zour Grace requirit me to cum hame and ſpend the latter part of my lyff in my native Land to my naturall Princes Service, to the Weill and Help of Policie into the Realme, and that with ſo grit and honeſt Offeris, that gif I knew my ſelff worth ane pairt of thame, I could not reſſonably aganeſtand, nor refuiſs to do what zour Grace requiris, thinking weill that ſic Requeiſtis of thame quhome God hes ſend in ſic Auctoritie ſould be Commandmentis & Compulſionis to me and all utheris of our Realme, gif we luik weill to our Dewty baith anentis God and Man. Newertheles of the uther pairt, knawing my unablenes, and dreiding ſair that being narer zour Graces preſens, I ſall not be fund ſa meit to fulfill the Chairge of Service zour Grace diviſis for me as mony Men belevis, I dar not haiſtelie offer my ſelff nor accord thairto. And albeit I have travellit thir mony Zeiris in ſundry Cuntries and Landis, and hes bene in mony grit Cumpanies quhair I micht have leirnit mekle guid for to help my Cuntrie, zit I have brocht away ſo ſobir ane deale of all I have hard or ſene, that I dreid thay be diſſavit of the Houp thay have tane of me: notwithſtanding my Mynd and Will wes

* *Hanc Epiſtolam e publicis regni Actis deſumptam, etſi hoc loco aliena videatur, hic tamen inſerendam duximus, tum quod a viro longe optimo ac eruditiſſimo, tum vero præcipue quod ſuper eodem quo illa ad Buchananum argumento ſit ſcripta.*

wes evir, and zit is, to ſpend all God hes gevin me outher of Witt and Underſtanding, or his Giftis, to the furthering of his Glorie, and to the Service of my Soverane Princes Majeſtie; for this wes alwayes my Butt and Mark I etlit to, ſen my firſt cuming into ſtrainge Cuntries, bot, as mony Tymes cumis to hand that Menis Purpoſis is brocht to ane uther End then thay luikit for by Godis Will, ſo in a pairt is happenit in my Cace, that being lang Tyme out of my Cuntrie, and acquantit with ſtrainge Faſſiouns of Leving, I have neirly forzett the Uſe and Cuſtume of my Land that I ſould ſerve intill: And this is cumit to, becaus ſundrie Tymes quhen I etlit to cum hame, the trubleſum Gyding and State of our Cuntrie ſa mony Tymes changeand, ſa that na Man micht weill ſee a lyff for thame that ſocht Quietnes and Reſt and Policie thairin, quhilk wes the caus that I drew me to ſum maner of Reſt in thir Pairtis, ſeing the Aige and unablenes of my Body neir to cum within few Zeiris. This, my Lord, is my State. Zour Grace may underſtand further of zour Graces Servant *Peter Zoung* my Nepho. Deſirand zour Grace to pardoun me that I have bene ſo taryſume to zour Grace, writting ſa lang ane Lettre, and that knawand the *Scotts* Tung is nouw forzett with me, ſpeciallie in writting, I have bene ſa evill adviſit to ſend this Bill to zour Grace.

I beſeik the Father of Hevin be zour Graces Keipar, and gyd al zour Graces Doingis and Futſtopis be his Holy Gaiſt, to the mantening of the Kinrik of his Sone *Jeſus*, and to gyd in virtuus Teiching and Upbringing of our Soverane Lordis Majeſtie to Reſt, Peax and Policie of the Realme at all tymes. At *Geneva*, this 12 of *Aprile*, 1572.

To my maiſt gratious Lord, my Lord of Marr, *Regent in* Scotland, *in the Court.*

To zour Graces humble Service reddy and obedient at all tymes,

HENRY SCRYMGER.

Ex Actis publicis.

*EPISTOLA IX.

Theodorus Beza Georgio Buchanano.

NOLUI certum hunc nuntium abſque meis ad te literis [1] prætermittere, partim ut me noris tui memoriam abſentis diligentiſſime retinuiſſe,

* *Hæc eſt* 78 Epiſtolarum Theologicarum *Theodori Bezæ ab ipſo Genevæ* 1572, *&* *iterum* 1575 *editarum, quæ in multis diſcrepat ab ea Londini edita* 1711, *quemadmodum ex variantibus lectionibus hic ſubnexis videre eſt.*

1 *Prætermittere*] Ita Genev. 1575, at Lond. 1711, *permittere; partim ut noris me.*

nuiſſe, & coluiſſe ſemper; partim ut tibi, vel [1] toti potius veſtro regno id ipſum gratularer, quod Scrimgero noſtro [2] ſignificas, obtigiſſe nimirum vobis Regem, in cujus pueritia pietatis virtutumque omnium ea jam ſigna eluceant, quæ in [3] maximam cujuſque boni ſpem & exſpectationem [4] totius veſtræ gentis animos erexerint. [5] Prohibeat vero Deus Opt. Max. ne idem vobis, quod ſuperioribus annis vicinæ vobis genti, eveniat. Sed hoc potius largiatur, ut Regem hunc omnibus & corporis & animi dotibus florentem nacta Scotia, tot jam annis bellis cædibuſque vexata, tandem aliquando ſanctæ pacis beneficio fruatur. De rebus noſtris omnia, ut ſpero, pleniſſime ex *Scrimgero* noſtro cognoſces. Ego Pſalmorum tuorum lectione incredibiliter delector: qui etſi tales ſunt, quales a te uno proficiſci potuerunt, opto tamen ut [6] eos, quod tibi minime difficile fuerit, ex bonis etiam optimos reddas, [7] vel, ſi mavis, optimis, quales jam ſunt, meliores. Bene vale, vir eximie, cum bonis piiſque omnibus. D. Jeſus te ſalvum & incolumem tueatur. *Genevæ*, 12 *April.* 1572.

✱ Ex Editione Londinenſi, & Theod. Bezæ Epiſtolis Theol. *Gen.* 1575.]

1 *Toti potius veſtro*] *Toti veſtro potius regno id ipſum gratularer.* Lond.

2 *Significas*] Lond. *ſignificaſti.*

3 *Maximam*] Gen. *maximi cujuſque boni.*

4 *Totius*]. Deeſt hæc vox in Edit. Genev.

5 *Prohibeat*] Gen. *Faxit vero Deus Opt. Max. ne idem vobis quod vicinis populis eveniat. Sed ut potius Regem omnibus —— tot jam annos domeſticis bellis ac cædibus vexata conquieſcat. Liberet vos idem ille clementiſſimus pater a Medea ſive Athalia veſtra. Nullum enim illius ſceleribus ſatis idoneum nomen invenio. De rebus noſtris ex Junio noſtro penitus omnia cognoſces.*

6 *Eos*] Deeſt hæc vox in Genev.

7 *Vel, ſi mavis, optimis, quales jam ſunt, meliores.*] Deſunt hæc in Edit. Genevenſi.

EPISTOLA X.[1]

A Monſeigneur,

Monſieur de Sigongues, *Chevalier de l'Ordre, & Capitane & Gouverneur de la* Ville & Chaſteau *de* Dieppe.

MONSIEUR, ce que l'ay tant differé de vous eſcrire, a eſté pour l'occaſion des troubles, qui ont univerſellement regné, tant en ces quartiers, qu'en la *France*, au grand prejudice des deux royalmes. Et comme par la grace de Dieu nous avons en la fin quelque relaſche de nos maux, il me ſemble (je le dis avec regret) que les voſtres ne font que recommencer. Mais pour laiſſer ce propos, la preſente ſera pour me recommander humblement a voſtre bonne grace, enſemble ce preſent Porteur *Thomas Fairlie*, qui eſt fort de mes amys, & autant amy qu'aymé de

1. Hæc unica ſupereſt ex Epiſtolis Geo. Buchanani Gallico ſermone ſcripta.

de tous les miens. Le bien & plaiſir, que vous luy ferez, je l'eſtimeray fait a moy meſme, comme je fais celuy, qu'avez par le paſſé fait a tous ceux, que je vous ay recommandé, qui ſe louent grandement de voſtre faveur, pour laquelle je vous demeure tres obligé; vous aſſeurant, Monſieur, que ſi je puys quelque choſe pour vous par deca, ou pour les voſtres, que vous me pouvez livrement commander, comme celuy qui ſera tousjours preſt a vous obeyer & faire ſervice. A *Sterlin*, ce douſieme de *Janvier*, 1573.

Ex autogr. in Bibl. Jurid.

Celuy qui eſt de tout voſtre,
GEORGE BUCHANAN.

*EPISTOLA XL.

Viro clariſſimo Georgio Buchanano Petrus Daniel *S. P. D.*

ROGAVERUNT me plerique viri docti, & tui ſtudioſiſſimi, ut te ad Editionem Iambωn, Epigrammatωn & Lyricωn tuorum,[1] quos jam fere per decennium exſpectamus, per literas adhortarer: facio hoc certe non invitus, & te per ſacras Muſarum τελετὰς obſecro, ut rem adeo deſideratam, pro communi omnium ſtudioſorum utilitate amicis non deneges, & cum per otium licebit, ſparſa, ut cœpiſti, carmina tua recolligas. In eorum editione habebis diligentem typographum Mamertum Patiſſonum noſtratem, Stephani viduæ maritum, & ad vota tua, ſupra quam dici poſſit, facilem & propenſum. Deſiderantur quoque tui Libri de Sphæra Mundi, & ſi qua alia noviſſime exarata habes, quæ ſi ad me miſeris, eodem modo & promiſſi utriuſque fidem exſolves, & ab interitu ſcripta tua vindicabis. Sic fiet, ut qui tu*a ſibi* tribuunt, erubeſcant; & rideantur qui tuo nomine *aliena* vel ſua evulgant, ut nuper verſus de Amiralio[2] faci*li negotio* judicavimus. Bene vale, V. C. Salutant te omnes docti *&* *pii*, præcipue *Scaliger*, *Hatteus*, & *Chriſtianus.* Cujacius eſt in urbe, & ſcholam juris civilis brevi aperturum rumor eſt.

In Pſalterio ſi qua mutaveris, quæſo mitte. EPI-

Ex autograph. in Bibl. Jurid. e cujus margine cum voces nonnullæ, vel ſitu exeſæ, vel caſu avulſæ perierint, nos eas partim ex *MS Exemplari* & *Edit. Lond.* partim ex noſtra conjectura reſtituendas, & diverſo charactere a reliquis diſtinguendas curavimus.

* *Scripta videtur hæc Epiſtola exeunte anno* 1575, *aut ineunte* 1576, *meminit enim Mamertum Patiſſonum Roberti Stephani ejus nominis primi Typographorum Principis viduam jam uxorem duxiſſe. Eas autem nuptias conjicit Mich. Mattaire in annum* 1575, Hiſtor. Steph. pag. 520. *Præterea ſcribit Pet. Daniel ſe* Iambos, Epigrammata, *&c. G. Buchanani* jam fere per decennium exſpectare, *ab anno, ut videtur,* 1566, *quo ea Buchananus ipſe promiſerat. Vide Epiſtolam III.*

1 *Quos jam fere*] Ita autograph. quamvis *quæ* potius videatur: non tamen omni prorſus exemplo caruit P. Daniel.

2 *Facili negotio judicavimus*] Lond. *factos judicavimus*, errore, ut videtur, exſcriptoris; in autogr. plane apparent hæ literæ *faci.* Quas deinde ſequitur lacuna quanta voci *negotio*, aut ſimili cuipiam capiendæ ſuffecerit.

* E P I S T O L A XII.

Chriſtophoro Plantino *Typographo Regio*, *viro optimo*, *ac amico ſingulari*, Georgius Buchananus.

PETRUS Junius, clariſſimi viri, mihique dum vixit amiciſſimi, *Henrici Scrimgeri* ex ſorore nepos, meuſque in Rege noſtro inſtituendo collega, ob perpetuam erga me obſervantiam eſt mihi longe cariſſimus. Is magno labore, nec minoribus ſumtibus, avunculi bibliothecam ex ultimis uſque Allobrogibus ad nos tranſtulit, eamque non immerito magni facit. In ea ſunt varii Græci ſcriptores, ex vetuſtiſſimorum exemplarium fide, vel integritati reſtituti, vel certe infinitis mendis, quibus ſcatebant, opera & induſtria *Scrimgeri* repurgati. In quibus eſt Strabo, Demoſthenes, Athenæus, Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica, aliique non pauci: ex Latinis, Cicero, ſed Philoſophica præſertim. Quos ſummi viri de literis optime meriti labores, quum ad reipublicæ literariæ utilitatem, tum ad defuncti famam orbi innoteſcere cupiat *Junius*, maximeque ea in re tua opera uti velit: tamen, quod tibi tam ignotus ſit, quam mihi probe notus, rogavit me ut te de hoc ſuo inſtituto certiorem facerem, ut viciſſim ex [1] literis tuis quid tua ſit ſententia ſciat. Si quos ergo ex prædictis præſertim auctoribus edere paras, *Junium* in conſilium adhibeas cenſeo, quo emendatiores exeant; eique eam gratiam habebis, quam ejus merita poſcere videbuntur. Vale.

Ex MS. & Edit. Lond.

Tui amantiſſimus
GEORGIUS BUCHANANUS.

Catalogum librorum a te editorum una cum ſingulorum æſtimatione ad me mittas velim, erit hoc mihi *Junioque* meo pergratum. Iterum vale.

* *Hanc Epiſtolam ſcriptam fuiſſe ante* 24 *Maji anno* 1576, *apparet ex ſequente quæ ei reſponſo:io eſt.*

1 *Literis tuis quid tua ſit ſententia.*] Ita MS. in Lond. deeſt *tuis*, & pro [*tua ſententia*] *tuæ ſententiæ* legitur.

E P I S T O L A XIII.

Illuſtri viro D. Georgio Buchanano Chriſtophorus Plantinus, *S. P.*

[1] VARIIS & ingratis hoc tempore occupatiſſimus nobis incommodiſſimo, vix quicquam audeo Græce ſuſcipere imprimendum. Spero tamen

1 *Variis & ingratis*] *Rebus* aut *negotiis* intelligis, quod tamen hoc in loco potius expreſſum quam intellectum malim.

tamen aliquando me vires animo pares recuperaturum, ſi pax coaleſcat, quæ adeo eſt exploſa, & in varias partes diſſecta, ut nihil toto hoc decennio videamus, quam pro ſtudioſis virtutum . armatos & ſævientes paſſim milites. Latinorum vero clariſſimorum Auctorum nihil recuſabo, quod a tanti viri bibliotheca procedat: neque unquam ingrati animi mihi notam, favente Chriſto, patiar inuri. Doleo vero quod jam nihil habeam offerendum te dignum. *Hadrianus Junius* [1] Magdeburgi non ita pridem obiit. Ejus Nomenclatorem auctum recudo. Catalogum librorum a me editorum mitto, una cum aliquot aliis libellis, quos ut boni conſulas rogo, & me, quantum nobis licet, tuum eſſe tibi perſuadeas. Vale, Antuerpiæ, raptim inter ipſos fluctus occupationum & tumultuum, 24 Maji 1576, tumultuarie ſcriptum.

Ex Edit. Lond.

1 [Male adſecutus fuit Cl. Editor. Plantini manum, qui *Medioburgi* ſcripſit. licet Arnemudæ, prope Medioburgum in Zelandia obierit, ſed Medioburgi ſit ſepultus. vide *Valer. Andr. Bibl.* Belg. pag. 13. & *Bayl.* Dict. Hiſt. Critiq. & plures alios.]

EPISTOLA XIV.

Daniel Rogerſius Georgio Buchanano *S. P. D.*

EXCIDIT mihi, clariſſime Buchanane, biennium integrum, dum sereniſſimæ Reginæ mandata procuro. Superiori enim anno cum *Thomæ Wilſono* ad Proregem Belgicum Legato comes adderer, illo in patriam redeunte, ego ad Principem Auraſium ablegabar: apud quem cum per ſex menſes commoratus fuiſſem, indeque in Angliam redirem, mox ad eundem a Regina remiſſus fui. Literis enim non facile expreſſero, quanto ſtudio laboraverim, ut cauſſa, quam Chriſtianiſſimus Princeps conſtantiſſime tuetur, Reginæ etiam patrocinio confirmaretur. Sed nos ea malacia laboramus, ut Ulyſſingenſium inſolentiam non facile hoc bello concoquamus, quantumque religio nos incitat ad ſuppetias Principi ferendas, tantum ab hoc propoſito revocant Ulyſſingenſium facinora, quos dum in ordinem redigere cogitamus, metuo vehementer ne laboranti cauſſæ obſtemus. Dum enim graviſſimæ factiones & ſeditiones inter partes Regias erumpunt, plurimum commodi ex his Princeps in præſenti perciperet ſi Regina Ulyſſingenſium latrociniis excitata non offenderetur. Nam prævideo diſſidentes partes facilius conventuras, ſpe ipſis oblata, offenſione Reginæ citius Auraſium Principem ſuperari poſſe. Cæterum honoratiſſimi Conſiliarii brevi ſpero hanc offenſionem tollent, unde Principi nihil a Britannis damni exſpectandum ſit quæ hactenus impedimento fuerit, ne plus favoris Regina Principi præſtaret. Pluribus ad te e Mattiacis perſcripſi, id unice miratus nihil te literarum reſcri-

Digitized by Google

ſcripſiſſe: crebro etenim ex Zelandia & Batavia literas ad te per populares tuos iſthinc in patriam redeuntes dedi. Habes autem in illis regionibus plurimos, duos in primis tui nominis ſtudioſiſſimos, *Janum Douzam*, & *Philippum Marnixium San-Allegondium*, ingenio, genio, & genere nobiliſſimos, quorum alterum, cum Lutetiæ commorareris, ad te deduxi, cujus ad te poëmata, nuper illa edita, ex Auctoris ſententia & voluntate tranſmitto: alterum noſti Pariſiis, qui Principi mehercle optimo merito ſuo eſt gratiſſimus. Is, cum nuper a Principe redirem, literas his adjunctas ad te ſcripſit. Majorem in modum cupio ex te cognoſcere, utrum priores meas ad te literas receperis, & num hæ ad tuas manus pervenerint. Aveo etiam ſcire quid parturias. Ante triennium (abs quo tempore nihil a te literarum accepi) ſpem injeceras librum illum tuum videndi, quem de origine gentium Britanniearum ſcripſiſti: quod ſi abſolveris, ne quæſo ejus deſiderio nos ulterius fraudes. Dialogiſmum de Regno, ab hoc temporis ſtatu non alienum, avidisſime perlegi, ex quo & illud cognovi, quam ſtudioſe in Platone verſatus eſſes. Eum ego Philologis Hollandis communicavi, ac typis edituri eſſent, ſi de tua voluntate eſſent certiores. Sphæricorum tuorum ut nobis copiam facias, etiam atque etiam peto. [1] Ad ſummam reſcribe qua valetudine fruaris. *Joannes Sturmius* ut de tuis rebus ad illum perſcriberem, nuper literis ad me datis majorem in modum rogat, cujus ad te, ſed veteres illas, literas cum his mitto. Hæc raptim exaravi, cum mentio incidiſſet nautæ in Scotiam redituri, per quem hæc paucula ad te ut tranſmitterem, amor ille meus erga te non invito extorſit. Bene vale, clarisſime Buchanane.
[2] Londino Trinobantum, 3 Cal. Sept. 1576.

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

EPI-

Mirum eſt hujus Epiſtolæ Edit. Londinenſem ab autographo tantopere diſcrepare; quod cuivis eam cum noſtra conferenti obſervare licet: nos autem hic & alibi ſemper autographa nobis unice ſequenda ſtatuimus.

1 *Ad ſummam reſcribe*] Ita autogr. non *ſummum*, ut in Lond. Longe enim differunt *ad ſummum*, & *ad ſummam*; *ad ſummum* enim ad numerum refertur quo nullum ſuperiorem vel ulteriorem intelligimus, ut Cic. *Scies igitur fortaſſe cras, aut ad ſummum perendie*: *Ad ſummam* autem orationis finiendæ formula eſt, idem fere valens quod *denique*, *poſtremo*, *ut verbo dicam*, *ut verbo expediam*, &c. ut Horat. lib. 1 Epiſt. 2.

Ad ſumnam ſapiens uno minor eſt Jove. -----

2 *Londino Trinobantum.*] Autogr. *Londinio Trenobantum*: non ſumus neſcii *Londinium* a Tacito, Ptolemæo, Antonino, *Lundinium* autem ab Ammiano Marcellino conſtanter appellari; diu tamen receptam ſcribendi formam potius ſervandam exiſtimavimus.

EPISTOLA XV.

Buchananus Tychoni Brahe.

JAM alter agitur annus, Tycho doctiſſime, ex quo *Gulielmus Lummiſdale* cum illhinc domum rediret, librum tuum de nova ſtella mihi reddidit. Quod munus multis mihi nominibus fuit gratiſſimum, vel quod abs te eſſet, *i. e.* ab homine ſumma generis claritate illuſtri, ingenii eximia felicitate, & literis perinde expolito, qui illam Philoſophiæ partem, [1] quæ eſt, ut cecinit veſter Manilius,

Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum faſtigia cœlo,

jacentem erexiſti, & e vulgi ſordidis manibus in ſuam ſedem, *i. e.* Regiam reduxiſti. Cumulabat etiam muneris maximi gratiam tua humanitas, qui tam excelſo & dignitatis & doctrinæ culmine, nos humiles, & *penitus penituſque jacentes*, [2] non ſolum favens deſpicis, ſed prope manu attollis, & hortaris exemplo, ut nos audeamus *Nube vehi validiſque humeris inſiſtere Atlantis:* illamque, etſi falſam, plurimis tamen pro vero vulgatam opinionem, tuis monumentis, labore & induſtria refutas, ingenia ſcil. hominum ſub hac languente & frigida cœli plaga, inertiæ eſſe a natura damnata. Igitur cum omnes populi ad ſeptentriones publice, & nos privatim tibi plurimum debeamus, non exiſtimabis arrogantius a me factum, quod ad hunc uſque diem non reſcripſerim; [3] procul enim quod abeſt a meæ vitæ inſtituto & moribus, qui me non ignorant omnes norunt. Neque etiam eos clam eſt, quam proximo biennio morbis graviſſimis aſſidue ſim [4] conflictatus, nullam pene horam ad ſcribendum vacuam habuerim; adeo ut cum alia multa leviora ſim coactus intermittere, tum quinque libros de Sphæra jam dimidiatos omittere, ac ſpem ſcribendi carminis in poſterum penitus abjicere. Quamobrem tibi gratulor iſtam claritatem a majoribus, ingenii facultatem a natura tributam, eruditionem

1 *Quæ eſt, ut cecinit*] Ita MS. exemplar, in Lond. deeſt *eſt*.

2 *Non ſolum favens deſpicis*] Ita Lond & MS. quibuſdam tamen magis forte arrideret *reſpicis*: ſed nihil mutandum, quamvis enim ſæpius vox *deſpicio* pro *ſperno* vel *contemno* accipiatur, nativa tamen ejus ſignificatio eſt *res infra ſe poſitas ſpectare*; quemadmodum Ovid lib. 3. Met.

Munychioſque volans agros grataмque Minervæ
Deſpiciebat humum culiſque arbuſta Lycæi.

Et eo hic ſenſu a Buchanano uſurpatum monſtrant quæ ſuperius dixerat, *tam excelſo & dignitatis & doctrinæ culmine.*

3 *Procul enim quod*] Frigide hæc, nec pro Buchanani more, cum prioribus cohærent: forte legendum, *procul enim id abeſſe a - --* vel, *quam enim procul id abſit.*

4 *Conflictatus, nullam pene*] Forte legendum, *ut nullam.*

nem adhuc ætate integra ſtudio & labore comparatam. Nos in hac ætatis effœtæ ignavia currenti libenter applaudemus; & ſi quid officii præterea exigi a nobis poterit, tibi quoad potero gratificabor. Hunc *Gulielmum Lummiſdale*, qui has tibi tradet, rogamus ut de ſtatu rerum tuarum diligenter me certiorem faceret, quem etiam tibi commendamus, ut pro humanitate tua, ſtudio & favore juves, ut peculiolam quæ illinc ei debetur, ſi fieri poteſt, recuperet. Vale. Sterlini, poſtridie Nonas Sept. 1576.

Ex MS. & Edit. Lond.

*EPISTOLA XVI.

Georgius Buchananus *Anonymo*.

ACCEPI ſuperioribus diebus literas tuas, multis nominibus mihi gratiſſimas; & quod abs te eſſent, & quod tales, ut quæ ſpecimen quoddam ingenii tui non vulgare exhibeant, & ſpem prope certam promittant fore, ut in tempore maturos ex eodem ingenii feraciſſimo fundo patria ſuaviſſimos fructus brevi carpat. Accedit ad hæc, quod hoc velut pignore te obligatum tenere videamur: neque enim niſi tua deſidia fieri poteſt, ut iis fundamentis quæ jacta ſunt, reliqua ædificatio non reſpondeat: neque tu, pro reliquis tuis virtutibus, & [1] corporis fortunæque dotibus, commiſſurus es, ut cum cætera tibi natura ſuppeditaverit, tu unus tibi defuiſſe videaris. Quare velim ut tecum diligenter cogites, non modo quid patriæ, amicis & propinquis debeas; ſed interim etiam ſuccurrat, nos quoque, qui tali pignore te obſtrictum tenemus, aſſiduos flagitatores fore, ut qui non ignoremus optima nomina plerumque non appellando mala fieri. Quod ſi noſtram ſpem fefelleris, ego, etſi cum multis, tamen tanto præ cæteris vehementius dolebo, quanto pluribus nominibus me tibi debere ſentio. Sin, quod omnes cupimus, quod te dignum eſt feceris, rem mihi cum multis communiter gratam facies, & te genereque veſtro dignam; & vetera familiæ veſtræ decora renovabis, cujus gloriæ tibi ut inſervias neceſſe eſt. Illud præterea velim cogites,

* *Nobili cuidam adoleſcenti Scoto ſcripta videtur hæc Epiſtola: at quo anno haud ita facilis eſt conjectura. Nos (ſalvo aliorum judicio) eam ad annum* 1577 *referimus, adducti præcipue poſtremis ipſius Epiſtolæ verbis, quibus eum ad literarum ſtudium Regis exemplo accendit; quem licet* ætate inferiorem, *in* ſalutatoribus *tamen* excipiendis occupatum *deſcribit. Id vero nulli commodius anno congruere videtur quam* 1577. *Octavo enim Cal. Maji ejus anni, Jacobus VI. Scotorum Rex annum agebat ætatis* 11. *Si quis tamen anno uno aut altero citius ſcriptam hanc Epiſtolam voluerit, ei litem non movebimus, quippe quibus non tam tempus quo ea ſcripta eſt definire (quæ res nullius fere eſt momenti) quam nos in Epiſtolis hiſce digerendis temporis, quantum licuit, rationem habuiſſe, lectori oſtendere eſt propoſitum.*

[1] *Corporis fortunæque*] Lond. *& corporis & fortunæ, animique dotibus:* in autographo quidem veſtigia quædam hujus vocabuli *animi* apparent, ſed ab Auctore deleti, quippe qui prius dixerat, *reliquis virtutibus tuis.*

tes, qualem in eodem gloriæ campo competitorem habeas, **REGEM** dico, cui ut cætera ingenii adminicula ſint paria, certe & ætate eſt inferior, & in hac ætatis infirmitate vel in ſolis ſalutatoribus excipiendis tanto eſt occupatior quam tu, qui in iſto Muſarum ſeceſſu, liberum omnibus curis animum ad literas, & tu per te debes, & aliorum exemplo prope cogeris applicare. Plura non addam, ne ingenio tuo diffidere videar. Vale. Sterlini ad 8 Cal. Maji.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

EPISTOLA XVII.

Philippus Mornæus *D.* Georgio Buchanano, *viro clariſſimo*, *ſalutem.*

QUÆ te omnibus notum, piis vero clariſſimum, fecit eximia virtus tua, vir clariſſime, eadem Regi Navarræ patrono meo in primis commendavit. Dederat is mihi literas ad te, ut quem tua educatione omnium amore digniſſimum facis, tua etiam cohortatione amiciſſimum ipſi efficeres. Verum ego in piratas incidi, & jacturam feci: itaque damni mei particeps eris. Intereſt nihilominus reipublicæ Chriſtianæ, ut iſta amicitia ſanciatur: uterque Chriſto deditus, Pontificiis infeſtus, ad magnas res genitus eſt: quos Deus, virtus, hoſtes ipſi conjungunt, quorum eadem ſtudia, eadem odia ſunt, eos conjunctiſſimos faciamus neceſſe eſt. Vides ut omnia ferme Chriſtiani orbis regna in exitium prona ſunt, impietas & tyrannis funditus corruant oportet. Hi Principes, ſi pii, ſi juſti fuerint, ex cæterorum fere ruderibus & ruinis parietes ſuos ad faſtigium uſque exſtruent. Educabis nobis, ni fallor, alterum ex ultima Britannia Conſtantinum. Tædet orbem ſuperſtitionis, pertædet tyrannidis: unum aliquem ſpectant omnes, qui ſignum det. Quæ tunc temporis liberatorem orbi peperit regio, producat etiam hoc tempore conſentaneum eſt: Ἀλεξικάκῳ ad tot monſtra evincenda nobis plane opus eſt. Hunc vero præ manibus habes, qui exuvias leonis vel ex ipſo matris utero attuliſſe dicitur: faxit Deus Opt. Max. ut iſta pueritiæ undiquaque reſpondeat. Ad res noſtras quod attinet, Tragœdia noſtra [1] ad ſeptimum jam actum pervenit, ut brevi ad Cataſtrophen vergat neceſſe ſit, ni forte magis quam arte regamur: verum exſpectandus omnino Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Quod unum te Regis patroni mei & omnium Eccleſiarum noſtrarum nomine rogo, ſi qua in re laborantes juvare potes, fac quæ & tuam pietatem & auctoritatem-

1 *Ad ſeptimum jam actum*] Ita Lond. editio, quam nos hic ſequi alia ope deſtituti neceſſe habuimus: mendum tamen ſubeſſe videtur, ac pro *ſeptimum*, *quintum* reponendum, quum una ex præcipuis Tragœdiæ legibus ſit, ut non plures quam quinque habeat actus, juxta illud Horatii in Arte,

Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula; ——

niſi forte Mornæus ſub hoc numero ſeptenario aliquid arcani latere voluerit.

Digitized by Google

ſem deceant. Scis nos omnes in iiſdem ædibus eſſe, iiſdem parietibus includi. Itaque etſi admoventur ad noſtrum parietem machinæ, non minus interea periclitamini quam nos, cum univerſos eadem ruina oppreſſura ſit. Falluntur enim omnino qui cum Pontificiis fœdus colere volunt, quod ſane Ulyſſis cum Polyphemo pacti non diſſimile videtur, ſaltem ut ultimus devoraretur. Etenim & noſtro primum & ſuo demum periculo percellentur. Deus ſuam Eccleſiam, & pios omnes, & te in primis, ſuæ Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ diutiſſime conſervet, vir clariſſime.

Datum Londini, 1577, *primo* Junii.

Ex Edit. Lond.

EPISTOLA XVIII.

Præſtantiſſimo viro, *D.* Georgio Buchanano, *ſereniſſimi* Scotorum *Regis Præceptori fideliſſimo*, *Domino ſuo plurimum obſervando*, *S.*

CUM anno ſuperiori meæ in D. Pauli ad Galatas Epiſtolam homiliæ, ſereniſſimo Scotorum Regi dedicatæ, in publicum prodirent, pridie Cal. Sept. ad te, vir præſtantiſſime, & Domine mihi plurimum obſervande, literas dedi, & duo miſi ejus libri exempla, quorum unum ut Regiæ Majeſtati meo nomine offerres, alterum in mei amoris atque obſervantiæ teſtimonium tibi retineres, rogabam. Ab eo autem tempore, nihil vel ex Anglia vel Scotia veſtra literarum accepi, quibus docerer, quid de libris illis ſit factum. Affirmavit quidem noſtro typographo Londinenſis mercator, cui ille faſciculum curandum dederat, hunc certo & tuto illuc & tranſmiſſum fuiſſe: at mihi ejus fidem ſuſpectam facit, partim tam diuturnum ſilentium, partim illius avaritia, quæ mihi pluribus aliis argumentis perſpecta eſt, & quæ hominem in iis curandis negligentem facit, quæ nullo cum lucro conjuncta eſſe videt. Et auxit mihi ſuſpicionem hanc generoſus juvenis D. *Georgius Keith*, Comitis Mareſcalli Scotiæ filius, qui & ipſe tale quid factum exiſtimat, cum te ſciat in amicitiis bonorum amplectendis facilem, & cum primis officioſum eſſe. Itaque cum Auguſto menſe de indigna fratris ſui *Gulielmi* cæde ad me literas daret, & meum in ejus memoria ac morte celebranda officium requireret, atque inſuper operam ſuam in meis curandis pro ſua humanitate mihi offerret, ego occaſionem tam optatam minime negligendam putavi, & fratris Manibus officium præſtiti, quale potui inter occupationes & curas graves, quæ me a Poëtices ſtudio, quo olim delectabar, avocant: & ſimul has literas ad illum Lauſannam perferendas dedi, ut inde eas cum ſuis ad te mittat. Quas ut ea fronte accipias oro, mi doctiſſime Buchanane, qua hominis tui nominis ſtudioſiſſimi officia accipere ſoles: & me quæſo hac cura libera, ut num mei Galatæ ad tuas manus pervenerint, &

ut a Regia Majeſtate excepti ſint intelligam. Hoc tibi ſanctè affirmo, me non aliud meis lucubrationibus quærere, quam ut Eccleſiis proſim: quod ſi aſſequor aliqua ex parte, me nullius laboris aut moleſtiæ piget. Vale, vir præſtantiſſime, & mihi cum reverentia obſervande. Tiguri, in die Solſtitii brumalis. Anno nati Chriſti 1577.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

Tuæ præſtantiæ
obſervantiſſimus,
RODOLPHUS GUALTHERUS.

EPISTOLA XIX.

A Monſieur,
Monſieur Buchanan, *Præcepteur du Sereniſſime Roy d'Eſcoce.*

MONSIEUR, Il y a long temps que je vous honnore, comme font tous ceux; qui aiment les Lettres, & ſi n' ay encore eu ce bien de vous cognoiſtre, que par voz doctes eſcrits. Cette année paſſée pour addoucir la douleur de nos miſères, & meſmes apres celle remarquable calamité de la S. *Barthelemy*, je me mis, en ſuyvant voz traces, a faire parler Grec *David:* combien que je recognoiſſe que la premier coup d' Eſſay ne me donne ouverture pour paſſer plus outre, comme de faict je n'en ay poinct affecté de louange, me contentant du bien que j'avois ſenty de ce remede parmy mes ennuis. C'eſtoit toutesfois une entrée pour avoir plus privée addreſſe a vous, comme auſſy je vous eſcrivis des lors, ſans que j'aie aulcune reſponce: maintenant ceſte occaſion ſe preſentant, que par l' advis de mes amis, je dedié a la Maieſte du voſtre Roy vne partie de mon labeur, je vous ay bien voulu faire la preſente, pour vous prier aimer celui qui vous aime & honnore, & me faire ceſt honneurde preſenter ces livres a ſa dicte Maieſte, avec telle recommendation que voſtre erudition & bonté eſtimera eſtre convenable: vous obligeres vn homme qui n' oubliera ce bien, mais qui priera Dieu pour voſtre proſperite. J'aurois beaucoup de choſes a diſcourir avec vous, mais attendant quelque reſponce de vous qui m'apprivoiſe en voſtre endroict, je prieray Dieu qu'il benie voſtre heureuſe vieilleſſe, & vous faire veoir en voſtre treſnoble nouriſſon l'accompliſſement de voz bons deſirs. Me recommandant bienhumblement, Monſieur, a voſtre bonne grace, vous ſuppliant me tenir en celle du Roy. De Loſane, ce 29 de Feb. 1578.

Voſtre bienhumble Amy & Serviteur,
DE SERRES.

Je vous envois vn exemplaire du Platon, pour teſmoignage, s'il vous plaiſt, de l'amour & l'honneur que je vous porte.

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

Digitized by Google

*E P I S T O L A XX.

Buchananus Rodolpho Gualthero *Eccleſiæ* Tigurinæ *Miniſtro*, *S.*

TUÆ literæ, vir præſtantiſſime, Tiguri ſcriptæ pridie Cal. Sept. octavo demum poſt menſe, hoc eſt, ad Calendas Majas, ſunt huc perlatæ. Ac a Rege quidem tuum munus ut erat amplum & honorificum, ita libenter & benevole eſt acceptum. Spes vero de eo tuæ, & aliorum qui iſthic ſunt bonorum, non modo ipſi, ſed nobis quoque qui ei inſtituendo ſumus præfecti, longe gratiſſimæ acciderunt. Nam ſi indoles, quæ in eo nunc jucunde effloreſcit, cum tempore maturuerit, & exſpectatione noſtra dignos fructus ediderit, erit profecto quod & ille & nos plurimum vobis debeamus: ille, quod ingenium ejus adhuc infirmum laudibus veſtris ſuſtenteris, & adhortationibus labores pueris ſubmoleſtos, velut oſtentatis victoriæ præmiis alleveris: nobis, quod oneris impoſiti tales viri in partem ultro ſubeatis, non poteſt non eſſe jucundiſſimum, niſi nos ingratiſſimi eſſe velimus. Neque enim ſola vox Præceptoris ſtudia diſcentium promovet, ſed quæcunque etiam animum jacentem exſuſcitant, & laborum tædia minuunt, & virtutis veræ ſpeciem ob oculos proponunt, etiam præceptorum vice funguntur. Accedit, quod hæc, quæ dixi, mollius ad aures quam præcepta accidant: ut quæ non velut pro imperio jubeant, ſed gloriæ & honoris blandiſſimis invitamentis illiciant. Habent etiam illa veſtra munera, quæ ex locis magno intervallo diſſitis adveniunt, longinquitatis gratiam, & adulandi ſuſpicione carent. At domeſticorum plerumque officia non ex horreo liberalitatis depromi, ſed tanquam æs alienum ſolvi accipientes exiſtimant. Sed hactenus de Rege. Poëmatia mea quod probas, eſt mihi pergratum: nam ſive in eo erras, non judicii infirmitate falleris, ſed benevolentia abductus minus errata perſpicis: ſive jure id facis, ego quoque jure gaudeo (ut apud Nævium Hector) [1] *a laudato viro laudari*. Sed ne id mihi ſolidum & ſincerum ſit gaudium, multa impediunt. Ætatis enim noſtræ ea eſt ignavia, ut nemo libenter magnum in eo ſtudio collocet laborem, unde aut minimum aut nullum ſperet operæ pretium. Nec deſunt, qui [2] non [modo] illam clari Poëtæ clariſſimam ſententiam, qua virtutem ipſam ſummum ſui præmium eſſe contendit, contemnant, ſed & totum hoc ſcribendi genus,

* *Conferendo hanc Epiſtolam cum XVIII. & XXIX. veri admodum ſimile videtur eam anno 1578, & poſt Kalendas Maji fuiſſe ſcriptam.*

1 *A laudato viro laudari*] Hoc ex Cicer. Tuſc. Quæſt. lib. 4. cap. 21.

——— Lætus ſum
Laudari me abs te, pater, laudato viro.

2 *Non modo illam*] Hanc vocem [*modo*,] quæ non tantum Edit. Lond. ſed & ipſi autogr. abeſt, ſupplevimus, utpote ſine qua ſenſus ſibi nullo modo conſtare queat.

nus, ut inutile, & ad unam aurium voluptatem comparatum abjiciant. Me vero, hominem mediocri ingenio præditum, *Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre natum*, & in re tenui educatum, quæ poterunt ullæ ſatis. . . . . .

Ex autographo in Bibl. Jurid.

EPISTOLA XXI.

Chriſtophoro Plantino Georgius Buchananus.

CUM hic adoleſcens in ipſo diſceſſus articulo mihi indicaſſet, ſe ad vos profecturum, etſi anguſtia temporis circumcluſus eſſem, nolui tamen ſine literis meis dimittere. Ex poſtrema Pſalterii editione, intellexi te meas literas accepiſſe. Reliqua opera, quæ una acceperas, quando iſthic non licet quod volebam, velim ad me remittas. Neque hoc ſcribo, quod de fide ac diligentia tua quicquam dubitem, ſed quod unicum mihi iſtud erat exemplar, quod niſi remittas, omnia mihi erunt magno cum labore ex adverſariis colligenda. Habeo & alia, quæ ſi res paullo quietiores fuerint, ad te mittam. Eſt hic apud nos adoleſcens probus & doctus *Petrus Junius*, *Henrici Scrimgeri* hominis longe doctiſſimi propinquus, qui recollegit multas cum magno labore, nec ſine ſumtu, animadverſiones in plurimos Græcos & Latinos Auctores, quas non illibenter ad te mitteret, ſi tibi commodum eſſet eos Auctores edere, ſed ita ut ratio nonnulla impenſarum habeatur. Præterea complures homines docti a me petierunt, ut a te impetrarem, ſi quem habeas, librorum a te exaratorum catalogum, eum huc mitteres, ut qui cuique uſui eſſet liber, eum per mercatores huc ferendum curares. Vale, Sterlini, [1] 18 die Nov. 1578.

Ex MS. & Edit. Lond.

1 18 *die Novembris* 1578.] Ita exhibet Editio Lond. at MS. in Bibl. Juridica habet 1573. & forte rectius. Nam, ut omittam toties & tam graviter alibi lapſam eſſe Editionem Lond. ut omnem fere fidem ſibi ipſa abrogaverit. veriſimile mihi videtur hanc Epiſtolam ante XII. ad Plantinum ſuper eodem argumento Anno 1576 datam, fuiſſe conſcriptam. Cum enim Hen. Scrimgerus diem ſuum obierit Novembri menſe anni 1572, (non 1571, quod Thuanus prodidit; Vid. Epiſt. VII. VIII. & IX.) non videntur aut Petrus Junius aut Georgius Buchananus commiſſuri, ut doctiſſimæ in optimos Græcos Latinoſque auctores Scrimgeri animadverſiones tam diu laterent. Præterea in hac Epiſtola Petrum Junium *adoleſcentem* vocat, qui natus anno 1544 (teſtante Tho. Smitho in vita ejus,) anno 1578 agebat ætatis annum 34. *Adoleſcentes* autem veteribus non ultra 30. annum vocari ſolitos auctor eſt Cenſorinus de Die natali cap. 14. Non ignoro a Manutio obſervatum hanc eos normam interdum neglexiſſe: ille enim ad lib. 2 Ep. 1. Cicer. ad Fam. Alexandrum M. a Livio lib. 9; ætatis anno 33; Craſſum a Cicer. lib. 2. de Orat. anno 34; Cæſarem a Saluſt. in Conj. Catil. anno 36; Brutum denique a Cornelio Nep. in vita Attici anno 40; *adoleſcentes* appellatos animadvertit. Ægre tamen crediderim Buchananum in familiari Epiſtola communem loquendi conſuetudinem voluiſſe deſerere, præſertim cum biennio fere ante, 4 ſcil. Februarii 1577. uxorem Petrus Junius duxiſſet, Vide *Ephemeridem* ipſius vitæ ſubjunctam, p. 23.

E P I S T O L A XXII.

Sir Thomas Randolphe *to* Buchanan.

I am not (my good Maiſter) a litle beholdinge unto yow, for your late remembraunce both of me and my Sonne, by your prettie and ſyne Devyſe to make him reade before he knowe or handle his Booke. Howe he will prove learnid heirafter, I knowe not, but farre unlyke to reſemble him from whone he taketh the Patterne. that, longe before my Boyes Yeares, farre paſſid many in Learninge and Judgement, wherof ſuch encreaſe enſueth, as in this Age is wonderfull, and amongſt Princes moſt rare. I looke not for the lyke in myne, but shal thinke my ſelff happie yf he reſemble yours in on Poynt of a Nomber, that in him more brightly shyne then *Julium ſidus* * *lunas inter minores*. That your worthie and noble Kinge in ſo short Tyme is become ſo skillfull, not a litle is to be attributid to the great Diligence and Care of his Maiſters, who beſydes the Giftes of Nature, haue addid as muche as by Art could be deviſed. In this, my good Maiſter, conſiſtith your Prayſe, and in this shal your Fame remayne immortall, though many other thinges in this World haue made yow famous for euer. I leave to ſpeake of many thinges donne in your Lyfe, great Prayſe worthie, but howe well I lyke of the laſt litle Treatiſe; *De Jure Regni*, that lately came into the World, I cannot ſay as I thinke. This puttith me in Mynd of many thinges more great Prayſe worthie donne by yow, eſpecially the *Hiſtorie of our whole Iſle*, wherin I may iuſtly complayne of you, my good Maiſter, that I shall not have ſo much as a ſight therof, before myne Eyes be cleane shutt vp, that nowe are become for Age very dymme. What makith yow to doubt to let it come foorthe, a Spectacle unto the World, no leſſe famous then *Apelles* Table was, and as voyde of Comptrollement as his Worke was, [1] howe curiouſe ſoeuer the Souter would ſeme to be? I pray yow deferre no more Tyme; at the leaſt let us knowe what yow mynd to doe with it, and employ my Labor, and charge me ſo farre as yow pleaſe, that shortly we may enioy our longe deſyrid Hope in a Matter

* Ignes *ſcriptum oportuit.*

1 *How curiouſe ſoever the Souter*] In Editione Lond. ſcriptum eſt *Doubter*, aut nullo aut inepto fere ſenſu: in autographo autem *Souter*, prima quidem litera macula nonnihil obducta. Rem extra controverſiam ponit Plin. lib. 35. cap. 10. *Idem* [Apelles] *perfecta opera proponebat pergula tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens vitia quæ notarentur auſcultabat, vulgum diligentiorem judicem, quam ſe præferens. Feruntque a Sutore reprehenſum, quod in crepidis una intus pauciores feciſſet anſas: eodem poſtero die ſuperbo emendatione priſtinæ emendationis cavillante circa crus, indignatum proſpexiſſe, denunciantem, ne ſupra crepidam judicaret, quod & ipſum in proverbium venit.* Vide etiam Val. Maximum lib. 8. cap. 12.

ter of ſo great Weight. Wherin yow will I am euer at your Command. And ſo, my good Maiſter, I hartely take my Leave. At *London*, the 15th of *March* 1579.

Your verie lovinge and aſſured Frende at Commande,

I ſende unto you two lyttle Books for two that I ſuppoſe came to me from you.
Yours *De Regno* is greatlye deſyered amonge vs.

THO. RANDOLPHE.

[Ex autogr. in Bibl. Jurid.

E P I S T O L A XXIII.

To the right Worſhipfull, my very lovinge Freind, Maiſter Peter Yonge, *Scholemaiſter unto the Kinges Majeſtie of* Scotlande.

AFTER my verie hartie Commendacions. Beinge lately mouid with the remembrance of my Maiſter, Mr. *G. Buchanan*, by the Sight of a Booke of his, *De Jure Regni apud Scotos*, and callinge to Mynde the notable Actes of his Lyfe, his Studie, his Travayle, his Danger, his Wiſdome, his Learninge, and to be ſhort, as muche as could be wiſhed in a Man; I thought the Kinge your Maiſter more happie that had *Buchanan* to his Maiſter, then *Alexander* the *Great*, that had *Ariſtotell* his Inſtructor. I thought you very lukye that had his daily Company, ioynid in Office of lyke Seruice, and thanckid God not a litle for my ſelf, that euer I was acquaintid with him. For one that hath ſo great Acquaintance as he hath with many learnid, and Compaignons of his Lyfe, and that hath ſo wel deſeruid of the Worlde, I maruaille that no Man hath written of it: beinge a thinge ſo common unto all famous Perſonnes, and moſt peculiar to the beſt learnid. Heerin I might chieflie blame you, my good Freind Maiſter *Yonge*, ſo neere unto him, ſo deere unto him, that nothinge can be hid of that which you deſyre to knowe. If you ſay that Tyme yeat ſeruithe, and that he yeat liuethe whoſe Life I wiſhe to be ſett foorthe, ſurelie yeat I ſay unto you, that yf it be donne after his Deathe, many Thinges may be omittid that were worthie of famous Memorie, by him to be better knowen then after his Deathe. The cauſe of the wrytinge againſt the *Grey Friars* is knowen to many, but afterwardes howe they preuailid againſt him, that he was fayne to leaue his Contrey, howe he eſcapid with great hazard of Lyfe at Godes Hand, the Thieues on the Borders, the Plague in the North of *England*, what Reliefe he found heere at a famous Knightes Handes, Sir *Jon Rainſforde*, the onlie Man that maintaynid him againſt the

the Furie of the Papiſtes; none doth knowe ſo well as him ſelf, or can giue better Notes of his Life then him ſelf can. As he liuith vertuouſlie, ſo I doubt not but he will dye Chriſtianly, [1] and may be addid, when the former is perfectlie knowen. This is deſirid by many, ſpecially lookid for at your Handes, that can beſt doe, and are fitteſt to trauayle in ſo worthie a Worke. As I craue this at your Handes, ſo ſhall you command what is in my Power. And thus wiſhinge unto yow, my good Freind, hartely well, I take my leaue. *London*, the 15th of *Marche*, 1579.

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

Your verie lovinge Frende,

THO. RANDOLPHE.

1 *And may be added*] Lond. *which may*, nobis autem quidquam in autographo, niſi urgente neceſſitate, mutare religio fuit.

* EPISTOLA XXIV.

Buchananus Rodolpho Gualthero.

TUAS priores literas una cum libris accepi, non paucis poſtquam a te miſſæ fuerant menſibus. Librum, ut voluiſti, dedi Regi, quem ille quo debuit, hoc eſt, propenſiſſimo in te animo accepit. Reſcripſi etiam pro tempore, quæ viſa ſunt: illud videl. in primis, cum cives omnes mei tibi plurimum debeant, me non ſolum tibi obæratum, ſed prope nexum eſſe volueris, ut qui in partem oneris graviſſimi ſuccedas, & noſtrum laborem partim levas, partim animum adhuc rudem velut ſubigis, & ad ſemen doctrinæ accipiendum, frugemque bonam proferendum paras: & cum utriuſque noſtrum labor ad ingenii ſpectet cultum, noſtræ par-

* *In Editione Londinenſi hæc Epiſtola Buchanani Bezæ inſcribitur, manifeſto errore. Ex Epiſtola enim XVIII. (quæ eſt Rodolphi Gualtheri ad Buchananum) cum argumento & verbis, tum loco & tempore quo ſcripta eſt, plane conſtat hanc ad illam reſponſoriam eſſe. Ne quis autem dubitandi locus relinquatur, hanc rem ulterius confirmat Epiſtola* XX. *præcipue vero* XXIX. *quæ Rodolphum Gualtherum huic Buchanani reſpondere vel primo intuitu legenti obvium eſt. Noſtro quidem Exemplari ipſius Buchanani manu, ut videtur, ſcripto, neque Epiſtolæ inſcriptio, neque loci & temporis deſignatio adduntur Editioni Londinenſi in calce ſubjungitur* 9 Cal. Aug anno Chriſti nati 1579, *& ita a Buchanano ſcriptum fuiſſe, Rod. Gualtheri* [Epiſt. XXIX.] *reſponſio oſtendit: quod tamen cum Epiſtolæ ipſius verbis aperte pugnat, quibus Gualtheri literas ad ſe demum perlatas fuiſſe Idibus Auguſti (ita enim legitur in autographo. quanquam vox* [Id.] *Edit. Lond. exciderit.)* i. e. 20 *diebus poſt* 9 *Cal. Aug. Quare vel priore vel poſteriore loco Buchananum lapſum eſſe neceſſe eſt: ego potius poſteriore, ac pro* [Aug.] [Septemb.] *ſcribendum exiſtimem, errore forte inde nato, quod Calendæ a menſe ſequenti apud Romanos appellari conſueverint, quod Buchanani animum aliis rebus occupatum hic non attendiſſe eſt veriſimile.*

Digitized by Google

partes agricolarum induſtriæ, tuæ vero cœleſti illi vi, quæ labores omnes proſperat, & ſalubri temperie dat ſegeti incrementum, poſſe comparari videntur. Poſteriores vero literæ tuæ [1] Tiguri bruma datæ, anno 1577, ad nos demum perlatæ fuerunt ad Id. Aug. anni 1579. Ego jam quadrageſimum, & eo etiam amplius diem, ob adverſam valetudinem ab aula abſum, ſed cum primum eo rediero, dabo operam, ut Rex ipſe tantulum ſuis occupationibus ſuffuretur, ut ipſe ſui animi ad te teſtimonium ſua manu det. Sin minus id ipſe præſtare potero, curabo ut per Collegam meum, virum pium & eruditum, *Petrum Junium* (qui molles aditus & tempora obſervabit) id conficiatur. Interim ad te mitto Commentariolum noſtrum *de Regno*, ſcriptum quidem temporibus turbulentis; ſed nunc demum emiſſum, ſpacio modico interjecto, miteſcente tumultu, & auribus hominum ejuſcemodi ſermonibus aſſuefactis. Poteſt fortaſſe noſter labor ſupervacaneus videri, tot præſertim hominum doctiſſimorum jampridem ea de re lucubrationibus evulgatis. Sed cum illi ſparſa quædam, ſed præclara in hoc genere præcepta collegiſſent, mihi ſum viſus operam omnino non luſurus, ſi in methodum ea redigerem, & non temere, ſed via & ratione de re tota diſquirerem. In hoc genere ſi quod operæ pretium viri probi & docti me feciſſe exiſtiment, multitudinis approbationem nihil moror.

• Ex autogr. in Bibl. Jurid.

1 *Tiguri bruma datæ*] *Solſtitii biemalis diem* intelligit, Vid. Epiſt. XVIII. in fine: ea enim eſt genuina ejus vocabuli ſignificatio; a *brevima* enim, *i. e. breviſſima*, ſecundum Varronem lib. 5. de LL. deducitur. Sic Plin. lib 8. Nat. Hiſt. cap. 51. *Diebus decem circa brumam ſtatim dentatos naſci Nigidius tradit.*

EPISTOLA XXV.

Clariſſimo ac ornatiſſimo viro D. Georgio Buchanano, *illuſtriſſimi Regis* Scotorum *Præceptori, amico uni atque unico.* Sterlingum.

Daniel Rogerſius Georgio Buchanano *S. P. D.*

ETSI ſub finem ſuperioris Junii pluribus ad te ſcripſi, ac tuas potius literas exſpectarem, quam novas ad te dandas exiſtimarem, tamen oblata occaſione ſcribendi commodiſſima, nolui committere quin hæc paucula ad te exararem, iteratoque ſcribendi officio, te ad reſpondendum provocarem. Quid enim poſſit mihi eſſe jucundius, cum ob diſtantiam locorum, quibus ſejungimur, mutuis colloquiis coire nequeamus, quam ſæpenumero per literas tecum confabulari, non Scotiæ tantum, verum Britanniæ univerſæ ornamento? Huc accedit, quod quo citius, & tibi, & amicis, ob extremam ſenectam, ad quam tua ætas pervenit, ex hac vita migraturus videris, eo majori ſtudio laborem, ut frequentius te ſalutem, cupiamque tanto vehementius de tuis rebus viciſſim certior fieri. Fuit

Digitized by Google

Fuit autem longe mihi jucundiſſimum ex *Jacobo Moravio*, Regis veſtri ad Reginam noſtram Legato, intelligere, te quamvis corpore minus commode valeres, animo tamen eſſe conſtanti, ac ingenio maxime vegeto. Quidam etiam ipſius comites affirmare non ſunt veriti, te gentis tuæ *Hiſtoriam* pertexuiſſe, ac Dialogum quidem *De Jure Regni* (de quo nuper per *Herculem Rollocium* ad te ſcripſi) edidiſſe. Quod ſi ita eſt, ſpero te librum impreſſum nobis non negaturum, quem, cum publici juris non eſſet, calamo exaratum, nobiſcum tibi [1] communem eſſe volueris. Ardeo ſane cupiditate eum videndi, ut ſi in eo aliquid immutaveris, typographi, quorum in poſterioribus meis ad te literis memini, veſtris illum potius typis evulgatum, ſuis imitentur, quam de manuſcripto codice exprimant. Hiſtoriam vero tanto magis deſidero, quod *Joannes Leſlæus*, Roſſenſis Epiſcopus (ut ipſe de ſe prædicat) hoc anno gentis Scoticæ Hiſtoriam Romæ edi curaverit, ut mirifice cupiam cum illius lectione tuam conjungere ac conferre. Reſcribes igitur, ut quid de hac tua Hiſtoria ſperare debeam, apud me ſtatuam. Quod ad illa vero attinet, quæ poſtremo de ſtatu regni noſtri ad te perſcripſi, non poſſum decernere, quem finem ſint habitura. *Alenconii* Legatus etiamnum apud nos conſiſtit, ac quanquam aula hic commoretur, ille vero Londini habitet, nullus tamen dies elabitur, quo non ad Reginam ex urbe excurrat. Ipſe vero Dux his diebus Lutetia Reginam certiorem fecit, ſe incredibili deſiderio ipſam videndi teneri, exſpectare autem matris ſuæ reditum; illa Lutetiam reverſa, ſtatim in Angliam advolaturum. Diu illa in Languedocenſi ac Delphinatum provincia hæſit: hoc menſe Montalbani exſpectatur, ubi comitia vicinorum populorum indicta ſunt, ad quæ Rex Navarræus, qui egregia virtutum documenta quotidie edit, venturus dicitur, cui miris technis calidiſſima Princeps imponere conata dudum eſt, hactenus autem nihil eorum quæ tentavit obtinere evaluit. Interea Ordines Belgici, Trajecto amiſſo, ad anguſtias redacti, Ducis Alenconii auxilia invocant, quæ ipſe promtiſſime laborantibus offert, ut in Belgium prius quam in Angliam deſcenſurum credam. Nec nobis magnopere improbatur, ut afflictis Belgis Dux opem ferat. Nam & illis proſpectum cupimus, & Hiſpano novum ac potentem hoſtem creari Reipublicæ intereſſe exiſtimamus. Quin ipſi, qui apud nos has nuptias conciliare ſtudent, affirmant, niſi cum Regina *Alenconius* matrimonium contrahat, futurum, ut Hiſpani filiam ducat uxorem: hoc facto, Gallicas vires [2] Hiſpanicis conjunctum iri, quibus Belgium peſſundari neceſſe ſit. Tum nos impares futuros colligunt, qui Gallicis, Hiſpanicis ac Belgicis armis reſiſtamus. Gnaviter igitur enitendum, ut nuptiis cum *Alenconio* initis, Belgio primum in libertatem aſſerendo, nobis deinde muniendis invigilemus: qualia (mi Bucha-

1 *Communem eſſe volueris*] Autogr. *voluiſſe*, Lond. *voluiſti*.

2 *Hiſpanicis conjunctum iri*] Ita omnino legendum, quamvis autogr. & Lond. *conjunctas* habent.

chanane) ego acuta potius eſſe exiſtimo, quam ſolida, aut rata futura. Non enim ſequitur, ſi Reginam *Alenconius* non obtineat, illum Hiſpanam ducturum. Nam, ut arctam inter hos affinitatem ſilentio tranſeam, quomodo hanc cum Hiſpano *Alenconius* neceſſitudinem contrahat, qui ſibi perſuaſum habeat, ſorori ab ipſo mortem fuiſſe acceleratam? Deinde, cum a partibus Ordinum ſuperiori anno contra *Joannem Auſtriacum* ſteterit, unde hæc benevolentia inter hos ſincere conflabitur? Poſtremo, ut hi duo arctiſſimis fœderibus inter ſe ad Belgium evertendum concurrant, exiguis ſubſidiis Hollandiam & Zelandiam munire poſſumus, quæ duæ provinciæ noſtris littoribus commodiſſime reſpondent, ac non tantum claves reliquarum Belgii provinciarum ſunt, ſed frena etiam; ut non neceſſe ſit everſionem regni noſtri horum fœdera (ſi coalcant) ſequi. Qui vero ex Belgio ad nos de præſenti Ordinum ſtatu perſcribunt, plane affirmant, in Belgium *Alenconium* cum milite feſtinare. Hoc etiam in cauſſa eſt, ut Cæſaris ac Imperii Legati, qui Coloniæ Agrippinæ ad pacem in Belgio ſtabiliendam convenerunt, majori quam ante ſtudio, de concordia ineunda tractent. Pacificationem Gandavenſem obtrudunt, ac inculcant: permiſſuri etiam, ut Hollandia & Zelandia ſolius reformatæ religionis uſum obtineant: Antverpiæ inſuper, Gandavo, Amſterodamo ac Ultrajecto liberam ejuſdem religionis profeſſionem concedunt. Principem vero *Auraſium*, ut Belgio excedat, obteſtantur, ſeque effecturos pollicentur, ut *Comes Buranus* ipſius filius, qui jam XI annos in Hiſpania fuit detentus, Hollandiæ præficiatur. Ego tamen de hujus conventus eventu valde ſum dubius. Cardinalem *Granvellanum* Rex in Hiſpaniam Roma evocavit, ut conſiliis præſit: quo conſultore, videbis rerum adminiſtrationem mutari, maximamque partem conſiliorum omnium Summa eſt hominis calliditas, rerum uſus incredibilis, dexteritas maxima. Creditur autem Hiſpanicus exercitus Venlonium Gelriæ oppidum ad Moſam fluvium ſitum obſeſſurus, quem locum Comes *Hollachius* immiſſo equitatu & peditatu muniiſſe dicitur: reliquas urbes Ordines præſidiario milite confirmarunt. Angli Liræ ac Villevordæ urbibus defendendis immiſſi ſunt. Scoti Bruxellas ac Brugas obtinent. Arteſiani & Hannonii reliquis Ordinibus infeſti ſunt: nunc etiam Machlinienſes horum partes ſequuntur. De Boſcumducenſibus idem metuitur. Hac civili diſſenſione impedimur, quo minus Ordinibus ſuccurramus: ſed metuo, ne & aliæ remoræ nobis objiciantur. Prorex enim Hiberniæ his diebus ad Reginam ſcripſit, *Jacobum Moriſiaden* perduellem cum 1000 Hiſpanis in occidentalem provinciæ oram (ubi *Deſmondius* Regulus late imperat) appuliſſe. Naves igitur Regiæ armantur, ut claſſem hoſtilem invadant, regnique ſecuritati proſpiciatur, cum incertum ſit, quo major illa Hiſpanorum claſſis, quæ ad portum Divæ Mariæ in anchoris ſtare ſcribitur, evaſura ſit. Ipſe Prorex, Dublino, hoc accepto nuncio, relicto, in ea loca ſingulari expeditione contendit, ubi hoſtis appulit, ut eum prima quaque occaſione, factionibus nondum initis aut confirmatis, bello adoriatur.

Digitized by Google

riatur. Brevi certiora hac de re audiemus. Cætera ex *Jacobo Moravio* facile intelliges: vereor enim ne hac ſcriptione moleſtior tibi ſim, qui ea perſcribo quæ plenius ex ipſo cognoſces. Quod ſupereſt, te valere ex animo cupio, ſanamque mentem in ſano corpore exopto, ut Reipublicæ, amicis, tuique ſtudioſis, quam diutiſſime ornamento ſis. Raptim Grenovico, ex Regia, Nonis Aug. 1579.

D. *Junium* Collegam tuum, de facie mihi ignotum, ut ſalutes meo nomine velim, cum enim a communibus amicis inſigniter commendetur ac ametur, æquum eſt (ſi amicorum omnia ſunt communia) ac me etiam diligatur.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

E P I S T O L A XXVI.

Clariſſimo viro, D. Georgio Buchanano Scoto, *viro incomparabili.*
Daniel Rogerſius Georgio Buchanano, *S. P. D.*

DIALOGUM tuum *De Jure Regni*, quem ad me per *Zolcherum*, *Joannis Sturmii* noſtri tabellarium, tranſmiſiſti, accepi; munus longe gratiſſimum futurum, ſi illo uti per importunas quorundam preces licuiſſet: quo momento enim mihi in manus fuit traditum, D. *Wilſonus* a me mutuo petiit: ille expetenti Cancellario conceſſit: ab hoc Theſaurarius legendum accepit, qui necdum eum reddidit: ita mei juris in hunc diem non fuit. Qui judicio & rerum uſu ſubactum habent ingenium, præſentiſque Reipublicæ faciem intuentur, opus commendant; qui vero per aſſentationes favorem ſibi Principum conciliare ſtudent, legumque habenas pro arbitrio ſuo laxari cupiunt, rejiciunt: ingenium fermé omnes admirantur tuum, qui in hac inclinante ætatis hieme Platonicum ſcribendi morem tam dextere imitari queas. Dedi autem in mandatis integerrimo viro *Vautrollerio*, harum literarum latori, ut exemplaria quædam mihi iſthic compararet, ut cum amicis communicem. *Sturmius* enim, *Metellus*, *Hottomannus*, *Douza*, aliique amici, eum Dialogum expetunt. Tuas vero literas unice deſidero: cum enim plures ad te perferendas dederim, nullas recepi. Quod ſi reſpondiſſes, quid de noſtra in Poëmatum tuorum editione ſententia (de qua ſuperioribus meis literis tecum egi) judicares, *Vautrollerius* quædam ex ipſis, ſi non omnia, typis mandaſſet: nunc intacta jacent, donec quid de ordine in iis imprimendis obſervando ſtatueris, perſpectum habeat: qua de re rectiſſime cum eo ipſo coram nunc egeris. Poteris etiam pluribus ad nos per eundem de omnibus rebus perſcribere. Statueram vero per ipſum de Reipublicæ noſtræ ſtatu certiorem te reddere, ſi opinione noſtra citius hinc non diſcederet. Nunc temporis anguſtia excludor, vixque hæc paucula exarare licet. Te autem ma-

Digitized by Google

majorem in modum obteſtor, ut de rerum tuarum conditione, atque adeo valetudine tua, prolixas ad nos literas des; crebriores etiam optarem, ſi per valetudinem ac negotia tua liceret. Certe hac ratione nos tui ſtudioſiſſimos beares, expetitaque voluptate perfunderes. Bene vale, clariſſime Buchanane, idemque merito tuo nobis cariſſime. Londino Trinobantum Auguſta, 7 Idus Nov. raptim, 1579.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

EPISTOLA XXVII.

Georgius Buchananus Danieli Rogerſio, *viro undiquaque doctiſſimo*, *S. P. D.*

QUANTUM prioribus literis animum ad deteriora credenda proclivem levaſti tantum peſſimarum ſuſpicione rerum poſterioribus oneraſti. Tantam rem tam negligenter agi? Credamne te credere hæc conſilia [1] ſanorum hominum eſſe? ac non parricidarum potius, qui & Reginam veſtram & regnum exſtingui volunt? Sed operæ pretium eſt audire eorum ineptias, ut interim leviſſimo nomine graviſſimum ſcelus appellem. Juvenis Regius, ætate vigens, animi confidens, & [2] fortunæ nondum fidem mutantis ſpe fretus, ambit nuptias Reginæ maximæ, ſed quæ nunquam, ne in adoleſcentia quidem, ſe illis cupiditatibus obnoxiam oſtenderit. nec illuc recta, ſed cum magna dote venturus, nempe Belgio intra menſem pacato. Sin hac conditione nihil confici poſſit, adjunget ſe inimicis; Hiſpani filiam [3] ducet in uxorem; maximas nationes, Hiſpanias, Gallias, Italiam, magnam Germaniæ partem uno fœdere conjunget, & peregrini militis multitudine hanc inſulam, a ſociis & amicis deſertam, obruet & proculcabit. His fortaſſe inter pocula natis ſermonibus graves auctores, &, ut ſibi videntur, civilium rerum intelligentes, non deerunt. Mihi vero diligentius cogitanti ſingula & dubia & ſuſpecta videntur: id enim quod primum eſt, quale tibi videtur? Sperat ejus nuptias, cujus fratres, partim regnantes, partim regno imminentes, illa rejecit, & ætate commodiore, & rebus per omnia vicina regna minus turbulentis. Sperat ſe Belgium uno menſe pacaturum. At cum ibi non ita pridem cum copiis fuiſſet, vix unum pagum invenit, qui ſe ei commit-

Optandum eſſet, ut hujus Epiſtolæ autographum exſtaret, ad quod multa quæ in apographo in Bibl. Jurid. & Edit. Lond. occurrunt terſiſſimo Buchanani ſtylo non uſquequaque digna examinarentur. Nos hac ope deſtituti ex utroque exemplari ea ſelegimus quæ nobis optima videbantur. *E. G.*

1 *Sanorum hominum*] MS. *ſantorum*.

2 *Fortunæ nondum fidem mutantis*] Lond. *animi confidens & fortunæ non fidem mutans.*

3 *Ducet in uxorem*] Ita & MS. & Lond. *Ducere uxorem* tritum eſt, *ducere in uxorem* forte caret exemplo, utpote quod cum ipſius phraſeos ratione plane pugnat, cui vox *domum* ſubintelligenda eſt.

Digitized by Google

mitteret. Certe unde nos aliquid de eo ſperemus, nullum ſpei pignus adhuc dedit; niſi forte credamus eum, qui expeditione priore majoribus copiis fretus, non potuit amicos ſtantes confirmare, nunc exiſtimemus eundem, minore conatu, minus valido exercitu, poſſe dejectos attollere, & prope exanimes ad vitam revocare, idque in tranſcurſu, & prope temporis momento. At brevi illac eſt venturus in Britanniam. Credam tibi, ſi vis, ſed quorſum eo? Ad nuptias ais, & id credo. Ad quas? cum Regina veſtra? Alii ut volunt accipiant, ego prorſus ejus conſilium eſſe reor, ut veſtram trucidet, noſtram ducat, forma, ætate, & amicorum opibus florentem, & expertæ jam fœcunditatis. Quid, noſtra, inquies, qua in re deficitur? Imo omnibus eis rebus erat non adeo pridem par, ac pene ſuperior. Sed ſi revoces in mentem, res, ſi non tuæ, certe meæ memoriæ æquales, regnum veſtrum multos jam annos non tam ſuis viribus, quam diſcordia Gallorum & Hiſpanorum ſtetit. Nunc, utriſque offenſis, quid reſtat, niſi ut mentem, animum, ſpemque ſalutis, *non in montes*, ut eſt in *Pſalmo* 121, *ſed ad Dominum cœli ſolique opificem* intendamus, illinc auxilium ſperemus, ab eo nimirum *qui non dormitabit, neque dormiet, cum cuſtodiet Iſraël?* Sed ut illuc redeam unde ſum digreſſus, quibus facultatibus hic adoleſcens, nullis rebus adhuc geſtis, nullum ſuæ prudentiæ experimentum hominibus impertitus, tantum facinus aggredietur? [1] Nam ne Gallicas copias ſecum ferat, id, opinor, a vobis curabitur. Non vehet fortaſſe, ſed in Flandria velut in ſpecula relinquet tranſituras, ubi ſignum rei gerendæ ſublatum ex Anglia viderint, aliquot etiam Hiſpanorum cohortes ſecum tracturus. Neque enim ſine exercitu in Flandriam veniet, neque cum parvo exercitu aut poterit, aut audebit, niſi Hiſpanis propitiis. Et iſtam ſimulationem Flandricæ expeditionis quis non videt eſſe confictam, ut ſine ſuſpicione hoſtilis animi exercitum ſcribere poſſit? Sed hic timor ſit vanus, ut illi non dubito affirmabunt, qui totius fabulæ ſunt architecti. Sed nec ego quanquam periculum, non tamen hinc ſummum metuo: non tam a vi externa, quam a domeſticis proditoribus nobis eſt timendum. Non tu ignoras unus, quod omnes vident, quanta ſit & opibus & numero Papanorum factio, quam late fuſa, quam animis adverſus veritatem obſtinatis. Hi velut ex inſidiis ad novum iſtud ſpectaculum erecti, ac (fortaſſe animis jam obtorpuimus) ſine tumultu, ſine ſuſpicione accurrent; ubi vires contemplati ſuum numerum inibunt, ſtatim ſe ſuccenturiabunt, & ad novum iſtum Ducem velut cœlitus oblatum ſe agglomerabunt. Accedent ad eos obærati, decoctores, ſcelerati, in bello ſeditioſi & rapaces, in pace ignavi, & deſidia marcidi, rei ſuæ negligentes, alienæ cupidi. Primum facient impetum in Reginas, quarum ſi aut alteram trucidabunt, aut alteram e cuſtodia eripient, vides, ut opinor, quid calamitatum ſequi ſit neceſſe: quas

1 *Nam ne Gallicas copias ſecum ferat*] Ita MS. at Lond. *Numne Gallicas copias ſecum feret?* Eligat Lector.

Digitized by Google

quas ego non exiſtimavi recenſendas tibi homini in Republica ab adoleſcentia uſque verſato, qui & civilibus bellis interfuiſti ipſe, & multa legeris, multa per univerſam Galliam ſparſa e propinquo videris. Ad hunc primum belli ſtrepitum ſtabunt velut in procinctu acies per totum littus Galliæ & Hiſpaniæ: ſed quorum hominum? Exterorum videl. qui tot annos, cædibus & rapinis, [1] in civium miſeriis ſaginati ſunt. Hi quem licentiæ facient modum, inter veteres inimicos, & nunquam certos amicos graſſantes; accedente etiam ad antiquum odium religionum diſſidio, nulla interim ſpe conciliandæ gratiæ relicta? Quid enim apud eos pacta, conventa, fœdera valeant, ſatis admoneri ſuperiorum annorum potuimus calamitatibus. Quid autem illa uxoris ambiendæ ratio? Non enim illa conſueta audiuntur,

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,

aut, *Canto quæ ſolitus*, aut, *Nec ſum adeo informis.* Quid ergo? Si tu recuſes, Hiſpani Regis filia volet. [2] Verum demus ut illa, & gentis & ſuo vitio ſuperba, facile patiatur conditionem ſibi offerri inferiorem, quam jam tot annis ulla Regia puella ex aula Hiſpana acceperit, ſed de majorum faſtu aliquid remittat, & parentis auctoritati, & generis propinquitati nonnihil concedat, & ille ab inceſto matrimonio nuper in Hiſpaniam recepto non abhorreat, & cereus adhuc in vitium flecti, [3] innuptis nuptiis ſororis filiam ducet: *Philippus* autem adhuc filii ſanguine ſordidus, tam indulgens erit in filiam, ut novum etiam non neceſſarium bellum ejus cauſſa ſuſcipiat? Et ſpectabit Gallus Hiſpanum, aut Hiſpanus Gallum, alter alterum de regno Angliæ contendentem? Aut alter alterius rebus tantam acceſſionem fieri æquo animo patietur? Aut ſi illi inter ſe conſentiant, quem alium ſibi habebunt finem propoſitum, niſi ſervitutem Britanniæ? Sed, crede mihi, non conſentient: neque enim tam ſanctum hoc affinitatis vinculum pacem ſæpius quam bellum inter affines contrahere ſolet. Inter pauperes ac civilis ſocietatis amantes hac ratione nonnihil proficitur: at inter potentiores, quam ut jura putent ſibi nata, aut legem imperio ſe coërceri patiantur, ſanguinis propinquitas, affinitas, conjugii fides, promiſſa, pacta, fœdera, non eam vim habent ut amicitiam concilient: ſed retia ſunt ad nimium credulos illaqueandos, aut ad mutuam captationem inſtructæ decipulæ; quas qui non vident, plane ſunt cæci, qui diſſimulant ſuæ ſalutis proditores, alienæ oppugnatores. Hæc ad [4] 6 Cal. Sept. cum ſcriberem, repente ad nos allatum eſt, Ducem *Alen-*

1 *In civium miſeriis*] Ita MS. & Lond. forte tamen legendum *& civium.*

2 *Verum demus ut illa*] Ita facili unius literæ mutatione emendavimus, cum in MS. & Lond. *domus* legeretur.

3 *Innuptis nuptiis*] i. e. nuptiis quæ jure ſunt nullæ, ſive contra jus factæ. Hoc mutuatus eſt Buch. e Poeta vetere apud Cicer. lib. 3. de Orat. ſub finem.

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis ſibi junxit nuptiis.

4 6. *Kal. Sept.*] Ita MS. editio, at Lond. *ad 6. vel 7. Cal. Sept.*

Alenconium in Britanniam appuliſſe: qui ſubitus rumor mihi ſcribendi conſilium plane excuſſit. Quid enim negarem, quòd tam certis auctoribus accepiſſem? Evocatum publice crederem? De cujus adventu magnæ & potentes factiones contendebant, qui male ſuſpicantur, in diem id malum dilatum putant; qui bene volunt, non video qui diem tam propinquum non exſpectatum excuſent. Sed hæc utcunque ſe habebunt, quid ad te? dicet aliquis. Nihil ſane, niſi quod

Tum mea res agitur, paries cum proximus ardet,

[1] & quod tot optimorum virorum, tot amicorum periculum complectitur, ſi qua inde oriatur calamitas, id a me non alienum exiſtimem. Sed quid hic noſtræ ſollicitudines proficient? præſertim ſi veri ſunt, qui ex aula Gallica rumores huc perferuntur, omnia jam confecta, acta, tranſacta eſſe. Hæc quidem ſi vera ſunt, video nos fruſtra laborare; nec tamen id cum videam, [2] *Securus dormire queo pendente ruina.* Hæc hactenus. Apud nos adhuc omnia tranquilla ſunt, verum neſcio quos ventos e Galliis orientes quidam vel proſpiciunt, vel proſpicere videri volunt. Hæ ſi quid minentur procellæ, ad te cum primum potero ſcribam. De Dialogo *de Regno* iſthic edendo tibi facile aſſentior, vel ob id maxime, quod quidam hic refutationem moliri dicantur. Si qui ſunt in eadem apud vos ſententia, ut eſſe non dubito, cuperem ut id me vivo facerent. In Pſalterio quædam correxi, plura atque etiam integros Pſalmos mutaturus, niſi ætas ingraveſcens jamdudum mihi extorſiſſet Poëmata. Quatuor Tragœdiæ meæ ſunt editæ, e quibus duæ ſunt e Græco tranſlatæ. Medeam non in hoc ſcripſeram, ut ederetur, ſed, cum Græcis literis abſque magiſtro darem operam, ut verba ſingula inter ſcribendum diligentius expenderem: amicis importune flagitantibus edidi, cum Latinas literas Burdegalæ docerem, ac fabulam ſingulis annis pueris agendam dare cogerer. In ea cum multa negligentius elapſa eſſent, poſt aliquot annos retractavi eam, & quædam in ea vulnera ita ſanavi, ut adhuc cicatrices alicubi appareant. Tres reliquas majore cum labore ibidem effudi. Franciſcanum in Scotia ſcribere aggreſſus eram, Jacobi quinti Scotorum Regis juſſu. Poſtea per otium reverſus domum, quæ deeſſe videbantur, explevi. Elegias, Silvas, ac pleraque Epigrammata amicis poſcentibus dedi, quorum nomina hic ſubjicere non eſt neceſſe. Hæc omnia ſi per amicos licuiſſet, ſempiternæ oblivioni conſecraſſem. Sed cum illi multis in locis, quædam veluti abortiva, nonnulla depravata, temere edidiſſent, non fuit mihi integrum [3] in eo conſilio perſtare. Itaque manum admovi, &

1 *Et quod tot optimorum virorum, &c.*] In MS. deeſt *complectitur*. Lond. *eam a me non alienam exiſtimem.* Nos ita locum reſtituimus, ut ſecum & cum prioribus cohæreat

2 *Securus dormire queo*] Lond *queam.*

3 *In eo conſilio*] MS. *in meo conſilio.*

& rem ſua natura confuſam in ordinem qualemcunque redegi; ut ſi non probari, ſaltem perferri poſſent, donec ſatietate legendi ſuo fato perfungerentur, & ut temere nata, clam evaneſcant. Itaque ἐφήμερος ipſe, cum ſciam hanc ἐφήμεραν fœturam non eſſe perennaturam, non habui neceſſe ea vel prooemio vel alio favoris genere in deducendo proſequi. Aſtronomica non tam abjeci, quam extorqueri invitus tuli; neque enim aut nunc libet nugari, aut ſi maxime vellem, per ætatem licet. Acceſſit eo hiſtoriæ ſcribendæ labor, in ætate integra permoleſtus, nunc vero in hac meditatione mortis, [1] inter mortalitatis metum, & deſinendi pudorem, non poteſt non lentus eſſe & ingratus, quando nec ceſſare licet, nec progredi lubet. De cæteris non ſum adeo ſollicitus, qui velut a parente expoſiti, non tam de cultu, quam de vita cogitant; quam non tam paterna indulgentia, quam aliena miſericordia, adhuc retinent. Ea opuſcula ſi tibi dicari velis, tu videris: nam ignota ad ignotum patronum mittere non decrevi. Vale. Edinburgi. 9 Nov. 1579.

Ex MS. & Edit. Lond.

1 *Inter mortalitatis metum*] i. e. ne mors eum prius occuparet quam Hiſtoriæ finem impoſuiſſet. Quintil. lib. 6. in Procem. *At me Fortuna id agentem diebus ac noctibus, feſtinantemque metu meæ mortalitatis, ita ſubito proſtravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret.*

* EPISTOLA XXVIII.

Buchananus *Regi.*

ETSI nemo ſit tui paullo ſtudioſior, Rex optime, qui ignoret quantum hæc matrona tulerit tua cauſſa damni, laboris & moleſtiarum: non tamen tam ob hæc meas pro ea preces interpono, quam quod verear ne tibi minus honeſtum ſit, quod in tali cauſa apud te non obtineat, quantum ab æquitate cauſſæ obtineri poteſt. Ædibus dirutis expulſa, in publicum omnium rerum inops ejecta, tuas tamen moleſtias priores habuit, quam ſuas: & [[1] *quamvis*] deeſſet hoſpitium, ubi ſua negotia ſeorſum a turba adminiſtraret, nunquam tamen vel domi vel foris deerat, ubi ipſa, liberi, amici, propinqui ad omnia momenta tuarum actionum ſuam operam accommodarent. Cum vero poſt longam vexationem totius familiæ, domunculam unius ex hoſtibus publicis, non pretium rerum per vim amiſſarum, ſed reliquiarum prioris fortunæ qualecunque receptaculum,

* *Cum extrema parte mutila ſit hæc Epiſtola, perquam difficile eſt accurate tempus definire quo ſcripta fuerit. Nos autem hic ei præcipue locum tribuimus, quod non ante exarata videatur, quam Rex, Mortonio exauctorato, jam ſui juris factus, rem Scoticam per ſe ipſe adminiſtrare cœpiſſet, 8 ſcil. Idus Martii anno* 1579, *quemadmodum ex Actis publicis liquet.*

1 *Et quamvis*] Hanc vocem [*quamvis*] ad ſenſum perficiendum prorſus neceſſariam ſupplevimus.

lum, accepiſſet, non ſperabat ſibi in manifeſto crimine deprehenſi bona fiſco donata rurſus litem motura. . . . . .

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

E P I S T O L A XXIX.

Georgio Buchanano Rodolphus Gualtherus, *S. P. D.*

MIRABAR equidem, vir præſtantiſſime, & Domine mihi plurimum obſervande, me de meis ad ſereniſſimum Regem & te toto triennio nullum reſponſum accipere. At nuper intellexi & tuarum literarum eandem ſortem fuiſſe: nam quas tu ad nonum Cal. Aug. anni proxime elapſi dediſti, ego ultimo Iduum Jan. accepi: quæ quo tardiores ad me venerunt, eo plus voluptatis attulere, quod & librum meum propenſiſſimo animo acceptum eſſe, & meum hoc officium tibi viro doctiſſimo, cujus judicium innumeris aliis præfero, probari nuntiarent. Doleo tamen me interea caruiſſe eo gaudio, quod ex primis tuis literis percipere potueram. Sed cum eas in hunc uſque diem non viderim, aut hominum malevolorum perfidia, aut alia aliqua cauſſa interciderint oportet. Sed ſufficit, ut dixi, me ſereniſſimo Regi & tibi rem non ingratam feciſſe. Quod ſi accedat Regiæ erga me voluntatis indicium ejus manu ſcriptum, quod tua humanitas pollicetur, tunc me hac parte beatum prædicabo. Literis tuis conjunctus erat libellus tuus *De Jure Regni apud Scotos*, quem non ipſe modo legi, ſed Symmyſtis & Collegis meis legendum & examinandum præbui: quorum omnium idem eſt de illo judicium quod meum; librum videl. eſſe non tam docte & graviter, quam pie ſcriptum. Et utinam quod in eo bene & pie dicis, omnibus Regibus perſuaderi poſſet: ita enim beatiores eſſent, qui illis ſubjecti ſunt populi, & ipſi non in terris modo beati regnarent, verum etiam cum Rege Regum & Domino Dominantium Jeſu Chriſto regni cœleſtis conſortio fruerentur. At quia pauci ita ſentiunt, plerique autem adulatorum ac perditiſſimorum lenociniis corrumpuntur; dum ſe Reges eſſe putant, turpiſſimorum affectuum & ſcelerum mancipia fiunt; & inſuper ſuæ fidei commiſſum populum, cujus ποιμένες eſſe debebant, deglubunt, & tandem una ſecum perdunt. Felicem ergo & beatum prædico ſereniſſimum Scotiæ veſtræ Regem, cui hoc tam corrupto ſeculo talis inſtitutor obtigit, qui animum juvenilem præceptis ſaluberrimis imbuere, & virtutum vere Regiarum ſemina in illo plantare poteſt. Et ſpero, Deum, qui hac gratia illum complexus eſt, daturum etiam, ut præceptis ſalutaribus obediat, & cum populo ſuo felix & beatus vivat & regnet, ad ſui nominis gloriam. Hæc ad literas tuas reſpondere libuit, ſimulque monere, ut ſi tibi nulla literas ad nos tranſmittendi via compendioſior offeratur, eas ad reverendiſſimum Eboracenſem Dominum *Edwinum Sandium* mittas, cum quo mihi ali-

Digitized by Google

quot annorum amicitia interceſſit, qui eas per Londinenſes ſuos ad nos perferri curabit. Vale, vir præſtantiſſime. Tiguri 8 Id. Martias, anno nati in carne æterni filii Dei 1580.

Ex Edit. Lond.

Tui amantiſſimus

RODOLPHUS GUALTHERUS.

EPISTOLA XXX.

A Monſieur,
Monſieur Buchanan, *Precepteur & Conſeiller du Roy d'* Ecoſſe.
A Edinbourg.

Monſieur,

AFFIN que ne trouviez eſtrange ce, que l'ay a vous eſcrire maintenant, & noſtre *Vautroiller*, & Monſieur de *Moncrif* vous pourront donner plus grande conoiſſance de moy. Pluſieurs gens de bien en noſtre France voyans de quelle rage les ennemis de Dieu ſont menez pour enſevelir la memoire de l' Euangile en la ruyne de ceux qui en font profeſſion, & ayans ſenti q'un des moyens dont principalement ils ſe ſont ſervis, & taſchent encores de fayre, eſt de nous attirer en leur filets par l'appaſt de leurs aliances. Pour ces raiſons ils eſtiment que l'une des fins ou principalement doivent tendre les gens de bien, eſt de conioindre par aliances eſtroictes les Princes qui font profeſſion de la pieté: entre leſquels eſtans a preſent le Roy voſtre Maiſtre, & le Roy de *Navarre*, en *France* pluſieurs deſirent grandement de les voir unis par le mariage de Madame ſa Sœur. Vous aurez entendu comment nagueres il s'en eſtoit mis en avant quelques propos pour Monſieur frere du Roy; mays il y a une Dame de marque, prudente, & craingnante Dieu, qui nous a eſcrit, & pryé bien inſtamment de vous advertir, que ſi pardela on y a quelque affection, maintenant la ſaiſon en eſt fort propre, & qu'on ſe peut aſſeurer d'y eſtre bien venu. Monſieur de *Chaſſincourt* eſt a *Paris* Ordinaire pour les affayres du Roy de *Navarre*, avec lequel on peut communiquer, & par ſon moyen plus avant. Voyla, Monſieur, ce dont j'avois a vous advertir, dequoy vous ferez voſtre profit ſelon voſtre prudence. Le Mareichal *Monmorency* a reprins les armes en *Languedoc*, & en Dauphinné tout eſt plein d'eſmeures du populaire contre la Nobleſſe. Monſieur de *Beze* releve d' une longue & perilleuſe maladye. Les *Rochelois* ont prins un vaiſſeau au Roy D' *Eſpagne*, que l'Ambaſſadeur faict monter a la valeur de 300000 Δ. Les *Rochelois* ne le priſent plus de 200000 livres. Quoy qu'il en ſoit, on me mande qu'il y a cinque Pippes de Reales de 20 S. piece. Or vous ayant ſalue de mes plus humbles recommendations, je

je prye Dieu, Monſieur, qu'il vous benie, & conſerve pour ſa gloire. A Londres, ce 14 Mars, 1580.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

Voſtre Serviteur a vous obeir,

R. LEMACON de la FONTEINE.

Quæ in hac & XXXII. Epiſtola Edit. Lond. *lacunæ* apparent, eas ex ipſis autographis, non ſine ſummo labore, ſupplevimus, atque ubique veterem ſcribendi morem retinuimus.

*EPISTOLA XXXI.

Theodorus Beza, *ornatiſſimo viro*, *Domino* Georgio Buchanano, *amico ſumme obſervando*, Edinburgi.

EN tibi, mi Buchanane, duplicis in uno facto inſaniæ luculentum ſpecimen, ut verum eſſe appareat Poëtas inſanire, ſi modo me in iſtius appellationis participationem admittas. Nugatus ſum aliquid in re ſeria, quod etiam Regi conſecrare ſum auſus. Hoc utrumque meum factum ſi tu pro tua humanitate & vetere noſtra amicitia excuſandum apud Regem ſuſceperis, quod quidem a te vehementer peto, bene rem ceſſuram confido: ſin minus, voto meo excidero. Quid autem hac mea qualicunque commentatiuncula captem, ex ipſa præfatione cognoſces, nempe ut quam de ſe exſpectationem in omnibus Eccleſiis concitarit, ubi Rex cognoverit, ſimul quod ſuum ſit munus, variis iſtis optimis exemplis delectatus, magis ac magis intelligat. Mitto autem ad te quoque iſtius libelli exemplar, id eſt, noctuas Athenas; quod meæ in te obſervantiæ pignus eſſe velim. Pſalterium a me nuper editum, ſi forte ad vos uſque pervenit, tui, ut ſpero, recudendi deſiderium in te, maximo Eccleſiæ bono, accenderit: quod opus ut acceleres, non tam ego, mihi crede, quam Eccleſia tota efflagitat. Bene vale, vir eximie. Dominus Jeſus canitei tuæ magis ac magis benedicat, teque nobis quam diutiſſime conſervet. Genevæ, 16 Martii, An. Domini 1580.

De

* *Quamvis Theodorus Beza ſuum huic Epiſtolæ nomen non ſubſcripſerit, eam tamen illius eſſe conſtat, non tam ex autographo, quod in Bibliotheca Juridica Edinburgenſi inter alia aſſervatur, cujus extimæ parti adſcripta eſt manu recentiori hic titulus,* Beza Buchanano, *quam ex ipſius Epiſtolæ argumento & verbis.* *Primo enim, ſcribit ſe* Regi librum conſecraſſe, varia & optima exempla, quibus delectari poſſit, complectentem; *deinde* Pſalterii *a ſe* nuper editi exemplar *ad G. Buchananum miſiſſe. Epiſtola denique ipſa data eſt* Genevæ 16 Martii 1580. *Quæ omnia nemini præterquam Theod. Bezæ Paſtori Genevenſi convenire poſſunt; qui hoc ipſo anno* Icones ſive Imagines virorum doctrina & pietate illuſtrium *edidit; quibus adjecta ſunt ipſius* Emblemata, *quæ utraque Jacobo VI. Scotorum Regi dicavit, Kal. Martii* 1580, *quo etiam anno Genevæ editum eſt ipſius Pſalmodium.*

Digitized by Google

De aureis vere opuſculis tuis duobus ad me miſſis, maximas tibi gratias ago.

Ex autogr. in Bibl. Jurid.

EPISTOLA XXXII.

A Monſieur,

Monſieur Buchanan, *Precepteur & Conſeiller du Roy*, *en la Cour* d'Eſcoſſe.

Monſieur,

IL y a quelque tems que je vous donnois avis, eſtant auſſi adverti par gens de bien & d'honneur, de nos Egliſes de *France*, que les affayres eſtoient maintenant tellement diſpoſées, que ſi ceux qui craingnent Dieu, & ont auctorité pardela, trouvoient l'aliance de voſtre Roy bonne & utile avec la Princeſſe de *Navarre*, il eſt impoſſible d'avoir meilleure opportunité, qu'elle [*qui*] ſe preſente maintenant. Depuis j'aye eſté fort preſſé de mander ſi j'aurois eu de vous quelque reſponce, qui eſt cauſe que je vous ſupplye, Monſieur, de m'en eſcrire quelque mot, affin que je ſache que je doy reſpondre; n'eſtimant point que par legereté, ou oultrecuidance, je me vueille ingerer es affayres des Princes de ſi grande importance; mays que je ſuis ſollicité a cela, par ceux qui deſirent, avec l'avancement de la gloire de Dieu, la proſperité de voſtre eſtate. Noſtre *Vautroillier*, je penſe, doit bien toſt icy retourner, & ſans cela ſes lettres, que m'envoyerez par l'addreſſe de Monſieur *Randolph*, me ſeront ſeurement rendues. Devant que j'aye de vous reſponce, j'eſpere que nous aurons icy un Gentilhomme reſident pres ſa Majeſté de la part du Roy de *Navarre*, avec lequel on pourra avoir communication plus ample, ſi on le trouve bon. La preſente n'eſtant qu'a cette fin, je prye Dieu, Monſieur, apres vous avoir ſalue de mes plus affectionnées recommendations, qu'il vous conſerve en toute proſperité pour ſervir a ſa gloire. A Londres, ce 7 May 1580.

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

Votre Serviteur & Amy a vous obeir.

R. LEMACON de la FONTEINE.

EPISTOLA XXXIII.

Viro tum doctrina tum pietate ornatiſſimo, *D.* Georgio Buchanano, *inſtituendo ſereniſſimo* Scotiæ *Regi præfecto*, Edinburgi, *S.*

STUDUI non ita pridem, mi Buchanane, miſſis ad te literis veterem noſtram amicitiam renovare. Nunc vide quam te mihi benevolum

ſum eſſe confidam, ut qui tibi audeam amicos etiam commendare. Hic adoleſcens, [1] qui tibi has literas reddidit, a vobis ſummo loco oriundus, natus autem apud nos optimo & εὐσεβεστάτῳ patre, quum ad Regem veſtrum eſſet mittendus, putavi mei eſſe officii efficere ut per me quoque tibi innoteſceret cujus & conſilio & auctoritate hac in ætate, & iſto in loco, ad tenendum quem inſtituit pietatis omniſque virtutis curſum, incitetur. Hoc te vero, bonorum omnium amantem, etſi ultro facturum non dubito, eo libentius tamen & prolixius id beneficii genus illi te præſtiturum mihi perſuaſi, ſi qua mea commendatione apud te uteretur, quæ ſpes ne me fallat etiam atque etiam rogo. De rebus noſtris, valeo ſicuti ſenes plerique ſolent, non tam laboribus, quos tamen multos ſuſtinui, quam perpetua quadam eaque juſtiſſima ægritudine fractus. Cuinam enim non poſſim dolori indulgere, Gallicis Eccleſiis tam dire vexatis, direptis, oppreſſis? Itaque iſti malo ea qua decuit fortaſſis patientia ferendo imparem eſſe me fateor: cui tamen Dominus finem, ut ſpero, brevi imponet, me videl. in meliorem quietem tranſlato. Precare igitur pro me, cariſſime frater, ut quod mihi ſpatii ſupereſt feliciter decurram, ſicut viciſſim eum precor, ut beatæ iſti tuæ ſenectuti cumulatiſſime magis ac magis benedicat. Bene vale, vir eximie, & nos, ut facis, ama. Genevæ, 20 Maji anno ultimi temporis 1580.

Ex autogr. in Bibl. Jurid.

Tuus BEZA.

1 *Qui has tibi reddidit*] Lond. *reddet*, & ita quidem in autographo primo ſcriptum, poſteaque in *reddidit*, non ſine arguta quadam ratione, mutatum; prius enim quam eas literas Buchananus legere poſſet, illas ei tradi erat neceſſe.

* EPISTOLA XXXIV.

G. Buchananus Jacobo *Sexto Regi* Scotorum, *S. P. D.*

CUM intellexi te hunc juvenem *Herculem Rollocum* inter minores Judices allegiſſe, ut patriæ ſuæ jus diceret, ſane pro eo ac debui ſum lætatus. Gaudebam enim & te juſtitiæ tuendæ (quod maxime & prope ſolum munus eſt Regium) ſtudere, & juvenem optimum & doctiſſimum in eo poſitum loco, ubi & ſuæ virtutis, & doctrinæ ſpecimen omnibus poſſit dare: & ſpem ad meritos honores perveniendi præbere omnibus, qui eundem vitæ curſum ſunt ingreſſi. Quamobrem, pro eo, in quo tu me

* *Deſcripta eſt hæc Epiſtola ex autographo in Bibliotheca Academiæ Edimburgenæ. De anno nihil aliud conjicere licuit, quam quod ſuperius de Epiſtola 28, eam ſcil. ſcriptam videri poſtquam Rex regni habenas per ſe ipſe moliri ac Judices conſtituere cœpiſſet. Datam eſſe pridie Calendas Auguſti ipſa indicat, an vero anno 1580, an uno, ſive ante, ſive poſt illum, anno, in ambiguo relinquentes, nos inter utrumque medium elegimus.*

Digitized by Google

me ac Tutores tui collocaſtis, loco, videor debere te hortari, ut in hoc pulcherrimo inſtituto de omnibus bene merendi conſtanter perſeveres; pergaſque in eis hominibus ornandis, quorum virtus & tibi honori, & civibus tuis emolumento eſſe poſſit. Vale. Edimburgi, pridie Cal. Auguſti.

Ex autograph. in Bibliotheca Academica Edinb.

EPISTOLA XXXV.

Clariſſimo doctiſſimoque viro D. Georgio Buchanano Scoto, *Gratia & Pax a Deo*, &c.

CUM ante decennium in Hibernia viverem, & Domino *Henrico Sydneo*, illius regni tunc Proregi, inſervirem, memini me ad te ſcripſiſſe, & a te (præſtantiſſime Buchanane) literas humanitatis pleniſſimas accepiſſe, quæ ut tunc mihi gratiſſimæ fuerunt, ita eas ſtudioſe apud me aſſervo, quarum lectione tui memoriam non ſine incredibili voluptate ſæpe recolo. Ab eo tempore ſtatim in patriam vocatus, Hiberniam (quæ jam inteſtinis bellis concutitur) reliqui. Neque ex eo unquam mihi, tanto locorum intervallo a te disjuncto, opportuna oblata eſt occaſio, ut ad te ſcriberem, tuiſque ſuaviſſimis literis reſponderem. Nunc vero cum hic Ceſtriæ cum optimo ſanctiſſimoque viro *Goodmano* verſarer, hujuſque pii ac prudentis viri D. *Larmori* conſuetudine fruerer, intelligeremque eum reditum in patriam adornare, mei officii eſſe exiſtimavi, paucas has lineas ad te, licet ſubito, ſcribere: cum ut meipſum apud te excuſarem, quod tuis literis non reſponderim, tum ut intelligeres te nunquam ex animo meo effluxiſſe; ſed tui nominis memoriam mihi longe jucundiſſimam ſemper fuiſſe. Sæpe ego de te, tuaque vita ac valetudine quæſivi, & intelligere deſideravi. Nuper vero quidam *Franciſcus Bromlejus* juvenis, ſummi hujus regni Cancellarii nepos, meuſque cognatus, qui Bervici inſerviebat, multa mihi de te retulit: ex quo intellexi te vivere quidem, ſed infirma valetudine frui, ac vix e lecto aut cubiculo tuo repere. Quæ quidem nova varie animum meum diſtrahebant. Quod enim viveres, mihi voluptatem; quod vero adverſa valetudine laborares, dolorem attulit. Quis enim eſt, qui vel primoribus labris humaniores Muſas deguſtavit, tuaque doctiſſima elegantiſſimaque ſcripta extremis digitis attigit, qui te diutiſſime vivere, vigere ac valere non optaret? Sed anguſtiæ temporis quibus coarctor non ſinunt me pluribus hæc perſequi. Ante biennium D. *Georgius Bromlejus*, illius *Franciſci*, cujus ſupra mentionem feci, pater, ac Domini Cancellarii frater natu major, Cambriæque ſupremus judex, vir non modo in jure noſtro, ſed etiam in illis humanioribus literis eruditiſſimus, quique mihi indicabat, ſe tecum in ædibus beatæ memoriæ viri, D. *Rogeri Aſchami* ſemel prandiſſe, oſtendit mihi librum

queu-

Digitized by Google

quendam tuum manuſcriptum, de ſtatu regni Scotiæ; & quamvis non minorem illius quam pretioſiſſimæ gemmæ maximique theſauri rationem haberet, mutuo dedit. Illum ego non modo avidiſſime legi, verum etiam totum mea manu exſcripſi. Nunc autem intelligo te eum edidiſſe, ac illuſtriſſimo veſtro Regi dedicaſſe. Cujus exemplar unum apud D. *Goodmanum* e Scotia miſſum hic vidi. Bene ſe habet (mi Buchanane) quod ipſe vivus, illum doctum, diſertum, ac Reipublicæ perutilem librum prelo commiſeris. Sane ſi tu naturæ conceſſiſſes, ille tuus fœtus, tanto parente digniſſimus, in tenebris diu non delituiſſet. Ipſe tantum theſaurum Reipublicæ literariæ non invidiſſem. Sed bene eſt quod tu ipſe tua recognoveris, & plenius ac perfectius quam quiſquam alius evulgaveris. Te etiam atque etiam rogo (optime Buchanane) ut tuas ſchedas excutias, & quæcunque alia ſcripta habes, diutius non ſupprimas. Audio te in Hiſtoria conſcribenda diu deſudaſſe, quam omnes pii & docti avidiſſime exſpectant. Ego vero Deum ex animo precor, ut & tibi vitam proroget, proſperamque valetudinem concedat, quo illam Hiſtoriam aliaque omnia plene perficias; & mihi, ut illam tandem aliquando videam, pro infinita ſua bonitate largiatur. Si de me intelligere velis, ego jam in natali ſolo Salopia, celebri oppido, vitam dego, ac Eccleſiæ in Evangelio annuntiando inſervio: quod ut aliquo cum fructu fiat Deum Opt. Max. oro. Tibi, præſtantiſſime vir, pluribus non ero moleſtus, teque vehementer obſecro, ut hæc, quæ ſingularis benevolentia expreſſit, pro tuo candore in optimam partem accipias. Deum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti precor, ut & Regi veſtro ſummæ ſpei & exſpectationis Principi, tibique de re literaria optime merito, Eccleſiæ ac regno veſtro, cumulatiſſime benedicere, ac diutiſſime conſervare dignetur. Amen. Ceſtriæ, 28 Nov. An. 1580.

Qui te unice diligit,

EDWARDUS BULKELEY.

[1] Legi *Smythonii* librum adverſus *Hamiltonum* Apoſtatam. Veſtræ Scotiæ, nunc vera Chriſti cognitione ac literis illuſtratæ, gratulor, quod tales ac tam præſtantes pietatis aſſertores habeat, *&c.*

D. *Goodmanus* me rogavit, ut ſuo nomine te ſalutarem, qui tibi omnia fauſta ac felicia precatur.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

1 *Legi Smythonii librum*] Ita autograph. & Lond. at ſe auctor ipſe *Thomam Smetonium* appellat.

EPISTOLA XXXVI.

Clariſſimo ac præſtantiſſimo viro, Domino Georgio Buchanano, *Domino ſuo & amico obſervando*, Edinburgi, *S. P. D.*

TU, tua virtute, & tot præclaris ingenii tui monumentis, ita innotuiſti orbi Chriſtiano, ut vix quiſquam reperiatur bonarum artium & diſciplinarum amans, qui te non ſummopere colat & admiretur. Hoc ego magnæ felicitati aſcribo, quod Lutetiæ, ante viginti annos, contigerit mihi non ſolum videre te, & ſuaviſſimis & doctiſſimis tuis colloquiis frui, ſed etiam te convivam habere, una cum clariſſimis viris, *Turnebo*, *Aurato*, *Balduino* Juriſconſulto, *Sambuco* Pannonio, *Carolo Cluſio*, & aliis quibuſdam. Varia tunc ex te audivimus, quæ nos erudierunt & delectarunt plurimum: quæ ideo ſcribo, ut videam an poſſim tibi in memoriam revocare, quiſnam ego ſim: quicunque autem ſum, ſcito me eſſe ſummum tuæ virtutis admiratorem. Vixi per plures annos cum *Philippo Melancthone*, viſuſque ſum mihi tunc beate vivere. Eo ſublato, variis caſibus agitatus, tandem recepi me in has regiones, tanquam in portum, quo tutiorem nuſquam reperiebam, etiamſi bellorum civilium procellis jam ab annis plurimis agitentur. Nihilominus inter hos belli tumultus fulget lux Evangelii, & nobis annuntiatur doctrina quæ veram viam ſalutis oſtendit, & frementibus Hiſpanis pellitur ex Eccleſiis ſuperſtitio, qua ipſorum animi ſunt infecti. Juſſit me ſecum huc venire *Arauſinus* Princeps, magnum noſtri ſeculi ornamentum. Is robore animi, ac ingenii acumine, ita hactenus certavit cum ingentibus illis Hiſpanorum opibus, ut immortalem gloriam ſibi comparaverit. Eo enim duce [1] uſi hæ provinciæ, exſciſſo in partes tyrannico Hiſpanorum imperio, plures Reſpublicas & Eccleſias pulchre conſtituerunt, quæ fœdere inter ſe conjunctæ hactenus hoſtium vim & arma ſuſtinuerunt. Rex Hiſpaniæ per plures annos fruſtra conatus eum vi opprimere, tandem confugit ad arma, quæ tantum Regem parum decere videntur: edidit enim ſcriptum quo eum proſcribit, & ſicarios ad eum interficiendum, præmiis propoſitis, impellere conatur. Quoniam in illo ſcripto multa ei objicit quæ non ſunt vera, fuerunt ei auctores amici, ut contrario ſcripto ſuam innocentiam adverſus Hiſpanorum calumnias tueretur, quod ſcriptum ad te mitto. Per hiemem viximus in his Batavorum lacunis, quæ a natura factæ videntur ut eas ranæ & anguillæ potius quam homines incolant. Hoc tamen oppidum eſt cultiſſimum, & hinc abeſt trium horarum itinere Leida, ſeu Lugdunum Batavorum, ut iſti jam loquuntur, ubi vivunt *Juſtus Lipſius*, *Janus Douza* Poëta, & *Donellus* Juriſconſultus Gallus, viri docti & clari. Roterodamum habemus in conſpectu, quandocunque prodimus ex hoc oppi-

[1] *Uſi hæ Provinciæ*] Ita autograph. nec deſunt apud probatos auctores exempla.

oppido, cujus conſpectus non ſolum mihi reducit in memoriam magnum illum *Eraſmum*, quo cive gloriatur, ſed etiam te: non enim ſatis mirari poſſum, in locis tam horridis naſci potuiſſe viros, quibus ingenio pares nec noſtra nec patrum aut avorum noſtrorum ætas vidit. Invitatus fuit *Eraſmus* ad informandum adoleſcentiam Ferdinandi fratris Caroli Imperatoris, ſed laborem illum a ſe rejecit. Ego te & feliciorem & meliorem judico, qui non denegaveris tuam operam patriæ petenti ut tenerum animum Regis imbueres præceptis, quæ ſi adultior factus ſequutus fuerit, & ipſe, & omnes in quos habet imperium, vitam beatam & felicem ducent. *Daniel Rogerſius*, communis noſter amicus, qui te unice colit, ante quatuor menſes captus eſt a Germanis qui Regi Hiſpaniæ militant; a quibus ut dimitteretur non potuit hactenus impetrare Regina Angliæ, a qua mittebatur Orator ad Imperatorem, & quoſdam alios Germanos Principes. Nuper opera cujuſdam mulierculæ evaſiſſe dicebatur, ſed ex fuga retractum audimus, & duriore cuſtodia jam premi. Ego ſane boni viri, cum quo arcta mihi a pluribus annis amicitia interceſſit, vicem ex animo doleo. Valde cuperem ſcire, modo id tibi non eſſet ingratum, quando tuam Hiſtoriam Scoticanam ſis editurus. Scies ex *Melvilio* viro optimo, quo loco ſint res noſtræ. Bene vale. Delfis Batavorum, 20 die Feb. 1581.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

Tui obſervantiſſimus,

HUBERTUS LANGUETUS.

*EPISTOLA XXXVII.

Georgius Buchananus Eliæ Vineto *ſuo*, *S. P. D.*

CUM ex mercatoribus noſtris, qui iſthinc veniunt, de ſtatu rerum tuarum audio, gaudeo mehercule, ac rejuveneſcere quodammodo mihi

* *Meminit hujus Epiſtolæ, eamque luculento admodum elogio ornat nobiliſſimus Hiſtoriarum conditor Jacobus Auguſtus Thuanus*, Commentar. de Vita ſua lib. 2 *cujus verba (Lectori, quod ſpondeo, haud ingrata futura) hic apponam.* „ Nec injucunda fuit illi [*ipſi ſcil. Thuano, cum Burdegalæ eſſet*] atque etiam Pithœo Eliæ Vineti Barbeſienſis „ comitas. Is ludum Aquitanicum retro temporibus adeo famoſum ſtrenue mo„ derabatur, & Auſonio ſuo recenſendo incumbebat, olim Turnebi, Mureti, „ Gruchii, Guerentæi ſocius, atque adeo GEORGII BUCHANANI, a quo „ literas quotannis accipiebat, cum Scoti mercatores ad Vaſconicum vinum „ comparandum ad urbem venirent, in iiſque ultimas vidit Thuanus manu tre„ mula ſed ſtylo generoſo ſcriptas, in quibus de ſenectutis incommodis non tam „ querebatur, quam de vitæ longioris tædio, & ſe Sterlinum ab Aula conceſſiſſe „ ajebat: poſtremoque hæc verba, quæ ille memoriæ infixerat, addebat; IN„ TEREA HOC UNUM SATAGO, UT QUAM MINIMO CUM „ STREPITU EX INÆQUALIUM MEORUM, HOC EST, MOR„ TUUS E VIVORUM CONTUBERNIO DEMIGREM. „ *Ex hiſce ma-*

gna

mihi videor, quod ex illa peregrinatione Luſitanica reliquias adhuc ſupereſſe quaſdam intelligam. Nam cum ſeptuageſimum quintum ætatis annum agam, interdum mecum recolo, per quos labores & moleſtias, omnia quæ hominibus jucunda ſolent videri prænavigando, in eum ſcopulum tandem impegi, ultra quem (ut veriſſime inquit Pſalmus 90) *niſi labor & dolor nil ſupereſt*. Una enim illa conſolatio reſtat, cum in æqualium meorum recordatione acquieſco, quorum tu prope ſolus es ſuperſtes. Verum, cum tu nihil (ut opinor) ætate me ſis inferior, cives tuos adhuc opera & conſilio juvare potes, & commentationibus tuis doctiſſimis etiam alteri ſeculo prodes. Ego vero literis jamdudum valedixi. Nunc id unum ſatago, ut minimo cum ſtrepitu, ex inæqualium meorum, hoc eſt, mortuus e vivorum contubernio demigrem. Interea minimum natu libellorum meorum ad te mitto, ut cum hunc ſenio delirantem videas, minore fratrum ejus deſiderio tenearis. Audio adoleſcentem noſtratem, honeſto loco natum, *Henricum Wardlaum*, ſive Νομοφύλακα, apud vos non ignavam operam literis dare. Etſi tuam erga omnes humanitatem novi, nec ignores peregrinos tibi adeo eſſe peculiariter commendatos, tamen & iſte cupio ut intelligat vetuſtam noſtram conſuetudinem apud te ſibi prodeſſe. Vale. Edimburgo, 17 Cal. April. anno 1581.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

1 *Eliæ Vineto*] Ita omnino legendum, prout in autogr. ſuiſque operibus ſe nominat; non *Venetus*, ut in Edit. Lond. appellatur. Scevola Samarthanus eum oriundum dicit e *Vinetorum pago apud Santtones in agro Barlazenſi*, unde & *Vineti* nomen eum traxiſſe exiſtimat Menagius, *Anti Baillet*, tom. I. p 258.

EPISTOLA XXXVIII.

Georgio Buchanano *viro undecunque doctiſſimo*, Edinburgi, *in* Scotia, Elias Vinetus, *S*.

LITERÆ tuæ ad 17 Cal. Aprilis datæ, tertio Non. Jun. mihi redditæ fuerunt: quibus, iſta ætate, tantoque locorum ac temporum intervallo ſcriptis, & illa Luſitanicæ peregrinationis, feliciorumque longe temporum, quam hæc ſint, mentione, jucundius mihi nihil eſſe potuit. Eas legi, & relegi ſæpius, & relego; atque librum quem miſiſti co-

gni Thuani verbis (ut id quoque obiter moneam) palam eſt Epiſtolam illam, quam ille viderat, nonnihil ab eo, quo nos uſi ſumus, exemplari diſcrepaſſe. De Buchanani enim ab Aula diſceſſu nihil in noſtro occurrit. Neque tamen hoc mirum cuiquam videri debet, qui animadverterit ſæpius uſu venire viris doctis, qui literarum ſuarum prima exemplaria apud ſe retinere ſunt ſoliti, ut in ſecundo exaratis aliqua ad libitum addant vel mutent: quod & hiſce accidiſſe haud injuria licet exiſtimare. Quod vero Thuanus Buchananum Sterlinum conceſſiſſe refert, id cum noſtro exemplari adverſa fronte pugnat, in quo literæ illæ diſertis verbis Edinburgi datæ dicuntur: aut ergo apud Thuanum pro [Sterlinum] [Sterlino] *legendum, aut error noſtro exemplari ſubrepſit, quod, ſi primigenium eſt, & a Buchanani ipſius ore exceptum, vix adduci poſſum ut credam.*

Digitized by Google

comitem: qui, ſi quid judico, & multi ex amicis, diſcipulis quondam tuis, quibus legendum dedi, a delirante nullo modo ſcriptus fuit. [1] Quidam tamen veſtras, Pictavienſis Conſiliarius, contra ſentit, ut audio: librumque ſcripſit, quem mittam, quum primum editus Pictavis fuerit. Quos vero libri tui fratres dicis, neſcio, quorum deſiderio teneri poſſim: ſed Tragœdiæ, Pſalmi, Elegiæ, Epigrammata Georgii Buchanani, hic proſtant. Sphæram tuam deſiderant ſolam multi, ego in primis, quam jampridem ſcripſiſſe te audimus: ſed huic fortaſſe nondum extrema manus acceſſit, ut edatur. Commentationes, quas dicis, meæ, pueriles ſunt, & in puerorum gratiam, quos in hoc ludo inſtituo, ſcriptæ. Quod verum eſſe, ſi dubites, id probabit Somnii Scipioniani conjectio, quam tibi mitto, cum Gelidæ Epiſtolis. Quod vero *Henricum Wardlaum* tam diligenter mihi commendas, ego cives tuos omnes, ex quo te hic primum cognovi, mores eruditionemque tuam, diligo tua cauſſa, colo, ac proſum pro viribus: quæ ſane exiguæ ſunt. Raro ſine Scoto eſt ſchola hæc: duo hoc tempore habet, unum hunc Philoſophiæ, alterum Græcæ linguæ & Mathematum Profeſſorem, utrumque bonum, honeſtum & doctum, ſuiſque auditoribus placentem. Vale: & crebras a me poſthac literas exſpectato, ſi quis erit, qui perferat. Burdegalæ, quinto Id. Jun. an. 1581.

Ex autographo in Bibl. Jurid.

1 *Quidam tamen veſtras*] Adamum Blacwodæum intelligit, qui librum Pictavis hoc anno 1581. edidit hoc titulo, *Apologia pro Regibus adverſus Geo. Buchanani de Jure Regni apud Scotos Dialogum.* Quamvis autem id verum ſit, non tamen debuit Editor Londinenſis has voces *Adamus Blackwodæus*, quæ in autographo non exſtant, de ſuo inſerſiſſe.

E P I S T O L A XXXIX.

G. Buchananus Theodoro Bezæ, *S. P. D.*

ETSI variis occupationibus diſtineor, & valetudine ita ſum afflicta, ut nullum mihi otium ſuperſit ad communia vitæ officia, tamen omnes excuſationes *Hieronymi Grollotii* [*ad ſuos*] diſceſſus mihi diſcuſſit. Nam cum pater vir clariſſimus, cum in Gallia eſſem, omni officiorum genere fuiſſet complexus, & filius me hic tanquam alterum parentem coluiſſet, non dubitabam me apud vos non poſſe culpam ingratitudinis graviſſimam effugere, ſi illorum alterius erga me officia, alterius jucundiſſimam conſuetudinem, & tuam perpetuam erga me humanitatem ſilentio tranſmitterem. Nec tamen ſi id commiſiſſem, apud homines rerum mearum non ignaros juſtæ excuſationes mihi defuturæ erant. Illa autem longe juſtiſſima, quod omnibus ſenſibus præmorientibus ex imagine ſuperioris hominis, hoc, quod mihi ſupereſt, non me vivere, ſed vixiſſe teſtari poſſit: præſertim cum in poſterum ſpes nulla ſuperſit vel novæ conſuetudinis

Digitized by Google

tudinis inſtituendæ, vel veteris retinendæ. Hæc ego eo confidentius nunc loquor, quod præſens tempus hanc vobis ſuppeditat facultatem, ut mearum rerum ſtatum intelligatis ex Grollotio: quem ut vobis commendem nihil opus eſſe arbitror. Studia autem adoleſcentiæ ſine noſtra commendatione ſeſe prodent. Et tamen commendo, magis quia ſoleat fieri, quam quia neceſſe ſit. Quod ad me attinet, quando tueri ſuperioris vitæ rationem non poſſum officiorum viciſſitudine, omiſſis laboribus, quibus jamdudum non ſufficio, ſilentio indulgebo. Vale, Edimburgo, ad Idus Julii, 1581.

[1] HIERONYMUS *Grollotius* adoleſcens Aurelianenſis, qui has fert, etſi ſit in urbe illuſtri parentibus illuſtriſſimis natus, nulla re tamen notior eſt quam ſuis calamitatibus. In illa enim omnium rerum perturbatione, & velut univerſali, quæ in Gallia fuit, inſania, patrem & patrimonium amiſit, ipſe periculum adiit. Et cum domi tuto eſſe non poſſet, in Scotia, dum tempeſtatis illius violentia paullum ſedaretur, domicilio locum elegit. Nunc rebus paullo tranquillioribus cum rerum domeſticarum ratio eum reduceret, exſtimavit per Angliam iter ſibi faciundum, ut Ulyſſis more multorum mores & urbes cognoſceret, & hanc, quæ non eſt poſtrema civilis ſapientiæ pars, obitèr quoad poſſet amplecteretur. Quod, ut ſpero, (quemadmodum nuper in ſuperiore peregrinatione fecit) non ſine emolumento faciet. Nam, dum in Scotia fuit, ita vixit, ut non in aliena regione hoſpes, ſed velut civis inter ſuos ageret. Ita vero literis operam dedit, ut non modo ſuæ calamitatis moleſtias earum ſuavitate leniret, ſed præſidium in omnem vitæ partem ſibi ſuiſque inde ſperare queat. Hic mihi non perſuadendus es, imo ne hortandus, ut adoleſcentem optimum humanitatis officiis proſequaris. Id enim expoſcit a te totius vitæ tuæ ratio, & communium ſacrorum ſocietas: cogetque etiam, ut dignum te oſtendas. Vale, Edimburgi,

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

Tui obſervantiſſimus, atque unice amicus,

G. BUCHANANUS.

1 [Vide de hoc *Groſlotio*, ut aliis dicitur, quæ notavimus ad Lipſii Epiſt. CCCXL.]

EPISTOLA LX.

Georgio Buchanano *viro undecunque doctiſſimo*, Edimburgi *in* Scotia, Elias Vinetus *S. P. D.*

AD epiſtolam tuam ſuperiore Martio datam, ad Idus Junii reſcripſi: in eodemque faſciculo Gelidæ Epiſtolas, & noſtra in Somnium Scipionis commentaria incluſi. Qui an tibi redditus ſit necne, ſcire aveo.

Digitized by Google

aveo. In rebus autem noſtris nihil eſt plane novi quod ſcribam: ſed ſuperioribus meis literis quod ſum pollicitus id pulchre memini. De libro, quem Pictavis excudi ſcripſeram, nihil ex eo audivi. Sphæra vero tua hic avidiſſime exſpectatur, quicquid de ea ſtatueris. Valetudinem tuam cura diligentiſſime. Vale 13 Cal. Sept. 1581.

Ex autograph. in Bibl. Jurid.

EPISTOLA XLI.

Domino Buchanano *Poëtarum Latinorum Principi* Nicolaus Nancelius. *S.*

MITTO tibi nova carmina, vel potius priſca illa quidem apud Hebræos, ſed recenti interpolatione interpretationeque renovata: quæ ut obiter perlegere, ſed non obiter expendere digneris, obnixe rogo. Etſi enim tuus olim apud Lutetiam ſtudiorum ſocius & laborum conſors: at nunc conditione ſortis, felicitate ingenii, & Poëtico lepore longe inferior, mea ſcripta tuæ cenſuræ ſubmittere non erubeſco; quem nullis ego Ariſtarchis, nullis Criticis inferiorem duco, & cui quæ probata ſint, nulli non poſſint aut debeant comprobari. Tantum enim fama tui nominis apud me valet, nulli ut majorum Poëtarum eximiorum conferre non audeam; ſi ſcribendi ſtylo quibuſdam ſummis ac primariis priſcis illis (licet admodum paucis) ſupparem, at ipſo argumento, & materiæ dignitate (de Pſalmis Davidicis intelligo, paraphraſi Poëtica abs te decantatis) longe omnibus illis ſuperiorem ac præſtantiorem: ut mihi quidem Spiritus Sanctus (abſit dicto invidia) dum Davidis Pſalmos vario metro, eoque elegantiſſimo, & concinnitudine aptiſſimo, Latine exprimis & efferſ, tuum genium animare, tuum pollicem impellere, tuam argutam chelyn pulſare videatur. Mitto prætterea plane diverſum aliud ſcriptionis genus, Oratorium, ſeu declamatorium: ac meo quidem periculo experiri volui, an ſimul idem & Poëta & Orator eſſe poſſit. Quod tam rarum reddidit antiquitas, ut aliquot ſeculis vix aliquot paria contigerint: quia, ut Flaccus ait,

——mediocribus eſſe poëtis,
Non dii, non homines, non conceſſere columnæ:

bonum autem Oratorem vix ſingula tulerunt ſecula, ut Brutus Ciceronis perſuadere nititur. Quod tamen fieri poſſe haud diffido, haud diffiteor: ſiquidem ego in utroque genere aliquid promovi, licet minime aſſecutus quod optabam; tamen exiſtere poſſe aliquem mihi ſit veriſimile, qui feliciori natus ingenio, (Poëtæ enim naſcuntur, ut ajunt,) qui dicendi arte majore & perfectiore inſtructus, (Oratores enim fieri dicuntur,) & bonum ſeſe Poëtam, & bonum præſtet Oratorem: quem & qualem te eſſe facile mihi perſuadeo, totius noſtri ſeculi Poëtarum longe omnium

clariſſimum, (& hanc partem jam tibi tuo jure partam habes,) nec dicendi facundia, ut equidem credo, minus inſtructum. Cujus ſpecimen frequens & nobile jam tum edidiſti, cum inde ab annis circiter triginta, tu Lutetiæ in Becodiano profitereris, ego eodem tempore in prælio (ubi Regii tum juvenes Stuarti veſtrates diſcebant) ſub Ramo anteſignano, longe ea ætate eloquentiſſimo & diſertiſſimo Romuli nepotum, militarem doceremque: qui ex arena Olympionices egreſſus, ad ſummum honoris culmen tuo merito diceris evectus, Regibus Scotis tuis gentilibus longe cariſſimus. Et quis eo uſque Muſas Latinas unquam perventuras putaſſet, in regionem gelu & frigore horridam, ubi, ut Claudianus cecinit,

Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne?

in regionem feris immanibus trucem ac terribilem? de qua Martialis ſpeciali exemplo lib. 1.

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo, &c.

At tu contra quaſi de gente moribus exculta profiteri audes;

Nympha, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ
Miſſa per innumeros ſceptra tueris avos.

Sed de his hactenus. Deus tibi iſtos tuos honores ſecundet ac proſperet. Vale, vir præſtantiſſime, & Nancelium recognoſcere incipe, & recognitum amare perge: ego te viciſſim colam. Turone, Idibus Martiis, 1583.

* Hæc XXXI. eſt tom. I. Epiſtolarum Nicolai Nancelii Trachyeni Noviodunenſis, M. D. Pariſ. apud Claudium Morellum 1603.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

I N D E X.

A.

Adamas *annulo inſertus ad Eliſabetham Angliæ Reginam a Maria Scotorum regina mittitur.* 348. 375
Agnes *Cæcilii filia.* 398
Aliſa *e morbo pallida & macilenta.* 318
Amicus *difficilis.* 360
Areskinus (*Joannes*) *Comes Marriæ, Scotorum Prorex.* 424
Aſchamus (*Rogerus*) *Anglus, librum, in quo amorem ſuum ſignificas, ad Buchananum mittit.* 369 384
Avarus *dives.* 375
Aulus *Cauſſidicus.* 359
Auratus *regis poëtæ titulo donatus.* 726

B.

Baco (*Nicolaus*) *Procancellarius Angliæ.* 417
— — *ejus Epitaphium.* 417
Beleago, *Judæus.* 347. 353. 354. 363
Belcierius (*Franciſcus*) *in ſenatu ſupremo Burdegalenſi Præſes.* 381
Bellajus (*Joannes*), *Cardinalis.* 359
Beza (*Theodorus*) *ejus ad Buchananum epiſtola.* 732 759, 760
—— *ad eum Buchanani epiſtola.* 767
Blacwodæus (*Adamus*) *edidit apologiam pro Regibus adverſus Buchanani de Jur. Regni Dialog.* 767
Brahe (*Tycho*), *ad eum* Buchanani *epiſtola.* 738
Bromlejus (*Franciſcus*) *Georgii, Cambriæ Judicis ſupremi, filius.* 762
Bromlejus (*Georgius*) *Cambriæ ſupremus judex.* 762
Buchananus (*Georgius*), *ejus hymnus matutinus ad Chriſtum.* 167
— — *ejus Carmen ad Joannem III. Luſitaniæ & Algarbiæ Regem.* 168
—— *ejus Epiſtolæ ad varios viros doctos.* vide *Epiſtola.*
Buchananus (*Patricius*) *auctoris frater.* 383
Bulkeley (*Edwardus*) *ejus ad Buchananum epiſtola* 762
Budeus (*Gulielmus*) 378

C.

Cæſar (*Caj. Jul.*) 360
Calvini (*Joannis*) *Epicedium.* 422
Canterus *Lycophronem in lucem edidit.* 726
Carnicrucius (*Robertus*) *Sanctæ Crucis Abbas.* 379
Carolus *Lotharingus, Cardinalis.* 602
—— *in eum Satyra Buchanani.* ibid.
Carolus V. *Imperator Burdegalæ hoſpitio publico ſuſceptus.* 324
Catharina *Angliæ Regina, Mariæ mater, de filia inſtituenda ſolicita.* 699
Clemens *Alexandrinus.* 427
Codrus *Athenienſium rex.* 360. 361
Cocburnus (*Alexander*) 384. 415
Coccius (*Antonius*) *habuit filiam egregie doctam.* 373
—— *quæ nupſit Kilgræo.* ibid.
Coſſæus (*Carolus*) *Franciæ Mareſcallus, ac apud Taurinos Regis Franc. Præfectus.* 175
—— *Buchanani ad eum præfatio.* ibid.
—— *Brixiaci Comes.* 383
—— *Brixiaci Dynaſta.* 421
Critto. 378
Cromelius (*Thomas*) *Anglus.* 416
Cucus (*Antonius*) *Eques Anglus.* 398
Cunyngamus *adoleſcens Buchanano cariſſimus.* 725

D.

Daniel (*Petrus*) *ſcripſit notas in Comœdiam Plauti, cui titulus Querolus ſive Aulularia.* 169
—— *ad eum Buchanani carmen.* ibid.
— — *Buchanani amicus.* 724
— — *ejus ad Buchananum epiſtola.* 733
Deploratio *ſtatus rei Gallicæ.* 339
Deſiderium *Taſtæi.* 326
— — *Lutetiæ.* 329
Diguallus (*Joannes*) 380
Dionyſius *al.* Lambinus, *ejus expoſtulationes cum Buchanano.* 725
Dives *avarus.* 375
Docentium *literas humaniores Lutetiæ miſera conditio.* 301
nellus, *Juriſconſultus Gallus.* 764

Douza (*Janus*) *Buchanani nominis ſtudioſiſſimus* 737
—— *poëta.* 764

E.

Elizabetha *Angliæ Regina.* 390
—— *ad eam Utenhovii epigramma.* 573
Elogium *M. Antonii Mureti.* 169
Elogium *equi.* 340
Epiſtola Bezæ (*Theodori*) *Georgio Buchanano.* 732. 759. 760
—— Buchanani *Anonymo.* 739
- - - - *Theodoro Bezæ.* 767
- - - - *Tychoni Brahe.* 738
- - - - *Petro Danieli.* 724
- - - - *Rudolpho Gualthero.* 743. 747
- - - - *Jacobo VI. Regi Scotorum.* 756. 761
- - - - *Chriſtophoro Plantino.* 735. 744
- - - - *Danieli Rogerſio.* 726. 752
- - - - *Henrico Scrimgere.* 727
- - - - A Monſieur de Sigongues. 733
- - - - *Eliæ Vineto.* 765
—— Bulkeley (*Edwardi*) *Geo. Buchanano.* 762
—— Danielis (*Petri*) *eidem.* 734
—— Fonteine (R. Lemacon de la) *eidem.* 758. 760
—— Fruterii (*Lucæ*) *eidem.* 721. 722
—— Gifanii (*Oberti*) *eidem.* 724
—— Gualtheri (*Rodolphi*) *eidem.* 741. 757
—— Langueti [*Huberti*] *eidem.* 764
—— Mornæi [*Philippi*] *eidem.* 740
—— Plantini (*Chriſtophori*) *eidem.* 735
—— Randolph (Thomas) to the ſame. 745
- - - - To Maiſter Peter Yonge. 746
—— Rogerſii (*Danielis*) *Geo. Buchanano.* 736. 748 751
—— Scrimgeri (*Henrici*) *eidem.* 728
- - - - To John Earl of Marr. 731
- - - Serres (Jean de) a Monſieur Buchanan. 742
- - - Vineti (*Eliæ*) *eidem.* 766 768
- - - Nancelii (Nicolai) *eidem.* 769
Epithalamium *Franciſci Valeſii, & Mariæ Stuartæ, Regum Franciæ & Scotiæ.* 332
- - - *in nuptiis Mariæ.* 400
Epitaphium *Nicolai Baconis procancellarii Angliæ.* 417

F.

Faber (*Jacobus.*) 379
Fontaine (*R. Lemacon de la*) *ejus epiſtola ad Buchananum, Gallico ſermone conſcripta.* 758 760
Fontanus (*Innocentius*) *Burdegalenſis Cauſſidicus.* 381
Franciſcus Valeſius *Rex Franciæ & Scotiæ.* 332
- - - *Mariæ Stuartæ maritus.* ibid.
- - - *ejus epithalamium.* ibid.
Fruterius [*Lucas*] *Brugenſis ſcribit Buchanano.* 721. 722
- - - *ejus epiſtolæ a Jano Grutero editæ.* 722

G.

Genethliacon *Jacobi VI. regis Scotorum.* 140
Gifanius (*Obertus*) *Buchanano ſcribit.* 724
Goclenius [*Rodolphus*] *Profeſſor philoſophiæ Marpurgi.* 538
- - - *ejus epigramma in libros de Sphæra Buchanani.* ibid.
Goodmanus [*D.*] *vir Sanctiſſimus.* 762
Gordonius *Scotus, adoleſcens Buchanano cariſſimus.* 724. 725
Goveanus [*Andreas*]. 381
Goveanus [*Antonius*]. 346
Gavinus *Archiepiſcopus Glaſcuenſis.* 370
Grollotius [*Hieronymus*] *Aurelianenſis adoleſcens, calamitatibus ſuis notus.* 768
Gualtherus [*Rodolphus*], *ejus ad Buchananum epiſtola.* 741 757
Guttræus *adoleſcens Buchanano cariſſimus.* 725

H.

Haddonus [*Gualterus*] *libellorum ſupplicum Angliæ Reginæ magiſter.* 349
Hamiltonus [*Joannes*] *Fani Andreæ Archiepiſcopus.* 385
Hamiltonus *apoſtata, adverſus eum liber.* 763
Havarta [*Joanna*]. 396
Henricus *Scotiæ Rex.* 393. 426
Henricus II. *Franciæ Rex.* 408. 413
Henricus VIII. *Angliæ Rex,* 417
Humaniores literas *docentium Lutetiæ miſera conditio.* 301
Humii [*Alexandri*] *tetraſtichon in Adami Regii ad Buchanani Sphæram ſupplementum* 535

Digitized by Google

I N D E X.

Hymnus Matutinus *Buchanani.* 167
. . . *in Chriſti aſcenſionem.* 426

I.

Jacobus Stuartus, *Moraviæ Comes.* 255. 395. 399
. . . *Buchanani ad eum præfatio.* ibid.
Jacobus Stuartus *Scotorum Prorex.* 384
Jacobus IV. *Rex Scotorum.* 377
. . . *ejus epitaphium.* ibid.
Jacobus VI. *Rex Scotorum, ad eum Buchanani præfatio.* 217
. . . *Genethliacon.* 340
Joannes *cognomento Major.* 373
Joannes III. *Luſitaniæ & Algarbiæ Rex.* 168
. . . *ad eum Buchanani Carmen.* ibid.
Jonſtonus [*Joannes*] *Scotus Helmſtadio mittit Epigrammata in libros de Sphæra Buchanani* 530
Juellus [*Joannes*]. 385. 386
Junius [*Hadrianus*] *Nomenclatoris Auctor, Magdeburgi obiit.* 736
Junius [*Petrus*] *nepos Scrimgeri.* 730
. . . *quos libros in vulgus proferri ſtudet.* 735
. . . *Buchanani collega.* 748
Juvenis [*Martinus*] *typographus Pariſienſis.* 726

K.

Keith [*Georgius*] *Comitis Mareſcalli Scotiæ filius.* 741
Kennedus [*Gilbertus*] *Caſſiliſſæ Comes.* 378. 647
. . . *Rudimenta Grammatices Linacri a Buchanano ei dedicata.* 647
Kilgræus [*Henricus*] *Anglus ducit in uxorem Coccii filiam egregie doctam.* 372

L.

Lambinus [*Dion.*] *ſcripſit Commentar. in Ciceronis orationem pro A. Cæcina.* 170
. . . *ubi Buchanani meminit.* ibid.
Languetus [*Hubertus*] *ejus ad Buchananum epiſtola.* 764
Leonora *Petridis lenæ filia.* 320. 322. 350, 351, 352. 363, 364, 365. 366 369. 371 373. 419
Leſlæus [*Joannes*] *Epiſcopus Roſſenſis gentis Scoticæ Hiſtoriam edere geſtit.* 749
Linacrus [*Thomas*] *Auctor Rudimentorum Grammatices.* 646
. . . *ejus Dedicatio ad Mariam Cornubiæ & Walliæ Principem.* ibid.
Longanus [*Guilielmus Lutrius*] *Senator Burdegalenſis.* 347
Lutetiæ *deſiderium.* 329

M.

Magdalena *Valeſia Regina Scotorum.* 377
. . . *ejus epitaphia* ibid.
Margarita *Borbonia, Navarræ Regina.* 372
Margarita *Valeſia Navarræ Regina.* 361.
Margarita *Henrici II. Francorum Regis ſoror.* 571
. . . *ad eam Buchanani præfatio.* ibid.
Margarita *Regina Navarræ.* 390
Maria *Scotorum Regina adamantem annulo inſertum ad Eliſabetham mittit.* 348
Maria *Regina Scotiæ puella.* 389
. . . *eadem adulta.* ibid. 394, 395
Maria *Regina Angliæ.* 390
Maria B*etona.* 407
Maria Flaminia *forte Regina.* 406
Maria Stuarta *Franciſci Valeſii Regis Franciæ & Scotiæ uxor.* 332
. . . *ejus Epithalamium.* ibid.
Marillacus [*Carolus*] *Viennæ Allobrogum Epiſcopus.* 359
Marnixius [*Philippus*] *Buchanani nominis ſtudioſiſſimus.* 737
Matthæus *Leviniæ Comes, Scotiæ Prorex.* 399
Mekerki [*Adolphus*] *Canticum Simeonis.* 167
Memmius *Buchanani amicus.* 724
Mildreda *Gulielmi Cecilii uxor.* 396, 397
Monlucius [*Marcus Antonius.*] 414
Montaureus [*Petrus*] *Buchanani amicus.* 724
Morellia [*Camilla*] 425
Morella [*Lucretia*], *argumentum Utenhovii ad eam in Jephthen tragœdiam.* 179
Mornæus [*Philippus*], *ejus ad Buchananum epiſtola.* 740
Muretus [*M. Antonius*] *edidit tragœdiam in Julium Cæſarem.* 169
. . . *ejus Elogium à Buchanano.* ibid.

N.

Neæra *Amaſia.* 323. 344, 345. 347. 366, 367. 420
Nicotiana *herba falſo nomine Medicæa appellata.* 420

O.

Olivarius [*Franciſcus*,] *Franciæ Cancellarius.* 317. 411

Otterburnus [*Adamus*] *Eques.* 380

P.

Peiris *lena.* 412

Plancius [*Petrus*] *Pariſienſis.* 381, 382

Plantinus [*Chriſtophorus*] *typographus Flander.* 725

. . . *ejus ad Buchananum epiſtola.* 735

. . . *Buchanani ad eum epiſtola.* 735. 744

Pincierus [*Joannes*] *Medicus* 508

. . . *ejus ſupplementum in librum V. Sphæræ Buchanani.* 508

. . . *ejus argumenta in libros Sphæræ Buchanani.* 527, 528, 529

Pinus *pro foribus ſcholarum erecta.* 361

R.

Ramus *prolegomena Mathematica edidit.* 726

Randolphus (*Thomas*) *Anglus.* 390

. . . *ejus ad Buchananum, Anglico ſermone conſcripta, epiſtola.* 745, 746

Ranfortus [*Joannes*] *Eques Anglus.* 383

Regius [*Adamus*] J. C. 510

. . . *ejus ſupplementum libri IV. ſphæræ a Buchanano non abſoluti.* ibid.

. . . *ejus ſupplementum libri V.* 525

. . . *ejus in libros Buchanani de Sphæra argumenta.* 532, 533, 534

Rogerſius [*Daniel*] *ad eum Buchanani epiſtola.* 752. 726

. . . *ejus ad Buchananum epiſtola.* 736. 748 751

. . . *a Germanis Regi Hiſpaniæ militantibus captus.* 765

Rollocius [*Hercules*] 749

. . . *inter minores judices a Jacobo VI. allectus.* 761

S.

Sandæi [*Patricii*] *in tres Sphæræ Scriptores Scotos epigramma.* 534

Scaligerus [*Julius Cæſar*] 372

Scrimgerus [*Henricus*] *ad eum Buchanani epiſtola.* 727

. . . *ejus ad Buchananum epiſtola.* 728

. . . *ejus epiſtola ad proregem Scotiæ.* 731

de Serres, *ejus ad Buchananum, ſermone Gallico conſcripta, epiſtola.* 742

de Sigongues, *Gubernator Diepæ.* 733

. . . *Buchanani ad eum epiſtola Gallico ſermone ſcripta.* ibid.

Silvius [*Jacobus*] 379

Simonis *verba. Luc. II. in Canticum a Mekerko redacta.* 167

Sireps *verbum antiquum, quid ſignificet.* 723

Strena *ad Eliſabetham Angliæ Reginam.* 395

Sturmius (*Joannes*) *rerum Buchananarum cupidiſſimus.* 737. 393

Sydneus [*Henricus*] *Hiberniæ prorex.* 762

T.

Taſtæus [*Ptolemæus Luxius*] *amicus intimus Buchanani* 314

. . . *ejus deſiderium.* 326

Tevius [*Jacobus*] *articulari morbo laborans.* 314

. . . *Lutetiæ docuit literas.* ibid. *not.* 3

V.

Valla [*Laurentius*] 389

Vallius [*Briandus*] *Senator Burdegal.* 308. 378

. . . *ad eum Buchanani apologia pro lena.* 308

Valſingamia (*Anna*) *Thomæ Randolphi uxor.* 424

Vinetus (*Elias*) *Buchanani ad eum epiſtola.* 765

. . . *ejus ad Buchananum epiſtola* 766. 768

Vives (*Jo. Lodoicus*) *Catharinæ Reginæ Angliæ ſcribit.* 699

Volufenus [*Florentius*] *Scotus.* 379

Utenhovii [*Caroli*] *argumentum in Jephthen Tragœdiam, ad Lucretiam Morellam.* 179

. . . *Buchanani ad eum præfatio.* 281

. . . *Buchanani amicus.* 362. 426

. . . *ejus epigramma ad Eliſabetham Angliæ Reginam in Alceſtin Buchanani.* 73

W.

Wardlaus [*Henricus*] *Scotus.* 766

Wechelus [*Andreas*] *typographus Pariſienſis.* 726

FINIS.

Z

22

Digitized by Google